
EFFIGIES MARTINI KEMPII REGIOMONTI
ELECT. BRANDENB. HISTORIOGRAPHI
Ære notat Sculptor qualis sit KEMPIUS ore
Qualis at ingenio KEMPIUS Ipse docet.
Orbem Fructiferi Decus ingens Ordinis ornans
KEMPIUS ELECTI nomine Puncta tulit.
Expressit Sculptor faciem Sed Copia quæ sit
Mentis, in Ipsius cernitur

OPUS POLYHISTORICUM,

DISSERTATIONIBUS XXV.

DE

OSCULIS,

Subnexisq; de Judæ Ingenio, Vita & fine, sacris

EPIPHYLLIDIBUS,

ABSOLUTUM;

Ob variarum Gentium, per cuncta Mundi Climata usitatos ritus, Historiarumq; quibus refertum est, Amœnitates, Materiarumq; ex Sacrario Theologiæ, divæ Themidos Cancellis, & salutaris Medicinæ Theatro petitarum Raritatem, maximè

CURIOSUM,

Ex omnium Facultatum Doctoribus, Annalium Conditoribus, & Geographis, improbo labore, & indefesso studio concinnatum

à

MARTINO KEMPIO.



FRANCOFURTI,

Impensis MARTINI HALLERVORDI, Bibliop.

Typis JOANNIS ANDREÆ.

ANNO MDC LXXX.

Prooemium ad Lectorem.

C*Um Zeno Citticus Stoicæ Scholæ conditor & Princeps, Deos aliquandò consuluisset, quâ ratione beatam vitam optimè institueret, responsum ab Apolline hoc tulit :* Ἐι συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς ; *Si concolor fieret mortuis : quod ubi ille intellexisset,* τὰ τῶν ἀρχαίων ἀναγινώσκειν, *(a) ad veterum monumenta evolvenda se contulisse dicitur , tum demum se mortuis concolorem futurum ratus, si defunctorum erudito collegio immixtus , & mores decenter formare , & virtutis præcepta haurire ex illis adsuesceret. Par ferè suo Lucilio consilium inculcat L. Annæus Seneca, (b) scribens: Cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone, „ quod si convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate , cum Zenone „ versare. Alter te docebit mori, si necesse erit, alter antequam necesse „ erit : vive cum Chrysippo, cum Posidonio , hi tibi tradent divino- „ rum humanorumq; notitiam. Nec aliena ab hoc scopo apud Plinium le- „ gas , quæ mihi ab ineunte adolescentiâ charæ fuerunt : Sit apud te,* in- „ quit, *honor antiquitati, (c) quippe quæ Cicerone teste (d) & plurimũ „ habet ad probandum auctoritatis , & jucunditatis ad audiendum. „ Quæ quidem omnia de veterum Philosophia intelligenda esse , nemo , opinor, in dubium vocabit ; sed & cæteris artibus liberali ingenio dignis ac præprimis Philologiæ commodùm posse applicari , nullus diffitebitur. Illa videlicet veræ eruditionis est Sal, quo nisi condiatur, exit in putredinem. Hâc faculâ singulæ disciplinæ , velut orbis solaribus radiis coruscat, illustrantur. Quia omnes sinu suo complectitur, nullam*

 non

(a) Diogenes Laertius in vitâ Zenonis. (b) Epist. CIV. Lib. I. (c) Lib. VIII. Ep. 24. (d) Verrina III. §. 98.

non ornare satagit. Quemadmodum populus una est civitas, ex multis militibus unus fit exercitus; ita ex disciplinis omnibus conjunctim una eruditio. (e) Adeò ut in Philologo omnis eruditio quasi combinata requiratur. (f)

Vt legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitosq; suos. (g)

Sunt verò oppidò quàm pauci, quibus hodie hac Studia arrident. Quin potiùs huc ferè res deducta, ut tenebriones quidam, literis humanioribus vix tincti, Philologos per ludibrium vocent Grammaticos, cum tamen propter mentis imbecillitatem stupidi, discrimen inter Grammaticum & Grammatistam non nôrint, castaneis corylos, viburna cupressis æquantes. Audiant autem, quid insulsis illis bardis vir omnigenæ eruditionis, Ludovicus Vives, (h) dum esset in vivis, occinuerit: Quid „ Grammaticus, inquit, *profitetur? non solum litterarum & vocum „ peritiam; quanquam nec hoc omninò parum; sed intelligentiam ver- „ borum & sermonis totius, cognitionem antiquitatis, historiarum, „ carminum; deniq; veterum omnium Scriptorum interpretationem. „ Quid potest hoc majus vel amplius in studiis dici? Quâ de causâ illis „ permissum est de Scriptoribus cujusq; generis Iudicium. Gravissimam „ quoq; istis politioris doctrinæ hostibus dicam scripsit alius Musarũ Sa- „ cerdos clarissimi nominis ita edisserens: (i) Quantum quantum verò „ edecimatâ evehatur laude (Philologia,) nonnunquam tamen hanc „ acutis naribus & caperatâ fronte condemnantes extitêre: quamvis „ hos superciliosos cerebrum potiùs in calcaneo, quàm in capite positum „ habere non dubitamus. Ecquid sciunt, vel fando modò audiunt, om- „ nem eruditionis adoream in monumentis antiquitatis esse? Quo con- „ cesso cur adhuc optimè emendatus, inlustratis, censitis, quàm accura- „ tissimè, eorum livor obstrepit, & nihilo minus maliloquentia eorum „ cessat? Cur adhuc ejus cultores & φιλομαθεῖς vitilitigant, præposte- „ roq; suo titivilitii obtentu incessunt? Sanè, si hoc impunè? nec sartum „ tectum limpidiorum doctrinarum quid conservabitur. Meritò igitur viri*

(e) Heinsius in Aristarcho. (f) Vossius de Arte Grammat. l. 6. (g) Juvenalis Sat. VII. (h) Lib. II. de Caus. corruptar. artium. (i) Christian. Gueinzius præfat. in Comm. Critic.

viri CL^mi BARTHIUS, WEITZIUS, DILHERRUS, SCHEUR „ LIUS, BOXHORNIUS, amuleta sua litteralia insanis Miner- „ va, amovendi invidia livoris suspenderunt, & quisq; eorum suo in „ loco eam encomiis condecoravit. Profectò Antiquitatis studium tantum in se utilitatis delectationisq; tenet, ut quem semel ad se illexerit, vix tum etiam dimittat, cum certissimam illi libertatis spem ostenderit. Antiquitates & historiæ sunt quasi aucupium, quô lectores capiuntur & detinentur. Tolle hæc ornamenta ex vasto eruditionis orbe, sic erit ut campus sine floribus, ut diadema sine gemmis, ut cœlum sine sideribus. Vnde Antiquariis dignum honoris pretium pro merito suo constat. Dudum varias vox hæc significationes obtinuit, potiores autem esse, quæ sequuntur, existimo. Apud Iurisconsultos Antiquarii erant, qui Bibliothecæ codices componebant, vel pro vetustate reparabant, ut docet Imperialis cōstitutio l. 2. in princ. C. Theodos. de Stud. Lib. Urb. Rom. Lib. XIV. Quo etiam sensu accipiuntur in l. hac parte decima, C. de proximis sac. scrin. Antiquarios quoq; appellari ait Sabellicus, (k) veterum Poëtarum & Historiarum peritos ac studiosos. Et vulgo Antiquarii dicuntur, qui veterum numismatum & statuarum ac lapidũ inscriptionum dignotioni student, & operam dant. Cælius Rhodiginus (l) Antiquarios rectè dici ait, qui à memoria sunt Principibus, ad manum ac in numerato habentes, quidquid antiquis gestum temporibus est. Quæ omnia apprimè in Philologos quadrare, quilibet emunctioris naris facilè agnoscet, eosq; suâ laude neutiquam defraudandos esse judicabit. Vt maxima enim & digna omnium favore eorum habentur merita, qui sepultum hactenus & desideratum vetustatis fragmentũ partim eruderant bono publico, inq; lucem & vitam primi exponunt, partim purgant expositum, poliuntq; ; ita proximam ab his laudem eos meruisse patet, qui priscas per omne scriptorũ genus memorias cum Iudicio seligunt, & modo hunc, modo illum remotissimi temporis ritum ad oculos omnium explicant. Quam quidem laboris viam arduam omninò nec nisi magnis exercitatisq; propemodum viris tritam, cum seculis proximũ sit optatumq; doctrinæ variæ compendium, negligi tamen à plurimis mirandũ eò minus est, quò pauciores sunt, qui antiquorum lectioni ex instituto se

 accingunt,

(k) ap. Gruterum T. VI. Thesauri Critici, p. 528. (l) Lection. Antiqu. L. XIII. c. 31.

accingunt, & hac in palæstrâ æternitatis lauream consequuntur. Quorsum hæc tendant, Benevole Lector, vel me tacente intelligis. Profero in publicum quæsitum hactenùs (præfiscini dixerim!) & à multis expetitum OSCVLORVM VOLVMEN, *in quô Philologiæ Charites, nec non historiarum amœnitates cum altiorum studiorum doctrinis gratissima miscere oscula conspicies. Et ut penitiùs tibi innotescat, quâ ratione Oscula in tantam molem excreverint, brevibus expeditum dabo. Specimen Academicum abhinc annos septendecim adolescens Ienæ editurus, geminam de osculis Diatribam, majori fortè conatu, quàm ingenio & diligentiâ, conscripseram; quæ deinceps evulgata typis ex Germania in Angliam usq; pervenit, ac ibidem sinceros mihi paravit amicos. Opportunè intereà accidit, ut illustri Viro, Domino* ISAACO VOSSIO, *magni Patris magno filio, Londini Anglorum ante novennium, innotescerem; qui postquam fervidum discendi ardorem, meiq; ingenii vires exploraverat, conspecto de osculis libello, me non solùm de quibusdam circa hoc argumentum necessariò observandis, familiariter monuit, verùm etiam pro singulari ergà meam tenuitatem propensione, ut novam adornaturus editionem, singula ad vivum resecarem, suasor extitit. Parui tanti Patroni consilio eò lubentiùs, quo meliorem in Bibliothecis Oxoniensibus quidquam elaborandi occasionem nactus fueram. Hic igitur per omnium facultatum Doctores, Annalium conditores & Geographos improbo labore, indefesso impetu grassatus, quidquid usui fore sperabam, selegi, & in certas classes disposui. Perjucundum mihi videbatur libero pede ferri per lætissimos Græcorum Latinorumq; hortos, & ex omni quasi pulvillo aliquem coronarium flosculum petere, floriferis ut apes in saltibus omnia libant. Cumq; pulcherrimam variarum rerum supellectilem conglomerâssem, priorem telam aliorum Scriptorum exemplo, cœpi retexere, & ut in hisce talibus solet, quæ deerant addere, rescindere quæ superfuerant, atq; ut verbô absolvam, planè novam & meliorem reddere. Tardè magna proveniunt, nec simul sacra sua tradit natura, per vices & lentè suas exserit vires; testudinem imitatur, non canem, graditur non salit. Ipse orbis in promptu est, cultior indies & instructior pristino. (m) Arbuscula dum crescit*

(m) Tertullianus Libro de Animâ.

crescit occulto ævo, priusquam procera arbor fit, sæpiùs viride foliorum capillitium deperdit, multos item ramulos & stolones, sed non nisi suo bono amittit. Simili prorsus modo nihil quidquam in hoc orbe sublunari affectum simul & semel conficitur. Dantur in scriptis initia, sequuntur progressus & incrementa, donec apex operi colophonem imponat.

Crescit indies scribendi materia, & inventuris inventa non obstant. Præterea conditio optima est ultimi. Parata verba invenit, quæ aliter instructa novam faciem habent: nec illis manus injicit tanquam alienis. Sunt enim publica. Iurisconsulti negant quidquam publicum usucapi. (n) *Oscula accipis, vel potiùs amplissimam osculorum farraginem. Quæ hic propono, verba Paschasii Ratberti sonant;* (o) *multorum sunt eruditissimorum hominum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis, sed proprio commendata stylo novitas facit esse mea. Ita ut tractatus qui de pluribus colligitur, unus verè videatur & specialiter esse meus. Sæpè propria probatissimorum Auctorum verba admiscui, ut, quod ait Bernhardus,* (p) *ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in eis Lectori apposuerim. Præsens enim opus non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur.* (q) *Porrò negant Iurisconsulti eum damnari debere, qui pecuniam publicam acceperit, si postea erogaverit.* (r) *Videbis hic inter alia ex sacrario Theologiæ, divæ Themidos cancellis, nec non salutaris Medicinæ Theatro petita, variarum gentium ritus, quasi in tabellâ, & quid usus per Europam Asiam Americam & Africam circa oscula in hunc usq; diem obtineat. Omnia sesamo politioris doctrinæ condita; quô successu illud factum sit, lectoris Iudicio relictum esto. Aliis permittenda est in fœtum inquisitio. Id propter Lysippus Apellem ad picturas admittebat, & Apelles Lysippum.* (s) *At verò sicut olim jejunus adolescentiæ in hoc genere conatus multis salivam movit, adeò ut magni nominis Ictus, Dn. Petrus Mullerus Consiliarius Stolbergensis,* (t) *Dom.*

):( ):(*M. Ioh-*

(n) Seneca Epistol. Lib. I. LXXIX. (o) Præfat. Lib. VI. in Matthæum. (p) Serm. III. Sup. Missus est. (q) Macrobius Præfat. in Saturnalia. (r) A ad L. Juliam peculat. l. 4. (s) Synesius Epist. I. (t) In Commentatione de osculo sancto, Jenæ An. 1675. in 4. edito.

M. Iohannes Henningius, nec non Dn. Iohann. Fridericus Hekelius, (u) (Quanta (x) literarii senatus ornamenta!) eundem non modò legere; sed etiam suis summopere limatis lucubrationibus honorificè inserere dignati sint; (quo nomine ego illis publicè decētes gratias decerno:) Ita nullus dubito, lectores meos cum voluptate inter oscula versaturos, ac subinde pronunciaturos esse:

Quàm lepidæ leveis, compostæ ut tesserulæ omnes,
Endo pavimento atq; emblemate vermiculato!

Potuisses quidem, Lector, temporiùs his delectari deliciis, nisi ante septennium, ingruens bellum Gallicum ex Belgio in Prussiam trajicere atq; novam osculorum editionem tempori commodiori reservare imperâsset. Ex quo autem vir Integerrimus Dn. Martinus Hallervordius, Bibliopola inter Regiomontanos haud incelebris, pro laudabili, quâ literatorum molimina juvare contendit industriâ, operam suam mihi addixit, effectum est, ut ruptis tenebrarum repagulis oscula (quod Deus fortunatum esse jubeat!) suis sese amasiis in publico sistant. Tuum nunc erit, quisquis es, nec amori infensus, neq; sacrorum ejus Symbolorum ignarus, illa blando amplexu, quem desiderant, excipere; & si quid ex illis profeceris, Deum venerari; mea autem studia gratioso bonæ mentis favonio promovere. Vale.

CON-

(u) Archæologia Passionali Anno 1676. Lipsiæ in 8. (x) Discurs. Philolog. de Osculis, Chemnitii in 12. An. 1678. vulgato.

CONSPECTUS OPERIS.

DISSERTATIONES SINGULARES DE OSCULIS.

בּיהוה

DISSERTATIO I.
DE OSCULO IN GENERE, QVIDDITATEM EJVS EXPENDENS.

Summaria.

I. Derivatio & Scriptio Osculi juxta Criticos. II. Os quid? III. Ejus variæ acceptiones. IV. Grammaticorum Superbia explosa. V. Osculi significata. Osculum libare. VI. Synonyma, basium & suavium. VII. Vexatissimus locus Plauti de valgis suaviis, à Duoza & Taubmanno enodatus. VIII. & IX. Discrimen inter Osculum ejusque Synonyma. X. Osculum apud Ebræos certum mortis genus. Diana Endymionem dormientem osculans, ad divinum negotium applicata. XI. Osculorum definitiones ab aliis traditæ sub incudem revocatæ. XII. Osculum columbarum. Descriptio Osculi nova proposita.

§. I. NUnquam satis intelligi poterit, cur compendium illud omnium nebulonum JUDAS, præ mille aliis, quæ ipsi videbantur in promptu esse signa, Osculum selegerit: nisi prius teneatur, quid antiquitùs Osculum designârit, (nudum enim conceptuum signum, & locutionem quasi realem fuisse quis dubitet?) quibusque modis illud usurpatum fuerit. Ideoque Dissertatione hâc primâ arculas Antiquitatis scrutari, & quæ illæ de Osculorum variis generibus & usibus habent, pro præsentis institu-

ti ratione afferre nunc mihi curæ erit. Et ut à gemino, quod ajunt, ovo rem arceſſam, primô locô in nominis notationem ex merito inquiro, quoniam nominum interpretatione, in ipſius rei perceptionem provehimur, uti jam olim divinus & incomparabilis *Scaliger Exercit. Subtil.* 1. *Sect.* 1. judicavit. Omnis rei inſpectio Etymologiâ cognitâ planior & plenior eſt, ſunt verba *Iſidori, libro de originibus cap.* 28. *Gell. Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 10. Quia rei propoſitæ vim aperit, & non mediocriter illuſtrat, uſumque neceſſarium habet, quoties interpretatione res de qua quæritur, eget, juxta *Quintilianum, libro* 1. *Inſtitution. Oratoriar.* Unde pauxilla hanc in partem recenſere non pigrabor. Inveniuntur verò hujus vocis natales in florentiſſimo Latio, & ab ore Oſculum per diminutionem deſcendere viri docti autumant. Autor eſt Antiquitatis ſcientiſſimus *Varro, de vita populi Romani & lib. Vet. Grammatic. de LL. p. m.* 336. Itemque *Nonius Marcellus, c.* 5. *de diff. Dict. p.* 722. *corporis de LL. Martinius, Lexico Philologico. Auguſtus Buchner*, in locupletato *Fabri Theſauro*, voce oſculum. *Kornmannus Commentar. de Lin. amoris, p.* 78. quos reliqua Grammaticorum familia ſequitur.

De Originatione autem vocis Os ſententiarum divortia inter plures exorta ſunt. Quidam enim cum *Iulio Cæſare Scaligero Exercitat.* 318 *num.* 3. *contra Cardanum*, deduxerunt à literæ O figurâ, quorum tamen ſententiæ ſubſcribere non poſſum; Siquidem prope os oblongum omnibus, paucis admodum, ut Struthioni, rotundum eſſe conſpicitur, quemadmodum rectè magno *Voſſio in Etymologico, fol. m.* 359. obſervatum eſt. Quid? quod ejuſmodi rotundam figuram, non niſi apertum & diductum Os efformet. Si interim quiſquam illum, qui os occluſit, carere ore aſſerat, næ is omnium irriſioni & ludibrio ſeſe propinabit. Alii è Græcorum penu depromunt vocabulum ὄσσα, vox, quo ſenſu καλλιόπας γλυκερὸν στόμα, Homerus, Hymno in Mercurium adhibet:

θαυμασίην γὰρ τήνδε νεήφατον ὄσσαν ἀκούω.

id eſt: *admirabilem enim hanc novam vocem audio.* Itemque Heſiodus, de Muſis canens in Theogeniâ v. xi.

Εὐνυ-

Ἐννύχιαι στεῖχον περικαλλέα ὄσαν ἱεῖσαι.
Nocturnæ incedebant, perpulcram vocem emittentes.

§. II. Verùm enim verò cum ὄσσα quasi ὄψα, non tam ἁπλῶς φωνὴ quam θεία φωνὴ antiquis significaverit; quod Græcus in Hesiodi locum allegatum Scholiastes, itidemque Homerus indicat, Iliados B.

--- μετὰ δέ σφισιν ὄσσα δεδήει
Ὀτρύνουσ' ἰέναι, Διὸς ἄγγελος.
Inter ipsos autem fama lucebat,
Iovis nuncia concitans ire.

Necnon Odyssea A.

Ἤν τίς τοι εἴπῃσι βροτῶν, ἢ ὄσαν ἀκούσῃς
Ἐκ Διός.
Si quis tibi dicat mortalium, aut famam audiveris
Ex Iove.

Ut alia hujusmodi vocabuli significata apud Græcos Lexicographos occurrentia reticeam; tutiùs prælaudato Vossio adstipulor, qui loco citato Os ab ἐρῶ, id est *dico, loquor*, derivat; cum quo etiam *Matthias Martinius in Lexico* facit, addens: Os propriè loquendo notat concavum illud in capite, intra quod sunt lingua & dentes; necnon totam hominis inferiorem faciem, in qua sunt oculi, genæ, pudoris sedes, nasus & mentum. Eloquentissimus Romuli nepotum *Cicero, Libro II. de natura Deorum, pag. m. 323. Edit. Gothofredi in majori quarto, eadem insinuat scribens*: Cùm tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu: ad hæc omnia percipienda Os est aptissimum, quod adjunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur, & molitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui gemini vocantur: quæ confectio etiam à lingua adjuvari videtur. Præclarè etiam Ciceronis æmulus lacteus *Lactantius* Libro de Opificio DEI, cap. X. differtat: *Oris species*, & rictus ex transverso patefactus, quàm utilis, quam decens sit, enarrari non potest. Cujus usus in duobus constat officiis, sumendi victus, & eloquendi. Lingua intus

inclusa; quæ vocem motibus suis in verba discernit, & est interpres animi; nec tamen sola potest per se eloquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi adjuta vel offensione dentium, vel comprehensione labiorum, dentes tamen plus conferunt ad loquendum. Eadem ferè exstant apud Platonem in Timæo post medium, pag. mihi 545. E. Edit Lugdun. in fol. Anno M. D. XC. *Maro de Aenea Libro I.* sic canit:

Os humerosque DEO similis - -

Sulmonensis Poeta Metamorphos. I.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultûs.

§. III. Μεταφορικῶς de Impudentia & temeritate adhibetur, teste *Catone* apud *Senecam de Ira lib. III. cap.* 38. Affirmabo, *inquit*, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere; quæ verba idem sonant, quòd vulgò dicunt: te sine fronte & ore esse, ob insignem impudentiam. Intelligit scilicet *Cnejum Cornelium Lentulum Clodianum*, qui Consul fuit Anno Urbis DCLXXXI. De ejus ingenio protervo & improbo *Sallustius in fragmento apud Agellium Noct. Attic. Libro xiix. cap.* 4. Cn. Lentulus cui cognomentum Clodiano fuit, per incertum stolidior an vanior. Eundem sensum obtinent verba *Ciceronis Orat. pro P. Quinctio*, ore durissimo esse: & os durum apud *Terentium in Eunucho*, actu IV. Scena 7. v. 36. Ubi Donatus: os durum, os impudens, ut contra mollis frontis dicuntur, qui sunt reverentes. Similiter in *Phormione*, actu V. Sc. 8. v. 24. *Nam quò redibo ore ad eam quam contempserim? Cic. VI. Verrinâ: Os hominis, insignemque impudentiam cognoscite.* Idem Philippica V. *Sed illud os, illam impuritatem.* Ibidem: *Audissent furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atque os illud infame*; & pro *C. Rabirio Posthumo*: *Quod habent os? quam audaciam?* his addi possunt loca quæ *Reinerus Neuhusius* in Examine Philologico p. 362. & Erasmus sub adagio, perfricare frontem, allegat. *Os pugilis* in homine usque adeò impudente, ut & Grammaticis suis canonibus forensi patrocinia alligare vellet, exagitavit Asinius Gallus hoc disticho:

Qui

Qui caput ad lævam didicit glossemata vobis,
Præcipit, os nullum, vel potius Pugilis.

Scilicet, (juxta interpretamentum *Casparis Barthii Adversar. Lib. VII. cap.* 18.) quia creberrimis cæstuum ictibus ora athletarum occalluerant, & maximè dura erant. Deinde *os pro primis verbis* accipitur, testis est locus elegantissimus *Quintiliani Instit. Oratoriar. cap. II. Lib.* I. *Ante palatum eorum, quam os instituimus.* Ubi manuscriptum *Barthianum Advers. Lib. XXXI. cap.* 5. in Marginali glossa habet: *palatum*, id est, *gulam, os, id est, prima verba.* Et alludit fortè ad illud Horatianum:

Os tenerum pueri balbumque Poëta figurat.

Non rarenter quoque poni consuevit *pro præsentia sive conspectu* alicujus, ut eloquentissimus *Tacitus Libro III. Histor. cap.* 36. *sect.* I. juxta editionem *Berneggeri*, quâ utor, declarat. *Vitellius non in ore vulgi agere* &c. *Cap.* 77. *sect.* 4. ejusdem libri, *Iulianus ad L. Vitellium perductus, & verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur. Lib. III. Annal. cap.* 74. *sect.* 4. *Pars aliqua militis Romani in ore; in latere & sæpe à tergo erat. Quintilianus in Dialogo de sui seculi Oratoribus, Tacito* vulgò inscripto, *cap.* 37. *sect.* 9. (Eloquentia) *quo sæpius steterit tanquam in acie, quoque plures intulerit ictus & exceperit, quo major adversarius, eò acrior qui pugnas sibi asperas desumpserit, tantò altior & excelsior, & illis nobilitatus criminibus, in ore hominum agit, quorum ea natura est ut secura nolint. Sallustius in Bello Iugurthino:* Incedunt per ora vestra magnificè. *Cicero Verrinâ IV.* In ore atque oculis omnium hæc gesta sunt. Pro *Roscio Amerino:* Frequens erat ille Romæ, atque in foro, & in ore omnium quotidiè versabatur. Pro Dejotaro: In tuis oculis, in tuo ore, vultuque acquiesco. *Vellejus Paterculus Histor. Lib. II. cap.* 84. *sect.* 3. Denique in ore atque oculis Antonianæ classis per M. Agrippam Leucas expugnata. Confer. Index *Iohannis* Freinshemii ad *Florum. Paterculi* verba *Lib. I. cap.* 18. *sect.* 3. nisi Thebas unum os Pindari illuminaret, *de eloquentia & sermone* usurpantur, uti apud Horatium de arte Poetica: Grajis dedit ore rotundo Musa loqui, idem est ac perfecto. Confer. Matth. XIIX. v. 16. Luc.

XIX. 22. 1. Petr. II. 15. Virgilius Æneid II. v. 4. *Ora sono discordia signant*; diversas linguas & idiomata innuit. Cæterum accipitur Os *pro unanimitate sive consensu*, unde familiarissimum est Scriptoribus, Uno ore loquuntur. Græci exprimunt ἐκ φωνῆς μιᾶς, apud *Herodianum*, *Lib.* 1. *Histor. cap.* 4. *Sect.* 21. Terent. Phormion. act. 4. Sc. 3. v. 20. Nam cæteri quidem herclè amici omnes modo uno ore autores fuêre, ut præcipitem hanc daret. Hujus sensus plura in sacris Scripturarum Pandectis invenire licet, ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν, καὶ Πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Vt unanimiter uno ore glorificetis DEVM ac Patrem Domini nostri Iesu Christi*; Magnus ille veritatis Præco, Paulus ad Romanos suos scribit, cap. XV. v. 6. addatur. *I. Reg. XXII. v.* 13. II. *Chron*, *XVIII. Aristophanes* in equit. *Plato Libro I. de Legibus*, *& Lib. II. de Republica.* Nonnunquam Os *faciem*, vel etiam *totam speciem* quæ cernitur & *quicquid in aliqua re patet*, denotat. De priore capiendus est Virgilii versus Æneidos. I. *Os humerosque Deo similis.* De posteriori itidem Virgilii verba Æneid. II. *Ingentem lato dedit ore fenestram*, explicantur. Sic Horatius Epod. IV. *ora navium* rostrata vocat. In plurali quamvis *extremitatem*, nec non *ostia maris* signare, *Florus lib. II. cap.* 17. *Histor. Rom. edocet, dicens*: Victor (*Scipio Africanus*) ad Gades & Oceani *ora* pervenit. *Herodianus* Lib. VIII. Histor. cap. 7. §. 1. στόμασιν ἑπτὰ ἐς θάλατταν ἐκχεῖται: (Eridanus) per ora vel ostia septem in mare præcipitatur. *Virgil. Georgic. IV.* septem discurrit in ora ruens Nilus. *Os dare versibus* ex mente Barthii Adversar. Lib. XVII. cap. 6. idem sonat, atque præbere os solum laudationi alicujus, cum reliqua res ipsæ sint: Quemadmodum Corippus seculo sexto, sub Imp. Justiniano clarus, solam se linguam Justini Imperatoris laudibus commodare ait:

- - præcommodo linguam,
Vos divæ, date verba - -

Os uno digito comprimere notat silentium indicare: *Corippus v.* 127.

- - gemitus uno Callinicus ademit
Ora premens digito - -

Angu-

Augustinus Lib. XVIII. de Civitate DEI, cap. 5. In omnibus ferè templis ubi colebantur Isis & Serapis, erat etiam Simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut Silentium fieret. Et hic DEUS silentii Harpocrates dicebatur, ut ait *Varro Lib. III. de LL. quo de Plinius Hist. Nat. Lib. XXXIII. cap.* 21. *Ovidius IX. Metamorph. Tertullian. in Apologetico cap. 6. & Angelus Politianus in Miscellaneis, cap.* 83. Hujus itaque saporis est fons ille, ex quo osculum derivatur.

§. IV. Hîc tamen silentii Sipario obvelandum non est,

Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro;

quod nonnullis pro *Osculum* scribere arrideat *Obsculum*, quomodo apud *Virgilium* in antiquis aliquot Codicibus scriptum se invenisse Pierius Valerianus meminit. Ego autem sæpius laudato VOSSIO assentior, qui circa hæc in Etymologico sic pronunciat: *Nugantur Grammatici, qui ita dici censent, quod ob os petatur.* Et nescio sane an majorem risum à Democrito, an indignationem ab aliquo Socrate, aut Catone, an vero commiserationem ab Heraclito mereantur curiosuli illi, & anxii verborum appensores, qui miris vocabulorum fabricationibus se aliorum sæpenumero risibus exponunt, atque non levem Criticæ labem affricant! Hinc infrunita malè-feriatorum judicia, quibus incilant & traducunt eam; hinc quicquid est humaniorum literarum sordere incipit, & Vatiniani quasi odii Scintillæ exardescunt. Adeò ut non frustra Henrico Cornelio *Agrippæ ab Nettesheim* querela exciderit, de Vanitate scientiarum cap. III. Miserandum est ætate nostrâ, " quantas contentiones & errores moveant pertinaces Grammati- " ci & superbi Sophistæ, suis perversis vocabulorum interpretatio- " nibus, dum alii ex verbis colligunt sententias, alii contra ex sen- " tentiis colligunt verba. Hinc in medica arte, in utroque jure, " ex Philosophia & Theologia cæterisque facultatibus literarum " infinitæ contentiones erroresque quotidie insurgunt. Nihil e- " nim demonstrant Grammatici, sed solis nituntur autoritatibus, " quæ sæpissimè inter se tam variæ sunt atque discordes, ut necessa- " rium sit, plurimas illarum esse mendaces, quarum præceptioni- "

bus

„bus qui maximè confidunt, hi rectè loquuntur omnium minimè. „Omne enim ſermonis jus non apud Grammaticos ſed penes po„pulum exiſtit, & vulgari conſuetudine bene dicendi uſum ſor„titur.

§. V. Cæterum & Oſculum eſt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, unde non ἀπροσδιόνυσον fore arbitror, potiora ſaltem illius ſignificata attingere. Primò explicatur *parvum ſeu exiguum os*, ſic impuriſſimo puriſſimæ Latinitatis autori, *Petronio, Satyrici cap.* 86. uſurpatur, quando pulcherrimæ puellæ formam deſcribit: Crines in„genio ſuo flexi, per totos ſeſe humeros effuderant; frons mini„ma, & quæ radices capillorum retrò flexerat; ſupercilia uſque ad „malarum ſtricturam currentia, & rurſus confinio penè permixta: „oculi clariores ſtellis extra lunam fulgentibus: nares paululum „inflexæ; & *oſculum* quale Praxiteles habere Dianam credidit. „Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor, intra „auri gracile vinculum poſitus, Parium marmor extinxerant. Si„militer *Flaccus Lib. I. Carm. Ode* 13. canit:

Speres perpetuum dulcia barbarè
Lædentem oſcula.

Auſonius Epiſtola XXV.

Attua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet.

Iuvenalis Satyra VI.

Sunt quas Eunuchi imbelles ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ.

Suetonius denique *Lib. II. cap.* 94. Quidam prius ſomnium Catuli aliter exponunt, quaſi Jupiter compluribus prætextatis, Tutorem à ſe poſcentibus, unum ex eis demonſtrâſſet, ad quem omnia deſideria ſua referrent; ejusque oſculum delibatum digitis ad os ſuum retuliſſet. Super quæ *CL. Salmaſius in Notis ad Flavi„um Vopiſcum* p. m. 441. egregiè commentatur, ita ſcribens: tan„git (Tranquillus) veterum conſuetudinem, quâ blandientes ſole„bant puerorum maxillas adprehendere, deinde manum ad os re„ferre. Sic interpretati ſunt veteres Critici illud *Virgilii ex Libro* „*I. Aeneidos:*

Olli

Olli subridens hominum sator atque Deorum,
Oscula libavit natæ. - - -

Servius qui est in membranis Fuldensibus: sanè multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filiæ dederit, id est, non pressim, sed summa labella contingens; sed ita ajunt, tum hilarus Jupiter vultûs natæ libavit, id est contigit, scilicet ut nos solemus cum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os nostrum dextram referre. Ergò libavit meritò, quia partem vultus, non totos contigerat. Ut oscula dixit quasi minora & teneriora filiæ ora, ut ora deminutivè oscula. Egregius & unicus locus ad hunc morem firmandum & *Suetonium* explicandum. *Oscula libare* non est oscula summatim & leviter dare, sed ora leviter & summatim tangere. Nec dubium, quin eo sensu pueri à Jove delibatum *Suetonius* dixerit osculum parvum os. Sic apud *Martialem Lib. II. Epigramm. 92.*

Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi.

& in *Ovidio Lib. I. Metamorphos. v.* 101. *de Daphne.* videt oscula quæ non est vidisse satis. Solebant igitur qui pueris blandiebantur, eorum osculum delibare, hoc est, leniter manu apprehendere, deinde manum ad os referre. De hoc blandimenti genere capiendus est ejusdem Suetonii locus in Galba cap. IV.: constat Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales, apprehensâ bucculâ dixisse: καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Nam bucculam apprehendere, & maxillam contingere, & osculum delibare idem sunt, & ad illam consuetudinem, quam tangit Servius referri debent. Confer *Buchneri Thesaurum, Kornmanni lineam amoris, Neuhusii Synopsin Etymolog. pag.* 137. *Ausonii* Popmæ Lib. IV. de differentiis p. 124. 182. Jacobi Pontani Symbola ad 1. Æneidos v. 260.

Deinde μετωνυμικῶς denotat osculum signum amoris, benevolentiæ salutationis &c. quod fit ore admoto, quæ genuina est hujus loci notatio. *Philo Iudæus, in Libro quis rerum divinarum hæres, p. m.* 486. Edit. novissimæ. Differt autem ab amore osculum. Nam ille est animarum conjunctarum per mutuam benevo-

„lentiam; hoc autem nudam ſalutationem habet ſuperficietenus „in occurſu fortuito. Sicut enim in ἀνακύπτειν non eſt κύπτειν, in κα„ταπίνειν, πίνειν; in Μαρσίππῳ, ἵππος, ſic nec in καταφιλεῖν, φιλεῖν; id eſt a„mor in oſculo; nam multi etiam inimicis coacti aliqua neceſſitate „hanc oſculi ſpeciem exhibent.

§. VI. Alia quoque apud Latinos Autores occurrunt nomina, quibus id, quod nobis oſculum dicitur, ſignificari conſuevit: *Baſium* videlicet & *ſuavium*. Ubi tamen aliquibus religio videtur tria illa promiſcuè adhibere; cum diverſitatem ſignificationum deprehendiſſe ſibi viſi fuerint. Oſculum, inquit *Servius*, ad locum Virgilii Æneidos I. modò citatum, eſſe religionis, baſium voluptatis. Idem confirmat *Scaliger* ad *Catulli* verſum Elegiâ XXXI. ad Juventium:

Suaviolum dulci dulcius Ambroſiâ.

Aliter & accuratius paulò *Donatus ad Terentii Eunuch. Act. III. Sc.* 5. explanat, tria oſculorum genera recenſens: *Oſculum* nempe *baſium*, & *ſuavium*. Eſt verò baſium oris propriè ac frontis, pudicorumque affectuum, ut patris in filium, fratris in ſororem &c. Sic Martinius & Buchnerus ex Perotto declarant.

Suavium è contrario, cum os figuratur labris promiſſis aut linguâ prolatâ, libidinum eſt atq; amorum, quemadmodum *Plautus Aſinaria actu IV. Sc.* 1. indicat. Tu labellum, inquit, abſtergas potiùs, quam unquam illa ſuavium faciat palam, id eſt, quam ſi os comparet atque conformet, ut ad baſiandum aliquem invitet, juxta *Turnebi interpretationem, Adverſar: Lib.* 1. *cap.* 18. *& Lib. VII. cap.* 6. Ubi tamen *Palmerius* in Tomo quarto Theſauri Critici Gruteri p. 692. diverſam lectionem ſequitur, non *ſuavia*, ſed *ſavia* legens, & h. m. explicans, potiùs quam cuiquam illa ſalivam faciat. Aſt hæc eruditi Lectoris judicio relicta ſunto. Interim ut palatum quorundam promulſide è Philologiæ penu moveam, ex allegato Martinio addo: Suavium ſive ſavium etiam pro labris accipi, maximè autem apud Poëtas. Hoc ſenſu legitur in *Plauti Rudentis actu II. ſc.* 4. Tum quæ indoles in Suavio eſt? itemque in *Virgilii*

Iam-

lambis: *os usque lambis suaviis*, id est, more canum, qui aliquid ligurierunt, labra etiamnum lambis.

§. VII. Eo modo vexatissimus ille Plauti locus in milite glorioso actu II. Sc. 1. intelligendus est; Itaque meretrices labiis dum ductant eum, majorem partem videas *valgis suaviis*; Nam valga suavia labia sunt distorta, ita enim labris conformatis ridebant militem. Dignam de hoc *Iani Douzæ* observationem *è Lib. I. Præcidaneorum cap.* 12. *Super Petronii* Satyricon, addere libet: Quartilla, inquit, interim, quicquid temporis nuptiarum spectaculo clanculum suffurari poterit, id porro omne oculissimâ in me contemplatione injectâ avidè & quasi catillatim consumebat, oris habitu in lasciviam conformato, hoc est *obtortis valgiter* labellis, &c. quod *Catullus micantibus* amat dicere, *semihulcum suavium* linguâ leniter leviterque protensâ eminus amatori suo objectans. Neque aliorsum spectat illud Aquinatis Satyrici, *Blandaque devexa jactaret basia rhedæ.* De motu oris ad fœtidissimam patientiam comparato etiam *Martialis Lib. I.* Una lavamur, adspicit nihil sursum, sed spectat oculis devorantibus Draucos: nec otiosis mentulas videt labris. Locum fusius enarranti, mollium exemplorum collatione uti coactus, probiorum inopiâ, eò magis quod videam in *valgiis* hisce Petronianis explicandis, *valgiter* nimis hallucinatum amicum quendam nostrum (Johann. Palmerium) qui rem se factam habere est arbitratus, si eapse illa cum *Valgus* Plauti *suaviis* confunderet, reprehensione quidem Turnebi, quasi *valgiter*, id est, pravè interpretis hicce officio functi. At ego ajo rectè, & *Turnebum* ab iniquissima calumnia libero: hactenus quidem, quod ad furtivas istas Quartillæ osculationes. Nam de *valgiis* Plautinarum meretricum prudentiùs consuli potuisse, quis vero est, qui dubitet, qui quidem hæc viri illius verba aliquanto præsentiore animo ruminetur VII. Adversar. Libro lectitata: *Valgia savia*, obtortiones sunt oris ad derisionem. Nam suavium interdum est conformatio oris & labrorum ad suaviandum. Sapienter sane usque adhuc. Illa quæ sequuntur, non item; meretrices autem dum gloriosum militem ductabant atque captabant, per illu-

 sionem

ſionem tamen inter oſculandum os obtorquebant, valgumque reddebant, cum ex animo non baſiantes, atque ludificantes. Neque movet me ſententiæ ejusdem Succidaneus Lambinus, quam hoc ipſo etiam Petronii exemplo confirmare adnititur. Perperam, uti dictum & doctum eſt modò. *Suavia* enim non pro ſuaviationibus, (proinde ut vulgo ſolet) verum potius pro *labiis* ipſis accipi oportere ipſa ſententia clamitat. Idque divinitùs (ut omnia) à Principe illo Scaligero animadverſum. Non igitur de valgiis inter baſiandum militem à meretricum turbâ per irriſum & contumeliam conformatis, ſed verò de poſticis ſannis intelligendum, ſine baſiatione, quibus faſtidioſæ illæ ac contemnificæ militem abſentem, ſeu præſentem etiam, ſed averſum tamen, atque, (ut fieri ſolet) à tergo ludos faciebant aſſiduè. Quas quidem (Sannas dico) oris obtortione laſcivum morem adumbrare mos erat. Indidemque interpretandum, id quod anteceſſerat modò; Itaque meretrices labiis dum ductant eum. Quod Proverbialiter dictum aliud ſignificare videtur mihi, quam quod ipſe mox porro explicat Comicus, valgis ſuaviis, hoc eſt, pravè diſtorto ore militem ſubſannant ſcilicet, habentque miſerum & glorioſum illum omnibus modis ludibrio ac deſpicatui. Confer. *Fridr. Taubmannni Commentar. ad locum Plautinum* paginâ 650. *& Caſpar. Barthii Adverſar. Lib. XXXVII. cap. I. p.* 1676.

§. VIII. Oſculum denique officii eſt, cum diſcedentes, adventantes, excipimus atq; ſalutamus, vel etiam, uti jam inſinuavi, religionis. Fidem facit dictis *Maronis verſus Aeneid. II*.

Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Cui conſonat *Tibullus Elegia* 5.

Et dare ſecretis oſcula liminibus.

Iſidorus Hiſpalenſis in ſuo differentiarum libro num. 398. breviter tria hæc ita complectitur: Filiis oſculum dare dicimus, uxoribus baſium, ſcorto ſuavium. Item, oſculum charitatis eſt, baſium blanditiæ. Suavium voluptatis, quod quidam verſibus his diſtinxit:

Basia conjugibus, sed & oscula dantur amicis,
Suavia lascivis miscentur grata labellis.

Barthius adversar. Lib. XXXII. cap. 1. pag. 1465. legit: amicis vel bis osculum dare dicimus, additque; quicunque horum versuum auctor fuit, ineptus planè non fuit.

Atque hoc est discrimen illud, quod Lexicographorum manipulus inculcat. Minimè tamen idipsum observari, eruditè, pro solenni suo, ὁ μακαρίτης Præceptor meus *Buchnerus, in Thesauro fol.* 130. *&* 1057. annotavit: quin pluries osculum pro basio & suavio, & hæc pro illo sumi, apud scriptores vel optimæ monetæ reperias. Videsis Cl. Rittershusium in part. feud. l. 2. cap. 5. qu. 95. §. 439.

§. IX. Germanis osculum sonat ein Mäulchen/ Mündlein/ Beßlein/ Schmätzchen/ fortassis à sono, quem collisio labellorum interdum format in aëre. Item ein Kuß/ à quo deinde verbum, quod actionem aliquam cum tempore certo significat, küssen/ descendit, quod affinitatem fere habere videtur cum Græcorum κύσαι, Poeticè κύσσαι, à κύειν vel κυνεῖν osculari, & cum Anglo τὸ kisse, ut *Mericus Casaubonus Isaaci Filius in Commentario de quatuor linguis,* & Franciscus Gouldman in Dictionario Anglico-Latino, innuit. *Belgæ* efferunt een soenken/ à soenen/ quod ceu Martinius in Lexico conjicit, à σαίνειν, blandiri, comem se exhibere, sive à placando & reconciliando, juxta Saxonicum sühnen/ aussühnen/ ut *Cornelio Kiliano in Etymologico Teutonicæ linguæ* placet, descendit. Græci osculum denominant στομάτιον seu στόμιον, à στόμα, osculandi instrumento, φίλημα, Dialecto Doricâ φίλαμα, à φιλεῖν, amare, basiare, suaviari, quo ipsa actio sive osculandi actus denotatur. Unde Xenophon in Pædagog. 1. habet: φιλεῖν τῷ στόματι. Insuper vocis φίλημα frequens usus est in N. T. Johann. XXI. v. 15. I. Corinth. XVI. v. 22. I. Corinth. V. v. 48. &c. Hebræis audit נְשִׁיקָה à Radice נָשַׁק Chaldæis נְשָׁקָא à Radice נְשַׁק, quæ cum Hebræorum נָשַׁק iisdem significatis gaudet; veluti γλωτταναλοκογνώστης Buxtorfius in Lexico majori p. 1404. ostendit. Consulatur etiam ejusdem Lexicon

minus Chaldæo Syrum, itemque Troſtii Lexion Syriacum, nec non Georgii Crucigeri Profeſſoris Marpurgenſis Harmonia quatuor Linguarum Cardinalium, Radice 1170. quoniam plures Synonymias nunc afferre non vacat.

§. X. Cæterum huc referri poſſe videtur, quod oſculum נְשִׁיקָה Ebræis ſignificat certum mortis genus, ſcilicet placidiſſimæ, quæ נשיקה רמיא כמשחל כניתא מחלבא quaſi extractio pili ex lacte, hoc eſt, tam ſuavis, tam lenis. *Buxdorff in Lexico Majori Rabbinico-Thalmudico, fol.* 1405. ex Mœd. kadon. Eleganter eam deſcribit *Rabbi Maimonides* in *More Nevochim*, ſive Doctore Perplexorum. Lib. III. cap. 51. pag. 522. ſequentibus verbis juxta Buxdorffii verſionem. „Quo magis facultates corporales debilitantur, ignisque „cupiditatum extinguitur, tanto magis intellectus roboratur, lu„men ejus augetur, adprehenſio purificatur, & de eo quod adpre„hendit, lætatur; ita ut cum homo perfectus ad maturam ætatem „pervenit, & morti adpropinquat, ſupra modum apprehenſio, læti„tia ex apprehenſione orta, & amor rei apprehenſæ augetur, ut ani„ma à corpore quaſi ſeparetur, tempore voluptatis illius. Huc re„ſpexerunt ſapientes noſtri, dum de Morte Moſis, Aaronis & „Mirjam ajunt, quod iſti tres mortui ſint בנשיקה, hoc eſt in oſculo „vel per oſculum, ajunt enim, quod dicitur: Et mortuus eſt Moſes „ſervus Domini in terra Moab, על פי ad os Domini, id docet, quod „in deoſculatione mortuus ſit. Et ſic dicitur de Aharone; ad os „Domini, & mortuus eſt ibi. Sic dicunt de Mirjam, quod binſchin„kah, hoc eſt in deoſculatione ſit mortua: Sed tamen de illa non „dicitur in Scriptura ad os Domini, eò quod fuerit mulier, atque ita „Parabolica iſta locutio ei non convenerit. Senſus autem ejus eſt, „quod præ nimio amore mortui ſint in apprehenſionis illius volu„ptate. Phraſin quod attinet, deſumſerunt eam Sapientes noſtri „ex Cantico Canticorum, ubi apprehenſio Creatoris cum ſummo „amore DEI conjuncta vocatur Neſchikah oſculatio, ſicut dicitur, „oſculetur me oſculo oris ſui. Speciem verò iſtam hujus mortis, „quæ in rei veritate eſt liberatio à morte, nemini alii eveniſſe me„morant dicti ſapientes noſtri, præterquam tribus iſtis perſonis, Moſi,

Mosi, Aharoni, & Mirjam; sed alii Prophetæ & viri sancti in in-" feriori fuerunt gradu; omnibus tamen corroboratur apprehensio" intellectus propè mortem, sicut dicitur: & ibit coram te justitia tua," gloria Jehovæ colliget te; posteaque remanet intellectus ille in æ-" ternum in uno eodemque statu, quia ablatum est impedimentum" illud, quod nonnunquam distinguebat inter ipsum & ejus intelli-" gibile, & subsistit ita in voluptate illa magna, quod nequa-" quam est ex voluptatibus corporalibus. Ex *Devarim Rabba* lau-" datus *Buxdorffius* l. c. affert verba: באותה שעה נשקו הקבה ונטל נפשתו בנשיקת פה. Eâ ipsa hora osculatus est ipsum DEUS, & accepit animam ejus per deosculationem oris. Hæc ille. *Gregorius Nyssenus homilia. I. in Canticum*, osculum oris DEI præbitum interpretatur Mosi, quando loquebatur ei ore ad os, facieque ad faciem; quam vim divinam quia ferre in carne non poterat, super illud os divinum osculumque animam efflavit: siquidem negavit DEUS fore, ut videat ipsum homo & vivat, Exod. XXX. v. 20. hinc ita ratiocinatur *Michaël Ghislerius commentar. ad Cantic. cap. I. v. 2. p. p. m. 12.* Tanta est istius rei veritas, quod ab ipsomet ore divino nullus sit, qui in vita præsenti osculari queat, quin illicò mortem" obeat, quamvis suavissimam, ut etiam ab antiquis gentium Theo-" logis præclarissimo idipsum significatum sit *Hieroglyphico*, imagine" nimirum *Endymionis*, quem Diana in monte altissimo, composi-" tum somno exosculetur. Asserebant enim Dianam, quatenus" siderum vim, quam recipit, ad inferiora transmittit, esse reginam" ac Dominam cœlestium proportionum & intelligentiarum: En-" dymionem vero animam hominis pii significare, cujus amore fla-" grantes DEos, ut illam sibi perfectè conjungere possint, divino" eam exosculari ore; dum est in alto monte, nempe dum cogitatio" nem ac mentem in cœlum attollit, sicque ipsam altissimo mortis" somno reddere compositam. *Franciscus Georgius Venetus Proble-" matum in Scripturam Sacram Tomo V. sect. I. §. V. fol. 281. facie. 2.* cur" Salomon ait: osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ube-" ra tua vino? Nonne videmus hic, quod non contentus Salomon" sapientiâ impetratâ, quæ vinum dicitur, ad meliorem adspirabat," quam.

„quam Scriptura plerisque in locis lac vocat, exprimendum vide-„licet ab uberibus illis, de quibus infra dicitur; Veni in hortum me-„um, & dabo tibi ubera mea: quod ſapientiæ genus lac denomina-„tum cum non poſſit haberi per ſtudium ac diligentiam humanam, „ſed per revelationem divinam, quæ fit purificatis, raptis & men-„te ſublevatis (quem exceſſum antiqui Theologi vocant MOR-„TEM OSCULI, de qua Propheta canit; pretioſa in conſpectu „Domini Mors Sanctorum ejus) ideò flagitans ipſe Salomon hu-„jusmodi oſculum, dicebat: oſculetur me oſculo &c. quia videli-„cet melius eſt lac propinatum ab uberibus excelſis, quàm vinum, „id eſt, cognitio rerum inferiorum. Sed hæc hactenus ὡς ἐν παρα-δρομῇ.

§. XI. Nunc pes movendus, & juxta Dialecticorum ſcita ab ipſa re Diſſertationi fores pandendæ, Oſculiq; definitio inveſtiganda. Aleam jecit *Iohannes Herrenſchmid in Oſculologia pag. 60.* & oſculum ſic definire conatus eſt; Oſculum nihil aliud eſt, quam duorum amantium inter ſe mutua inhæſio, quâ ſumma innuitur amicitia & familiaritas. Quid enim, uti in hanc ſententiam loquitur *Kormannus*, Libro dicto, pag. 78. homo homini pretioſius poſſit porrigere oſculo? Cor ipſum tradere nequit, multò minùs animam; Os igitur ori admovet, ut ibi anima, quæ dicitur una in amicorum duobus corporibus, tanquam in confinibus & terminis territorii amicorum conveniat, jusque ſuum tribuat utrique. Cujus commatis quoque ſunt illa *Phavorini* apud Stobæum, ſermone 63. Quid aliud faciunt, qui ora mutuò tangunt, quàm animas conjungunt, ſi modo corporis ſui terminum tranſire poſſent, quod cum nequeant, circa corpus veluti fores, ſupplices adſtare videntur. *Franc. Georg. Venetus Problem. in Scriptur. Tomo 6. ſect. 4.* §. „127. *fol. 366. fac. 2.* Cur in amoris ſignum dari ſolet oſculum? „An, quia ſicut os in naturâ venereum penitus eſt, & amoris portio, „ſic & in operatione oſculum? An, quia per os & oſculum, oſcu-„lantes ſe invicem, flatum, ſpiritum, & vitam mutuò communicant: „ut nuper dictum? Nulla enim major communicatio fieri poteſt, „quam ea quæ fit per oſculum & ſeminis communicationem.

Hinc

Hinc utroque gaudet Venus. Quæ quidem Venus cùm bifa-" ria sit (ut Platonici docent) bona videlicet & mala, bifarius esse potest uterque actus, bonus videlicet & malus. Hinc Paulus vocat matrimonium sanctum, & osculum sanctum. *Ludovicus Cre* " *sollius Mystagogi Lib.* 4. *cap.* 6. *sect.* 2. *p.* 890. Cum amor sit mo-" tus animi, se unicè & potentissimè cum alio sociare cupientis, un-" de oriatur ea conjunctio, quæ è duobus unum efficiat; hunc" ipsum motum vix prodere alia ratione potest, quam rem sibi ca " ram osculando. Qui animus delitescit in corpore, nec objici-" tur hominum luminibus, è sinu cordis, velut è penetrali hono-" rato atque regio, subit in Os prospiciens per cancellos. Ibi" quantum licet, videtur, ibi loquitur atque resonat: Ibi tan-" quam in salutatorio considet, promptus & paratus ut rem dilectam" ad se venientem excipiat, vel ad eandem se ejiciat & contendat." Sic enim omnes naturâ duce populi existimaverunt, os nostrum" esse animi ostium, & aditum sacrosanctum, quo divinitùs vel ad" nos intret, vel ad alios egrediatur. "

§ XII. Nescio sanè annon *D. Ambrosius Hexaemeri Lib. VI. cap.* 9. *pag.* 87. etiam ausus fuerit quidditatem osculi exprimere quando sic infit: Osculantur se & columbæ, sed quid ad humani" osculi venustatem, quo amicitiæ insigne humanitatisque præful-" get, in quo plenæ charitatis exprimitur affectus. Leg. *Theoph. Ray-*" *naudus in optima vita fine pessimo, cap. II. pag.* 545. Verum enim verò metus est haudquaquam inanis, ne quispiam his ambobus (si modo osculum in genere definire voluerunt) auriculam de Legibus definiendi neglectis vellicet; occinatque has descriptiones nimiâ laborare angustia, quippe quæ tantum conveniunt osculo in specie, nimirum illi, quod signum charitatis est, & ori figitur: Cum tamen præter hanc plures osculi species reperiantur, uti ex iis quæ paulo post sequentur, liquidissime patebit. Neutram ergò ex adductis descriptionibus admittere licebit, de alia verò cogitare opus erit. Non tamen dissimulandum, tantam osculi esse ambiguitatem, ut vix ejus aliqua possit produci

descriptio, quæ ad amussim Logicam per omnia exactè quadret. Ne autem hic plane nullus sim, requiro ad osculum primò, ut sit contactus oris, seu, ut osculaturus labella sua applicet rei, cui osculum modo isto notorio libandum est. Secundò ut idem hoc contactu certos animi conceptus potentiæ intellectivæ manifestare intendat. Ex quibus fortè talis descriptio osculi elici poterit: quod sit contactus oris objecto certorum animi conceptuum manifestandorum gratiâ factus. Quam quidem descriptionem soli osculo competere, ad omnesque ejus species extendi posse confido. Si tamen quis perfectiorem aut adcuratiorem proponere velit, illi ego Linguâ animoque favebo.

DISSERTATIO II.

De OSCULORUM VARIIS SPECIEBUS ET PRIMO QUIDEM DE OSCULO SACRO.

SUMMARIA.

I. Osculorum divisio varia, commodissima autem in osculum sacrum & profanum. II. Sacrum, sanctum & religiosum quid? Variis gaudet significatis. Sacri vel sacerrimi homines. Cornelius Agrippa *rejectus. III. Profanum quid? profanus pro Diabolo. Profanare. IV. Osculi sacri subdivisio. Mysticum quid? V. DEus humanam carnem assumendo osculatus est homines. Fabula de Narcisso accommodata; VI. Canticum Canticorum explicatu difficile, propter summa ibidem contenta Mysteria.*

§. I. UBi jam eò accedo ut ex amplissimis Antiquitatum hortulis decerpam flores, qui suavissimæ quasi osculorum coronæ nitelam atq; ornamentum conciliare possunt, tanta profectò pulcerrimarum rerum varietas, copia tam delectabilis assurgit, ut unde incipiendum, quid præ reliquis eligendum, ac ubi

ac ubi tandem finiendum sit, non possim non dubitare. Ne tamen usu mihi veniat, quod illi apud Theocritum Lignatori, qui in latissimam aliquando Sylvam delatus, præ nimia omnium cupidine tandem nihil legebat, ordine utendum, & justa inquirenda est divisio, quæ instar Mercurii Evhodii in quadrivio constituto viam rectam virgulâ monstrabit. Multi diviserunt osculum ita, ut aliud *officiosum*, aliud *charitativum*, aliud *luxoriosum, proditorium* aliud fecerint. Quemadmodum amor quandoque est verus & virtuosus, quandoque falsus & proditiosus, quandoque carnalis & voluptuosus. *Lælius Bisciola Horarum subcisivar.* Lib. VII. cap. XIII. *Petrus Berthorius in Dictionario, Venetiis An.* 1583. *excuso.* Nec pauciores dispescuerunt illud in osculum *amoris & unionis, reverentiæ & honoris, reconciliationis & pacis, hypocriseos & proditionis, lasciviæ* denique & *procacitatis*, velut Philologorum hujus seculi facilè Primipilus, Celeberrimus *Dilherrus, Elector. Lib. II.* paginâ 136. ex *Gabriele Biele in canon. Miscæ lectione* 81. commemorat. Verum utut receptissimæ hæ sint divisiones, non tamen videntur ad Logicorum leges satis exasciatæ: dabuntur siquidem nonnullæ species osculorum, quæ utique sub toto diviso continentur, neque tamen ad ullum membrorum istorum dividentium referri possunt. Hinc de divisione aliâ circumspiciendum erit, & fortè minus erraturus sum, si initio Osculum in *sacrum* & *profanum* dispescam, postmodum verò utrumque secundum suas species examinem. *Conf. Maximilian. Sandæus Theolog. Mystic. Exercitat. XIII. pag.* 453.

§. II. Ne autem hæc allata divisio ullam in terminis foveat obscuritatem, in primo statim limine ambiguitas tollenda erit. Sciendum itaque aliquid *sacrum* dici non uno modo: Aliquando enim accipitur *strictissimè*, atque contra distinguitur *sancto*, ut & *religioso. Isidor. Etymol. 6. 19. Sacrum* est omne quod nomine DEorum habetur. Unde *Virgilius*, quoties sacrum vocat, additionem ferè DEorum facit. *Aeneid. III. v.* 4.

Sacra Dionææ matri, divisque ferebam.

Vel, quod publicâ auctoritate DEO ritè consecratum est, ut sacri

Luci, templa, ornamenta, & omnia quæ publico civitatis instituto, aut permissu Principis, DEO, sive in agro, sive in civitate dedicata fuerunt: (unde *consecrare, obsecrare, resecrare* & similia. *Cæl Rhodigin. Antiq. Lection. Lib. XII. cap. 11. 12. Trebatius Libro I. de Religion.*) *Sanctum proprie dicitur quod ab injuria hominum* defensum atque munitum est, etsi DEO non sit consecratum, ut muri, portæ civitatis, imprimis verò Legati sive Caduceatores; tractum à Sagminibus herbis, quas Legati populi Romani ferre solebãt, ne quis eos violaret; sicut Legati Græcorum ferebant κηρύκεια; vel à *sanciendo*, quoniam capitis pœna in eos qui condeliquissent, constituta erat. §. 8. & 10. Institut. de rerum divisione. Lib. VI. §. 3. L. 8. & 9. ff. eod. in Auth. ut null. Fabric. orat. Dom. coll. 5. & in Auth. de Ecclesia, §. *Si quis autem voluerit* & §. *Si quis ædificationem.* col. 9. Ulpian. ad Edict. 68. Alciat. Parerg. 2. 4. Hinc Leges *sanctæ*, (ut apud Horatium, Sanctarum inscitia Legum) quæ nõ debent pœnæ sanctione corrumpi, ut loquitur apud Macrobium Trebatius; & illa pars Legum, quæ pœnam corrumpenti constituebat, sanctio nũcupata, teste Justiniano *institut. de rer. divis.* § *Sancta.* Scipio Gentilis Origin. ad Pandectas Libro singulari. pag. m. 208. Edit. Altorffin. in 8. An. 1664. *Religiosum* audit, quod à cõmunibus hominum usibus remotum est, quod homini facere vel adhibere non licet, ut virgo Vestalis, Thymiama, Exod. XXXVII. v. 37. Latiùs autem τὸ *sacrum* accipitur, quando opponitur *profano*, & sanctũ atq; religiosum includit, notatq; ita omnem rem, quæ solenni majorum instituto ab usibus profanis remota, DEOq; dicata, & Lege aliqua positiva inviolabilis reddita fuit; sic Festus ex Ælio Gallo declarat. Quod *sacrum* est, idem Lege & Instituto Majorum *sanctum* est, ut violari sine pœnâ non possit. Idem etiam *religiosum* est, quoniam est aliquid, quod ibi homini facere non licet; quod si tamen faciat, adversus DEI voluntatem facere videtur. *Iohann. Ludovicus Ruel*, de Religione Gentium circa festa, pag. 94. seqq. Non raro *sacrum* & *sanctum* indifferenter accipitur, argumento L. 11. ff. Ne quid in Loco Sacro fiat. Johann. Maria Catanæus Schol. ad Plinii Ep. 10. L. I. Mancinellus in Sat. III. Juvenalis. *Sacra via* est Locus in urbe Roma, ubi *Romulus* & Tatius fœdus fecerunt, cujus meminit

Cicero

Cicero in orat. pro Plancio, hâc triumphantes in Capitolium ibant: tendebat autem à regia usq; in arcem. Ibi vendebantur poma, flabella, tesseræ, tali, & incolæ ejus vocabãtur *Sacravienses*. Nõnunquam sacrum ponitur pro templo, Paulus JCtus, *ff. ad Legem Juliam peculatus. l. Sacrilegi* capite *puniantur*. sunt autem *Sacrilegi*, qui publica Sacra compilârint: at qui privata sacra, vel ædiculas incustoditas tentaverint, amplius quam fures, minùs quam sacrilegi, merentur. *Sacrum* quoq; magicum quoddam notat ad compescẽdas detrahentium linguas: *Ovidius Libro II. Fastorum*.

Ecce anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit tacite, nec tamen ipsa tacet.

Antiqui *sacros homines* vocabant, quasi execrandos & detestandos, ex XII. Tabulis sumptum vocabulum, quod more Gallorum Servius translationem esse ait. Nam cum Massilienses peste laborarent, unus se ex gentibus offerre solebat annum integrum alendum publicis cibis & purioribus, postea verbenis, vestibusq; sacris ornatus circumducebatur per urbem cum execrationibus: precabantur enim, ut in eum omnia mala civitatis incumberent & inciderent, sicq; projicebatur. *Petronius* sub finem *Satyrici*. *Plautus in Mostellaria Actu IV. Scena* 2. unus istic servus est *sacerrimus*: & in Prologo Pœnuli lenonem vocat hominem *sacerrimum*, id est omnibus modis execrandum & scelestum: vid. Macrob. Lib. III. c. 7. Saturnal. Festus, *sacer*, inquit, homo est, quem populus judicavit ob maleficium. Neq; fas est immolari, sed qui occidit, parricidii non damnatur. Nam lege Tribunitiâ primâ cavetur: Si quis eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Indè *sacratæ leges* dictæ, ut ipse alibi autor est, quibus sanctum jubetur esse alicui Deorum, quidquid adversus eas fecerit, sicut familia pecuniaque. *Sacrare caput* idem est ac diris devovere, Rhodiginus, l.c. confer Taubmanũ in Cõment. super allegatos Plauti locos, Mureti Comment. *ad Catullum. Servium ad Lib. 3. Aeneid.* Deniq; ridicula est *Henrici Cornelii Agrippæ*, suspecti aliàs Scriptoris, distinctio *Lib. III. de Occulta Philosophia c. 63.* quâ sacra appellari perhibet, vel quæ ab ipsis Diis, aut Dæmonibus, assistentiis suis sunt sacrata, tanquã à Diis ipsis

nobis

nobis dedicata, quomodo dæmones, mysteria, & preces quædam sacræ nuncupentur; vel quæ ab hominibus DEO dedicata & consecrata sunt; quemadmodum vota, & sacrificia, simulachra, delubra, idola, statuæ, imagines &c. ritus, observationes, gestus devoti &c. Sacerdotes &c. tempora.

§. III. Simili prorsus modô etiam τὸ *profanum* dicitur; vel *latiùs* nimirum, vel *strictissimè*; Strictissimè acceptum est id, quod extra fanum gerendum, extra fanum relinquendum, attestante *Macrobio Lib. 1. Saturnal. cap. 3. fol.* 80. Festo profanum, quod fani religione non tenetur. Fanum à fando, quod illud Pontifex per certa verba dedicat. *Profanum* simpliciter usu vulgatum significat; Tacitus Lib. XIII. Annal. Tegmina corpori direpta injiciunt, quantum magis profana & usu polluta, tanto magis oppressura ignes. Profanus Servio dicitur, sacris non initiatus, qui fanum intrare non poterat. juxta Virgil. Æneid. VI.

- - Procul ô procul este profani,
Conclamat vates. - - - - -

Profanus simpliciter vocatur omnium malignorum spirituum malignissimus, Diabolus. *Fallere non potest milites Christi malitia profani & Impostoris.* Sic profanos pro gentilibus, paganis, perfidis, nequissimis, hostibus, dicit *Albo de Obsidione Lutetiæ*, apud *Barthium, Adversar. Lib. LIX. cap.* 12. *p.* 2800. In eodem significatu profanum accipit *Aurelius Prudentius hymno ad omnes horas v.* 90.

Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis,
Plasma primum perculisse versipelli hortamine?

Profanare sonat ex sacro humanis usibus promiscue facere, *Livius l. bell. Macedon.* Dies festi, sacra, sacerdotes quæ ipsius majorumve ejus honoris causa instituti essent, omnia profanarentur. Eodem sensu Trebatius loco dicto profanum explicat, nempe quod ex sacro & religioso in hominum usum conversum fuit, opponiturque adeò religioso. *Latiùs* dictum est id, quod neque DEO dicatum, neque lege peculiari sancitum, neque ab usibus profanis remotum est, & sic opponitur *sacro* latè accepto. Jam quando divi-

divisum est osculum in sacrum & profanum, τὸ sacrum & profanum non dicuntur ex significatione stricta, sed latiori, ut adeò osculum sacrum illud mereatur dici, quod vel DEO rebusque divinis libatur, vel quo res divina significatur, vel, quod sacrâ lege sancitum fuit; Profanum autem quicquid extra hos dictos usus adhibitum est.

§. IV. Ne verò uno spiritu justô plura hauriam, & confusa prolixitate & Lectorem, & me obruam ipsum, profano in certis quibusdam dissertationibus suum locum assignabo, in præsenti osculum sacrum explicaturus. Hoc à quibusdam in *Mysticum, Adorativum,* & *Charitativum* subdividi solet. Mysticum osculum quid & quodnam propriè sit, non uno omnes & eodem modo interpretari legas. Aliquandò juxta nonnullos eô significatur amor, nonnunquam delectatio, interdum conjunctio cum DEO, & frequenter unio ipsa Mystica. *Maximilian. Sandæus Theolog. Myst. disquisit. 3. Multi* quos inter & ille anteciratus *Herrenschmidius,* osculum mysticum appellant omne osculum, quod signum est rerum spiritualium, sicut etiam *B. Glassius in Philologiâ sacrâ Lib. II. Tract. 2. sect. 2. p. m. 289.* observat, vocem mystici ita accipi. Nam *mysticum* dicitur, tum *de re abstrusa absolutè*: tum *relatè* de eo, quod *typicum* est; & de eo, quod significatur aut obsignatur per *typum,* uti Sacramentum & res sacramenti ambo mystica dicuntur. *Martinius in Lex. Philol. Gerhard. Iohann. Vossius in Etymologico Linguæ Latinæ, p. 337.* Hinc ad osculum mysticum quoque referre gestiunt sanctum osculum, sive Christianum, quod inferiùs Charitativum appellabo. Verùm quia fatente Glassio τὸ Mysticum ita accipitur minùs propriè, idcircò alii per osculum Mysticum intelligunt actionem quandam externam sive osculum corporis, quo ex intentione osculantis significatur Christi in Ecclesiam sponsam suam amor & gratia.

§. V. Hoc est illud osculum, (verba pono *Petri Berthorii ex Dictionario*) id est, ille amor, & illud vinculum, quo DEus osculatus fuit humanum genus, carnem assumendo, & se ei intimè approximando & uniendo, quando scilicet, misericordia & veritas obvia-

obviarunt ſibi, & juſtitia & pax oſculatæ, quod quidem oſculum ſummè deſiderabat humana natura, Cantici VIII. Ubi ante Chriſti adventum dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te ſolum foris, & deoſculer te, & jam nemo me deſpiciat.* Foris enim, id eſt extra Paradiſum, id eſt inferius, in mundo cupiebat DEI filium invenire, & eum oſculari, & ſibi „ſe unire, ut ſic ſine adſpectu poſſet ſecum perpetuo convenire.; Ita „quod etiam ipſe DEI filius figurari potuit in Narciſſo, qui imagi„nem ſuam tantum dilexit, quod eam in fonte reſpiciendo & oſcu„lando ſubmerſus fuit. Quia revera DEI filius imaginem ſuam, „id eſt hominem ad imaginem ejus factum, in fonte uteri virginalis „oſculatus eſt, carnem ſcilicet ſumendo. Ita quod pro nimia „charitate mortem incurrit, ſe propter hominem crucifigi permit„tendo. Unde Gen. XXVII. acceſſit & oſculatus eſt eum. Iſtud etiam oſculum charitatis poteſt ſignificare illud amoris vinculum, quod nobis DEUS fecit, quando per charitem & gratiam ſe nobis intimat & conjungit. Imago enim in ſpeculo vel in aqua talis eſt naturæ: quod ſi te elongaveris, elongatur, ſi autem te ſibi appropinquaveris, appropinquabit ſe tibi etiam usq; ad oſculum. Sic DEUS elongatur ab illis, qui per peccatum ab eo ſe elongant. Quia *longè eſt Dominus ab impiis*, Proverb. XV. Illis autem, qui per pœnitentiam ſibi appropinquant, ſolet appropinquare, & usque ad oſculum, id eſt, usque ad perfectæ charitatis vinculum eis per gratiam copulari.

Tale oſculum DEUS à nobis petit, dicens Gen. XXVII. *Accede ad me, & da mihi oſculum, fili mi.* Ipſe etiam nos oſculatur, nos ad indulgentiam recipiendo, nobis gratiam concedendo, & nos in gloriam introducendo. Dico etiam, nobis gratiam conciliando, & ſic oſculatus eſt Rex David ſenem Barſillai II. Samuel. XIX. 39. *Oſculatus eſt Rex Barſillai & benedixit ei.* Dico inſuper quod DEUS oſculatur nos in cœleſtem gloriam intro, ducendo, ſicut de Laban dicitur, Geneſ. XXIX. *Quod audiens Iacob ſororis ſuæ filium adveniſſe, ruens in oſcula duxit eum in domum ſuam.*

§. VI.

§. VI. Huc trahunt osculum Cantic. I. v. 1. ubi sponsa sponsi osculum postulat, item osculum, quô Jacob Rachelem consobrinam suam, in amplexus ejus ruens, affecit, quo de Genes. XXIX. v. 11. 12. Nec non illud, quod Propheta Elisæus defuncto Sunamitidis puero impressit II. Reg. IV. v. 34. quæ omnia accuratiorem explicationem requirunt, cum difficultatibus sane non exiguis involuta sint, & magni ponderis mysteria in se contineant. Præprimis verò locus ex Cantico multa maceravit ingenia, quia totus ille Scripturæ liber inscrutabilibus reconditæ Theologiæ sacramentis repletus est. Cantica Canticorum ænigmata sunt, paucis intelligenbus nota sunt, paucis pulsantibus aperiuntur, jure merito exclamat Augustinus Lib. de Pastoribus cap. XV. Idcirco non externo literarum cortici tantum inhærendum, sed ad intimiorem sensus recessum penetrandū est, quemadmodū pulchra similitudine *Gregorius Nyssenus homilia I. in Cant.* declarat: Ut in pingendi scientiâ materies omninò quædam est, diversis in coloribus, quæ animalis imitationē perficit, at qui imaginem respicit, quæ per colores arte absoluta est, non infrictis tabulæ coloribus spectando inhæret, sed tantū ad formā ipsam respicit, quam per colores expressit artifex; sic etiam præsente in pictura non ad materiā colorum, qui sunt in verbis, respiciendum est, sed quasi quædā Regis in illis est intuēda forma, quæ per cogitationes puras exprimatur. Nam hæc verba secundū significationes obvias quasi quidam color sunt, ut album, pallidum, nigrū, rubrum, purpureum; Os, suavium, unguentum, vinum, membrorum appellationes, lectulus, juvenculæ, & ejusmodi alia. Quæ autem per hæc forma conficitur, est beatitas, status expers animi morborum, cum divinitate conjunctio, à malis alienatio, & ad ejus, quod verè pulchrum ac bonum est, similitudinem facta nostri conformatio. Consentit *Gregorius Magn. præfat in Cant.* sic disserēs: solerter intuendū est, ne cùm exteriora audimus ad exteriora sentiēda remaneamus, & machina quæ ponitur, ut levet, ipsa magis opprimat & aggravet. Debemus in sensibus exterioribus corporeis, quidquid interius est, quærere, & loquentes de corpore extra corpus fieri. *Ibidem*: sicut palea frumentum, sic & litera

tegit Spiritum. Sed quia jumentorum eſt paleis, hominum, frumentis veſci, qui humana ratione utitur paleas abjiciat, frumenta Spiritus edere diſponat. Idcirco conſultum fuerit, allegatos Scripturæ textus peculiari diatribæ includere, eosque juxta bonæ interpretationis media ſolicitè penſiculare.

DISSERTATIO III.

De OSCVLO MYSTICO.

SUMMARIA.

I. Via ad Deum veniendi duplex, Scholaſtica & Myſtica. Vtriusque conſideratio II. Vnionis Myſticæ proprietates. III. Theologiæ Myſticæ definitio. Actus ad Theologiam Myſticam hominem disponentes. V. Theologiæ Myſticæ Scopus. VI. Adſpirationes Sacræ quid. VII. Aſpiratio occulta paſſiva. VIII. Sublimitas Cantici Canticorum. Quis ad illius Lectionem ſit admittendus? IX. Cap. I. Cant. v. 1. variæ verſiones. Myſterium incarnationis filii Dei detectum. X. Sub metaphora Oſculationis exprimitur. XI. Oſculum illud Doctrinam & diſciplinam largitur. XII. Myſterium SS. Trinitatis ex hoc loco elicitur; quin & conjunctio animæ cum Deo. XIII. Deus animæ tria oſcula concedit. Animæ duo labia. XIV. Per oſcula ſeptem Chariſmata divina appoſitè ſignificantur. XV. Deſiderium Sponſæ pulchrè delineatum. Recenſus rariorum Commentatorum ſuper Canticum. XVI. Geneſis 29. v. 12. propriè nihil Myſticum continet. XVII. 2. Regum 4. comma 33 34. Literaliter & allegoricè expenſum. Ritus orandi Hebræorum differentes. XIIX. Pſalmi 85. verſiculus undecimus enucleatus. XIX. In nocturnis precibus Eccleſia Romana ex Pſalmi quinquageſimi verſu: Domine labia mea aperies: initium facit, & quare.

§. I. Via per quam ad DEUM igitur, â ſummis viris potiſſimum duplex ſtatuitur: Una vocatur *communis & Scholaſtica*, altera

altera *Myſtica & ſecreta.* Utraque tanquam donum cœleſte à Patre luminum deſurſum proficiſcitur, ſed inter utramque multiplex diſcrimen intercedit. Scholaſtica humanum ſtudium & inquiſitionem requirit, paucisque convenit altiori præditis literaturâ: Myſtica ubique, ſemper & ab omnibus haberi poteſt. Illa ſpeculativa, hæc practica: illa propriè in intellectu, hæc in voluntate ſita eſt. Illa expoſita illuſionibus, ſuperbiæ & curioſitati, habet undè timeat; hæc tuto ac ſimpliciter ambulat, nihil quærens præter Deum. Illa naturaliter cum Phantaſia & diſcurſu operatur; hæc ſupernaturaliter cum purâ & ſimplici intelligentiâ. Illa à ſcientia acquiſita; hæc à donis infuſis Spiritus Sancti procedit. Illa anguſta eſt, limites non excedens humanæ Speculationis; hæc cor dilatat ad infinita, & omnem modum naturalis cognitionis tranſcendit. Illa longa, laborioſa, & difficilis; hæc brevis, expedita & facillima eſt. Illa ab infimis incipiens, à pravorum ſcilicet habituum exſtirpatione, & tumultuantium affectionum moderatione, per ſtudium virtutum, & vitæ activæ officia ad apicem perfectionis aſcendit: hæc admirabili circulo ab amore incipiens ad amorem progreditur, & deſinit in amore per motus anagogicos & flammiferas adſpirationes, *Heinricus Harphius Lib. I. pag. 2. c. 1. p. 48. & Lib. II. p. 3. cap. 30. & p. I. Collat. I. Myſt. Theol. Victor Gelenius in ſummâ Practicâ Theolog. Myſtica, parte 1. deciſ.* 1. *artic.* 3. Eſt enim amor, ut Plato etiam cognovit, (in Convivio, ubi fusè de amore) circulus à bono in bonum perpetuò revolutus. Myſtica autem via, de qua ſola, via ſcholaſticâ excluſa, hic ſoliciti ſumus, ex mente *Dionyſii Carthuſiani Lib. de fonte lucis, artic. XIV.* duplex eſt, *activa & paſſiva.* Quæ diviſio ex *Dionyſio Areopagita, Myſt. Theol. c. 1.* colligitur, quandò ad Timotheum ſic ſcribit: Tu verò, chare Timothee, in Myſticis contemplationibus, intentâ exercitatione, & ſenſus relinque, & intellectuales operationes, & ſenſibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ ſunt, & quæ non ſunt univerſa, ut ad unionem ejus, qui ſupra eſſentiam & ſcientiam eſt, quantum fas eſt, indemonſtrabiliter aſſurgas; ſiquidem per liberam & abſolutam, & puram tui ipſius à rebus omnibus avocationem, ad ſu-

pernaturalem illum caliginis divinæ radium, detractis omnibus & à cunctis expeditis eveheris. Et alibi, nempe *de divinis nominibus cap. VII.* ita loquitur: Est item divinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundum illam, quæ supra intellectum est, unionem, quando mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur. Quibus verbis utramque viam attingit, *activam*, quæ in nostra sita est voluntate, non tamen sine divini auxilii infuso lumine, dum monet Timotheum, ut se disponat ad unionem per omnimodam abstractionem à rebus omnibus, sensus relinquendo, & omnia objecta sensibilia ac intelligibilia, principia scilicet scientiarum & ratiocinationum, & ea quæ sunt, essentias videlicet rerum immutabiles, & ea quæ non sunt, res nimirum temporales, quæ propter continuam mutationem meritò dicuntur non esse: Sic autem expedito ab omnibus impedimentis futurum pollicetur, ut ad supernaturalem divinæ caliginis radium anagogicè sublimetur, & à Deo trahatur, quia tunc anima divinitus rapitur, & absorbetur, quæ est *via passiva*, supponens præviam viæ activæ dispositionem.

§. II. Bernhardus *sermone 2. de Ascensione* hanc duplicem viam tendendi ad divinam unionem his verbis exponit: Quidã trahuntur, qui dicere possunt, trahe me post te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt, introduxit me Rex in cellam vinariam. Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas. Secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur Domino. Tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi sepulta arbitrii libertate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, qui spreto ac suppresso adminiculo rerum ac sensuum, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisq; excessibus feruntur in Patrem. Ubi duo priores dispositioni activæ, tertii passivæ à pio Doctore deputantur. Deus itaq; sublimis, verba sunt Dionysii Carthusiani *de fonte Lucis artic. XVI.* cum viderit mentem hominis spiritualis zelo justitiæ penetratam, charitate flammigeram, puritate ac omni

virtu-

virtute fulcitam, ad divina fortiter adſpirantem, mox dignantiſſimè, exuberantiſſimè, amorosè, ac frequentiſſimè ei occurrit, ſuccurrit, cooperatur, ſeq; ei communicat, manifeſtat, infundit, eam ad ſe elevat, intra ſe rapit, *deoſculatur, amplectitur*, atque ſe ei intuendum, guſtandum, fruendum, offert ac exhibet, habetque complacentiam magnam in eâ, & tanquam amicam ac ſponſam apprehendit, fœcundat & ſibi adſtringit. Debet igitur anima tantam excellentiam deſiderans prorſus eſſe nuda, & formis ſeu imaginibus rerum mundanarum vacua, in ſuum ſemper principium intuens. Pulcherrimè *Ioannes Taulerus Sermone III. Paſch.* ait: relinque hominem, Angelum, cœlum, & ipſum eſſentiale bonum, ipſam eſſentialem veritatem cape nudè in ſe ipsâ, nam quicquid adpoſueris, hoc ipſum tegit & excludit unitatem. Et *Iuſtinus Martyr in colloquio cum Tryphone ab initio*: An putas, inquit, te percepturum quidquid ad felicitatem pertinens, niſi prius animam à rebus ſenſibilibus ad intelligibiles traductam reddas aptam virtuti, ipſiusque ſummi boni contemplationi? Verbum namque ſempiternum non niſi in ſolitudine profertur, in ea inquam ſolitudine, ubi homo & à ſe ipſo, & ab omni multiplicitate relictus, deſertus & exul effectus eſt. Propria ſanctorum eſt hæc ſolitudo, quorum hæc verba apud *Tertullianum de Pallio* leguntur: Eo nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo; nihil officio advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla Prætoria obſervo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, jura non conturbo, cauſas non elatro, non judico, non milito, non regno. Seceſſi de populo; imo unicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo, quàm ne curem. Erat olim iſta ſententia: Nemo aliis naſcitur, moriturus ſibi. Certè ad Epicuros & Zenones ventum eſt: ſapientes vocas totum quietis magiſterium, qui eam ſummæ atque unicæ voluptatis nomine conſervavêre.

§. III. Hæc via abſtractionis, quietis & ſeceſſus deducit ad Theologiam Myſticam, ad illã indoctam ſapientiam omni ſapiẽtiâ humanâ ſuperiorem, qua mens Deum ſuũ ſine diſcurſibus agnoſcit, & quaſi contrectat, & ſine ratiocinationibus guſtat. Eſt autem

Mystica Theologia secretissima mentis cum Deo locutio, juxta *Dionys. Carthus. super Dionysii Areopagitæ Mystic. Theolog.* sive, est animi extensio in Deum per amoris desiderium, *Iohan. Gerson. de Myst. Theolog. Specul. Considerat. XXVIII.* vel motio anagogica in Deum per purum & fervidum amorem. Est cœlestis quædam Dei notitia per unionem voluntatis Deo adhærentis elicita, vel lumine cœlitus producta, *Iohann. à Iesu Maria cap. 1. Theolog. Mystica.* Est sapientia Experimentalis, Dei affectiva divinitùs infusa, quæ mētem ab omni inordinatione puram per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis cum Deo intimè conjungit. *Balthasar Corderius Isagoge ad Mysticam Theologiam Dionysii Areopagitæ cap. II.* Ex his liquet, Theologiam Mysticam non esse propriè scientiam, prout scientia est habitus acquisitus. Sed si accipiatur pro actu, nihil aliud est, quàm ipsa mentis in Deum defixio, admiratio Majestatis, suspensio animi in lumen immensum ac æternale, ferventissima, ac transformativa inspectio Deitatis; si verò sumatur pro habitu, realiter idem est ac præstantissimum donum Spiritus S. quod Sapientia nuncupatur, secundum altissimum ejus gradum. *Carthusian. super Myst. Theol. Dionysii quæst. V. artic. 5.* Differt à Theologia *Scholastica & Symbolica*, quia *Scholastica* è caliginosis fidei orthodoxæ principiis sua deducit asserta; *Symbolica* figuratas de Deo locutiones explanat, hæc puris quibusdam & tranquillis obtutibus sine rationis satagentis excursibus divinæ sapientiæ arcana dignoscit. Per scholasticam discit homo rectè uti intelligibilibus, per Symbolicam sensibilibus, per hanc rapitur ad supernaturales excessus. Scientiæ humanæ in valle phantasiæ discuntur, hæc in apice mentis. Illæ multis egent discursibus, & erroribus subjectæ sunt; hæc unico & simplici verbo docetur & discitur, & est merè supernaturalis tam in substantia, quàm modo procedendi.

Principium Mysticæ Theologiæ est ipsa essentia bonitatis, rerumque omnium causa superessentialis Trinitas, à quâ per bonitatis redundantiam in nos effluxit, cum inæquali tamen participatione ob diversam hominum aptitudinem, & multorum repugnantiam cum divinis illustrationibus. Dicimus itaque cum

Dionysio

Dionysio Areopagita Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. I. Dei principalem beatitudinem, naturam Divinitatis, Principium Deificationis, ex quo Deificandi Deificantur, Mysticam Theologiam in salutem & Deificationem hominum concessisse, modo scilicet magis immateriato, & spiritaliori, non extrinsecùs ad divina movendo, sed intelligibili ratione atq; intrinsecus purâ liquidaque illustratione divinissimam iis voluntatem irradiando. H.I. Et hic scopus hujus Sapientiæ est erga Deum & res divinas continua dilectio, cognitio Dei perfectissima, & simplicis perfectionis ejus divina participatio atque fruitio, quæ Dei contemplatorem spiritali modo reficit, ejusque animam modo prorsùs ineffabili arctissimè cum Deo unit & Deificat.

§. IV. Actus ad Theologiam Mysticam mortalem hominem disponentes, sunt supernaturales, fidei, spei, & charitatis, quibus mens immediatè Deum attingit: Et fides quidem intellectum, spes memoriam, charitas voluntatem mysticè perficit & informat, uti pulchrè ac diffusè Pater *Johannes à Cruce* in suis divinissimis libris de Ascensu Montis Carmeli, de nocte obscura, & de viva amoris flammâ, exponit. His accedat necesse est, magnum, fervens & insatiabile desiderium assequendæ perfectionis. Johann. Taulerus Epist. XXIX. sex homini observanda præscribit, ut ad culmen perfectionis pertingat; Tria quoad exteriora, totidem quoad interiora: Nempe ut vestes, & omnia exteriora illius simplicia sint, quibus nemini placere appetat, nisi DEO: ut verba illius sint succincta, necessaria, & de reb⁹ divinis: ut in omni ejus externa actione nihil appareat, quod possit offendere intuentes. Deinde quoad interna necessarium est, ut Deum solú purissima intentione quærat, ut, quicquid illi eveniat, imperturbabilem animi pacem retineat. *Antonius Monelia* Ordinis Minorum vir magnus inter Mysticos, *in Myst. Theol. Dionys. cap.* 1. sex esse catenas docet, quibus ligatur anima, ne ad Mysticam Theologiam ascendat: Prima est negligentia circa spiritualia, quia homo non vult se exercere & mortificare; secunda, evagatio sensuum; tertia, curiositas intellectus circa scientias; quarta, inordinatus amor erga temporalia; quinta,

quinta, impuritas in operationibus; sexta; occupatio circa exteriora. Cum tot igitur dispositiones ad Mysticam Theologiam sint necessariæ, libet hic vetere ritu proclamare, procul hinc, procul este profani. Nam & *Dionysius cap.* I. *Myst. Theol.* monet Timotheum, ut caveat, ne quis eorum hæc audiat mysteria, qui rebus adhærescunt, & nihil ultra naturalia supernaturaliter esse imaginatur: qui materialibus rebus immersi nondum per studium mortificationis, & exercitium virtutum animi candorem acquisiverunt: qui ambulantes in mirabilibus super se arcana DEI cognitione se posse percipere arbitrantur. Τὰ μυστήρια ἀπὸ τοῦ μυεῖν, quod est claudere, vel abscondere, dicta sunt, cùm quod nequaquam revelari debeant his, qui sacris non sunt initiati; tum etiam quod ab initiatis absque peculiari divinæ illuminationis gratia difficulter intelligi nequeant. Habet sanè Mystica Theologia suas voces, quas terminos vocant Dialectici, sicut omnes artes & scientiæ: & cum sit omninò supernaturalis, ejus principium, finis, & media, modusque tendendi in finem, voces quoque & phrases, quibus traditur, naturæ ordinem ac vires, atque humanæ sapientiæ verba transcendunt. Attamen hæc sapientia citiùs ac sublimius Idiotis simplicibus, qui nihil aliud quam salutem in timore & tremore curant, quàm magnis & eruditis Theologis conferri solet, nisi & ipsi toto mentis affectu studeant humiliari: Ita scribit Bartholomæus de Martyribus Bracharensis Archiepiscopus, Compend. doc. spiritual. part. II. cap. XIII. §. 3. Et *Bernhardus Serm. LXXXV. in Canticum* de hac re sic exclamat: O quisquis curiosus es scire, quid sit hoc verbo frui, para illi non aurem, sed mentem; non docet hoc lingua sed gratia: absconditur à sapientibus & prudentibus & revelatur parvulis. Conferatur Bonaventura de processu Relig. Gerson de Myst. Theolog. Specul. Gelenius in Praxi Myst. Theol. p. I. decis. I. art. 5. & Decis. X. art. 2. Constantinus de Barbanson in semitis occultis divini amoris. Franciscus Suarez Tomo II. de Relig. Lib. II. de Orat. c. 10.

§. V. Omnia quæ de Theologia Mystica scribuntur, eò tendunt ut animam perducant ad intimam cum Deo unionem, in

qua

qua medulla hujus Sapientiæ, & summum ejus arcanum consistit. Non est autem hæc unio localis, sive præsentiæ, quæ Deus ubique est, nihil se vacuum relinquens propter suam immensitatem. Non est unio per gratiam sanctificantem, quâ anima à peccatis emaculata in Dei amicitiã restituitur, fitque divinæ consors naturæ. Non est unio per charitatem, de qua scriptum est, Joh. IV. *v.* 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Prima enim harum unionum convenit etiam rebus inanimatis; secunda omnium justorum est, & puerorum ante usum rationis, fiuntque istæ in substãtia animæ; Tertia communis est omnibus probis, qui DEUM quidem ardentissimè diligunt, sed dono contemplationis, & mysticâ unione carent. Est igitur alia unio felicissima & arcana, inexpertis in per via, & difficilis explicatu, quæ fit in potentiis animæ, intellectu scilicet & voluntate; istæ enim Deum attingunt, & illi conjunguntur actionibus propriis vitalibus: atq; in ista unione summa felicitas vitæ hujus consistit, & quædam futuræ gloriæ prægustatio. Cum enim felicissima unio sit amplexus, & degustatio summi boni, omnia bona ab ipsa, quasi rivuli à fonte in animam derivantur. Hinc decor & pulchritudo, & Spiritus Sancti charismata, quibus mirabiliter exornatur. Hinc splendor lucis, & præfulgida illustratio, ardorque amoris, & suavitas ineffabilis. Hinc contemptus rerum omnium terrenarum, & insatiabile cœlestium desiderium. Hinc perfecta Christi imitatio, & ex redundantia spiritus exultatio sensuum, & corporis admirabilis transmutatio. Hinc animæ annihilatio coram DEO, & mystica mors: hinc fervor, languor, liquefactio, ebrietas spiritualis, silentium internum, OSCULUM VERBI, ecstasis, raptus, suspensio & alia multa, quæ digni experiuntur. Via autem ad intimam cum Deo unionem panditur à motibus anagogicis & exercitiis aspirationum. *Johann. à Iesu Maria Carmelita excalceatus Myst. Theol. c. IX.* Concors omnium, quos legerim, sententia est, ad altissimam DEI cognitionem & sensum, sive experimentum, aspirationum exercitiô ita animam erigi, ut si hoc angelicum exercitium miris laudibus celebratum, cæteris omnibus antepositum

frequentet, plurimùm proficiat. Habet enim tam egregiam vim exstimulandi, & divinis flammis urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis septum, & studio virtutum armatum, ad summam Christianæ vitæ perfectionem & puritatem corda nostra perducat. Quamvis enim dona Dei sint unio, raptus, finitio, revelatio, & illa indulgentissimi Dei interna blandimenta, & solis conatibus nostris, quantumvis nervosis, illa non producamus, at certè animæ sese idoneè ad eas nuptias ornanti & comparanti munificentiùs, quàm cogitare valeat, indulgentur. Consonat *Thomas à Iesu de div. orat. Lib. IV. c.* 20. Si sanctorum Patrum inquit, aliorumque Mysticorum, qui hanc viam experti sunt, sententiæ credendum est, nullam compendiosiorem viam, nullumve alium in Deum assurgēdi modum faciliorem ac nobiliorem eo invenies, quem sapientiam unitivam, sive amorem unitivum Mystici appellant, qui *in motibus anagogicis sivè aspirationibus*, quibus cor enititur ad Deum assurgere, ac illi avidissimè hærere, consistit. Conf. Harphius Myst. Theol. Lib. II. initio. p. 5. Gerson. in Myst. Theol. Dionys. Carthusian. Lib. de fonte lucis. Barbanson in semitis occultis part. I. c. 5. & p. II. c. 3. Johann. Lanspergius initio Pharetræ.

§. VI. Sunt autem aspirationes brevissimæ quædam orationes, sive mente sola, sive mente simul ac ore conceptæ, atque prolatæ quibus debet fidelis anima in quovis loco & tempore assuescere, & frequenter incumbere, cor suum & voluntatem ad Deum erigens die ac nocte, domi & foris, sedens & ambulans, in quovis negotio, in quavis actione & occupatione: Scriptum est enim Lucæ XVIII. v. 1. oportere semper orare, & nunquam deficere: sed quia instabilitas naturæ nostræ, corporis cura, & occupationes sæpè nos distrahunt, hæc Angelica aspirationum exercitatio perpetuitatem orationis compensat. Vocantur aspirationes, quia illis aspiramus ad Deum, & per eas verò aspirat Deus conatibus nostris. Dum verò ad Deum aspiramus, nil nisi Deum spiramus, & per easdem fervor charitatis, non minùs, quàm vita corporis aëris aspiratione sustinetur. Motus quoque Anagogici, id est sursum ducentes, nuncupantur, quia illis à rebus terrenis abduci.

ducimur & ad superna levamur, ac tandem ad beatam cum Deo unionem evehimur. Dicuntur orationes jaculatoriæ, quia instar jaculorum & sagittarum velocissimè transeuntium in cor divinum tanquam in scopum jaciuntur, ut ab eo dona cœlestia obtineamus. Affectus denique appellantur, quia sunt affectiones cordis, & desideria ac proposita voluntatis; nihilque aliud est Aspiratio, ut eam Gelenius definit part. I. decis. VI. art. I. præterquam expeditus affectus erga Deum, ut summum bonum. De his plura sanctorum Patrum documenta habemus, & exempla. Augustinus ad Probam Epist. CXXI. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio. Cassianus Lib. II. Instit. cap. X. & XI. Instituta Monachorum describens. Utiliùs censent breves orationes, sed crebertimas fieri. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectantur. Et *in collationibus, collat. IX. c. ult.* frequenter sed breviter orandum est, ne immorantibus nobis inserere aliquid cordi nostro insidiator possit inimicus. *Guilielmus Abbas S. Theodorici. in ep. ad fratres de Monte Dei inter Opera D. Bernhardi cap. X.* Hauriendus est sæpe de lectionis setie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat. Hujusmodi oratiunculas rectè appellat *Tertullianus de Orat. cap. I.* Orationes sine agmine verborum, & *Abbas Isaac apud Cassianum Collat. IX. cap. ult.* eas commendat tanquam verum sacrificium, pingues hostias, pura libamina, holocaustomata medullata. Sunt enim teste *B. Laurentio Justiniano de inter. conflictu cap. X.* Opus spiritualis arcus, sagittæ contra adversarios directæ, ignita vota, quæ à Christi militibus in cœtũ corde tacito destinantur, eminùs feriunt, celeriter emittuntur, hostem non sinunt propius accedere, & ascensorem frequenter uno prosternunt ictu. *Chrysostomus homilia IV. de annat. I.* Dic in mente, miserere mei DEUS, & absolvisti precationem; qui enim

 dicit,

dicit, miserere, confessionem offert, & peccatum suum agnoscit, quia lapsorum est misericordiã requirere. Qui dicit, miserere mei, remissionem delictorum accepit: qui enim misericordiam consecutus est, non punitur. Qui dicit, miserere mei, regnum cœlorum obtinuit: quem enim Deus miseratur, non à pœna solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur. *Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, de amore Dei Lib. VI. cap. I* studium orationis, & usum aspirationum unum & idem esse cum Theologiâ Mysticâ doctè & luculenter ostendit. Quia sicut scholastica Theologia habet Deum pro objecto, Mystica etiam non nisi de Deo loquitur, sed cum triplici discrimine. Illa disserit de Deo, ut Deus est; hæc ut summè amabilis est. Illa de Deo loquitur cum hominibus, & inter homines; hæc de Deo cum eodem Deo. Illa tendit ad Dei cognitionem, facitque nos doctos & Theologos; hæc tendit ad amorem, & nos ardentes reddit ac Theophilos. Principale itaq; hujus exercitium est cum Deo loqui, & ipsum Deum in fundo cordis loquẽ audire secretis aspirationibus & alloquiis, quæ à nemine nisi ab ipso dicente & à Deo intelliguntur. Optimè de hac re *Hermannus Hugo Piorum Desideriorum Elegiâ proœmiali*:

Ille meos gemitûs, mea scit suspiria solus,
 Quem fugit humani nulla latebra sinus.
Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt,
 Non nisi nos soli novimus, ille & ego.
Nemo meos gemitus, vota aut suspiria novit,
 Nemo, duo nisi nos, & duo sufficimus.

§. VII. Non est hoc loco omittendum, quod *Iohannes à Cruce in Flamma amoris cantu IV.* scriptum reliquit, præter aspirationes, de quibus hactenùs disseruimus, esse aliam *aspirationem arcanam, occultam & passivam*, quam DEUS in animâ mirabiliter producit, aspirans illi Spiritum S. qui profundissimè illam absorbet, & amore sui inflammat super omnem gloriam & sensum. In centro enim animæ, quæcumque illa sit, latenter moratur DEUS, sed cum discrimine: In quibusdam manet velut extraneus in alienâ domo, nihil imperans aut efficiens: In aliis libenter habitat, quasi in pro-

in propria domo, regens illam & gubernans. Talis est anima, in qua nullus jam appetitus, nullæ imagines, aut formæ creaturarum reperiuntur: huic enim se intimè DEUS communicat, hanc amplectitur, in ea quiescit, eique se ipsum revelat, eam excitando, & ad proportionem notitiæ divinitatis ipsi concessæ eidem aspirat, illam replens Spiritu S. ejusque gloria & bonitate. Cæterum hæc Aspiratio passiva ineffabilis est, & ab illis vix intelligitur, qui eâ felicissimè perfruuntur. Statum Aspirationis subsequitur *Contemplatio*, propria Mysticorum functio, & optima pars humanæ vitæ, pro Scopo suo & objecto habens ipsummet Deum, ut *D. Thomas secunda secundæ, qu. 180. art. 3. 4.* testatur. Consistit autem in visione quadam suavi, quieta, & amabili veritatis æternæ, quam sine discursuum varietate sincerè adspicit & penetrat, ingenti amore atque admiratione, tantaque certitudine & claritate, ut faciem, sicut de Moyse dicit Scriptura Exodi XXXIII. v. 11. DEI intueri dicatur; non quemadmodum beati in gloria, sed minori quodam lumine, caliginoso & fidei innixo, quæ ab eo valdè perficitur, & clarificatur. Ex cognitione verò accenditur amor, & vicissim ex amore ipsa crescit cognitio. Amor enim ignis est ardens, & lucens, & ardens in voluntate illuminat intellectum, impellitque nos ad ibi figendos oculos, ubi est thesaurus, quem diligit cor nostrum, cujus bonitas & pulchritudo, cum sit immensa & infinita, acriores iterum amoris flammas in corde succendit, ex quibus crescit videndi desiderium, nec ullus est finis, donec anima dilecto adhæreat, & unus fiat cum eo spiritus in æternum. Optimè *Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum*: Non cessabit qui quærit, donec inveniat, cum autem invenerit, admirabitur, admirans regnabit, regnans conquiescet. Est igitur Contemplatio, si Latinæ vocis notionem respiciamus, rerum occultarum consideratio, seu veritatis investigatio. *Cicero Lib. I. Academic. Quæst. & IV. de Finibus.* Theologicè verò accepta, est terminus meditationis, sive considerationis, qui est veritatis quæsitæ, & inventæ intuitio. Autor libri *de Spiritu & anima c. XXXII. inter Opera Augustini*, sic eam definit: Contemplatio est

perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Consonat *Bernhardus Lib. II. de Considerat. cap. II.* Contemplatio est verus certusque intuitus animi de quacunque re, sive apprehensio veri non dubia. Aliter *Richardus Victorinus Libro I. de Contemplatione, cap. IV.* Aliter alii. Vid. *Maximil. Sandaum Myst. Theolog. Lib. I. Comment.* 8. *Suarez, Tom. de Relig. Lib. II. cap. IX.* Brevissimè *D. Thomas secunda 2. qu. 180. art. 1. & 3.* Contemplatio est divinæ veritatis simplex intuitus. Fusiùs & clarius *Iacobus Alvarez, Tomo III. Lib. V. p. 2. c. 1.* Est liber, perspicax, & certus intuitus Dei, ac rerum cœlestium admirationem inferens, in amorem desinens, & ex amore procedens. Hæc hactenus ex pientissimi Cardinalis *Johannis Bonæ Via compendii ad Deum* (parsim collecta præmittere placuit, ut Lectori Breviarium quoddam Theologiæ Mysticæ exhiberem, unde præsenti Dissertationi lux quædam affundi queat.

§. VIII. Unicum adhuc de Cantico Canticorum huic loco oppidò conveniens addo. *Origines homilia I. in Cantic.* notat, nos omnia veteris testamenti Cantica peragrare debere, antequam dignè possimus ad Canticum Canticorum pervenire. Hoc primarium Canticum est, omniumque finis & Scopus, quo Christi & Ecclesiæ laudes, quo Mystici connubii sacramenta, amorisque divini operationes mirabiliter describuntur. Canere prius oportet alia Cantica, nam in exitu nostro de Ægypto, de domo servitutis cantavimus Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Rursum cum nobis pœnitentibus peccata dimissa sunt, immissa gratia, & promissa gloria spe gaudentes cantavimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Cum pravas animæ affectiones Deo juvante repressimus, cum vicimus mundum, & carnis laqueos declinavimus, necessarium fuit psallere Domino Canticum novum, carmen Deo nostro. Cum profligatis vitiis virtutum ornamentis illustrari cœpit anima, tunc exaltatum est cornu nostrum in Deo nostro, & factus est in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. At Canticum Salomonis, Canticum pacifici quandò cantabimus? Quandò ad eam perveniemus ætatem, ætatem inquam non dierum, sed meritorum, qua

cœle-

cœlestis Sponsi nuptiis idonei Canticum illud excellentissimum psallamus; non labiorum strepitu, sed jubilo cordis; non vocum melodiâ, sed consonantiâ voluntatum. *Philo Carpathiorum Episcopus initio Commentar. in Cant.* Quicunque, ait, omni occasione carnis præcisâ, remotisque atq; depulsis illecebris voluptatum, mente tranquillâ, corpore castus & animo, temperantiæ viribus vallatus erit, is cantica canticorum intrepidè adire potest. O verè canticum canticorum, canticum singulare, Epithalamium amoris, quod omnibus præcellit canticis, sicut omnibus sanctis major est ille, qui Rex Regnum vocatur, & Dominus Dominantium, ut scribit *Aponius Lib. I. Comment. in Cantic.* Verè canticum canticorum, quod nemo dicere potest, nisi ereptus sit de terra, & transgressus universam naturam sensibilium ac intelligibilium, & ad sancta sanctorum pervenerit. Nam ut sapientissimus *Bernhardus Sermone 79. in cant.* dicit, frustra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit, quoniam omninò non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non novit, nec Latine loquentem qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui non amat, barbara, eritque sicut æs sonans, aut cimbalum tinniens.

§. IX. Quod verò ad Osculum Sponsæ attinet in principio canticorum ab ipsa expetitum, (quandò sic loquens introducitur, in originali Hebræo: osculetur me מִנְּשִׁיקוֹת id est, *ex osculis oris sui.* Syrus & Arabs interpres habet: *Osculetur me osculis oris sui.* LXX. Viralis versio: φιλησάτω με ἀπὸ φιλημάτων στόματος αὐτοῦ, quam versionem Æthiopicus translator sequitur, ponens: *osculetur me ab osculis oris sui.* Vulgata Latina versio sonat: *osculetur me osculo oris sui.* Veneta; osculetur me ille, Malvendæ: *osculabitur me de osculis.* Quidam *Scherlogo* teste, *Comment. in Cantic.* legunt, *erudiat me eruditione oris sui.*) accuratiores interpretes tenent, Ecclesiam utique in his verbis prodere desiderium suum, quo exoptat Christi Redemptoris præsentiam, favorem ac gratiam, idque exponere verbis à castis castorum sponsorum amplexibus & deoscu-

deosculationibus, ceu signis & Symbolis gratiæ & favoris ejusdem, desumptis. Quemadmodum enim pudica sponsa sponsum, quem per litteras, per nuncios sibi loquentem aliquamdiu audivit, ardentissimis tandem suspiriis evocat, ut ipse adsit, osculis atque amplexibus se recreet; Ita Ecclesia, postquam per SS. Scripturam, quæ est Epistola DEI ad genus humanum, per Prophetas, qui Ministri, Amos III. v. 7. qui nuncii DEI sunt, Esaiæ VI. v. 9. diutius audiverat loquentem Christum, ardentissimè & flagrantissimè exoptat, ut jam ipse adsit Redemtor, ut amore & gratia sua se immediatè exhilaret. Admiranda est hæc petitio Sponsæ, imò videtur impudica & inordinata, quod sponsa petat osculum. Pudor enim decet fœminas, quod egregiè ostendit Plutarchus, qui producit Veneris simulachrum quæ altero pede premebat testudinem:

Quod residere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa suis.

Sed pulchrè respondet *Ludovicus Alcazar* dicens: erat maximè conveniens hæc audacia; in spirituali enim conjugio nihil magis pudicum, quam palam facere desiderium summæ conjunctionis. Videatur *Fr. Raphael de Laminez Prædicator Generalis, Prior Conventus Pilsnensis, Ordinis Prædicatorum, in Provincia Boëmiæ*, volumine cujus inscriptio hæc est, *Paradisus Concionatorum Tetralogiæ Mysticæ*, Dominicâ III. post octavam Paschâ, conc. 2. p. 390. Edit. Bamberg. in 4. Anno MDCLXXVII. Anxium illud desiderium sponsæ sufficienter innotescit, ex verbis Regii Psalmistæ, qui Psalmo CXIIX v. 81. dicit: *defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi.* Quomodo defecit? Istud *Ambrosius* egregiâ similitudine *Sermone XI. in Psalm. CXIIX.* explanat: Ut de usu, inquit, capiamus exemplum, si verbi gratiâ dicamus, defecit ille in illam, videtur exprimi hoc verbo, quod totus in mulieris desiderium cupiditate transierit: & quidquid est, quod vehementer expetimus, nisi ejus maturiorem habeamus effectum in nos, videtur longâ quadam intentione lassare. Amor impatiens diu noctuque meretricis fores pulsans, si diutiùs potiendi desideria

deria differentur, ipse deficit exspectatione, dum sperat, in quo utique non finis amoris, sed incrementum est, & quidquid est desiderabile, si non contingat desiderāti, deficit in illud, & quasi ipsam deponit animam, qui desiderat; si tamen spes propior assurgat, dat vires spes proxima; si autem absentia sit dilecti, eô ipsô, quo absentem desiderat, qui concupivit, animæ suæ patiatur defectionem. Itaq; quantò longiùs illud est, quod desideratur, tantò magis deficit, qui desiderat. Idem ergò deficere est, in id unum quemque totis studiis migrare, quod diligit, illud cogitat, illi adhæret, illud personat, quod receperit diligēdum, in id quadam animi defectione transfunditur: Ut si mater filii expectet præsentiam, quemadmodum expectabat Tobiæ uxor filium peregrinantem, deficiens à desiderio & in angustiis constituta, & tanquam resoluta viribus: Quid enim aliud nisi defectum quendam ejus verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eò ampliùs amor crescit, quo diutius abest, qui desideratur, eò expectantis desideria majori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur. Hinc verò colligere possumus, quid sit, *defecit in salutare tuam anima mea.* Hæc ille. Vult igitur Ecclesia languescens diuturnæ cupiditatis ardorem osculo Sponsi sui stillanter extinguere, hoc est, incarnatione suâ gratiosâ.

§. X. Cur autem Sponsa divini verbi incarnationem deosculationis metaphorâ expresserit, potissimum propter analogiam hujus cum deosculatione factum esse videtur, eaq; ab interpretibus triplex affertur: Primo enim, quemadmodū in osculatione os unum alteri conjungitur, sicque non solum ora quasi copulantur, sed animi quoq; ipsi per externam hanc conjunctionē uniuntur: Sic verbum divinum in assumtione carnis naturam incomprehensibilem atq; imortalem cum nostra fragili & mortali naturâ copulavit, ac quodā quasi osculo illam osculans tam arctè ipsas, quæ in infinitum ab invicem per se distarent, in una personâ divina conjūxit, ut per hujusmodi unionem unus idemq; Christus θεάνθρωπος dicatur, & per hujusmodi cōmunicationē Idiomatū, quæ Deo propriè cōpetunt, de homine, & quæ sunt naturæ humanæ propria verè

F deDeo

de Deo enuncientur. Felix osculum, exclamat Bernhardus Sermone II. super Canticum, ac stupendâ dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed DEUS homini unitur! Et ibi quidem contactus labiorum complexum significat animorum, hic autem consideratio naturarum, divinis humana componit, quæ in terrâ sunt, & quæ in cœlis, pacificans. *Ipse enim est pax nostra, quæ fecit utraque unum.* Ephes. II. v. 14. Secundò, quia osculum præcipuum amoris signum est, & non modò inter rationales, sed & irrationales creaturas à natura indicatur, ut propterea apud antiquos ejusdem amoris Hieroglyphicum per columbam expressum, *Pierius Valerianus Lib. XXII. narret.* Nam mutua columbæ sibi oscula infigunt: congruentissimâ ratione incarnationis Mysterium per ipsam deosculationem à Spiritu sancto significatur. Quî enim magis amorem suum DEUS declarare poterat, quàm per incarnationem filii sui, qui peccatoribus amissam divinæ gratiæ felicitatem, suâ passione & morte recuperare non dubitavit? Idipsum egregiè in sacris literis nobis proponitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro eo. Johann. III. v. 16.* Ubi per Particulam SIC incomparabilis amoris energia indigitatur, quam Apostolus quoque *Ephes. II. v.* 4. patheticis verbis describit: *DEUS autem qui dives est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo cujus gratiâ estis salvati; & conresuscitavit & considere fecit in cœlestibus in Christo, Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu.* Adde comma octavum Epistolæ & Romanos, cap. V. Hinc *Augustinus Libro X. de Civitate DEI, cap. XXIX.* notanter scribit: Gratia DEI non potuit gratiùs commendari, quàm ut ipse unicus DEI filius, in se incommunicabiliter manens, indueret hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio: quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat immortalis à mortalibus, incomutabilis à comutabilibus, justus ab impiis, beatus à miseris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus, suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret, quod

quod amamus, perpetiendo docuit contemnere, quod timemus. *S. Chrysologus* apud laudatum *de Lamincz Conc. III. in Nocte Nativitatis Domini, pag. 49.* eam dat rationem, nempe, assumpsit carnem nostram, ut se omnium declararet Patrem. Quam rationem prædictus Doctor pulchrè deducit ex illa historiâ S. Lucæ, de filio prodigo: Ille, dum abiisset in regionem longinquam, & amissâ ibidem paternâ portione suâ, nec habens quod comederet, uteretur cum porcis communi cibo siliquarum, stomachum suum hac insolitâ rudique escâ intoxicavit & infecit. Sed à quo iterum recepit sanitatem? recepit illam à Parente. Qualiter? Nam cum rediisset ad domum suam patriam, videns eum Pater, & ruens in brachia sua, osculatus est eum. Sic planè argumentari possumus de æterno Dei filio, nempe eandem ob causam venisse in mundum, tanquam in patriam suam domum; juxta illud, In propria venit: ut filio perdito, nempe homini prodigo, obviaret, & suo osculo eidem (per unionem naturæ divinæ cum humanâ) applicato sanaret eum. Desiderium hujus osculi, à Christo Domino accipiendi prædicabat quondam Spiritus S. Canticorum cap. I. *Osculetur me osculo oris sui.* Nempe, veniat tandem desideratus Pater, & infigat osculum gratiæ humanæ naturæ, veneno peccatorum infectæ. Verba sunt autoris. Sic pater emendabat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella, quia delicta non videt vis amoris, & ideo Pater peccata filii redemit osculo. O magna amoris audacia, ait Chrysostomus: Intonante Deo apud Syna, perterritus populus electus dicebat, Non loquatur nobis Dominus, sed Moyses; nunc autem Ecclesia Christiana loquitur, Non loquatur nobis Moyses, sed Dominus ipse loquatur; non solum loquatur, sed veniat & osculetur me osculo oris sui. Undè hæc Sponsa? A Deo adamantino osculum expectas? Ita sanè respondet, quia pater est, nesciet peccatricem prolem redimere, nisi per osculum, nempe intimam sui conjunctionem. Tertiò utitur sponsa hâc metaphorâ, quod ideò Christi incarnationem anhelaret, ut se erudire & osculari verbis oris sui posset. Nam נשק Nasak & *erudire & osculari* apud Hebræos significat, & os utriusque actus Instrumentum

 est, quo

est, quo & alios informare, & amoris nostri certos reddere possumus. Desiderat sponsa Sapientiam & amorem, ut quod sponso acceptum sit, sciat ac amet. Cum enixè osculum (ut scitè *Bernhardus Sermone VIII. in Cantic.*) id est, Spiritum sanctum invocet, accipit simul per eum quoque Scientiæ gustum, & gratiæ condimentum. Et benè, *pergit*, Scientia quæ in osculo datur, cum amore recipitur, quia amoris indicium osculum est. Utrumque autem affert osculum Dei, & cognitionis lucem, & devotionis pinguedinem. Est quippe Spiritus Sapientiæ & intellectus, qui istar apis ceram portantis & mel, habet omninò & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ. Neuter ergò se osculum percepisse putet, sive qui veritatem intelligit, nec diligit, sive qui diligit, nec intelligit. Certè in osculo isto nec error locum habet, nec tepor.

§. XI. Quandò itaque divinum osculamur verbum, ab ore ejus doctrinam & disciplinam accipimus. Nec alium in finem illud verbum sacratissimam suam osculatus est incarnationem, nisi ut nos per suam doctrinam à vitiis abstractos ad summum virtutis culmen promoveret. *Origenes homilia I. ex quatuor*: Ecclesia cum à divino verbo pro Sponsaliis atque in dotem legis accepisset, quæ per Angelos disposita dicitur ab Apostolo in manu mediatoris, multamque doctrinam ingentesque promissiones à Prophetis, qui sibi ejusdem Sponsi sui nomine, longo jam tempore ministrâssent, ex ipsis hujuscemodi promissis atq; muneribus, majori in illum charitate suspensâ cum illum ad se non videat adventantem, præ illius desiderio ad æternum Patrem conversa dicat: *osculetur me*: Quasi diceret, obsecro, Domine, ut tandem miseratus amorem nostrum, mittas eum, ut jam nō mihi per ministros suos duntaxat & Prophetas loquatur, sed ipse per semetipsum veniat, & osculetur me ab osculis oris sui, verba scilicet in os meum sui oris infundat. Ipsum carne indutum audiam loquentem, ipsum videam docentem. Hæc enim sunt Christi oscula juxta promissionem, quæ est apud Esaiam: Non legatus, neq; Angelus, sed ipse Dominus salvabit nos. Cum *Origene* facit *Hieronymus Epistolâ CXLVI. ad*

Damascum, Iohannes Chrysostomus, homiliâ VIII. in Symbolum, quæ est de Turture, Tomo V. Operum. Cassiodorus, Beda, Philo Carpathius, Aponius & Anshelmus in Canticum, necnon Gregorius Papa in Lib. XIX. Moralium, cap. XXII. Quia verba sponsi Spiritus sunt & vita, quicunque autem conglutinatur Spiritui, fit Spiritus, & qui vitæ conjungitur, transit à morte ad vitam, congruenter voci Domini. Propterea Spiritualis anima (Ecclesia) desiderat adpropinquare vitæ fonti. Fons autem est Sponsi, undè scaturientia verba vitæ æternæ implent os, ea attrahens.

§. XII. Quidam Interpretes in verbis Sponsæ Mysterium Sacro-sanctæ Trinitatis latere dicunt, quandoquidem illa non simpliciter ait, *osculetur me;* sed enucleatè & emphaticè addit; *osculo oris sui.* Quod verò nullius Personæ à quâ osculum desiderat, mentionem facit, & nomen adeò supprimit, videtur factum, partim, quia DEUS est ineffabilis, nulloq; quantumvis magnifico nomine significari potest; partim, cum nil nisi DEUM mente revolvat, nec verò in quopiam pervolvi putet, sufficere credidit illius actum exprimere, quem universorum cogitationibus præsentem credebat. Pater quidem hic tanquam osculans introducitur, os verò quo osculatur sponsam, filius est ejus, seu verbum æternum, quòd per Metonymiam vocabulo oris exprimitur. Nam & juxta Theologorum loquendi modum, ea quæ in divinis ad Sermonem pertinent, videlicet lingua, os & id genus alia, æterno verbo tribuuntur, quo pater æternus loqui asseritur. Osculum denique ipsum ab osculante & ore procedens, nota est hieroglyphica Spiritus Sancti, eaque appositè denotatur. Osculum enim nihil aliud est, quam duorum amantium mutuus nexus, quo Spiritus S. proprietas graphicè depingitur, quia Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto, juxta Theologorum effatum. Quasi translatè dicas, dum sibi mutuò hærent amore producto, quodam velut nexu copulantur, quodam velut osculo se osculantur. Paulò aliter *Bernhardus Sermone II. in Cantic.* hæc tria explicat: per os osculans verbum assumens, per osculatam carnem assumtam, & per osculum, quod pariter ab

osculante & ab osculato conficitur, personam ipsam ab utroque compactam, mediatorem DEI & hominum, Christum Jesum. Neminem, inquit, sanctorum præsumpsisse, ut diceret: *Osculetur me ore suo*, ipsi duntaxat carni divinæ servantes prærogativam istam, cui singulariter semelque os Verbi impressum est, cum ei se corporaliter omnis plenitudo Divinitatis indulsit. Ecclesiam verò illam antiquam sanctorum Patrum dicere tantum: *osculetur me osculo oris sui*, humilius nempe ab osculo oris illius petens se osculari, quod commune sciret esse multorum, qui dicere possunt, Et omnes de plenitudine ejus accepimus.

Alii dicunt per amatorium hunc contactum ipsam perfici conjunctionem humanæ animæ cum Deo. Eò tendunt *Gregorii Nysseni verba ex Homilia I.* Quemadmodum Moyses qui dignus est habitus cum DEO loqui à facie ad faciem, ejusmodi osculorum majori tenebatur desiderio, rogans ut videret, quem desiderabat, quostquàm ei DEUS toties apparuisset, perinde ac si nunquam fuisset illum contemplatus: Ita cæteri omnes, quorum divinum desiderium insidebat in ipsis penetralibus, nunquam suum stiterunt desiderium, quidquid eis eveniebat divinitùs, quo fruerentur eo, qui desiderabatur, materiam arripientes & fomitem majoris desiderii. Quomodo etiam quæ nunc quoque DEO conjungitur anima, satiari non potest fruitione, quo copiosiùs fruitione impletur, eò vehementiori vigens desiderio, atque adeò dicens: *Osculetur me osculo oris sui*.

§. XIII. Porrò Patres fingunt animæ tria oscula concedi à DEO, alterum PEDUM, alterum MANUUM, ultimum deniq; ORIS. Primum nobis conceditur, cum initium conversionis fit, sicque auferentes peccata cum DEO pacem inimus, quandò nempe ad misericordiam, & veritatem, duos quasi PEDES DEI humilimè devolvimur, ut per veritatē peccata damnemus, & per misericordiam veniam speremus. Secundum osculum est, cum in gradu proficientium primùm existentes, bona opera operamur, tunc enim MANUS DEI osculamur, cum ei bona opera nostra offerimus, vel cum ab eo virtutum dona recipimus. Tertium osculum,

nempe

nempe ORIS nobis permittitur, quando in gradu perfectionis collocati, consumto pœnitentiæ luctu ad secreta interioris cubiculi gaudia impatientis amoris introduci desideramus. Cùm ergò inquit *Bernhardus Sermone III. in Canticum*, anima perfecta ad duo prima oscula, remissionis scilicet peccatorum, & donorũ virtutum admissam se DEI gratiâ sentiat, congruentissimè tertium tantum petens, inquit: *osculetur me osculo oris sui*, id est, hoc unum, quod mihi reliquum est, efflagito, ut perfectè per Spiritus Sancti infusionem cum meo uniar dilecto. Et Sermone IV. in Cant. Vide familiare amicumque colloquium animæ in carne suspirantis cum cœlestibus Potestatibus. Gestit in oscula, petit, quod cupit, non tamen nominat, quem amat; quia illas nôsse non dubitat, utpote de quo frequens sibi cum illis soleat esse confabulatio. Propterea non dicit, *Osculetur me ille vel ille*, sed *osculetur me* tantùm. Sicut & Maria Magdalena non exprimebat ex nomine, quem quæreret, sed tantùm ajebat ei, quem putabat hortulanum: *Domine, si tu sustulisti eum*; quem eum? non aperit, quia palam omnibus esse credit, quod à suo corde nec ad momentum recedere potest. Ita ergò & ista loquens sodalibus sponsi sui tanquam consciis, & quibus se noverat manifestam, tacito nomine repentè, in hæc de dilecto verba prorumpit: Osculetur me osculo oris sui. Huc pertinent elegantia *Guilielmi Abbatis* verba in *Meditat*. Qui se dulciùs osculantur, mutuos sibi suos Spiritus dulciùs infundunt, quorum quibusdam odoribus dulce habent perfundi: Accipe tibi, Domine, nec respuas totum spiritum meum, quem in te effundo, qui totus olet: Infunde mihi totum tuum, qui totus quidem redolet, ut de tui suavitate meus ultra non oleat, & tui dulcis odor, ô dulcissime, semper in me interiùs permaneat. Ejusmodi oscula mentis animique à Chrysostomo vocantur, *homilia III. in Epistol. ad Ephesios*: Regem, inquit, quidem ore male olenti osculari nolueris, cœli autem Regem fœtenti & malè olenti animâ oscularis? est contumelia. Item *homilia LXI. ad Populum*: Et quomodo Christi adsistes tribunali, scelestis manibus & labiis ipsum corpus impetens? Et fœtenti quidem ore tuo Regem osculari non eligeres,

res, Regem verò cœli fœtenti anima deosculari? tactum est contumelia. Prælaudatus *Bernhardus* aliud adhuc osculum ostendit, quod anima amans Sponso dat, duobus nempe labiis, INTELLECTU videlicet, & VOLUNTATE, quandò illum cognoscit & amat. Sic enim *Sermone LIV, de Parvis, Tomo I. Operum, pag.* 160. scribit: Habet ipsa anima duo labia, quibus osculatur Sponsum suum, id est, rationem, & voluntatem. Rationis est percipere Sapientiam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sententiæ cognitionem, & voluntas non habeat virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognitionem, nihilominus est semiplenum. Tunc verò plenum, quandò & Sapienta illustrat rationem, & virtus afficit voluntatem. *Hugo Carnotensis in Psalmi XX. Et voluntate labiorum ejus*; duo labia sunt, INTELLECTUS ET AFFECTUS, quibus anima fidelis osculatur DEUM, quandò intellectus conjungitur veritati, & affectus bonitati.

§. XIV. Nonnulli DEI dona quæ nobis confert, OSCULORUM nomine insigniunt. Cum verò septem pretiosiora DEI dona sint, per septem oscula eadem explicant. Primum est osculum INCARNATIONIS, quo verbum divinum per Unionē hypostaticam naturam sibi junxit humanam. Secundum huic proximum est, quo ipse SPIRITUS S. nobis datur, ut corda nostra inhabitatione sua sanctificet ac illustret. Ex utroque autem reliqua dona procedunt, ut LEX EVANGELICA, quæ est Lex gratiæ & charitatis. Osculum RECONCILIATIONIS, per gratiam DEI justificantem, quâ DEUS sibi mediante Sancti Baptismatis lavacro & pœnitentia animam conjungit. Osculum AMICITIÆ jam initæ, sive concedendo incrementa gratiæ, sive peculiaria auxilia præbendo ad præclara virtutis opera. Osculum INTIMÆ FAMILIARITATIS cum ipso, ad quod omnium maximè sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conducit. Tandem osculum FELICITATIS ÆTERNÆ, quo divina essentia unitur beatis in patriâ, ut eâ clare visâ perpetuo fruantur. Quæ quidem oscula, ut pulchrè *Augustinus Tomo I. Operum, Libro de Amicitia capite VI.* loquitur,

tur, non fiunt oris attactu, ſed mentis affectu, non conjunctione labiorum, ſed commiſtione Spirituum, caſtificante omnia DEI Spiritu, & ex ſui participatione cœleſtem immittente ſaporem. Quô ſenſu oſculum illud Myſticum rectè appellatur. Videatur *Ludovicus de Ponte, Commentar. in Cantic. Lib. I. pag.* 15. *&* 23. nec non *Gregorius Magnus, in Expoſit. Cantici cap. I.*

§. XV. Coronidis loco elegantiſſimum *Ambroſii* diſcurſum ex *Sermone ſuper Pſalmum CXVIII.* adduco: Conſtitue, inquit, virginem deſponſatam multo tempore, & juſto Sponſi amore ferventem, quæ multa præclara dilecti opera probabilium teſtium aſſertione cognoverit, deſideriis ſuſpenſis frequenter dilatam, jam non ferentem moras, quæ omnia feciſſet, ut ſponſum videret, votis ſuis aliquandò potitam, ad improviſum Sponſi adventum gaudio turbatam, non quærere primordia ſalutationis, non verborum vices, ſed ſtatim quod deſideraverat, oſculum exigere. Ita ſancta Eccleſia ſub primordia Mundi deſponſata iu Paradiſo, præfigurata in diluvio, annunciata per legem, vocata per Prophetas, diu redemtionem hominum, Evangelii decorem, dilecti exſpectavit adventum, tandem moræ impatiens, in oſcula ruens dicit: *Oſculetur me oſculis oris ſui.* Uberiores explanationes ſuper hunc textum legere qui avet, Doctores Theologos & Interpretes Cantici adeat, ex quorum prolixo ordine ſelectiores & rariores ſunt, qui ſequuntur: Hieronymus Almonacirius in Comment. à fol. 9. ad 15. Angelomus Tomo IX. Bb. Pp. parte 2. Aponius Tomo I. Bibliothecæ Patrum, pag. 769. Aquinas, Tomo XIII. Oper. p. 70. Johannes Arboreus, ad Cantic. cap. I. p. 55. ſeqq. Beda, tom. IV. Oper. p. 999. Dionyſius Carthuſianus, enarrat. in Cantic. articulo I. cap. I. fol. 106. Cyprianus Ciſtercienſis in Cant. cap. I. p. 8. ſeq. Matthæus Cantacuzenus, in Expoſit. Cant. quem primò Vincentius Riccardus notis illuſtratum Romæ imprimi curavit, anno hujus ſeculi viceſimo quarto. Martinus Antonius Delrio ad Cant. ſect. I. cap. I. pag. 31. 35. Thomas Ciſtercienſis Monachus & Cardinalis. Johannes Halgrinus ab Abbatis-Villâ in Comment. fol. 12.

 Bene-

Benedictus Fernandius Borbensis, Commentar. in Genesin, Tomo II. ad cap. XXVII. Sectione IV. §. 4. p. 503. Honorius Augustodunensis, Tomo XII. Bb. Pp. parte I. p. 119. seq. Cosmas Damianus Hortolanus, Paraphrasi & Comment. in Cantic. actu I. cap. I. p. 30. Lib. I. actu I. p. 113. seq. Jacobus Pintus in Christo crucifixo, Lib. V. Titulo III. Loco VI. §. 22. p. 735. Johannes â Jesu-Maria, in Cant. p. m. 231. 388. Justus Orgelitanus, Bb. Pp. T. I. p. 737. seq. Michael Ghisletius, Comment. in Cant. cap. I. Philo Episcopus Carpathius, T. I. Bb. Pp. p. 638. Raymundus in Pugione fidei, parte III. distinctione tertia, cap. 20. Bernhardus Resignolius, Lib. V. de Disciplinâ Christianâ, cap. X. Prosper Rossettus in Cant. Lib. I. Lectione 9. ad 13. â pag. 36. ad 61. Ludovicus Soto-Major in interpretat. Cant. cap. I. Theodoretus Tomo I. Operum, p. 300. Tirinus in Bibliis Maximis Johannis de la Haye, Tomo VII. pag. 394. Jacobus de Valentiâ, Episcopus Christopolitanus, Exposit. Cant. fol. m. 392. Wolbero Abbas Coloniensis, circa Annum â nato Christô millesimum centesimum & quinquagesimum in vetustissimis Commentariis â pag. 2. ad 8.

§. XVI. Quod deinde concernit osculum â Jacobo Racheli fixum, Genesis cap. XXIX. v. 12. illud in se non videtur esse sacrum, nedum ut Mysticum dici queat. Apud Orientales congredientes se osculo in signum amoris ac benevolentiæ, quin & lætitiæ ex congressu perceptæ excipiebant invicem, veluti in his oris necessarii & familiares miscere solent dexteras, quoties amicè congrediuntur. Undè illud osculum Jacobi erat nudè tantùm salutatoriũ, nec apparet Jacobum quidquam aliud præter id intendisse. *Augustinus Quæstione LXXXVII. in Genesin.* Consuetudinis, inquit, fuit, maximè in simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquos oscularentur. Et hoc fit etiam hodie multis in locis. Sed hoc quæri potest, quomodo ab incognito Rachel osculum acceperit? Ergò intelligendum est, aut illum, qui cum â Pastoribus audierit, quænam illa esset, fidenter in ejus, tanquam consobrinæ suæ osculum irruisse, aut postea Scripturam narrâsse per recapitulatio-

lationem, quod primò factum erat, ut prius Jacob indicaverit ei, quisnam ipse esset, & post expositam expositam cognationem dedisse ei osculum. Sic ille. Quod autem Scriptura Jacobo hic attribuit fletum nempe & deosculationem, de Rachele refert Josephus Hebræorum Historiographus, Libro I. Antiqu. cap. 19. cujus hæc sunt: At Rachel memor eorum quæ de Rebeccâ ex Patre audierat, sciensque parentes desiderare aliquid de eâ cognoscere, præ amore patris lachrymabunda ruit in collum Jacobi, complexoque eo, optatissimam, inquit, & maximam voluptatem affers Patri cum totâ familiâ, qui nunquam Matris tuæ obliviscitur, crebram illius mentionem faciens: quare tale nuncium cum quantavis felicitate non commutaret. Ex quibus Josephi lapsus manifestè apparet, ut proinde caute & circumspecte legi debeat, ne falsus ipse Lectores itidem fallat. Vid. Gerhard. Johannes Vossius de Historicis Græcis Lib. II. cap. VIII.

Si autem hoc osculum transfertur ad Christum, qui in Jacobo typicè significatus Ecclesiam suam in deserto hujus mundi invenerit, eique fontem gratiæ invidiâ Diaboli obstructum recluserit, ceu à quibusdam eò refertur, tum osculum Jacobi Mysticum quidem dici potest, non tamen in se, cum Jacobum osculantem Rachelem rem illam Spiritualem intendisse non constet: sed solum ex mente interpretum, qui illud ad gratiam Christi, Ecclesiæ velut Sponsæ exhibitam significandam accommodant. Augustinus Sermone LXXX. de tempore. Sæpè dixi, beatum Jacob typum gessisse Salvatoris nostri. Sicut enim ivit Jacob in regionem longinquam, ut conjugem acciperet; Ita Christus venturus erat in mundum, ut jungeretur Ecclesiæ. Abiit Jacob in Mesopotamiam, & cum venisset ad quendam puteum, vidit Rachelem venientem cum ovibus Patris sui, & cum cognovisset esse consobrinam suam, adaquato ejus grege osculatus est eam. Non fuit profectò sine causa, quod tres magni Patriarchæ uxores juxta puteos aut fontes invenerunt. Nam & Rebecca, quæ jungenda erat Isaac, juxta puteum inventa est. Ita Rachel, quæ futura erat uxor Jacob, nec non Sephora, quæ matrimonio juncta est

 Mosi.

Mosi. Sine dubio igitur aliqua in hoc Sacramenta debemus agnoscere. Quoniam igitur tres isti Patriarchæ typum Domini nostri prætulerunt, ad fontes vel puteos uxores invenerunt, quia Christus ad aquam Baptismi inventurus erat Ecclesiam. Et Jacob veniens ad puteum prius gregem Rachelis adaquavit, & deinde osculatus est eam. Similiter etiam nisi prius per aquam Baptismi Christianus populus â peccatis omnibus abluatur, osculum à Christo accipere, id est, pacem ejus habere non meretur. Poterat quidem Jacob prius osculari Rachelem, quàm potare gregem ejus; sed hoc factum est, ut locus daretur mysterio. Oportebat enim prius à peccatis ablui perBabtismum Ecclesiam, & deinde pacem & amicitiam, & quasi conjugium quoddam spirituale cum DEO inire. Confer Benedictum Fernandium, Comment. ad Génesin, Tomo II. cap. 29. Sect. IV. §. 4. pag. 710.

§. XVII. Denique & osculum Prophetæ videtur gratis dici Mysticum, & ita osculis Mysticis accenseri. Etenim in textu sacro nec vegistium nec vola osculi reperitur. Textus authenticus sic habet II. Regum IV. v. 33. 34. וַיִּשְׁכַּב עַל־הַיֶּלֶד וַיָּשֶׂם עַל עֵינָיו וְכַפָּיו עַל־כַּפָּיו וַיִּגְהַר וַיַּעַל פִּיו עַל פִּיו וְעֵינָיו עָלָיו *Et ascendit & incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & volas suas super volas ejus, & se prostravit super eum.* Ubi quidem dicitur, quod Propheta os suum posuerit super os pueri, verùm non quod sit puerum osculatus. Ast os suum super aliquid ponere, aut ore suo aliud attingere, non statim est osculari, aliàs qui os allideret acuto saxo, is saxum osculatus dicendus esset, quod osculum vereor ne paucis sit ad palatum. Utut ergò jam cum nullo contentionis funem ducam, in hâc à Prophetâ adhibitâ cerimonia nonnihil Mystici delituisse, sed illud aliis potiùs dirimendum linquam; de eo tamen, an illa oris Prophetici ad os pueri admotio osculum dici debeat, & consequenter inter oscula Mystica numerandum sit, dubito, nec sine ratio-

ratione. Interim tamen Patres hic allegorizare deprehenduntur. In Elisæo figura Domini præcessit, qui projecit se, ut mortuum erigeret, in quo Symbolum est, quod nobis Christus commortuus sit, ut nobis resurgeret. Projecit se usque ad nostram fragilitatem, ut nos erigeret, verba sunt Theologorum Parisiensium, Tomo II. Bibliorum, ad hunc locum ex Ambrosio. Petrus Berchorius Pictaviensis Lib. XII. Moralitatum, pag. 146. Talis, inquit, processus factus & in resuscitatione & reparatione generis humani. Mulier enim ista (defuncti mater) significat Ecclesiam, cui scilicet unicum filium seu humanum genus dedit; sed adveniente calore concupiscentiæ, iste in Adam per peccatum occubuit & decessit. Sed verus Helisæus, id est, DEUS, istum suscitare & ad vitam gratiæ reducere volens, baculum suum, seu legem scriptam, puero suo (Mosi) tradidit, qui tamen mediante isto baculo, sive severitate legis, istum filium, seu genus humanum à morte culpæ nullatenus suscitavit. Apostolus Hebræorum VII. Nihil enim ad perfectum perduxit Lex. Quapropter ipse Helisæus, id est, filius DEI in propriâ personâ ad mortuum humanum genus venire voluit, & intrans cubiculum uteri virginalis, & cadaveri, id est, carni humanæ per beatam incarnationem se conjunxit & coaptavit, & prædicando per mundum aliquamdiu ambulavit, & sic super lectum crucis ascendens, & per carnem pueri, id est, humanitatem assumtam, in igne passionis calefaciens, ipsum genus humanum per gratiam vivificavit, & vivum scilicet à morte culpæ puerum septies oscitantem, hoc est, per septem dona vel septem Sacramenta respirantem, matri suæ, Ecclesiæ restituit. Unde dicitur Regum III. cap. XVII. Deposuit puerum de cœnaculo, & tradidit eum matri suæ, dicens: Filius tuus vivit. Hactenus ille. Similis historia legitur I. Regum XVII. in qua notanter Scriptura dicit, quod Propheta Elias super mortuo

incubans oraverit, quo præter Mysterium, quale Patres inde promunt, peculiaris Hebræorum ritus innuitur, qui vario corporis habitu orationes peragere solebant, modò manum in cœlum elevantes, modò in genua procumbentes. Sic orâsse dicitur Salomon I. Regum IIX. v. 54. & Cap. XIX. v. 18. Multi non curvâsse dicunt genua ante Baal. Alius fuit modus Hebræis usitatus, quandò offensos placare animos, & quod desiderant, impetrare student, tum se ad infimas preces abjiciunt, & humi supplices procumbunt, ut terræ faciem apprimant, ac pulverem quasi lingant. Hinc frequenter legimus in pulverem cadere, ponere in pulvere os suum, adhærere terræ ventrem. Sic oravit Elias, cum se expandit. Quod autem incubuerit super puerum, & quantum potuerit ad ejus se mensuram collegerit, (verba sunt *Casparis Sanctii in Comment. ad III. Reg. cap.* 17. *p.* 1238. *seq.*) illa videtur esse caussa, ut quo magis seipsum in angustum arctaret humiliaretque, tantò magis divinam misericordiam inflecteret, quæ humiles benignis intuetur oculis, neque despicit cor contritum & humilitatum. Neque fortasse alia causa est, cur homo de geniculis oret, & ille orantis habitus judicetur ad impetrandum aptissimus: nisi quia homo aliquid de proceritate corporis tollit, & tanto se ipso brevior, & aliquo modo despicatior est, quantum patet à genibus ad pedes usque magnitudo. Vel, ut incumbens super puerum, majorem significaret animi dolorem, ad matris similitudinem, quæ mortuum amplectitur filium, & ab illo divelli non patitur, quæ eò majori consideratione digna est, quo filium diligit ardentiùs, & illius mortem flet miserabilius. Deinde quia illa membrorum compositio amorem significat ingentem, quo toto cadavere velle frui videtur, qui vivus est, & totum se in exanimatum amici corpus infundere, ut illi det vires, Spiritum & vitam, & quidquid demum mors abstulit acerba.

§. XIIX. Aliud osculum Mysticum occurrit Psalmo LXXXV. v. 11. Ubi dicitur *Pax & Iustitia osculantur se. Augustinus in Enarrat. Psalmi LXXXIV. Tomo IIX. Operum. p. m.* 381. Fac Justitiam & habebis pacem, ut osculentur se Justitia & pax. Si enim

non

non amaveris Justitiam, pacem non habebis. Amant enim se duo ista Justitia & pax, & osculantur se, ut qui fecerit Justitiam, pacem inveniat Justitiam osculantem. Duæ amicæ sunt, tu fortè unam vis, & alteram non facis. Nemo enim est, qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari Justitiam. Interroga omnes homines, vultis pacem? uno ore tibi respondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo. Ama & Justitiam, quia duæ amicæ sunt Justitia & pax. Justitia & pax ipsæ se deosculantur. Si amicam pacem non amaveris, non amabit te ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem. Quivis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac Justitiam, quia Justitia & pax se osculantur, non litigant, tu quare litigas cum Justitiâ? *Simeon de Muis ad Psalm. LXXXV.* Justitia & pax ita inter se agglutinatæ sunt, eoque vinculo inter se conjunctæ, ut ubi non est Justitia, ibi non sit pax, & contra. Posterior locutio *osculatæ sunt*, ex consuetudine Orientalium, hodieque apud nos usitatâ sumta est, qui occurrentem amanter excepturi exosculabantur. Ita Lucæ XV. Pater prodigi cum illum adhuc procul absentem conspicatus esset, misericordiâ motus, & accurrens cecidit super collum ejus & osculatus est. Lyranus hunc versum de Christo sic exponit. Justitia & pax osculatæ sunt, quia Christus in sua passione satisfecit pro nobis per viam Justitiæ, quâ Justitiam statim pax fuit osculata, quia per suum sanguinem pacificavit ea, quæ sunt in Cœlis & in terrà, Coloss. I. *Salomon Gesnerus in Psalm. LXXXV. p. m. 600.* Justitia & pax inducuntur mutuis osculis sese excipientes sicut moris erat in regionibus Orientalibus, ut in congressibus osculis & complexu benevolentiam declararent. Nam ubi homo est justificatus coram Deo, ibi conscientiam ejus pacatam suavissimo quasi osculo excipit tranquillitas & pax, quam habet cum DEO propter Mediatorem Christum, quemadmodum etiam eadem relatio & pulcherrima harmonia est inter Justitiam novæ obedientiæ, & pacem conscientiæ, I. Petr. II. v. 19. 20..

§. XIX. Neq; Mysterio caret, quod in Ecclesia Romanâ initio nocturnæ precis præmittatur versus Psalmi L. *Domine, labia*

mea

mea aperies. Nam cum dicat Scriptura Eccl. XV. v. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, quis audeat divinas laudes immundis labiis decantare, nisi prius obstructa per peccatum oris claustra misericorditer aperiat ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nemo enim potest laudare DEUM, nisi DEUS aperiat labia, ut ostendit *Augustinus contra duas Epistolas Pelagianorum, Libro II. cap.* 8. Alioquin sugillabit nos durissimâ illâ exprobratione, Psalmo XLIX. *Quare tu enarras Iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* tu verò odisti disciplinam & projecisti sermones meos retrorsum. Ad rem *Chrysostomus in Psalm. L.* Peccatum suapte naturâ linguam astringit, & os obturat. Quam sententiam complens *Ambrosius in Psalm. L.* ait: Cujus ergò labia aperit DEUS, hunc peccati absolvit reatu. A vinculis itaque peccatorum absolvi petimus, cum dicimus, Domine, labia mea aperies. Et quia justus prior accusator est sui, accusamus nos ipsos ante orationem confitentes peccata nostra, quatenus reconciliati per gratiam DEI facilius exaudiri mereamur. De impiis Scriptum est, *quia dixerunt labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Psalm. 11. Et ideò oratio illorum erit execrabilis. At labia sponsæ, labia fidelis animæ dulcia, & purpurea dicuntur esse, sicut favus distillans, sicut vitta coccinea *Cant. IV. v. 3. 11.* Cum ipsi Sponso, inquit Gilbertus Abbas, in Cant. Cant. Serm. XXXIV. Sponsa loquitur, in loquela dulcioris labii, & lingua altera; tunc cordis labia verè melle delectationis distillant divinæ: Imò non tam distillant, quàm fluunt, quoniam hora illa in melleas affectiones tota convertitur. Beata vicissitudo, quandò de corde Sponsæ fluenta quædam mellis emanant in dilectum, & ab ipso redundant in Sponsam. Ad locum enim undè exeunt hæc mellis flumina revertuntur, ut iterum fluant. Boni favi in labiis Sponsi, & Sponsæ eructantes ex hoc in illud, & invicem rorantes amoris dulcedinem. Ille desuper irrorat gratiam, ista deorsum gratiarum actionem. Rursus labia sponsæ purpurea dicuntur esse, sicut vitta coccinea. Per coccinum enim charitas intelligitur, quæ est vinculum perfectionis.

Sicut

Sicut autem vitta constringit crines ne defluant, sic anima DEO dilecta labia sua cohibet, ne verbum malum & inutile proferens extra se diffundatur. Eccles. XX. v. 15. *Apertio oris illius inflammatio est*, & semper laus DEI in ore ipsius.

Cum autem oratio cordis sit non labiorum, miror cur Ecclesia ante orationem labia sibi, non cor postulet aperiri: sed notandum, quod usus labiorum non tantum ad eloquium, sed etiam ad OSCULUM est: consociant enim se mutuò osculantiū labia, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus, ut ait *Chrysostomus homil. XXX. in 2. ad Corinth.* Cumque templum DEI simus, sicut limina templi, ita os osculamur, per quod ingreditur Christus, quandò communicamus. Igitur Ecclesia dum dicit, *Domine, labia mea aperies*, non tam petere videtur divinum auxilium ad laudes ejus dignè annunciandas, quam Mysticam labiorum purificationem, ad castissimum dilecti OSCULUM recipiendum. Felix anima, quæ propriæ conscientiæ testimonio intus erudita cœlestis Sponsi osculo se idoneam agnoscit. Felicior, quæ unctione Magistrâ sentiens quanta sit gratia diffusa in labiis Sponsi, osculum ejus jam amore æstuans fiducialiter petit. Felicissima planè, quæ ad ipsum osculum dignanter admissa divinæ suavitatis inenarrabile gaudium in fervore Spiritus experitur, & torrente uberrimo sempiternæ voluptatis in plenitudine gratiarum inebriatur. Cardinalis Bona de divina Psalmodiâ cap. XVI. Operum in quarto, Edit. Antverpianæ. Anno M DCLXXVII. pag. 819.

DISSERTATIO IV.

De
OSCVLO ADORATIVO.

SUMMARIA.

I. Osculum deprecationis in pœnitentibus. De Muliere peccatrice Luca VII. v. 44. Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ differentes

sen-

ſententiæ. II. Non fuit Soror Lazari & Marthæ juxta nonnullos. III. Peccatricis actio præclarà monita ſuppeditat. Ignis igne extinctus. IV. Oſculum Venerationis. Cor humanum Camera Omnipotentis. Habet figuram Pyramidalem. Demonſtratio Mathematica pulchre applicata. V. Cor eſt Dei templum & altare. Cur recens natis infantibus oſcula fixa? Pectoris oſcula. VI. Codex Scripturæ Sacræ à B. Virgine Maria aliisque piis oſcula accipit. VII. Cultus Iudæorum erga Sacram Scripturam. Remedium contra cæcitatem oculorumque fluxus. Bibliothecæ quondam Palatinæ excellentia. Perſarum Rex Codicem Evangeliorum & Pſalmorum in ſuam Linguam translatorum oſculatur. VIII. Turci Alcoranum religioſè tractant. IX. Verſiculi duodecimi ex Pſalmo ſecundo variæ verſiones. X. Hugonis Grotii gloſſa rejecta. XI. Variæ variorum Interpretationes. XII. B. Lutheri Epicriſis. XIII. Hebraica verſio multos & magnos habet Patronos.

§. I. OSculum Adorativum inpræſentiarum dicitur id, quod homines DEPRECATIONIS, CULTUS atque SUBJECTIONIS gratiâ, vel Deo vero, vel fictitio, vel rebus divinis libare conſueverunt. Huc pertinent initiò adorativa veri Dei, ut ſunt *primò* OSCULUM DEPRECATIONIS, quo anxii peccatores ſeriam cordis contritionem conteſtati, delictorumque veniam precati ſunt, & ſe divinæ gratiæ ſitientes oſtenderunt. Tale eſt illud, quo illuſtre Pœnitentiæ ſpeculum, peccatrix, pedes Salvatoris noſtri venerata legitur, Lucæ VII. v. 44. 45. Anonyma mulier iſta pomum diſcordiæ diſſecuit, & particulas ejus diſpertit & diſtribuit præcipuis Eccleſiæ Doctoribus, qui diſcordes fuêre vitam atque nomen hujus fœminæ famoſæ ſacro ex codice perſcrutantes. Eccleſia Orientalis, id eſt Græca, conſona voce clamat, mulierem hanc peccatricem non eſſe claram ac nobilem virginem illam Mariam Magdalenam ſororem Marthæ, quam Eccleſia ſancta Romana ſuis in Litaniis invocat ut Virginem, illam velut primiceriam Virginum in earum recenſione primam merito fortè, ſicut & ordine collocando. *Theophilus Epiſcopus Antioche-*

tiochenus suppar discipulis Apostolorum, *Irenæus, Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius* sororem Marthæ non fuisse peccatricem mulierem valide propugnant. *Theophilus* sextus post Petrum Antiochiæ Antistes circa Ann. Christi CLXXIII. sic fatur textus Evãgelicos de muliere peccatrice, de Martha & Maria Magdalena expendens: Si attendas, invenias has tres esse: a Johanne enim una describitur, altera verò à Luca, à duobus verò reliquis alias. *Irenæus* Theophili σύγχρονος apertè notat, mulierem peccatricem non fuisse Mariam Magdalenam, de qua exierant septem dæmonia, nec etiam sororem Lazari & Marthæ: *Libro III. hæresium*, capite, de his quæ in Evangelio per solum Lucam cognovimus: Plurima, inquit, & magis necessaria Evangelii per hunc cognovimus, ut adventum Angeli ad Mariam, &c. Et deinde quod apud Pharisæum recumbente eo, peccatrix mulier osculabatur pedes ejus, & ungebat unguento. Quæ Irenæi observatio tale argumentum subministrat: Ex Luca solo novit Ecclesia mulierem peccatricem, quæ pedes unxit Christi; sed ex Marco novit Mariam Magdalenam, de qua Jesus ejecit septem Dæmonia; & ex Johanne scivit Mariam sororem Lazari & Marthæ. Ergò nota nobis mediante Luca solo mulier & peccatrix non est Marthæ soror, neque obsessa aliàs à Dæmone. Namque duæ illæ nobis ex Evangelistis aliis innotescunt. Concinit *Origenes homilia XXXV.* in hæc verba Matthæi: Dixit Jesus discipulis suis: scitis, quia post biduum Pascha fiet. Quæ secundum Lucam est, plorat, & pedes Jesu lacrymis lavat. Quæ autem secundum Johannem est, Maria, neque peccatrix, neque lacrymans introducitur. Forsitan ergò quis dicet, quatuor fuisse, de quibus conscripserunt Evangelistæ. Ego autem magis consentio, tres fuisse. Idem *homilia I. in Canticum*: In Evangelio mulier accipiens alabastrum unguenti nardi pisticæ pretiosi, caput Jesu pedesque perfudit. Observa, quæ de duabus super caput effuderit Salvatoris: siquidem peccatrix super pedes, & ea quæ dicitur non fuisse peccatrix, super caput ejus fudisse monstratur. Iterum *homilia II. in Cantic*, Nardus inquit, mea dedit odorem suum. Loquitur E-

vangelium, quia venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pisticæ pretiosi: non illa peccatrix, sed sancta, de qua nunc mihi sermo. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthæum verò & Johannem, & Marcum, non de peccatrice dixisse. Venit ergò, non peccatrix illa, sed sancta, cujus nomen quoq; Johannes inseruit. *Chrysostomus in Caput Iohannis XI.* Maria quæ unxit Dominũ unguento, hos in loco nonnulli dubitarunt cur Christus id tolerâsset. Ad quod, id primum intelligendum, non fuisse hanc peccatricem illã, de qua apud Lucam scribitur, sed aliã. Illa meretrix & infamis erat; hæc honesta & studiosa, quippe quæ Christũ hospitio excipere curabat. Hieronymus contra Jovinianum; Hic jam quæritur in corpore, qui pedibus Christi dignus sit, qui capite; qui oculus ejus sit, qui manus; quod & duæ mulieres in Evangelio, pœnitens, & sancta significant, quarum *altera pedes, altera caput tenet*: Igitur peccatrix illa pedes Christi lachrymarũ profluvio inundans, non est sancta soror Marthæ, caput ejus unguens, ad cujus contrita pedes erat alia fœmina provoluta. Idem *in Matthaum*, exponens versum: *accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis*, sic commentatur: Nemo putet eandem esse, quæ super caput effudit unguentum, & quæ super pedes: hæc enim, & lachrymis lavat, & crine tergit, & manifestè meretrix appellatur, de illa autem nihil tale scriptum est. *Ambrosius in cap. Luca XXIV.* Ex historia resurrectionis Christi duas colligit esse Marias Magdalenas, his verbis usus: Nescit una Maria Magdalena secundum Johannem; scit altera Maria Magdalene secundùm Matthæum? nam eadem ante scire, & postea nescire non potuit. Ergò si plures Mariæ, plures fortasse Magdalenæ, cum illud personæ nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa admittitur pedes Domini tenere, tangere Dominum; ista prohibetur. Illa Angelum videre meruit; hæc primò cum venit, neminẽ vidit. Illa discipulis Dominum resurrexisse nunciavit; ista raptum esse significat. Illa gaudet; hæc plorat. Illi in gloriâ sua jam Christus occurrit; hæc adhuc mortuum quærit. Illa Dominum vidit, & agnovit, hæc non potuit agnoscere cum videret. Concolores

sunt

sunt his Ecclesiæ Doctoribus & alii in venerabili Choro Patrum celebres, *Titus* scilicet *Bostrensis* An. C. CCCXL. & *Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus*, Seculo IX. quorum vera sententia de recensita Lucæ in Evangelio fœmina peccatrice his limitibus includitur: Hæc Mulier, inquit Titus super Lucæ cap. VII. neque ea est, cujus apud Marcum, nec ea tandem, cujus apud Joannem fit mentio. Siquidem illæ paulò ante Dominicam passionem fecerunt, quæ fecisse scribuntur: hæc autem circa Evangelicæ prædicationis medium, aut citiùs quoque, ut facilè quis, si eam in rem curiosè inquirere vellet, deprehendere posset. *Theophylactus* idem Lucæ caput expendens inquit: Quærunt multi, quot fuerint mulieres, quæ unxerint Dominum unguento. Et alii quidem dicunt, quod duæ fuerint, una scilicet apud Johannem, quæ fuit soror Lazari, & alia apud Matthæum & Marcum, & nunc apud Lucam. Ego autem credo his, qui dicunt tres esse.

§. II. Contra reperti sunt qui peccatricem mulierem ipsam fuisse Mariam Magdalenam assererent, nempe *Gregorius Papa, Beda & Bernhardus*. Et in eam sententiam videtur concedere plebis adsensus, eò inductus; propter officium Mariæ Magdalenæ, cui inserta est homilia Gregorii Papæ, talem sententiam suo calculo comprobantis. Singula trium virorum verba suis locis legi possunt, quia brevitati studere placet. Si quis verò disquirat quare illi, tot Doctrinæ Sacræ luminum consensu posthabito aliter censuerint; responderi posset, tria esse argumenta, quibus fuêre Patres hi commoti ad scribendum, non fuisse duas mulieres, quæ unxere pedes Christi, sed duntaxat unam, quæ hoc pietatis munere perfuncta, Deum in humanis meruit habere advocatum. Primò dicuntur mulieres illæ, suo cum alabastro domum convivii ingressæ: secundò pedes unxisse Jesu, quod contra morem est, ungi namque pedes omnibus est gentibus insolitum: postremò demum, quod utriq; fuit singulare, suis capillis prostratæ pedes Christi madidos extersêrũt. Hinc Gregorius super caput Lucæ VII. suspicandi ansam sumpsit, à fœmina duntaxat una duas illas unctiones concolores fuisse diverso tẽpore celebratas. Sed quantũ con-

jectura valet ad veritatis ſcopum propius accedit, rei factæ à muliere peccatrice famam pervulgatam innotuiſſe piæ ſorori Marthæ, quæ arbitrata fore gratam Chriſto talem unctionem, ad ſimilem ſe accinxit, egregium facinus imitata primæ fœminæ pœnitentis. Liberum interim cuivis manet credere, Mariam Magdalenam fuiſſe peccatricem, vel non, arripiat quilibet quod vult, juxta *Alberti Magni* effatum in cap. VII. Lucæ. *Iacobus Faber Stapulenſis* Anno MDXVIII. clarus, videns Ludovicam matrem Chriſtianiſſimi Regis Franciſci primi ſolicitam eſſe & quærere à peritis, an Maria Soror Lazari & Marthæ eſſet hæc peccatrix, eruditum librum edidit in quo argutè probat, illam peccatricem aliam eſſe à ſorore Lazari & Marthæ, Librumque viro illuſtri Franciſco Molino, Regis Franciſci Magiſtro, eo tempore nuncupavit.


§. III. Jam ſi oculos in ipſam peccatricem intenſiùs flectamus, oppidò nobis elegantia ſalutarium monitionum emblemata occurrunt. Cur dicatur peccatrix, ſuccinctè *Petrus Chryſologus* declarat *ſermone 93.* In civitate, inquit, peccaverat, quia fama ſua, famam totius tetigerat civitatis, ſicque jam non peccatrix ſolum, ſed ipſius civitatis facta fuerat ipſa peccatum. Hæc cognovit, quod niſi ab illo ſolo civitatis peccatum non poſſet auferri, qui ſolus mundi venerat abolere peccatum. Quare lachrymis rigatos pedes capillis capitis ſui abſterſerit Idem *ſermone XCIII.* ex profeſſo perſequitur, ſcribens: mutatur ordo rerum, pluviam terræ cœlum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cœlum; imò ſuper cœlos, & usque ad ipſum Dominum imber humanarum proſiliit lachrymarum. O quanta vis in lachrymis peccatorum! Rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione ſententiam. Vacat ab excuſatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit; quia in totum ſibi natura ſufficit ad obſequium creatoris. In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut ſuo fonte mulier in novum Baptiſma ſuorum diluviem dilueret peccatorum. Capillis capitis ſui tergebat, ut juxta Pſalmiſtam, verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſervitu-

vitute. Et osculabatur pedes ejus. Præcesserant intervenientes lachrymæ, ut oscula devota sequerentur; quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum; oscula reconciliationis sunt indicia. Venit mulier, & venit retrò, quia reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam novit se vultus fiduciam perdidisse: venit satisfactura DEO, non homini placitura cùm venit. Venit pietatis illa non voluptatis exhibitura convivium: deniq; & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, totum lachrymis temperat in mensurâ, & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam: organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitûs aptat in fistulam, & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpè percutit, facit placitura DEO Cymbala personare. Dumque taliter apportat divinis oculis cibos, totas misericordiæ copias reportat. Concinit *Gregorius Papa* inquiens: Lacrymis mulier pedes Jesu rigat; quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis ejus in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam, nostram putamus. Capillis mulier pedes, quos rigaverat, tersit. Capilli quippe superfluum corpori. Et quid abundans terrena substantia nisi capillorum speciem tenet? Quæ dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentit. Capillis ergò pedes Domini tergimus, quandò sanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex iis, quæ nobis superfluunt, misceremur; quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis pedes Redemptoris, sed capillis suis non tergit, qui utcunque proximorum dolori compatitur, sed tamen eis ex iis, quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat & non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quæ desunt, vim doloris minimè abscindit. Osculatur mulier pedes, quos tergit. Quod nos quoque plenè agimus, si studiosè diligimus, quos ex largitate continemus: ne gravis sit nobis necessitas proximi, ne ipsa ejus indigentia, quæ sustentatur, fiat onerosa, & cum manus necessaria tribuit,

buit, animus à dilectione torpescat. Hactenus ille. Ita per amoris ignem valdè ardens peccatrix incendit peccati rubiginem, nostrique Salvatoris gratiam eo ipso sibi conciliavit, ut illud Poetæ Græci, qui ait: Amorem deflere suum ignē extinctum ab alio eluctante foco; πίςτῷ πυρὶ πῦρ ἐδάμασε. quis igne ignem edomuit? *Lib. I. Anthologiæ*, huc commodissimè trahi queat.

§. IV. Secundo in hanc classem referendum venit Osculum venerationis. Hoc erat illud, quo pii Majores interdum venerati sunt id, in quo Deum, præsentem credebant. Cor inprimis humanum putabant præsentissimum Dei templum, idque tam ex nomine, quia Cor per ראשי תיבה sit dictum quasi Cubiculum vel Camera Omnipotentis Regis; quàm ex figurâ, quæ Pyramidem utcunque imitatur, sed basi latiore ac gibbâ. Lusit Plato de figura, ideò similem esse pyramidi, quia cum sit igneæ naturæ, flammarum Pyramides referat. Etsi autem de hac causa nihil adfirmari potest, tamen Architectus non temere hanc figuram elegit, quæ inter solidas prima est, & ad hunc motum congruentior, ut *Philippus Melanchthon Libro de Animâ p. m. 47. facie 2.* testatur. Eleganter proinde *Dn. Iohann. Heinricus Ursinus ὁ μακαρίτης Analect. Sacr. Lib. III. num. 27. p. 200.* differit: Mirum opus! cujus in alto basis, conus in imo; cœlo patet, terræ clauditur, nec sphæra mundi quantaquantâ expleri potest: trigonum solâ SS. Trinitate implendum. Hugonis vulgatum ita sonat: Cor parvum est & magna cupit. Vix ad unius milvi refectionem sufficere posset, & totus mundus ei non sufficit. Non minus acutè quàm piè *Marcellinus de Pise, Matisconensis Prædicator Capucinus Provinciæ Lugdunensis, Tomo II. Encyclopædiæ Moralis p. 588.* de hoc negotio philosophatur: Mathematica disciplina penes quam est obliqua & torta suis regulis ita inflectere, ut redeant ad amussim, ostendet qua ratione tres animæ potentiæ deviæ & delusæ queant reduces iterum præstitutis à Justitiæ amante Deo regulis aptari. Placuit oculis figuram subjicere, ut anima sensuum obsequio erudita, sibi consulat, & citius & magis expeditè. Itaque similitudo petita à Mathematicâ *Euclidis* rem graphicè oculis subjiciet. Sic ille

ille *Libro I. Element. Geometric. definitione primâ*: Figura intra figuram dicitur inſcribi, quando eo quæ inſcribitur, ejus in qua inſcribitur latera unoquoque ſuorum angulorum ab interiori parte contingit. Verbagratiâ: Deus homini inſcribitur quando tria animæ (cordis, ubi nempe ſedes animæ ſtatuitur,) latera contingit, id eſt cum afficit intellectum, voluntatem & memoriam; ſic enim potentiæ illæ debitum ſibi modum à Deo accipiunt. Idoneum eſt exemplum allatum ab Euclide, qui in medio trianguli inſcribit triangulum, quo inſcripto, ille prior triangulus diſpeſcitur in tres triangulos, accipientes menſuram ſuam ab illo itrinſeco triangulo, ut videre eſt in iſtâ figurâ.



Ubi triangulus, A, deſcribitur intra triangulum notatum literis B, B, B; & ex ea deſcriptione exſurgunt tres trianguli, in quorum area ſunt hæ literæ B, B, B. Hi autem tres trianguli commenſurantur ab illo triangulo intrinſeco. Vide jam quomodo hæc Deo & homini conveniant. Homo ob tres animæ ſuæ potentias triangulum refert: DEUS item triangulus eſt, ob tres perſonas. Si igitur iſte ſacer triangulus animæ inſideat, tangens ejus tria latera, quæ ſunt intellectus, voluntas, & memoria, ſtatim exſurgent tres alii trianguli commenſurati ſacro illi triangulo. Nam intellectus Deum ſpeculans, primæ veritati incumbens, credet omnia quæ ad fidem ſpectant. Voluntas Deo adhærēs, totam ſe componet ad arbitrium Dei. Memoria recolens noxas ſuas, animam dolore conteret, ut Deum ita demereat. Sed Deum intelligere & meditari, Deum velle & amare, dato crea-

turis repudio, Deum mente recolere aliàs offensum, ut ei satisfiat, hoc est habere tres triangulos conformes medio triangulo. Ergò illi animæ positæ in ea symmetriâ suarum partium competit perfecta ratio sanitatis, qua gestiit olim Psaltes sic jubilans: *Deus, Deus, meus, ad te de luce vigilo.* Psalm. LXII. Invigilans DEO intellectus antelucanis horis optimè mensuratur. Quæ autem fuerit mensurâ voluntatis ejus, audi eo ipse jubilante Psalmo LXXII. *In voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Sane ille cujus caro emortua est, & defecit nihil prorsus à Deo alienum vult, & maximè Deo occupante cor. Demum quid animo suo revolverit idem Psaltes, & cujus rei memor exstiterit, collige his versibus Psalmi CXVIII. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Memoria vitæ iniquæ Davidem perculit, & adegit ad regressum, quo rediit in gratiam cum DEO, cujus deinde beneficia commemorans, in gratiarum actiones sese effundebat. Gestientis animi accipe tripudia & voces indices. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalmo LXXXVIII. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* Psalmo CXVII. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psalmo CXV. Itaque hoc ratum esto, animæ sanitatem exsurgere à Symmetria facultatum, quarum mensura congrua petitur à Divinis.

§. V. In Sacra Scriptura exsertis testimoniis Cor hominis Dei templum vocatur, Esaiæ LVII. v. 15. I. Corinth. III. v. 16. 17. I. Corinth. VI. v. 19. II. Corinth. VI. v. 16. Ephes. II. v. 21. Suffragantur denique Patres. Imò nos sumus templa DEI & altaria, & luminaria & vasa, exclamat *Tertullianus Libro de Coronâ Militis cap. IX. Idiota tractatu de Spiritu S. cap. IX.* Altare est cor nostrum, Altare dignissimum, quia in honore Trinitatis increatæ est consecratum à summo Pontifice. O Altare sanctissimum! O Altare cum omni diligentiâ mundissimè servandum! In hoc Altare debemus offerre sacrificium Justitiæ, oblationes

ȥiones misericordiæ, holocausta orationis, vitulos mortificationis carnis. *Augustinus Epistola LVII. ad Dardanum*, habitat, inquit, in singulis DEUS, tanquam in templis suis, & in omnibus simul in unum congregatis, tanquam in templo suo. Quod templum, quamdiu sicut arca Noæ in hoc seculo fluctuat, fit, quod in Psalmo scriptum est: Dominus diluvium inhabitat. *Richardus Victorinus in Psalmum XXVIII.* Quod si templum DEI cor ipsius hominis intelligimus, qui sint, qui in hoc templo gloriam DEO dicent, citius inveniemus. Qui enim sunt alii hujus templi habitatores, quam cogitationes mentis & cordis affectiones? quoniam, inquit, cogitatio hominis confitebitur tibi: Rarò tamen contingit, ut hujus templi habitatores omnes in unum conveniant, ut una congregati in templo ejus omnes simul gloriam dicant; ut nulla aliena se cogitatio interserat, quæ illa divina solennitatis gaudia perturbet vel imminuat. Hinc cor sanctorum hominum, quod putarent illud officinam Spiritus Sancti, cupidissime osculati fuerunt, quin & infantum recens natorum. *Paulus Egardus Medullâ Theologiæ, pag. 300.* scribit: Quoslibet infantes ab utero prodeuntes ter osculari, veterum sententia fuit, idque in honorem SS. & individuæ Trinitatis. Leonides Martyr sub Imperatore Severo Origenis Adamantii Pater, cum in filio divinius ingenium animadvertisset, puero dormienti sæpenumero adstitisse, ejusque pectus stragulis denudâsse fertur, atque illud perinde ac si sacer DEI Spiritus idem ipsum sibi tanquam templum consecrâsset, augustè & cum reverentiâ osculatus esse: seque pro tali prole beatum & felicem existimâsse, uti tradit *Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ Lib. VI. cap. II. & Iacobus Pontanus Bellariorum Atticorum, pag. 691.* Sic Proæresii Sophistæ pectus, refert *Eunapius de Philosophis, pag. 115.* coronam auditorum allambere quasi solitam, καθάπερ ἀγάλματος ἐνθέου, alios denique pedes, multos manus osculatos, Deum, aut Mercurii τοῦ λογίου effigiem vivam appellâsse.

§. VI. Insuper reperio Sanctissimum Sacrarum Scripturarum Volumen osculo honoratum esse. Hoc de B. Mariâ semper Virgine annotavit *Ludulphus de Saxoniâ, cap. II. de nativitate Virginis*, apud Aloysium Novarinum, Veronensem, *Electorum sacrorum Lib. IV. excursu XXIX. pag. 94.* dicens: Omni tempore contemplationi, aut orationi, aut lectioni, aut operationi se dabat, (Maria) pro salute generis humani sine intermissione orabat, Scripturas de adventu Christi frequenter legebat, & quidquid in Scripturis de Incarnatione DEI inveniebat, hoc osculando & amplexando dulciter relegebat. Sanctus Edmundus, Archiepiscopus Cantuariensis, tantum reverentiæ sacræ Scripturæ detulit, ut quoties Biblia sacra aperiret, prius ea osculo honoraret, veluti Surius in ejus gestis, mense Novembri recenset. *Lucas Tudensis de alterâ vitâ,. Lib. II. cap. XXI.* super cultu Scripturæ scribit: Quis tanta insania ducitur, ut sacram videns Scripturam, humiliter elevans venerabatur eam, & in loco mundo reponebat, eò quod fortassis contineret scriptum nomen sanctum. Hoc enim faciunt perfidi calumniatores, cum coram libro legis suæ, qua possunt reverentia, incurvantur, & osculantur illum. Hæc ille. Quid obstat tandem, quo minus Sacris Pandectis faciamus Sacros eosdem versus, quos suæ Bibliothecæ Ranzovius quondam consecravit?

Salvete aureoli mei libelli,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Quàm vos sæpè oculis juvat videre,
Et tritos manibus tenere nostris.
Vos estis requies honesta mentis,
Jucunda ingeniis bonis voluptas,
Rebus perfugium minus secundis,
In lætis decor & nitor refulgens;
Vos quàm fata diu sinent amare,
Vobis immoriar mei libelli.

Salvete, ex quibus hæc mihi voluptas,
Ævum præcipitur per omne grata:
Quàm vos intueor libenter, & quàm
Lubens colloquor: ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis!

Vel si mavis alios, Pauli Melissi in S. Biblia concinnatos:

Nocturna tractare manu, tractare diurnâ
Æthérios, vatum scripta vetusta libros;
Scrutarique novæ divina volumina legis
Gnaviter, unigenæ vox jubet æqua Dei.
Et meritò, namque hinc æterni vena liquoris
Profluit, & vivæ fons salit uber aquæ.
Hos latices libans, Christo Duce & auspice Christo,
Ante Deum æternâ sorte beatus eris.

§. VII. De Judæorum cultu erga sacrum codicem, qualem in Synagogâ ipsorum Amstelodami ipsemet αὐτόπτης observavi, *Johannes Buxtorfius Synagoga Judaica cap. IX.* edisserit: Super quadam, inquit, structurâ quadrangulari mensa est cum serico holoserico-ve panno, cui Chasan sive Præcentor librum Legis imponit: venit deinceps ille, qui officium Gelilah redemit, fasciasque sive panniculos, cui liber involutus est, ab eo aufert, & ex iis eum evolvit. Tum Chasan & alter iste, qui officium dictum redemit, evocant quendam è congregatione universa, & per ejus ipsius & per Patris etiam nomen, jubentes ut accedat. Qui veniens in medio duorum istorum consistit, & librum *deosculatur*, non quidem super membrana illius nuda, (illud enim facere peccatum foret ingens;) sed per panniculos, quibus circumdatus est, per ligna illa duo ad libri extremitates agglutinata manibus apprehendens, clarâ voce, laudate, inquit, Dominum &c. Benedictus esto Deus, qui nos præ gentibus omnibus elegeris, legemque tuam nobis dederis. Benedictus esto Deus legislator. Jam persuadet sibi Judæus hic, quod rem bonam nactus sit, quippe qui lignum vitæ in manus acceperit, ideoque præ populis omnibus beatus sit. Præcentor deinde legit Pascha,

five caput è libro isto, quo facto reversus ille, qui paulo prius revocatus erat, librum denuò *deosculatur*, Benedictus, ajens, Deus esto, mi, qui dederis nobis legem veram, vitamque nobis implantaveris æternam. Benedictus, inquam, esto Deus legislator. Deinde venientes omnes tam Juvenes quam senes, librum istum *osculantur*, digitis tantummodo duobus attingentes, quos postea facie impellunt. Ea enim res cum sanctitate singulari conjuncta, contra cœcitatem fluxusque oculares saluberrima est. Huc quoque facere videntur verba auctoris Apologiæ auff die Bayer-Anhaltische Cantzley/ Anno Christi MDCXXIV. pagina 93. in *Hottingeri Bibliothecario Lib. I. cap. 5. p.* 178. allegata. Præcipuum decus Bibliothecæ, heu quondam Palatinæ, quæ etiam supra Vaticanam Papæ Romani, & Parisinam Galliarum Regis inclaruit, erant manuscripta Hebræa, Græca, Latina, & aliarum linguarum. Ea partim à Philippo & Ottone Henrico Electoribus, horumque Prædecessoribus in Oriente, Græcia & Italiâ conquisita, magno studio & gravi ære redempta, partim ex monasteriis Palatinatus collecta, & in unum comportata sunt. Non pauca etiam ceu legativa accesserunt ex luculenta hæreditate Baronis Fuggeri, Anno 1584. In tanto numero MSS. fuit & codex sacer Bibliorum Hebræorum, in Charta Pergamena, Majestate literarum, vetustate Scripturæ, ac forma Operis planè venerabilis, & non nisi primam antiquitatem sapiens. Judæi quidam, cum Friderico III. Electore ad eum inspiciendum admitterentur, ceu cœlitus delapsum suspexerunt, procidentes *deosculati* sunt, & tantum non adorarunt, polliciti ingentem auri vim, si usibus Synagogæ suæ concederetur. Plura de pretiosissimo hoc Germaniæ thesauro vide apud *Hippolytum à Collibus* in Increment. Urbium cap. X. Persarum Rex Abbas Libros Evangeliorum & Psalmorum in Persicam Linguam à Monacho quodam traductos, ut rem in sua quoque lege licitam magna cum veneratione & osculis excepit, eosdem capiti suo imponens ac mandans ut inter pretiosissimam cubiculi sui supellectilem asservarentur, publicè effatus, eum, qui contentis his in libris non præberet assensum, incredulum esse æstimandum. *Petrus della*

Valle

Valle Itinerarii Orientalis parte II. pag. 168. Edition. German. Genev. in fol. Anno MDCLXXIV.

§. VIII. Non minori cultus affectu Mahumedani erga suum Alcoranum ducuntur, quem alii *verbum Dei increatum*, alii *ex ipsis etiam Imperatoribus creatum* crediderunt, uti Vathecus Mamonis Successor, de quo Patricides apud *Hottingerum Historiæ Orientalis Lib. II. cap. IV. p.* 417. consulendus. Sane non patiuntur hunc librum immundis manibus contrectari, nec in loco minus honesto latere, sed potius in commune quasi bonum conferunt, quidquid venerationis ab iis proficisci potest. Dicam breviter, quæ non sine stupore, risu forte intermixto, Georgius Dousa in itinere Constantinopolitano observavit: Cum ille aliquandò in urbe haut procul à templo Imperatoris Turcici, Camelum quendam lento & pathetico gradu incedentem, magna populi copiâ stipatum conspicatus sciscitaretur, ecquid tantus hominum confluxus sibi vellet, responsum ab adstantibus tale retulit: Camelum istum ex urbe Mecha Alkoranum ipsius dorso impositum adportare, indeque à populo circumfluente modo exquisitissimo undiquaque honorari. Quidam bestiæ crines evellere, tanquam sacratissimum depositum servantes; & alii eam amplexibus & osculatione devotâ demulcere, nonnulli sudorem detersum oculis suis, imò integræ faciei illinere, donec tandem bestia in partes dissecta religiosissimis, juxta plebeculæ opinionem, inter Turcas consumenda offerretur. *M. Iohann. Mair Biblico-Historica Christianismi Structura, part. I. pag. 1. Bartholomæus Georgevvitz de moribus Turcarum libello* scribit: Turcæ Machometi traditionibus & statutis præstant, ut non solum DEUM (quod nostris plerumque accidere solet) non blasphement, imo schedam quomodocunque scriptam in terra jacentem si repererint, erectam & sæpius deosculatam, in rimam aliquam parietis positam, obstruunt. Dicunt peccatum esse, si literæ quibus nomen DEI & lex Machometi describuntur, pedibus conculcentur. Et nemo audet Christiano, vel alterius fidei seu religionis homini vendere Alkoranum, aut alia eorum scripta, ne abjecta palpentur, vel immundis manibus contrectentur, alioquin

quiu capitis pœnâ plecterentur: quare hac in re nobis meliores dici possunt. *Thomas Erpenius notis ad Surat. Iosephi*, incredibile est dictu, quantum Alkorano virtutis, Majestatis & authoritatis adscribant, quantum ei honoris imò venerationis tribuant. Integri de præstantia ejus extant libri, quos sine risu homo Christianus non legat. Super omnes eum creaturas excellere, & proximum à DEO locum tenere prædicant. Qui irreverenter eum tractat, vitâ indignum, nec minus flagitiosum, quàm si ipsum contemneret DEUM. Hinc magnâ cum veneratione & reverentiâ eum accipiunt, & manibus deponunt, neque Christianum vel Judæum attingere eum permittunt; insidere autem ei est immane piaculum, Christianis etiam & Judæis capitale. Quin ipsis Mahumedanis nefas est, nisi benè mundi sint & loti, vel extremis digitis attingere, quâ de causâ ne impudenter peccent, corio ejus extinsecus majusculis literis inscribere solent: NE TANGAT EUM NISI MUNDUS. Quæ Arabum superstitio multos Christianos pudefacere potest, qui de Canonicis Scripturæ libris loquuntur indigne & impiè, ut majoris Saraceni æstiment nugamenta sua, quam ex Christianis non pauci sanctissimum Dei verbum.

§. IX. Denique tertiò hujus loci est OSCULUM SUBIECTIONIS. Illud ex mente nonnullorum dici potest tale, quo Creatura tremendam Creatoris Majestatem secum expendit, omnes suas excellentias præ eadem despicit, ad ejus sublimitatem se submittit, atque suum eidem defert obsequium. Hujuscemodi osculum volunt fuisse quod David requirit Psalmo II. v. 12. & plures interpretes misere torsit. Hebræus textus habet נַשְּׁקוּ־בַר *Osculamini filium.* Paraphrastes Chaldæus reddidit *kabilu ulpana*, *recipite doctrinam.* LXX. Interpretes δράξασθε παιδείας, *apprehendite disciplinam.* Syrus, osculamini filium. Æthiops cum vulgato Latino coincidit, *apprehendite disciplinam.* Arabs, *adhærete disciplinæ.* Quæ versiones ad Hebraicarum vocum significationem minimè quadrant. Neque enim נשק apprehendere significat, sed osculari & complecti, nec בַּר in toto veteri instrumento unquam pro disciplinâ sumitur, præterquam hoc loco, quantumvis sæpiùs ibidem

ibidem & apud LXX. Interpretes occurrat. Chaldæus, Græcus & Latinus videntur legiſſe pro נַשְּׁקוּ נִשְׁקוּ aſſequimini, (etſi hoc verbum non reperitur in Piel, ſed in Hiphil) ob literarum ש & שׂ, ק & כ ſimilem ſonum, & Bar accepiſſe in ſignificatione puritatis, atque ita interpretati eſſe doctrinam, ſeu diſciplinam, puram ſcilicet. Certum enim eſt, quod dictio בר æquivoca ſit, aliquandò *filium*, aliquandò *doctrinam*, nonnunquam triticum, ſive etiam purum, mundum, electum notet, quod jam à D. Hieronymo in Pammachio contra Rufinum obſervatum eſt. At verò nulla interpretatio magis hic quidem locum habere poteſt, quàm quæ Bar filium interpretatur, quia Pſalmus II. expreſsè de Meſſiâ loquitur. Vide *Euthymii Monachi Zigaboni commentationes in Pſalmos*, quas Philippus Saulus Epiſcopus Brugnatenſis è Græco Latinè tranſtulit. Et ne diſſimulem, quod ad præſens ſpectat, vix ac ne vix quidem oſculum Davidicum oſculis propriè ſic dictis accenſeri poteſt; nam ad oſculum propriè dictum requiritur, ut oſculans ore ſuo aliud quodcunque tandem attingat, cum ea quidem intentione, ut amorem aliumve affectum indicet: ſed in illo Davidico quid quæſo oſculantes ore attingunt? Nihil ergò eſt, quod animum meum avellere poſſit ab illa doctiorum interpretum ſententiâ, qui ſtatuunt Davidem ſub ipſo Meſſiâ, mentione oſculi hoc loco à Regibus & potentibus requirere id, quod ſubditi aliàs per libamina oſculorum deferre ſolent ſuperioribus, ſubjectionem nempe & cultum. Hinc illud comma B. Lutherus commodè reddidit: **Küſſet den Sohn/ oder huldet jhm/ gebt jhm gleiche Ehre mit dem Vatter.** Johan. V. v. 23. Conſonant interpretes Vinarienſes: **Erkennet jhn für einen einigen HErrn und Heyland/ liebet jhn innbrünſtig.**

§. X. Merito autem ſuo *Hugo Grotius*, Vir extra Scholam Theologicam incomparabilis, *Criticorum Sacrorum Tomo III. pag.* 3609. poſt Cornelium Janſenium in Paraphraſi Pſalm. p. 5. Johannem Calvinum & Conradum Pellicanum de Davide, ſed perperam exponens, à *D. Johanne Adamo Oſiandro* vapulat. Siſto verba ejus *ex Obſervationibus ad Grotii de Iure Belli & Pacis Lib. I. cap. II.*

Observat. I. super thesin. 7. Cùm verò dicatur osculamini filium, malè Grotius hoc exponit in Commentario, ac si David hoc voluisset, Vos alii vicini Reges interfectorum Regum exemplo territi, in tempore venite ad fœdus obsequiosum, beati omnes, qui fidei meæ se permittunt. Non enim hic agi de osculo Davidi inferendo ex dictis constat: Cum Psalmus agat de Messia, per filium hic intelligitur filius in æternitate genitus, ex quo superior eminentissimo creaturarum ordini ipsis angelicis spiritibus. Ebræor. I. v. 4. 5. Quamvis autem Psaltes referat hæc verba ad filium DEI consubstantialem, non tamen agunt illa directè de submissione ad fœdus obsequiosum, sed latriâ & cultu divino illi deferendo, ut partim vox ipsa docet, quæ ita usurpatur I. Regum XIX. v. 18. Partim usus & consuetudo illorum qui extra Ecclesiam, atque hoc modo Deastros suos venerabantur, quod Jobus indicat, dicendo cap. XXXI. v. 26. 27. Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem, clarum & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: quamvis enim sint, qui de lætâ fortunâ hoc accipiant, quam dum quis suæ industriæ tribuit, manum suam osculari dicitur, tanquam fontem tanti boni; & juxta Gregorium, qui laudat, quod facit, & testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operationis, manum suam osculari dicatur; nihilominus alii interpretes de protensione manus religiosâ è longinquo & osculo illius luce cœlesti perfusæ accipiunt, imò ipse Grotius de subreptione opinionis, quod Sol & Luna summi Dii, rerumque arbitri, animus adorandi quibus debeatur, partim interpretes Orthodoxi, inter quos Dn. D. Martinus Geierus hic omninò videndus. Huc usque Osiander. Sanctes Pagninus in Lexico Ebraico allegat verba Rabbi Aben-Ezræ: Servite Domino respectu Domini, osculamini filium respectu Messiæ. Osculari ergò hic loci est, Regi Christo scepttra sua submittere, ipsique servire.

§. XI. Nunc Commentatoribus textum pressiùs urgentibus paulisper aures præbeamus. *Petrus à Figueiro Lusitanus*, in Commentar. ad hunc locum sequentia annotat: נַשְּׁקוּ בַר juxta Hebræos tripliciter interpretari potest: Uno modo *osculamini*

filium,

filium, hoc eſt, oſculamini hunc filium, quem DEUS filium vocat, dicens: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ait autem oſculamini, quoniam mos eſt ſervorum & famulorum, ut oſculentur manum Domini. Secundo modo: *oſculamini purum*, id eſt, innocentem hoc ſenſu: quid vobis mecum eſt, qui purus ſum & innocens, ut inſurgatis adverſum me, & repugnetis mihi? Imò verò debetis me oſculari atque agnoſcere, & confiteri me Regem eſſe ex decreto Dei. Tertio modo: *oſculamini electum*. Sic Rabbi David, Rabbi Abraham hoc modo ſcribit: Ecce ſervite Domino, pro illo, adverſus Dominum. Et oſculamini filium, pro illo, adverſus Chriſtum ejus, de quo dixit, filius meus es tu. Eſt autem conſuetudo gentium, ponere manum ſub manu Regis, ut fratres Salomonis, ſervi autem ſub femore Dominorum. Vel etiam, ut oſculentur Regem, qui mos hodieque obſervatur apud Indos. Rabbi Menachem apud Rabbi Seloh verbũ נַשְּׁקוּ quod alii oſculamini interpretantur, reddit *deſiderate, adamate*, id eſt, חַמְּדוּ Et quoniam ejusmodi oſculatio, ſeu oſculum ſignum adorationis eſt, undè etiam Domini crucem oſculamur, ait D. Hieronymus in commentario, interpretari poſſe, adorate filium; apertamque eſſe de Chriſto Prophetiam, & ordinem Præcepti, adorate filium, ne forte iraſcatur Dominus, id eſt, Pater. Sic *D. Hieronymus*; Rectè autem de filio dixit, oſculamini filium, ut filium Dei etiam hominis filium ſignificaret. Nam inter eos qui unius ſunt naturæ oſculum propè intelligitur, quod ſingularis & præcipui amoris & charitatis indicium & ſignum eſt. Undè etiam ſponſa petit: oſculetur me de oſculis oris ſui. Vult igitur Pater, ut filium ſuum ſingulari & præcipuo amore & charitate complectamur, & honoremus & colamus. Et hoc inprimis admonentur Reges & Principes, qui majorem honorem acceperunt. Qui enim non honorificat filium, non honorificat Patrem, Johann. V. v. 23. Sic etiam non poteſt ſervire Domino, id eſt, Deo Patri, qui non oſculatur filium, id eſt, qui filium peculiari & præcipuo honore non honorat, cum æqualis ſit Patri, & ejusdem cum eo naturæ & ſubſtantiæ. Hæc ille. *Iohannes Viccars*, Anglus in Decaplis Pſalmorum, ſectione

IX. ait: Osculum hoc Subjectionis signum, sicut vulgariter loquuntur, BASCIO LE MANI DE VOSTRE SIGNORIA, Id est, ego sum servus tuus, Ital. Hispan. DAD OBEDIENTIA. Hanc expositionem roborat *Petrus Galatinus Libro III. de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. 6. ex Tehillim* scribens: Quid sonat illud osculamini filium? Simile est cuidam Regi, qui contra filios seu incolas civitatis indignatus est; Iverunt ergò cives & supplices facti Regis filio, petiverunt, ut sua intercessione Patrem sibi reconciliaret. Abiit filius & placavit subditis Patrem suum. Accesserunt postea cives Regem sibi reconciliatum, ut gratias agerent: quibus Rex dixit: mihine gratias agetis? quin abite potius & filio gratias agite, cujus intercessioni vitam & omnia vestra debetis. Nisi enim ille medius intervenisset, actum de vobis esset.

§. XII. Digna tandem est Megalandri nostri *Lutheri* Epicrisis super hunc locum, quæ ex *III. Tomo Operum Latinorum, fol. 136. facie secundâ*, huc transferatur, sequentibus verbis concepta: Ferè ab omnibus ista translatio reprobatur, apprehendite disciplinam, nam in Ebræo Nascu Bar, quod Hieronymus in Psalterio Hebraico transtulit, *adorate purè*, quia Bar etiam purum & electum significat. Idem in commentariolo sic dicit: in Hebræo legitur nascu bar, quod interpretari potest, *adorate filium*. Bar enim & filium significat. Undè Simon Bar Johanna, filius Johannis in Evangelio, & Bar Ptolomæus, filius Ptolomæi, Barnabas, filius Prophetæ, & similia. Burgensis & Lyranus sic: *osculamini filium*. Nusquam autem Bar dicitur disciplinam significare. Osculari autem interpretantur homagium præstare, ut sit sensus: osculamini filium, id est cum reverentia & humilitate Regem & Dominum Christum suscipite. Sed tentemus, utcunque omnia concordare. Osculum primò signum est reverentiæ & adorationis, quomodo sacra & divina osculamur & honoramus, aut humiliter prostrati *pedes & vestigia osculamur*, sicut MARIA MAGDALENA Christum osculata est; juxta hoc Hieronymus transtulit, *adorate purè*. Secundò est signum recognitionis & fidei præstandæ, ut in homagio, ubi *osculari solemus manum*, agnoscentes hoc ipso Dominum,

num, quem osculamur. Tertiò signum est perfectissimæ amicitiæ & charitatis, quo solemus *oculos aut faciem osculari*, de quo Apostolus præcipit Rom. XVI. Salutate invicem osculo sancto. Quo osculo legitur Christus suos discipulos revertentes excipere solitus. Verùm quandò hoc modo osculantes soleant mutuò se apprehendere & amplecti, nostra translatio habet, apprehendite disciplinam. Cum autem absolutè dicat, osculamini filium, non pedes, nec manum, nec faciem commemorans, justum est, ut pro tota latitudine osculi accipiamus, ut Christum osculo pedum adoremus, sicut filium DEI, verum DEUM, osculo manus accipiamus, sicut legitimum Dominum & sempiternum adjutorem & salvatorem. Osculo oculorum vel faciei amplectamur, sicut dulcissimum fratrem, amicum & Sponsum animæ nostræ. De iis tribus osculis vide Bernhardum in Principio Cantici, ut sit sensus: osculamini filium, hoc est, Christum DEUM colite summâ reverentia; Christo Domino subjecti estote summâ humilitate; Christo Sponso adhærete summâ charitate. Ecce amor & timor, utriusque modus, medium humilitas. Hæc perfectissima est latria. Jam aliud Bar, quod filium, purum, disciplinam translatum est, sic concinnemus. Quod fides Christi est verè disciplina nostra; ideò qui in Christum credit, (id est, filium osculatur) verè disciplinam apprehendit, portans crucifixum Christum in se ipso, (ut ad Galatas scribitur) Non enim Christus secundum carnem osculatur, aut apprehenditur, sed in spiritu, dum crux & passio ejus, quibus disciplinamur, Ebræorum XII. amanter suscipitur. *Ideò nostra translatio ad verbum nihil est, ad sensum autem propriissima.* Porrò purè adorare illud tangit, quod III. Regum cap. XIX. v. 18. scribitur, de adoratione impura Baal dicitur: Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoraverit eum; quod fortè quispiam Ebraista interpretatus glossavit, osculans manum, ut modum adorationis exprimeret, ac deinde in textum relatum est ab imperito scriptore. At in hunc sensum tamen Hiob XXXI. loquitur: Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio al-

 tissimi,

tisſimi, ut quæ id, quod DEI eſt, ſibi tribuat, ſeipſam in idolum Baal ſibi ſtatuens, ſeque adorans, ſe autorem faciens bonorum ſuorum. Nam Baal autorem ſeu Dominum ſignificat. Sic Oſeæ II. Opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Aſt hæc eſt adoratio impuriſſima. Quare Chriſtum oſculari, Chriſtum agnoſcere Salvatorem, & illius manum oſculari, hoc eſt verè & purè purum adorare, hoc filium adorare eſt. Si filius (inquit) vos liberaverit, veri liberi eritis, Johannis VIII. Concludamus itaque vult Propheta, ut ſerviant Chriſto in timore, ſe peccatores agnoſcant, & ſemper accuſent, ſolum DEUM juſtificent in Chriſto. Sed cum ei poſſint occurrere & prætendere, ſe legem ſervâſſe, nec Chriſto ad Juſtitiam opus ſibi eſſe: huic præſumtioni peſſimæ occurrens dicit: nolite exiſtimare vos eſſe juſtos, exinanite hanc opinionem Idololatricam, ne vos DEO æquetis, nolite fidere in Juſtitiis veſtris, imò filium oſculamini, filium amplectimini, illius Juſtitia, illius Salus vos ſervabit. Hactenus Lutherus.

§. XIII. Hebraicam verſionem defendunt Auguſtinus Steuchus, Eugubinus, Tomo II. Operum, fol. 12. facie 2. Auguſtinus Marloratus in expoſitione Eccleſiaſtica Pſalmorum, pag. 9. Bellarminus Libro I. de Chriſto, cap. V. Matthias Bredembach, comment. in Pſalm. pag. 15. Johannes Brentius, Tomo III. Operum, pag. 205. Johannes Bugenhagius, in Pſalm. pag. 2. Thomas de Vio Cajetanus in Enarrat. Pſalm. fol. 4. facie 2. Gilbertus Genebrardus in Pſalm. p. 7. edit. Pariſ. in folio. Salomon Geſnerus in Pſalm. p. 25. D. Hoe conc. ſuper Pſalm. II. ſeptimâ, pag. 245. Johann Baptiſta Folengius, Commentar. in Pſalm. fol. 6. Petrus Lombardus, Comment. in Pſalm. pag. 4. Johann. Lorinus, Tomo I. in Pſalm. pag. 49. ſeq. Wolfgangus Muſculus, explanat. in Pſalm. 26. Sebaſtian Munſterus, Arias Montanus, Franciſcus Vatablus, Johann. Druſius ad difficil. loca Geneſ. cap. CXIIX. Lib. II. Obſervat. c. XVI. & Centur. I. Miſcellan. cap. 60. Simeon de Muis, Profeſſor Regius Pariſienſis, in Commentar. ſuper Pſalm. pag. 12. Andreas Rivetus, in Pſalm. II. Tomo II. Operum, pag. 28. Alphonſus Salmeron, Tomo I. Oper. pag. 300 fac. 2. B. Glasſius,

Glassius, Philologiæ sacræ Lib. II, part. I. Tract. 2, Sect. 2. p. 273. Rhetoric. Sacr. cap. VII. pag. 1137. Balthasar Meisnerus, Philosophiæ Sobriæ part. II. pag. 95. Johannes Trapp, Anglus, in Exposition. Psalm. p. m. 568. Bartholomæus Westhemer, in Explicat. Psalm. p. 27. Ægidius Hunnius, Tomo II. Oper. Latin. in Anti-Pareo altero, pag. 839. seqq. Lyranus & Estius in Bibliis maximis Johannis de la Haye, Tomo VI. pag. 12. Johannes Gerhardus, Locor. Theologic. Tomo VI. cap. 5. Sect. 5. membro I. §. 166.

DISSERTATIO V.

De QUIBUSDAM OSCULIS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIA.

I. Vox Ecclesiæ variis significatis gaudet. Laus Marsilii Patavini. II. Osculum Pacis apud Pontificios. Origo ejus ex Antiquitate demonstrata. III. Usitatum est in Ecclesia Græcâ & Latinâ tempore Communionis. Danda & accipiendæ Pacis inter Græcos norma. Lavatio præcedens osculum. IV. Liturgia quid. Usus vocis apud Græcos & Latinos Patres. Chrysostomi Liturgia suspecta. Ambrosianæ auctor. Offertorium quid. Catechumeni quinam. Olim ab Ecclesia expulsi. Catechumenatus tempus variè immutatum. V. Ritus diversi Latinorum & Orientalium Christianorum circa osculum Pacis. Missa Mozarabum Autor. Usus ejus in Hispanicis Ecclesiis. Liturgia Jacobi valdè interpolata. Maronitarum ritus. Missale Gallicum & Italicum. VI. Osculum altari fixum ejusque significatio. VII. Formatio Signi crucis super altare. Ritus in osculatione altaris differentes. VIII. Altare typus Christi. Osculum sine crucis signo. Præparatio altaris apud Andegavenses in die Pascha. Pluviale sive Cappa idem. IX. Patena alia Chrisma-

Chrismalis, alia Ministerialis, osculis honoratur. Canon Ecclesiasticus quid? Planeta sive Casula vestis Sacerdotalis. Significatio osculi Patenæ. Signatio cum Patena quid notet? Osculum calici & aliis Vasis ad Missæ celebrationem spectantibus offertur. Ritus de Patenâ olim populo ad osculum porrectâ probitus. Manus missam celebrantis osculo culta. X. Sacri & præprimis Evangelici Codices elegantissimè exornati ac osculis excepti. Significationes osculi hic adhibiti. Non omnibus licet Evangeliorum librum osculari. XI. Curopalata quid. Ritus Ecclesiæ Græcaniæ in Dominica magna Paschali circa Libri Evangeliorum osculationem. Reciproca oscula apud Græcos, Ruthenos & Turcas in festo Paschali. Troparium. XII. Codex Missalis & Evangelicus inter Latinos nemini Laicorum offertur osculandus. Dignitas Episcopalis expressa. XIII. Oscula mutua inter Clericos tempore Communionis. De osculo summo Pontifici ab inferioribus oblato remissivè. XIV. Modus sumendi hostiam summo Pontifici observatus. Calamus sive tubulus Ecclesiasticus. Ritus in Perceptione Eucharistiæ summi Pontificis apud Græcos usitati. Osculum manus & genæ quid notet? Osculum humeri apud Latinos Pontifices. XV. Interpretatio omnium osculorum in actu communionis Synoptica. XVI. Concilium quid, & quotuplex. Ordo celebrandi & finiendi cum osculo. XVII. Osculum initiativum cujuslibet Sacerdotis inter Græcos atque Latinos, ejusque significatio ac Origo. XVIII. Illud quoque Coptitis usitatum. Coptitæ Christiani in Ægypto, della Cintura Italis dicti, & quare. XIX. Ordinatio Metropolitæ Græci. Chartophylacis eminens dignitas. Chartophylacium. Aquila in templis. Nicephori Historia Ecclesiastica non adeò certa. XX. Significatio osculi initiativi ulterior. Osculum genu & genæ Patriarchæ impressum quid notet? De Phrasi Genesis L. Cap. Nati in genibus, vel super genua. Exorata cæli. XXI. Sacerdotum manibus oscula reverentiæ causa libata.

§. I. INter multa oscula, quædam, ut ab aliis separentur, jure quodam speciali vocari queunt Ecclesiastica; quia scilicet usurpantur (I) in templis. (II) à ministerio Ecclesiastico quocunque. (III) etiam Ecclesiæ Metropolitanæ, (IV) à Pontificibus & Car-

& Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, (V) in communitate fidelium sive universali, sive particulari, quin & domesticâ. Tot enim significata nomen Ecclesiæ omisso gentilium & civili usu involvit, uti verba *Marsilii Patavini* ex defensore Pacis, pro Ludovico Imperatore contra Papam Johannem XXII. *parte II. cap.* 2. indicant. Apud Latinos, *inquit*, vocabulum hoc secundum vulgarem & famosam appellationem in unâ sui significatione importat templum seu domum, in qua Deus communiter à fidelibus colitur & frequentiùs adoratur. In alia vero significatione importat hoc nomen Ecclesiæ ministros illos Presbyteros seu Episcopos atque Diaconos & reliquos, qui ministrant & præsunt in metropolitana, seu principali omnium Ecclesiarum, quemadmodum hoc Ecclesia Romanæ Urbis dudum obtinuit, cujus ministri & Præsidentes sunt Papa Romanus & Cardinales ipsius, qui jam ex usu quodam obtinuerunt dici Ecclesia, & Ecclesiam aliquid egisse, aut recepisse, cum iidem aliquid egerint, aut receperint, vel aliter, qualiter ordinaverint. Rursum secundùm aliam significationem dicitur hoc nomen Ecclesiæ & omnium verissimè & propriissimè secundùm primam impositionem hujus nominis, seu intentionem primorum imponentium, licet non ita famosè secundum modernum usum, & de Universitate fidelium credentium & invocantium nomen Christi, & de hujus Universitatis partibus omnibus in quacunque communitate etiam domesticâ. Et hæc fuit impositio prima hujus dictionis, & consuetus usus ejus apud Apostolos & in Ecclesia primitivâ. Hæc Marsilius circa Annum MCCCXXIV. Vir in tenebris admodum perspicax, libro citato, quo nullum scriptum contra Papam ex veteribus præstantius exstat, sive eruditionem, sive copiam & libertatem spectes. Proinde memoriam autoris ejusque Scripta damnavit Johannes 22. in suo extra Justitiam vagante, & in Indicem Expurgatorium iniqui Censores retulerunt, juxta *Catalogum testium Veritatis* Lib. XVIII. p. m. 1759. Edit. in fol. Anno MDCIIX. & *Ludovicum Molinam* de Justitia & Jure, Tomo II. Disput. XXXI. n. 3. Prima acceptio Ecclesiæ pervulgatis hodie est, nec tamen æq; antiqua

atque Christianorum nomen & religio, aut eorum conventus. In hoc significatu istud vocabulum usurpaverat *Eusebius* Pelusiotarum Antistes, sed *acriter* reprehenditur propterea ab *Isidoro* circa Annum Christi CCCCXL. distinguente inter ἐκκλησίαν & ἐκκλησιαστήριον. Ut enim aliud est, *inquit*, sacrificium, aliud altare, aliud thymiamatis locus θυμιατήριον, aliud thymiama, aliud βουλευτήριον, senaculum, aliud Senatus; (illud enim locum in quo coëunt, significat, hoc autem viros eos, qui consilium ineunt, ad quos & periculum & Salus pertinet:) eodem modô de templo & Ecclesia statuendum &c. *Lib. II. Epistola* 246. Hinc constat, illo ævo minus receptam fuisse in Ecclesiâ orientali, istam vocabuli Ecclesiæ acceptionem. Fortè tamen in Ecclesiâ Occidentali ista significatio facilius admissa est, uti ostendunt verba *Augustini* Hipponensis Episcopi, *Epistola CLVII.* Sicut appellamus Ecclesiam Basilicam, qua continetur populus, qui verè appellatur Ecclesia, ut nomine Ecclesiæ, id est populi, qui continetur, significemus locum, qui continet: ita quod animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt. Exinde utrumque significatum combinat *Amalarius Fortunatus de Eccles. Offic. Lib. III. cap.* 2. Ecclesia, *inquit*, est convocatus populus per ministros Ecclesiæ ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Ipsa domus vocatur Ecclasia, quia Ecclesiam continet. Ipsa vocatur κυριακή, quia est Dominicalis. Secunda rejicienda non est, dum ne excludatur populus, & ex eo Ecclesiam constitui non negetur. Sic enim partem nomine totius venire nihil vetat. Et sic *Tertullianus de exhortat. Castitat. cap. VII.* postquam fecisset mentionem ordinis Ecclesiastici, quo nomine Sacerdotes intellectos voluit, subjungit: *Sed ubi tres, Ecclesia est, licet Laici.* Tertia rarior est, nec aliàs fortè usitata, nisi inter Episcopos & Presbyteros unius provinciæ. Quarta significatio tolerari posset, si Romana Ecclesia admitteret juxta se sorores, sive Ecclesias alias pari secum gradu, nec ipsa Primatum & tyrannidem in reliquas omnes affectaret. Quinta denique acceptio vulgaris est, & in Scripturâ frequens, cum cœtus particulares omnes sint partes homogeneæ Ec-

clesiæ

clesiæ Universalis, ut adeò etiam habeant commune nomen. Vid. Matth. XVI. v. 18. Ephes. I. v. 22. 23. Coloss. IV. v. 15. 16.

§. II. Nunc ad oscula hujus loci properandum. In illorum autem ordine principem facilè locum Pontificiorum OSCULO PACIS, ut vocant, concedimus. Nimirum asservatur ab iis religiosè agnellus ex auro, argento, aliave materia viliori confectus, quem post sua peracta sacra populo deosculandum exhibent. *Gabriel Biel in Can. Miss.* Lect. LXXXI. tradit, idem quoque tabula Christi imagine signata aut sanctorum reliquias continente, quæ ipsis PAX dicitur, peragi. Et hunc actum appellant PACEM OSCULARI; ubi citra pulveris jactum assequi licebit, unde ista denominatio descendat. Quia scilicet instituitur hæc ceremonia post impertitam populo à Sacerdote PACEM. Et sanè osculum illud antiquissimum esse, vel inde apparet, quod apud S. Ecclesiæ Patres illius crebra mentio injicitur. Quandò autem primò institutum & sancitum sit, non usque adeò inter Scriptores convenit. Quidam Innocentio primo Romanæ Ecclesiæ Præsuli id tribuunt, qui juxta Chronicon *Sigeberti Gemblacensis* post N. C. Anno CCCCIV. floruit; quandoquidem in Epistolâ Decretali XXIX. ad *Decentium Episcopum Eugubinum* scribit: Ante confecta Mysteria (PACEM) populis vel sibi inter se Sa-" cerdotes tradunt, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax" sit necessariò indicenda, per quam constat, populum ad omnia," quæ in Mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præ-" buisse consensum, & finita esse PACIS Signaculo concludentis" demonstrentur. Conferatur *Amalarius Fortunatus, Episcopus" Trevirensis, Tomo IX. Bibliotheca Patrum, parte I. Lib. III. de Offic. Eccles. cap. XXXII. pag. 359. Carolus Magnus Libro I. Capitularis apud Ansegisum, c. LIII. In Decretal. Innocentii Papa*, ut PAX detur ab omnibus confectis Christi Sacramentis, in Codice Legum Antiquarum à *Friderico Lindenbrogio* edito, pag. 837. *Johannes Bertachinus Firmanus in Repertorio, Parte III. p.* 487. *Enitionis Venetæ in quarto. Magister Petrus de Bergomo*, in Tabulâ aureâ super omnia *D. Thomæ* opera, fol. 197. facie 2. Edit. Antverp. in

fol. Anno MDCXII. *Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis, cap.* „*XXII. Tom. IX. Bibliotheca Patrum parte I. pag.* 961. PACEM, in„quit, ante communionem dari, Innocentius Papa decretis suis „instituit, ut quod in oratione Sancta sub sponsione remissionis „præmittimus, pacatos nos ipso opere demonstremus. Idem confirmat *Micrologus, de Ecclesiast. Observat. cap.* XIIX. *Tomo* XI. *Bb. Pp. pag.* 383. *Et Radulphus Tungrensis de Can. Observantiâ, Propos. ultimâ, Tom. XI. Bb. Pp. pag.* 456. Alii iterum Leoni II. Pontifici adscribunt, (qui circa finem seculi VII. sedit, secundum *Onufrii Panvinii Chronicon* Pontificum,) cum *Platinâ* in vita Leonis, p. m. 77. Verùm longè ante prædictos Præsules ritum hunc viguisse, luculenter patet, ex iis quæ alibi legimus. Ex traditione Apostolorum, inquit, *Florus Magister in Expositione Missæ, Tom. IX. Bb. Pp. parte II. pag.* 304. hoc servat Ecclesia, cui frequenter ab Apostolis dicitur; *salutate invicem in osculo sancto*, id est, pacifico, vero, columbino, non ficto, non subdolo. Illi ergò osculo sancto salutant invicem, qui non diligunt verbo, nec lingua, sed opere & veritate. Gemina his apud *Albinum Flaccum Alcuinum, de Celebratione Missæ cap. XL.* & *D. Remigium Antissiodorensem Tomo* IX. *Bb. Pp. parte* 2. *p.* 548. inveniuntur.

§. III. In divina Missâ sive Liturgia (a) (idest publicarum precum solenni formulâ) *Chrysostomi* legitur: Diaconus osculatur stolam, & ter adorat, & exclamando subjungit ἀγαπήσω μὲν ἀλλήλους. Super quæ verba Jacobus *Goar in Euchologio Græcorum* eruditissimis Notis illustrato *pag.* 134. sequentia exhibeti. Verbis ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους clarè prolatis & osculo, PACIS tesserá dato charitas commendatur. His tribus populum sibi subditum ad sacra dona dignè per consecrationem offerenda, disponit Ecclesia, de quibus eruditè & appositè *Cabasilas* cap. XXV. ὁ ἱερεὺς ἔτι ἑαυτὸν εὐτρεπίζει, καὶ δι᾽ εὐχῆν καθαίρει, καὶ πρὸς τὴν ἱερουργίαν παρασκευάζει, καὶ διατίθησι πρὸς τὴν χάριν εὐχῇ, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους ἀγάπῃ καὶ τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως. H. e. *Adhuc seipsum præparat Sacerdos, & precibus purgat, & ad sacrificium accingitur, & ad gratiam oratione & mutua dilectione, & confessione fidei disponitur.* Ecclesia quidem Latina in communionis

usque

usque instantem horam osculum PACIS signum remittebat quondam, cujus testis est *Augustinus Sermone* LXXX. *de diversis*; Liturgia *Ambrosiii* apud *Pamelium* & *Tertullianum lib. de Oratione.* Evangelio tamen lecto in quibusdam privatis Ecclesiis confestim datum, conjicere licet, tum ex allato Ambrosianæ Missæ ritu, (b) in quo lecta post Evangelium Antiphonâ (c) Sacerdos populo dicit: PACEM habete: Respondetque ille: ad te, Domine; Tum ex Innecentii I. Epistola ad *Decentium* quâ scribitur: PACEM modò asseris ante confecta Mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter se Sacerdotes tradere, cum post omnia quæ aperire non debeo, PAX sit necessariò indicenda &c. Tum denique ex *Isidoro Lib. I. de officiis Ecclesiasticis, cap. XV.* In quo inter Orationes quinque consecrationi præmittendas quartam annotat pro PACE conciliandâ dici, cui propterea titulum OSCULUM PACIS præfigit. Græcos autem, quos & Armeni teste *Cassandro* imitantur, à primævis temporibus osculum hoc sanctum longè ante consecrationem præmisisse, docet *Dionysius de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, cap. III.* Coopertus, *inquit*, quidem panis divinus proponitur, & benedictionis Calix: Sacrum verò osculum sancto modo celebratur. Docet & *Clemens Romanus*, apud quem *lib. VIII. Constitution. Apostolicon. Apostolicarum cap. XV.* Diaconus ante Præfationem edicit, ut omnes se invicem salutent OSCULO SANCTO, & Clerici Episcopum, & viri Laici Laicos, & mulieres salutent mulieres. (d) Idem quoque sancit *Leodicanum* sub Sylvestro *Concilium*, quo plura etiam ad hunc Liturgiæ locum spectantia, prolixiusque propterea referenda præscribuntur. Seorsum primum post conciones Episcoporum (lecto Evangelio ad Populum) habitas Catechumenorum orationem perfici convenit; & postquam exierint Catechumeni, (e) eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: Et cum ii sub manum accesserint & recesserint, fidelium preces ter fieri. (Tres autem illæ Orationes, ad quarum normã suas composuerũt, vel quas fortè retinuerũt Basili⁹ & Chrysostom⁹, sunt Εὐχὴ τῶν πιστῶν ἐυχαριστοῦμέν σοι &c. f. 70. ἐυχὴ τῶν πιστῶν δευτέρα, πάλιν, καὶ πολλάκις.

fol. 71. Et εὐχὴ προσκομιδῆς Κύριε παντοκράτωρ. fol. 74. Oratio namque τοῦ χερουβικοῦ recentior eſt à Juſtini temporibus Liturgiæ inſerta:) unam ſiquidem primò ſilentio, ſecundam autem & tertiam elatâ voce compleri. (Nunc autem ſingulæ μυστικῶς ſunt pronunciandæ.) Deinde PACEM dari, & ſic Sanctam oblationem perficiant. Dandæ autem & accipiendæ PACIS norma hæc eſt; Sacerdotes ordine ſigillatim in ſancta dona quà poſſunt, proximè inclinant, velumque oſculantur & dicunt: ἅγιος ὁ Θεός. Tum corpore paulùm ſemoto: ἅγιος ἰσχυρὸς, inquiunt, modicèque amplius retroacti, ἅγιος ἀθάνατος verſus altaris labra proferunt: tuncque Epiſcopi vel primi ſacerdotis celebrantis manum genamque oſculantur, his verbis additis: ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ ἡμῶν. *Deus eſt in medio noſtrûm*, quibus ille ſigillatim reſpondet: καὶ ἔστι, καὶ ἔσται. *Et eſt, & amplius ſit.* Non lubens autem omiſerim, quod ſolerter hic tangit *Theſſalonicenſis*, & amplè *Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi Myſtagogicâ quintâ* explicat, ante oſculum nimirum ſecundò Pontificem & Sacerdotes ipſi adſtantes lavari: Ἑωράκατε τὸν Διάκονον τὸν νίψασθαι διδόντα τῷ ἱερεῖ, καὶ τοῖς κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον πρεσβυτέροις, *Vidiſtis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti & Presbyteris altare circumſtantibus:* cujus lotionis myſticâ ratione productâ, tum quibus verbis OSCULUM PACIS in ſua Eccleſia juberetur, ſubdit: Εἶτα βοᾷ ὁ Διάκονος: ἀλλήλους ἀπολάβετε, καὶ ἀλλήλους ἀσπαζώμεθα, *Deinde clamat Diaconus: ſuſcipite invicem, & invicem oſculemur.* Hactenus Goar. Conſona his lege apud *Guilielmum Durandum, Rationali divin. Officior. Lib. IV. cap. LIII. & Amalarium Fortunatum, Tomo IX. Bb. Pp. Lib. III. de Eccleſiaſt. Offic. cap. XXXII.*

§. IV. Exegeſis locô quæ præcedentem numerum illuſtrent, addo ſequentia: (a) Liturgia, hoc eſt publicum munus, alio nomine MISSA. Ideoque non ſemper ſignificat MISSA ſacrificium, quare in cap. XII. *Concilii Sardicenſis* habetur: In Eccleſia ne alienus à communione videatur, conveniat, & officia divina obeat. Ita in nupera editione Romana. Græca tamen editio λειτουργεῖν habet, ubi *Zonaras* ſic notavit: Liturgiæ porrò nomine hoc loco, non ſacrorum celebritatem, incruentique ſacrificii obla-

oblationes, sed statas preces & hymnos, qui solenni more DEO concinuntur, intelligi oportet. Quandò vero Patres Græci vocabulo Liturgiæ in significatione Missæ usi sunt, semper ut plurimũ cum adjuncto μυστικῆς aut ἱερᾶς, id est mystica aut sacra, usi sunt. Sic *Theodoret. in Cap. VIII. Epist. ad Hebr.* inquit: *Cur novi Testamenti Sacerdotes Mysticam Liturgiam, seu sacrificium peragunt &c.* Et *Eusebius Cæsareensis: Divinis caremoniis & Mystica Liturgia sanctarumque precationum societate perfrui, Lib. IV. de vitâ Constantini cap. LXXI.* dixerat: quod etiam in *canone* XXXII. *Trullano* observatur, licet penes Patres Latinos per liturgiam Missæ sacrificium absolutè intelligatur, ut *Ambrosii Epist.* XXXIII. *ad Marcellam sororem. Augustin. Serm. CCLI. de Tempore. Alexandr. Epist. I. cap. 4. Damasus in Pontifical. Leo Papa I. Epist.* LXXXI. *cap. 2. Ennod. de Synod. atque Concil. Milevit. cap. XII. Agathense cap.* XXI. *Romanum sub Symmacho in fine.* Vid. *Dominici Macri Melitensis Hierolexicon* pag. 356. *Edit. Romana in fol. Anno MDCLXXVII. Johann. Bona Lib. I. Rer. Liturgicar. Cap. III.* Cæterum Missa Chrysostomi ab Erasmo Roterodamo (ut ajunt) in gratiam Episcopi Roffensis versa, quæ & Antverpiæ excusa est Anno MDLX. juxta Versionem *Leonis Tusci*, & edita per Claudium de Sainctes, valde suspecta est. *Henricus Savilius* sic de illa pronunciavit: Miram esse in Scriptis codicibus inconstantiam, nihil ferè simile habare versionem Erasmi, & editionem Morellianam, multa passim in operibus Chrysostomi ex Liturgia, quâ tum utebatur Ecclesia Orientalis, recitari, quæ hic non reperiantur, multa hic reperiri, quæ vix illorum temporum esse videantur. Confer *Roberti Coci Censuram quorundam Scriptorum Veterum p. m.* 177. *Andreæ Riveti Critic. Sacr. Lib. IV. cap. III.* (b) Officium AMBROSIANUM quo Ecclesia Mediolanensis utitur, non à *D. Ambrosio*, sicut aliqui dixerunt institutum fuit, sed à *S. Barnabâ* Apostolo, ejusdem Ecclesiæ fundatore, ac deinde confirmatum fuit regulis, ritibusque psallendi à *D. Mirocle* ejusdem Cathedræ Archiepiscopo, appellatumque fuerat Ambrosianum, quia Doctor ille Ecclesiæ illud ultimo appro-

approbaverat. Vid. *Josephus Vice-Comes Lib. II. de Ritu Missæ cap. XII. Bona Rer. Liturgic. Lib. I. cap. X.* (c) Offertorium nunc vocamus, quia antiquo more Populus interim sua dona offerebat. Nomine autem offertorii, sive offerendæ, ut *Amalarius* & alii veteres loquebantur, ea omnia comprehenduntur, quæ à Sacerdote & Ministris fiunt & recitantur à præmissa salutatione, usque ad secretæ orationis conclusionem, cum excelsa voce Sacerdos intonat, Per omnia secula seculorum. Idem *Bona Lib. II. Liturgic. cap. VIII.* Fuerunt hæ Antiphonæ compositæ sive ordinatæ à D. Gregorio; alii à Cœlestino, ac alii ab Eutychiano Pontificibus putant. *Macer in Hierolexico p.* 415 & 41. (d) Judicium de Constitutionibus quæ Apostolorum nomen vulgò sed gratis gerunt, exhibui *Lib. III. Bibliothecæ Anglorum cap.* XIX. *p.* 503. (e) Catechumeni in veteri Ecclesia dicebantur qui Baptismum postulabant, quasi auditores verbi Dei. *Isidorus Lib. II. de Offic. Ecclesiast. cap.* XXI. Qui auditores duplicis generis erant, & alii propriè *Catechumeni* vocabantur, qui nempe in rebus fidei instruebantur, alii erant *Competentes*, qui instanter petebant Baptismum. *Augustinus Serm. CXVI de tempore.* Competentes non possunt aliud intelligi, nisi simul petentes. *Catechumeni* compellebantur ab Ecclesiâ exire statim, ac peracto Evangelio. *Competentes* verò discedebant immediatè ante consecrationem, dum pro ipsis aliquantulum à fidelibus preces funderentur. Duo sunt ordines Catechumenorum, hi enim nuper accesserunt, & ut imperfectiores post Scripturarum & Evangeliorum auditionem exeunt. Illi verò jam pridem accesserunt, & perfectiores facti sunt, ut & orationem quæ fit super Catechumenos, expectantes, in ea genua flectunt. Quando autem pronunciatum fuerit: Catechumeni procedite, tunc & ipsi exeunt. *Synod. NeoCæsar. can. V.* Qui canon exactè à Græcis observatur in eorum missâ. Itaque clare colligitur, quod expulsio Catechumenorum ab Ecclesia per Diaconum facta, de competentibus intelligenda sit, super quos oratio dicta fuerat. Eandem Ceremoniam Latina Ecclesia observabat: Tempore enim quo Sacerdos incipit consecrare corpus Dominicum, dicendum est à Diaco-

Diacono post Evangelium, si quis Catechumenus est, procedat forás. *Alcuin. de Divin. Offic.* Tempus Catechumenatus antiquitus trimestre erat. *S. Clemens Epist. III.* Sed postea ad quadraginta dierum spatium redactum fuit. Qui baptisandi sunt supra quadraginta dies, publicè iis tradamus sanctam & adorandam Trinitatem. *Hieron. Epist. ad Pamach.* Aliquandò tamen per multos annos prorogabatur, ut Magno Constantino factum fuerat. Quem abusum quidem ab eruditissimis Ambrosii, Basilii, atque Nazianzeni scriptis extirpatum fuisse, *Baronius* Anno CCCLXXVII. Judæi ad fidem conversi, per octo menses inter Catechumenos detinebantur. *Can. Judæi. de Consecrat. dist. IV. Macer in Hierolexico, p. 134.*

§. V. Quandò juxta ordinem Romanum populus in Ecclesia dat oblationes suas, id est, panem & vinum, mox Pontifex salutat altare, ipsum videlicet osculando, & suscipit oblatas de manibus Presbyterorum & Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Ante communionem tres Orationes Romano ritu præmitti solent, non ex antiqua summorum Pontificum institutione, sed ex religiosorum traditione, ut ait *Micrologus cap. XVIII.* Prima est, qua Sacerdos PACEM precatur Ecclesiæ, postquam sequitur OSCULUM PACIS, quo ipse ministros, tum illi, omnesque fideles se invicem salutant, in signum unionis & mutuæ charitatis. Apostolicum institutum hoc est, ut per solennia pacis sacrificii consummatio fiat. Et Romani quidem atq; Ambrosiani hoc loco, Græci autem & alii Orientales, itemq; MOZARABES, (id est Hispani, quia cum Arabes Hispaniam penè omnem occupâssent, Christiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo MOZARABES, id est, mixti cum Arabibus dicti sunt, quemadmodum Hispanicarum rerum Scriptores uno ore declarant: MOZARABICUS ritus sacer qui & Gothicus dicitur à D. Isidoro Hispalensi Archiepiscopo institutus, cujus Observantia à Concilio Toletano IV. Universæ Hispaniæ commendatus fuit; sed cum esset multis erroribus per introductionem dominantium Barbarorum depravatus, jussu Gregorii VII. regnante Alphonso VI. dimissus fuerat, ut ex *epistolis LXIV. & LXXXIII. Lib. I.*

Præfati Pontificis ad eundem Regem datis liquet. Tandem tempore Francisci Ximenez Toletani Archiepiscopi Missale ac Breviarium, juxta Catholicos sensus correcta sunt, ac Latinis Characteribus impressa, & instituti sunt aliqui Sacerdotes, qui tenerentur juxta Mozarabicum ritum ministrare; & in præsenti in quinque Toletanæ diœcesis Parochialibus Ecclesiis observatur, ac etiam in Capella ab eodem Archiepiscopo erecta fit idem: Idem in Capella Doctoris Talabricensis Salmanticensis diœcesis. Vid. *Alvarus Gomezius Lib. II. de rebus gestis Ximenii.*) ante Præfationem dant osculum PACIS, diverso ritu, sed eadem fide & religione, ut ostendant se omnes in Christo unum esse, eosque duntaxat divinorum munerum participatione dignos censeri, qui pacem fratribus verbo & opere impendunt. In Liturgia Jacobi, (à posterioribus ita locupletata, ut non sit facile dijudicare, quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habeat autorem, juxta *Bellarmin Lib. de Script. Eccles. de S. Apostolo Jacobo*:) post Symboli recitationem porrigitur osculum præmonente Diacono, *osculemur nos in osculo Sancto.* In Liturgia Chrysostomi ante Symbolum ait Diaconus: *diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur Patrem, filium & Spiritum Sanctum.* Apud Maronitas, qui sub Antiocheno Patriarcha in monte Libano degunt, Sacerdos ante Præfationem dat pacem altari & Mysteriis dicens: PAX TECUM ALTARE DEI, ET PAX MYSTERIIS SANCTIS POSITIS SUPER TE. Et dat PACEM ministro, dicens: PAX *tibi Minister Spiritus Sancti*. Minister dicit: *Veni in PACE, Pater noster, Sacerdos candide.* Et dant pacem in Ecclesia. MOZARABES in singulis MISSIS proprias habent orationes pro OSCULO PACIS, quibus breviter à DEO petunt, ut oscula fidelia sint, & pax sincera, ut per exterius hominis osculum indisrupta maneat interioris hominis pax; ut pacem, quam ore annunciant, opere impleant; ut una dilectionis copula jungat, quos unius fidei sacramenta locupletant. Ita enim in MISSA MOZARABICA jussu Francisci Ximenii Archiepiscop. Tolet. recusa apud *Bonam Rer. Liturg. Lib. I. cap. XI. p. m. 367. Oper. in quarto Edit. Antverp. Anno MDCLXXVII.*

Tum

Tum legit Sacerdos aliam Orationem, quæ vocatur *ad Pacem*, & sic concluditur: *Quia tu es vera pax nostra & charitas indis-" rupta, vivis tecum, & regnas cum Spiritu Sancto unus DEUS in se-" cula seculorum Amen.* Subjungit Sacerdos elevans manus: *Gra-" tia DEI Patris omnipotentis, Pax ac dilectio Domini nostri JESU" Christi, & communicatio Spiritus Sancti sit semper cum omnibus vo-" bis.* Respondetur: *& cum hominibus bonæ voluntatis.* Dein " dedicit: *quomodo astatis, pacem facite.* Respondet Chorus: *Pa-cem meam da vobis, pacem meam commendo vobis, non sicut mundus dat, pacem do vobis.* Quibus cum versiculo, *Gloria & honor Patri*, repetitis, ait Sacerdos: *habete osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacro-sanctis mysteriis DEI*: & statim dat Pacem Diacono vel Ministro, & ille populo. Similes habentur precationes in Missali Gallicano, orat enim Sacerdos in Missâ Epiphaniæ, ut osculum quod in labiis datur, non negetur in cordibus. In Missa S. Clementi suppositâ teste Photio Cod. CXII. hæc habentur: Ut qui" in præsenti labiorum impressione illigati fuerint osculo, DEI cu-" stodia pacifici permaneant in futuro. In Cathedra S. Petri: ut qui" ex præcepto junguntur osculo, livore pectoris excluso, illuc per" gratiam ducantur, ubi est Petrus janitor cœli. *Ritu Ambrosiano*" dicit Diaconus: *offerte vobis pacem.* Chorus autem respondet:" *Deo gratias.* Et præmissa Oratione: *Domine Jesu Christe, qui di-" xisti Apostolis tuis*, prout in Romano, datur Pax. In quibusdam" Missalibus MS. Diaconus ait: *Habete vinculum charitatis & pacis," ut apti sitis Sacro sanctis Mysteriis.* Et circumstantes se invicem" osculantes dicunt: Pax *Christi abundet in cordibus nostris.* In aliis" sunt orationes peculiares, quibus Sacerdos, dum se populus in-" vicem osculatur, Deum rogat, ut omnes pacificare dignetur. *Bo-" na Lib. II. Liturg. cap.* XVI.

§. VI. Præterea in celebratione Missæ, altari, Patenæ, libro Evangeliorum, sibique Clerici invicem varia oscula impertiunt. De Osculatione Altaris *Guilielmus Durandus in Rationali divinor. officior. Lib. IV. cap. III. num. 5. p. m. 160.* scribit: Sacerdos in missa ter osculatur altare, videlicet in Principio Canonis,

dicens, *uti accepta &c.* Et in Oratione; *Supplices.* & post Orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis.* Licet quidam novies osculentur, ut sui adjutorium ad hoc impetrandum novem Choros vel ordines Angelorum, in quibus omnes sancti locati vel locandi sunt, invocent, vel indicant. Vel hoc faciunt, quasi gratias agentes novem ordinibus, quos quilibet Sacerdos gradatim suscepit. (*Bellarminus de Cleric. Lib. I. cap. II.* Septem duntaxat propriè loquendo numerat ordines, videlicet, Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi seu Ceroferarii, Lectoris, Exorcistæ & Ostiarii, *Balthasar Mentzerus Exeges. Augustanæ Confessionis, Artic. XIV. p. 649. Christian. Sledanus Disputat. Theolog.* XIV. §. 22. Cantor & Archidiaconus si addatur, numerus novenarius Durandi exsurgit.) *Bona* in Appendice *Rer. Liturgic. p.634. ait:* Post lectum „Evangelium Subdiaconus claudens librum, ponat super altare „in sinistro cornu; Cum verò inceperint in choro *Kyrie eleyson,* A„coluthi deponant candelabra in pavimento, Diaconus verò acci„piat thuribulum de manu Acoluthi, & accedens osculetur altare, „quem subsequitur Sacerdos, & inclinatus oret prius hujusmodi: „Ad te Plasmator meus, redemptor meus, Salvator meus, ego mi„serrimus servus tuus, ad te cordis devotione confugio &c. Dein„de surgat & osculetur dicens: Omnipotens sempiterne Deus, qui „me peccatorem sacris altaribus adstare voluisti, & sancti nominis „tui laudare potentiam, concede quæsumus per hujus Sacramenti „Mysterium, meorum mihi veniam peccatorum &c. Et sic accepto thuribulo de manu Diaconi faciat incensum super altare, & reddat eidem Diacono porrigens osculum. *Bartholomæus Gavantus part. 4. tit. 19. in rub. Miss.* Semper altare osculatur Sacerdos antequam populum salutet, seu pacem tribuit, Pax enim à Christo Domino in altari effigiato sumenda est. Circa hujusmodi altaris oscula notari meretur, quod Sacerdos ea facit tribus temporibus in Missâ, juxta tria quibus indiget, & alia tria ab eo in altari agenda. Primò enim facit quædam oscula, ante collocationem hostiæ & calicis, seu quandò primò ad altare accedit, quandò ad primam collectam dicturus est, *Dominus vobiscum.* Et iterum post Evange-

vangelium dicturus: *Dominus vobiscum*; qui osculationem calicis & hostiæ, priusquam communicet, dicturus: *Orate fratres &c.* Et quandò in Canone dicitur, *uti accepta*; & quandò dicit: *Ex hac altaris participatione*: & finita oratione ista; *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis, quæ facit, ut sit Justus in corpore Christi recipiendo.* Tertiò verò facit alia postquàm communicavit, scilicet dicturus *vobiscum*, ante, post communionem, & completa oratione, *placeat tibi sancta &c.* quæ facit, ut sufficiens inveniatur gratia Domino Deo pro receptis referendo. Verum oscula quæ fiunt ante collocationem hostiæ & calicis, & ea quæ fiunt post communionem, fiunt super altare, videlicet in medio ejus. Cum enim sacerdotis dignitas & auctoritas in sacrificando, nec non sufficientia ad referendas gratias de acceptis, sit solùm à DEO, à quo nostra sufficientia est, idcircò ante calicis & hostiæ locationem, & postquam communicavit, osculatur medium altaris, per quod propter virtutem consecrationis & unctionis ibi in Missâ altaris factæ, maximè repræsentatur Deus, in quo uniuntur extrema. Oscula autem quæ fiunt post Calicis & hostiæ collocationem, ante, quam communicet, fiunt à sinistris calicis propè hostiam. Ad hoc enim, quod Sacerdos sit justus sacrificando, requiritur non solum actio divina, verum etiam sua. Unde *Augustinus*, qui fecit te, sine te, non justificabit te sine te. Requiritur ergò dispositio ex parte suâ, quod fit, si non resistit divinis monitionibus, sed infusio gratiæ fit ex parte Dei, ideoq; oscula, quæ fiunt ante communem, non directè fiunt in medio altaris. Rursus illud quod est ex nobis in justificatione nostrâ, est quid diminutivum, & est modicum respectu ejus, quod ex Deo est; meritò ergò fiunt à sinistrâ parte Calicis, quæ est pars diminuta & obliqua respectu dextræ. Fiunt tamen juxta hostiam, tum, quia in Justificatione plura & nobiliora sunt à Deo, seu Christo; tum, quia etiam illud, quod à nobis est, potius habet rationem mali, quàm boni, nisi quodammodò esset à Deo per gratiam prævenientem elicitum, regulatum & acceptum. Potest etiam secundò dici, quod ideò, quandò Calix & hostia non sunt super altare, oscula fiunt in medio altaris, videlicet directè super locum crucis, ex Chri-

ex Chrismate, in ipsius consecratione factæ, quia Christus stans in medio discipulorum suorum, dixit eis: Pax vobis, quæ Pax per ipsa oscula designatur. Tertiò ad designandum, quod, sicut habetur in Canticis, Christus ascensum in Cruce purpureum, id est sanguine rubricatum, media Charitate monstravit, quæ Charitas per osculum designatur, quæ etiam media dicitur, quia communis omnibus, pro omnibus enim voluit pati ex charitate.

§. VII. Porrò fiunt oscula ipsa manibus super altare depositis. Primò ad notandum, quod Charitas per osculum designata, operibus debet inniti. Nam secundum Gregorium operatur magna, si est, si autem renuit operari, amor non est. Secundò ad notandum, quod in altaris sacrificio Sacerdos omnium temporalium curam deponere, & solùm ipsi sacrificio mentem affixam debet habere. Tertiò ad designandum, quod ad hæc opera ejus non sufficit, quod solum Dei misericordia obtinetur. Adhuc nonnulli in locis ipsis osculandis signum crucis cum tribus extensis digitis prius imprimunt, tum quia omnia in fide Trinitatis agenda sunt, tum quia regulariter quidquid ori applicādum est, debet prius crucis signaculo insigniri. Alii tamen in penultimo & finali, *Dominus vobiscum*, nec osculantur altare, nec illi imprimunt signum crucis, sed se solum ante faciem suam signant, & benè; tum, quia per altaris osculum, quod in fine missæ fit, intelligitur Sacerdos omnia approbare, & eis, toto mentis affectu assentire; tum, quia per corporis Domini præsentiam omnis immundus Spiritus loco ipso credendus est aufugisse. Idem *Durandus Lib. IV. cap. IX. num. I.* Post immissum, ait, in thuribulo accensum Sacerdos seu Episcopus dicto: Deus tu conversus &c. sacrum osculatur altare, ut notificetur Pacificatio cum Judæis, & ad designandum; quod Christus ad nos veniens, sanctam sibi copulavit Ecclesiam, juxta illud Epithalamium, *osculetur me osculo oris sui.* Et juxta illud Propheticum *Esa. LXI.* quasi sponsam decoravit me coronâ &c. Rursus quando Prophetalis versus introitus à cantore incipitur, Sacerdos ad altare ascendens illud osculatur; quia Prophetarum testimonio venit Christus in mundū, & ad passionem altaris. In quibusdam etiam Ecclesiis Diaconi bini & bini latera altaris intrinsecus sive alternatim osculantur, eò quod Dominus Apostolos binos misit ad prædicandum, dicens eis: in

quam-

quamcumque domum intraveritis, dicite: PAX HUIC DOMUI; qui reversi sunt ad Christum, sicut Diaconi revertuntur ad Episcopum. Add. *Lib. IV. c. LVI.*

§. VIII. Allatis consentanea recitat *Johannes Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ Catholicæ Lib. II. cap. LVII. n. 5.* ex *Micrologi cap.* XXXII. *Tomo VI. Bb. Pp.* Tandem sacrificio Missæ peracto Sacerdos osculatur altare, dicens: placeat tibi Domine, Sancta Trinitas. Nedum autem peracto Missæ sacro, Sacerdos osculatur altare, sed & quoties ad populum convertitur. Cum autem altare Christum referat, quin & ipse est altare DEI, Sacerdos altare osculando meminisse debet desiderii & amoris Sponsæ, id est, Ecclesiæ, quæ suspirans dicit: *osculetur me osculo oris sui. Innocentius III. Lib. II. Missæ mysteriorum cap. XV.* Rursus cum osculum sit nedum amoris signum, sed & Reverentiæ; unde Esther Regina venerationis ergò osculabatur apicem virgæ Ahasveri Regis: caveat Sacerdos accedens ad osculandum altare, ne odio aliquo atq; dissidio à proximo dissideat; ne cum tantâ animi impudentiâ adpropinquans ad Dominum, & osculans altare, audiat cum Judâ vocem illam: *osculo filium hominis tradis? Vade, reconciliare fratri tuo.* Matth. cap. V. *Andreas Piscara Castaldus, in Praxi Ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ Lib. II. Sectione VII. cap. 5. §. 12. 13. p. m. 249. Editionis Neapolitanæ in fol.* Cum celebrans osculatur altare, illud in medio osculetur, manus hinc inde æqualiter tenẽs, & hoc in Missâ, cum ascendit ad altare, dicens, ex hac altaris participatione daturus pacem dictâ primâ oratione ante communionem, Domine Jesu Christe; post communionem, antequam dicat Dominus vobiscũ, in principio & fine Orationum; & tandem dicto placeat, &c. sive sit benedicturus, sive non: osculatur quoq; altare quoties ascendit ad illud incensandum, sive ad vesperas ad Magnificat, sive ad laudes, ad Benedict⁹. Observandũ quoq; circa osculationes faciendas à celebrante, quod nuper emẽdati Missalis Rubricis est additum; in omni osculatione, sive altaris, sive libri, sive alterius rei, ne producatur signum crucis pollice, vel manu super id, quod osculandum est. Eò tendit *Carolus Cardinalis S. Praxedis, Actorum Ecclesiæ Mediolanensis parte IV. p. 735.* his verbis: Nel baciar l'altare farà in esso il Sacerdote prima le croce, con

la mano

la mano distesa, & baciarà esso altare in quel luogo; ma nel tempo che ha il pollice, & indice congionti, farà la croce non le tre altre dita seguenti l'altare si bacia cinque volte. La prima, quando ascende l'altare innanzi all' ingressa. La seconda, quando dice, uti accepta habeas. La terza, quando dice, ut quotquot ex hac altaris participatione. La quarta, dopò dette l'orationi della pace, prima che dice: pax tecum, quando vi sia persona à chi s'habbi da porger la pace dal ministro. La quinta, dopò haver detto, placeat tibi &c. prima che si benedice il popolo. *Gavantus Thesauro sacrorum rituum, seu commentario in Rubricas Missalis & Breviarii Romani, parte II, Tit. XI. pag. 175.* Missa incipit ab osculo altaris, & finire debet cum eodem osculo. Decies igitur in Missâ Sacerdos osculatur altare, si pacem dat astantibus, alioquin novies. Conferatur *Bellarmini Tom. II. Controversiar. Lib. II. cap. 15. Jacob. Pintus, Christi crucifixi Lib. V. Titulo VI. Loco II. p.* 807. *Isaacius Habertus in Observat. IV. ad Ἀρχιερατικὸν parte VI. Liturgiæ, pag. m. 63.* In Andegavensi Ecclesiâ in die Paschæ post tertiam matutini lectionem, præparatur altare ad modum sepulchri, quibusdam velis coopertum, in cujus lateribus duo sacerdotes albis pluvialibus (sive Cappis, sic dictis quia olim tempore pluviæ sumebantur, ut *Ferrarius* lib. I. de Re vestiaria cap. 39. suspicatur:) induti assistunt, qui duos Angelos Christi monumentũ custodientes significant, ac interea ex Sacristia duo Clerici, Cubicularii appellati, alba, sive Rochetto; (i.e. linea veste Episcoporum peculiari, sed temporis progressu aliis inferiorib⁹ Ecclesiasticis ex privilegio concessâ:) & Dalmatica induti, habentes in capite amictum rubrâ fasciâ ligatum, qui sanctas mulieres ad sepulchrum euntes denotant, eisq; duo Cantores cum thuribulo præcedunt, qui ad dictũ altare accedentes in Musicali tono his verbis interrogantur: *Quem quæritis in sepulchro?* Ipsi verò etiam canendo respondent: JESUM NAZARENUM CRUCIFIXUM. Tunc duo assistentes Sacerdotes reassumunt: *Non est hic, surrexit, sicut prædixit. Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus.* Post quam responsionem prædicti duo Clerici sepulchrum ingrediuntur, & Altare osculantur, atq; dum Thurifera-

tiferarii ter altare incensant, canunt duo sacerdotes: *Ite nunciate Discipulis ejus, quia surrexit.* Itaque ad chorum accedunt præfati duo Clerici, salutant Episcopum primum cum osculo pacis, in ejusque aurem summissâ voce suggerunt. *Surrexit Dominus, Allelujah.* Quibus præsul salutationem & osculum reddens, *Deo gratias Allelujah,* respondet. Idem cum Canonicis, & in choro assistentibus fit, dum caniter, *Te Deum.* Aliter autem in Sennonensi Ecclesia in hacdie observatur; nam in Capellâ satis ornatâ, sanctissima Eucharistia exposita, ad quam solennis processio dirigitur, & in ingressu ejusdem Capellæ, ubi tres Vice-Curati (h.e. Vicarii Curatorum sive ministrorum Ecclesiæ) assistunt, intonat Cantor: Dic nobis Maria, *quid vidisti in via?* tunc unus ex Vice-Curatis respondet: *Sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi resurgentis.* Alius canit: *Angelicos testes, sudarium & vestes.* Tertius verò concludit: *Scimus Christum surrexisse à mortuis verè.* Ac Cantor reassumit, & canit: Credendum est magis soli Mariæ veraci, quàm Judæorum turbæ falaci. Deinde immediatè ab Episcopo intonatur *Te Deum*, qui ex Capellâ processionaliter ad majus altare defert Sacramentum, & genuflexus extremitatem pyxidis osculatur, & post Episcopum idem facit Clerus, Magistrat⁹, & populus. *Macer in Hierolexico, p. 453.*

§. LX. Jam de Patenis agendum. Patena est operculum calicis à patendo dicta, qua voce usus *Columella* Lib. XII. cap. XLIII. de Vasis apud profanos Scriptores latis & patentibus labris. Græci discon vocant, uti ex Liturgia S. Jacobi apparet. At verò discus magis cavus & capacior est, ne micæ panis sacri excidant. Nec unius quidem generis erant; aliquandò enim patena convaca fiebat, ut in eá sacrum chrisma poneretur, & ideò *patena Chrismalis* dicebatur, quæ ad usum Baptismi & Confirmationis spectabat. Patenam argenteam Chrismalem obtulit, ait *Anastasius Bibliothecarius* in Silvestro. Aliæ *patenæ* erant *ministeriales*, distribuendæ populo Eucharistiæ deservientes, ex eadem qua Calices materiâ citra dubium conflatæ, cum par utrarumque ratio esse deprehendatur. De his osculatione honoratis apud *Amalarium Fortunatum Seculo IX.* Episcopum Trevirensem *Lib. III. de officiis Ecclesiast.*

N *cap.*

cap. XXVII. Tomo IX. [illegible] uamvis verus autor hujus operis alter *Amalarius sit*, *Ec*[illegible]*ensis Diaconus*, teste *Johanne Bona in Notitia Autorum*, ope[illegible] ejusdem annexa, p. 947.) sequens testimonium habetur: Quando inchoatur canon, ve-
„nit acolytus sub humero habens sindonem in collo ligatam, te-
„nens patenam ante pectus, in parte dextrâ usque medium cano-
„nem, tunc subdiaconus sequens suscipit eam super Planetam, &
„venit ante altare, exspectans quandò eam suscipiat subdiaconus
„regionarius: finito verò canone subdiaconus regionarius stat
„cum patena post Archidiaconum, quandò dixerit, & ab omni per-
„turbatione securi: vertit se Archidiaconus, & osculatam pa-
„tenam dat eam tenendam secundo Diacono. Ita ille. In hoc Amalarii testimonio duo notanda veniunt, quid nempe *Canon* sit & *Planeta*. *Canon* regula est, qua voce usa est Ecclesia, ut indicaret hanc esse regulam fixam & stabilem, qua novi Testamenti sacrificium celebrandum est. *Gregorius Magnus* cujus tempore nomen canonis in usu erat, *Epistolâ LXIV. Libro VII.* precem vocat, eo loquendi genere, quo nonnunquam Patres utuntur, dum verba consecrationis preces nuncupant, quia sunt verba sacra: neque enim totus canon ex precibus contextus est. *Haymo Halberstadensis explicans cap. II. Epist. I. ad Timotheum*, Orationes, *inquit*, sunt, quas fundit Sacerdos in consecratione Eucharistiæ. In Concilio Eboracensi tempore Cœlestini III. *Secretum missæ* nuncu-
„patur his verbis: Quia secretũ missæ frequẽter invenitur, aut scri-
„ptorum falsitate, aut librorũ vetustate corruptum, ita ut distinctè
„legi non possit, Archidiaconorum solicitudo provideat, ut in sin-
„gulis Ecclesiis verum & probatum exemplar Canon Missæ cum
„omni diligentia corrigatur. Ab aliis actio dicitur, quia in eo, ut ait *VValafridus*, domestica Sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur, qua de causâ, cum aliquid in ipso canone, in oratione, quæ incipit *communicantes*, addendum est, quod in Christi Domini festivitatibus fieri solet, titulus apponatur, *infra actionem*, quia nimirum actio sacrificii ibi propriè continetur. Hic verò titulus *infra actionem* ante ipsum *communicantes*, in editis Missalibus

passim

passim reperitur. Autorem canonis quidam fuisse putant Gelasium Papam, alii Musæum Presbyterum Massiliensem, alii Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania, qui teste Gennadio libros Sacramentorum composuerunt. *Aldhelmus Episcopus Lib. de laudibus Virginitatis cap. XXIII.* à Gregorio M. editum existimat. At ipse Gregorius Epistola præcitata ait à Scholastico compositum, sed quo tempore id factum fuerit, non dicit. *Cardinalis Bona Rer. Liturgic. Lib. II. cap. XI. Macer in Hierolexico pag. III. Planeta* est indumentum Sacerdotale, idemque significat, quod *Casula, Casubula, Penula, superhumerale, Phelonium.* Concilium Toletanum quartum cap. XXVII. Presbytero *ait*, in suâ ordinatione *Planeta* datur, quæ idem est ac *Casula*. *Casula* autore Isidoro *Lib. XIX. Origin. cap. XXIV.* per deminutionem à casâ dicitur, quod totum hominem tegat, quasi minor casa. Planetæ autem nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur: & ut habet *Gemma animæ*, Lib. I. cap. CCVII. Limbus ejus errabundus utrimque in brachia sublevatur. Quia enim Planeta totum olim involvebat Sacerdotem, hinc usus ortus est, ut à Ministro elevetur, cum Sacerdos hostiam & calicem elevat, quæ praxis antiquitus necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua impedimento esset, adhuc perseverat, tametsi cessante causâ superflua sit. *Macer* l. c. pag. 131. 476. Sed ad patenas revertendum. *Guilielmus Durandus* Lib. IV. *Rational. divin. Offic cap. L. num. 3.* scribit: Osculatur (Sacerdos) etiam patenam, quasi petens à Deo pacem corporis & animæ. Oratur etiam pro pace temporali, quod fit specialiter in quibusdam Ecclesiis. Osculum etiam hujusmodi charitatem significat. Rursus ideo se signat cum patenâ, & osculatur post illam, ad notandum, quod si per passionem Filii reconciliamur DEO Patri, erimus & hæredes regni cœlestis. Vel signum crucis cũ osculo significat gloriationem Christi in cruce cum charitate. Quidã etiam cum patena se signant ante pectus, per quod significatur sincera affectio, quæ per partes corporis & cordis in sacra Scripturâ significatur. Quidam autem prius osculantur patenam, cum dicunt: *Da propitius pacem*: & postea cum osculata patena in ultimâ

 clau-

clausulâ, scilicet ab omni perturbatione securi se signant? quia per crucem & hoc sacrificium & odorem ejus omnia in cœlis & in terris pacificata denunciant. Quidam etiam consequenter deosculantur summitatem & pedem calicis, quod osculum prætendit intimum affectum ad monumentum seu sepulturam Christi, exemplo Magdalenæ, quod ex affectu stabat ad monumentum foris plorans ut dicitur in Johanne. Osculum quoque pedis calicis significat osculum pedum Christi. Confer *Johannem Stephanum Durantum, de ritibus Ecclesiæ Catholicæ* Lib. II. cap. L. pag. 570. seq. *Gavantus Thesauro sacror. Rit. part. I. Tit. VII. p.* 183. ita pronunciat: Ipse Diaconus calicem detegit, & dat patenam cum hostia celebranti, osculando ejus manum. Et *pag. 139.* sic ex Concilio Anchyritano, seu Ancyrano 50. distinct. Presbyteros. Datur autem cum osculo manus celebrantis, & prius patenæ. Olim in Missa populo offerebatur patena osculanda, quod Sanctus Carolus prohibuit, sub quo hoc statutum editum est, ne patena cum oblatio fit, sed crux, aut sacra aliqua imago offerentibus fidelibus, ad osculum præbeatur, ceu testantur *Acta Ecclesiæ Mediolanensis Lib. III. Tit.* XXIV. *cap.* XXXII. Eodem modo & alia vasa ad celebrationem Missæ pertinentia, honorari consueverunt. Hinc *Gavantus parte II. Tit. IV. p.* 114. Diaconus, inquit, parùm inclinatus versus celebrantem dicit: Benedicte pater reverende; & osculatur cochlear, & manum celebrantis ante & post. Postea Diaconus dimisso foculo, (hoc est, acerrâ juxta Tertullianum in Apologetico adversus Gentes cap. IX.) accipit thuribulum, & dat celebranti, osculatâ prius catenularum summitate, & manu illius dextra. Osculum rei (in Notis addit) quæ porrigitur, fit ad fidem, & dicitur OSCULUM FIDEI; Osculum vero MANUS est ad Venerationem, ait *Hieronymus in Ruffinum.* Utrumque osculum requirit *Paris Crassus, in Ceremoniali Bononiensi, Lib. I. cap.* XX.

§. X. Nec libris quidem Liturgicis honor denegatus est, quamquam nulli sacrorum codicum divino sacrificio inserviëtium, major exhibita sit veneratio quam libro Evangeliorum: Evangelium enim typum gerit Christi in eo loquentis; Ideò in octava Synodo cap. III. decretum est, librum Evangeliorum & sacram imaginẽ

Domini

Domini nostri Jesu Christi æquo honore adorari, & in Conciliis idem Codex Evangeliorum in sublimi Throno editiori loco poni consuevit. Eum theca pretiosissimâ aureâ vel eburnea, gemmisque distincta cum imagine Christi crucifixi includere, aureisque literis scribere priscus mos fuit, quem indicant *Gregorius M.* Lib. XII. Epist. VII. ad Theodolendam; & *Gregorius Turonensis* Lib. *de Gloria Confess. cap.* LXIII. *& Lib. III. Histor. Franc.* cap. X. *Aimoinus Lib. II. de Gestis Francorum*, narrans à Childeberto Rege avectas ab Hispanis inter Ecclesiastici ministerii utensilia, capsas XX. Evangeliorum è solido auro fabricatas, & gemmis ornatas. Sed & osculo Evangelium in Ecclesia exceptum fuisse memorat idem *Gavantus Tit. VI. part. 2. Comment. in Rubr. Missal. p.* 124. his verbis: Sacerdos elevans parumper librum, osculatur Principium Evangelii, dicens: *Per Evangelica dicta &c.* Præterquam in Missis defunctorum, & nisi celebret coram summo Pontifice, Cardinali & Legato sedis Apostolicæ, vel Patriarchæ, Archiepiscopo & Episcopo in eorum residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, & celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit: *per Evangelica dicta.* Hisce in *Commentar.* subjiciuntur: ob reverentiam Prælatorum datur eisdem liber osculandus. Si verò plures Prælati æquales inter-" essent missæ, nulli dabitur osculandus, nec etiam celebranti. Si" plures inæquales, tunc digniori tantum. *Cerem. Episc. Lib. I. cap.*" 30. Quia Christus unus est, quem repræsentat ille, qui osculatur" librum. Aut unus igitur & dignior osculatur, aut nullus, non duo," ne dividatur Christus. Eadem postquam attulisset *Dominicus*" *Macer in Hierolexico p.* 254. annectit: Hoc & Romæ observatur," quod quando plures intersunt Cardinales, tunc Evangelium nulli" præbetur ad osculandum. At hæc Cæremonialis regula in ma-" trimonio recentis Christianissimi Regis fefellerat, quandò ad Py-" renæos limites infantam Hispaniarum Regis filiam in uxorem du-" xerat, quâ occasione ambo Reges fœdus inierant, tunc enim u-" terque Rex ad propria confinia accesserat in simultaneo instan-" ti; ac Gallus Hispanum cum titulo Patris salutavit, & vice"

versa

„versa hic illi titulum filii dederat, & genuflexi intra eorum limi-
„tes audierant sacrum in altari, in collimitanea linea erecto: in o-
„sculo autem Evangelii, & pacis iconis, duo Capellani seorsim, ac
„eodem tempore has cæremonias præbuerunt ambobus. Hono-
„rius III. sub pœna excommunicationis Anno MCCXXI. In Epist.
„Decretali, quæ incipit: ad audientiam; cuicumque seculari Prin-
„cipi Evangelii osculum præberi vetuit, nisi essent Reges oleo san-
„cto uncti. Antiquitus tamen Populus ad hujusmodi osculum
„admittebatur. *Gemma animæ Lib. I. cap. 119.* Quoad Reges
„quando uncti sunt, nedum Evangelium osculari possunt. Cæte-
„rum quoad obsequium & reverentiam Evangelii, dicendum, quod
„in Rhemensi Ecclesiâ Subdiaconus in Principio Missæ exhibet Ev-
„angeliorum librum Archiepiscopo celebranti, ut osculetur, di-
„cens illi: Hæc est lex sancta, Pater. *Hactenus ille. Confer Cardi-
nalis Bonæ Appendicem Rer. Liturgic.* p. 634. *Durandus Ration. divin. offic. Lib. IV. cap. IX.* Codex Evangelii significat populum gentilem, qui per Evangelium crediderit: Ideò ergò Episcopus vel Sacerdos Evangelium & altare osculatur, quia Christus utrique dedit pacem, quandò lapis angularis factus fecit utraq; unum. Potest etiam dici, quod Subdiaconus librum Evangelii, qui clausus portabatur, offert Episcopo vel Sacerdoti, ille verò ad altare proveniens, illum aperit, ad insinuandum illud, quod in Apocalypsi cap. V. describitur, quod nemo dignus est aperire librum, qui intus erat scriptus, & foris sigillis septem signatus, nisi Leo de tribu Juda, clavis David, qui librum aperuit, & septem signacula ejus solvit. Libro verò aperto osculatur illum à parte sinistrâ, ad designandum, quod Prædicatores reconciliaverunt & obtulerunt gentes Christo, quibus ipse per se non prædicavit, licet & ipse per se pacem in Evangelio prædicaverit dicens: Pacem meam do vobis. Et *cap. LIII. Lib. IV.* Rursum ad notandum duorum testamentorum concordiã, Episcopus duabus vicibus codicem osculatur, quia rota continetur in medio rotæ, & duo Cherubim sese recipiunt versis vultibus in propitiatorium. Add. *Lib. IV. cap. XXIV.* §. 30. 32. *Johann. Stephanus Durantus, de Rit. Eccles. Cathol. Lib. II. cap.* XXIII. §. 21. p. 356. Lecto, *inquit,*

inquit, Evangelio nedum Diaconus, ſed & Epiſcopus ac cæteri Evangelii librum oſculantur. Hanc verò conſuetudinem non usque adeò recentem eſſe probat *Jonas Aurelianenſis, in Præfat. Lib. II. de cultu imaginum* hoc verborum tenore: Sacræ Religionis adhuc in Eccleſia ſervatur ritus, & peractâ ſacrâ Evangelii lectione, ab Epiſcopo vel Presbyteris cæteriſque ſacri Ordinis religioſis, Codex in quo Evangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur. (Latiniùs dixiſſet honoretur.) Item *Rupertus de divinis Officiis. Lib. II, cap. I.* Subdiaconus apertum circumfert Evangelii librum omnibus religioſo oſculo ſalutandum, quem ad introitum portaverat clauſum: quia poſt prædicationem Chriſti cœpit lux credentibus, quam antea geſtabat clauſam, apertam oſtendere fidem Evangelicam. *Honorius Auguſtodunenſis in Gemmâ animæ cap.* XIX. Evangelium per chorum defertur, & ſingulis ad oſculandum porrigitur. *Hugo de S. Victore Lib. II. de Officiis cap.* XXI. Subdiaconus fert Evangelium omnibus religioſo cultu ſalutandum.

§. XI. Qualis in Eccleſiâ Orientali mos obtineat ex Græcis potiſſimùm Scriptoribus diſcere licet. *Georgius Codinus Curopalata* (id eſt Major domus Palatii Imperialis, cui cura Palatii Regii demandata eſt, quaſi dicas Latialiter, *Cura Palatii*, quam dignitatem *Caſſiodorus Lib. VII. Variar. cap.* V. in fine, Imperatoris verbis ita Curopalatam compellantis exprimit: Illud quoque con-" ſidera, qua gratificatione tracteris, ut aurea virgâ decoratus, in-" ter obſequia numeroſa ante pedes Regios primus videaris ince-" dere, velut ipſo teſtimonio vicinitatis noſtræ cognoſcam' tibi Pa" latia commiſſe;) *de Officiis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ*, Cap. IV. §." 5. p. 106. Ubi de horis magnæ Dominicæ Paſchalis tractatio inſtituitur, hæc nobis inculcat: Abſolutis matutinis laudibus Protopapâ & Archidiaconô in veſtibulô tabernaculi ſtantibus, altero Evangelium, altero crucem portante, ingreditur Imperator, & primò quidem oſculatur Evangelium, deinde Protopapam, poſtea crucem & Archidiaconum. Quibus *Goar in notis pag.* 107. ſubjicit: Evangelio primùm, mox autē dati Imperatori oſculi conſuetudinē

refe-

la mano distesa, & baciarà esso altare in quel luogo; ma nel tempo che ha il pollice, & indice congionti, farà la croce non le tre altre dita seguenti l'altare si bacia cinque volte. La prima, quando ascende l'altare innanzi all' ingressa. La seconda, quando dice, uti accepta habeas. La terza, quando dice, ut quotquot ex hac altaris participatione. La quarta, dopò dette l'orationi della pace, prima che dice: pax tecum, quando vi sia persona à chi s'habbi da porger la pace dal ministro. La quinta, dopò haver detto, placeat tibi &c. prima che si benedice il popolo. *Gavantus Thesauro sacrorum rituum, seu commentario in Rubricas Missalis & Breviarii Romani, parte II. Tit. XI. pag. 175.* Missa incipit ab osculo altaris, & finire debet cum eodem osculo. Decies igitur in Missâ Sacerdos osculatur altare, si pacem dat astantibus, alioquin novies. Conferatur *Bellarmini Tom. II. Controversiar. Lib. II. cap. 15. Jacob. Pintus, Christi crucifixi Lib. V. Titulo VI. Loco II. p.* 807. *Isaacius Habertus in Observat. IV. ad Ἀρχιερατικὸν parte VI. Liturgiæ, pag. m. 63.* In Andegavensi Ecclesiâ in die Paschæ post tertiam matutini lectionem, præparatur altare ad modum sepulchri, quibusdam velis coopertum, in cujus lateribus duo sacerdotes albis pluvialibus (sive Cappis, sic dictis quia olim tempore pluviæ sumebantur, ut *Ferrarius* lib. I. de Re vestiaria cap. 39. suspicatur:) induti assistunt, qui duos Angelos Christi monumentū custodientes significant, ac interea ex Sacristia duo Clerici, Cubicularii appellati, alba, sive Rochetto; (i.e. linea veste Episcoporum peculiari, sed temporis progressu aliis inferiorib⁹ Ecclesiasticis ex privilegio concessâ:) & Dalmatica induti, habentes in capite amictum rubrâ fasciâ ligatum, qui sanctas mulieres ad sepulchrum euntes denotant, eisq; duo Cantores cum thuribulo præcedunt, qui ad dictū altare accedentes in Musicali tono his verbis interrogantur: *Quem quæritis in sepulchro?* Ipsi verò etiam canendo respondent: JESUM NAZARENUM CRUCIFIXUM. Tunc duo assistentes Sacerdotes reassumunt: *Non est hic, surrexit, sicut prædixit, Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus.* Post quam responsionem prædicti duo Clerici sepulchrum ingrediuntur, & Altare osculantur, atq; dum Thurifera-

tiferarii ter altare incensant, canunt duo sacerdotes: *Ite nunciate Discipulis ejus, quia surrexit.* Itaque ad chorum accedunt præfati duo Clerici, salutant Episcopum primum cum osculo pacis, in ejusque aurem summissâ voce suggerunt. *Surrexit Dominus, Allelujah.* Quibus præsul salutationem & osculum reddens, *Deo gratias Allelujah,* respondet. Idem cum Canonicis, & in choro assistentibus fit, dum canitur, *Te Deum.* Aliter autem in Sennonensi Ecclesia in hac die observatur; nam in Capellâ satis ornatâ, sanctissima Eucharistia exposita, ad quam solennis processio dirigitur, & in ingressu ejusdem Capellæ, ubi tres Vice-Curati (h.e. Vicarii Curatorum sive ministrorum Ecclesiæ) assistunt, intonat Cantor: Dic nobis Maria, *quid vidisti in via?* tunc unus ex Vice-Curatis respondet: *Sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi resurgentis.* Alius canit: *Angelicos testes, sudarium & vestes.* Tertius verò concludit: *Scimus Christum surrexisse à mortuis verè.* Ac Cantor reassumit, & canit: Credendum est magis soli Mariæ veraci, quàm Judæorum turbæ fallaci. Deinde immediatè ab Episcopo intonatur *Te Deum*, qui ex Capellâ processionaliter ad majus altare defert Sacramentum, & genuflexus extremitatem pyxidis osculatur, & post Episcopum idem facit Clerus, Magistrat⁹, & populus. *Macer in Hierolexico, p.* 453.

§. IX. Jam de Patenis agendum. Patena est operculum calicis à patendo dicta, qua voce usus *Columella* Lib. XII. cap. XLIII. de Vasis apud profanos Scriptores latis & patentibus labris. Græci discon vocant, uti ex Liturgia S. Jacobi apparet. At verò discus magis cavus & capacior est, ne micæ panis sacri excidant. Nec unius quidem generis erant; aliquandò enim patena convaca fiebat, ut in eá sacrum chrisma poneretur, & ideò *patena Chrismalis* dicebatur, quæ ad usum Baptismi & Confirmationis spectabat. Patenam argenteam Chrismalem obtulit, ait *Anastasius Bibliothecarius* in Silvestro. Aliæ *patenæ* erant *ministeriales*, distribuendæ populo Eucharistiæ deservientes, ex eadem qua Calices materiâ citra dubium conflatæ, cum par utrarumque ratio esse deprehendatur. De his osculatione honoratis apud *Amalarium Fortunatum Seculo IX.* Episcopum Trevirensem *Lib. III. de officiis Ecclesiast.*

cap. XXVII. Tomo IX. Bb. Pp. (quamvis vetus autor hujus operis alter *Amalarius sit*, *Ecclesiæ Metensis Diaconus*, teste *Johanne Bona in Notitia Autorum*, operibus ejusdem annexa, p. 947.) sequens testimonium habetur: „Quando inchoatur canon, venit acolytus sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus, in parte dextrâ usque medium canonem, tunc subdiaconus sequens suscipit eam super Planetam, & venit ante altare, exspectans quandò eam suscipiat subdiaconus regionarius: finito verò canone subdiaconus regionarius stat cum patena post Archidiaconum, quandò dixerit, & ab omni perturbatione securi: vertit se Archidiaconus, & osculatam patenam dat eam tenendam secundo Diacono. Ita ille. In hoc Amalarii testimonio duo notanda veniunt, quid nempe *Canon* sit & *Planeta*. *Canon* regula est, qua voce usa est Ecclesia, ut indicaret hanc esse regulam fixam & stabilem, qua novi Testamenti sacrificium celebrandum est. *Gregorius Magnus* cujus tempore nomen canonis in usu erat, *Epistolâ LXIV. Libro VII.* precem vocat, eo loquendi genere, quo nonnunquam Patres utuntur, dum verba consecrationis preces nuncupant, quia sunt verba sacra: neque enim totus canon ex precibus contextus est. *Haymo Halberstadensis explicans cap. II. Epist. I. ad Timotheum*, Orationes, *inquit*, sunt, quas fundit Sacerdos in consecratione Eucharistiæ. In Concilio Eboracensi tempore Cœlestini III. *Secretum missæ* nuncupatur his verbis: „Quia secretũ missæ frequẽter invenitur, aut scriptorum falsitate, aut librorũ vetustate corruptum, ita ut distinctè legi non possit, Archidiaconorum solicitudo provideat, ut in singulis Ecclesiis verum & probatum exemplar Canon Missæ cum omni diligentia corrigatur. Ab aliis actio dicitur, quia in eo, ut ait *Walafridus*, domestica Sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur, qua de causâ, cum aliquid in ipso canone, in oratione, quæ incipit *communicantes*, addendum est, quod in Christi Domini festivitatibus fieri solet, titulus apponatur, *infra actionem*; quia nimirum actio sacrificii ibi propriè continetur. Hic verò titulus *infra actionem* ante ipsum *communicantes*, in editis Missalibus

passim

passim reperitur. Autorem canonis quidam fuisse putant Gelasium Papam, alii Musæum Presbyterum Massiliensem, alii Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania, qui teste Gennadio libros Sacramentorum composuerunt. *Aldhelmus Episcopus Lib. de laudibus Virginitatis.cap. XXIII.* à Gregorio M. editum existimat. At ipse Gregorius Epistola præcitata ait à Scholastico compositum, sed quo tempore id factum fuerit, non dicit. *Cardinalis Bona Rer. Liturgic. Lib. II. cap. XI. Macer in Hierolexico pag. III. Planeta* est indumentum Sacerdotale, idemque significat, quod *Casula, Casubula, Penula, superhumerale, Phelonium.* Concilium Toletanum quartum cap. XXVII. Presbytero *ait*, in suâ ordinatione *Planeta* datur, quæ idem est ac *Casula. Casula* autore Isidoro *Lib. XIX. Origin. cap. XXIV.* per deminutionem à casâ dicitur, quod totum hominem tegat, quasi minor casa. Planetæ autem nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur: & ut habet *Gemma animæ,* Lib. I. cap. CCVII. Limbus ejus errabundus utrimque in brachia sublevatur. Quia enim Planeta totum olim involvebat Sacerdotem, hinc usus ortus est, ut à Ministro elevetur, cum Sacerdos hostiam & calicem elevat, quæ praxis antiquitus necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua impedimento esset, adhuc perseverat, tametsi cessante causâ superflua sit. *Macer* l. c. pag. 131. 476. Sed ad patenas revertendum. *Guilielmus Durandus* Lib. IV. *Rational. divin. Offic cap. L. num. 3.* scribit: Osculatur (Sacerdos) etiam patenam, quasi petens à Deo pacem corporis & animæ. Oratur etiam pro pace temporali, quod fit specialiter in quibusdam Ecclesiis. Osculum etiam hujusmodi charitatem significat. Rursus ideo se signat cum patenâ, & osculatur post illam, ad notandum, quod si per passionem Filii reconciliamur Deo Patri, erimus & hæredes regni cœlestis. Vel signum crucis cũ osculo significat gloriationem Christi in cruce cum charitate. Quidã etiam cum patena se signant ante pectus, per quod significatur sincera affectio, quæ per partes corporis & cordis in sacra Scripturâ significatur. Quidam autem prius osculantur patenam, cum dicunt: *Da propitius pacem*: & postea cum osculata patena in ultimâ

clausulâ, scilicet ab omni perturbatione securi se signant? quia per crucem & hoc sacrificium & odorem ejus omnia in cœlis & in terris pacificata denunciant. Quidam etiam consequenter deosculantur summitatem & pedem calicis, quod osculum prætendit intimum affectum ad monumentum seu sepulturam Christi, exemplo Magdalenæ, quod ex affectu stabat ad monumentum foris plorans ut dicitur in Johanne. Osculum quoque pedis calicis significat osculum pedum Christi. Confer *Johannem Stephanum Durantum, de ritibus Ecclesiæ Catholicæ* Lib. II. cap. L. pag. 570. seq. *Gavantus Thesauro sacror. Rit. part. I. Tit. VII. p.* 183. ita pronunciat: Ipse Diaconus calicem detegit, & dat patenam cum hostia celebranti, osculando ejus manum. Et *pag. 139.* sic ex Concilio Anchyritano, seu Ancyrano 50. distinct. Presbyteros. Datur autem cum osculo manus celebrantis, & prius patenæ. Olim in Missa populo offerebatur patena osculanda, quod Sanctus Carolus prohibuit, sub quo hoc statutum editum est, ne patena cum oblatio fit, sed crux, aut sacra aliqua imago offerentibus fidelibus, ad osculum præbeatur, ceu testantur *Acta Ecclesiæ Mediolanensis Lib. III. Tit.* XXIV. *cap.* XXXII. Eodem modo & alia vasa ad celebrationem Missæ pertinentia, honorari consueverunt. Hinc *Gavantus parte II. Tit. IV. p.* 114. Diaconus, inquit, parùm inclinatus versus celebrantem dicit: Benedicite pater reverende; & osculatur cochlear, & manum celebrantis ante & post. Postea Diaconus dimisso foculo, (hoc est, acerrâ juxta Tertullianum in Apologetico adversus Gentes cap. IX.) accipit thuribulum, & dat celebranti, osculatâ prius catenularum summitate, & manu illius dextra. Osculum rei (in Notis addit) quæ porrigitur, fit ad fidem, & dicitur OSCULUM FIDEI; Osculum vero MANUS est ad Venerationem, ait *Hieronymus in Ruffinum.* Utrumque osculum requirit *Paris Crassus, in Ceremoniali Bononiensi, Lib. I. cap.* XX.

§. X. Nec libris quidem Liturgicis honor denegatus est, quamquam nulli sacrorum codicum divino sacrificio inservientium, major exhibita sit veneratio quam libro Evangeliorum: Evangelium enim typum gerit Christi in eo loquentis; Ideò in octava Synodo cap. III. decretum est, librum Evangeliorum & sacram imaginē Domini

Domini nostri Jesu Christi æquo honore adorari, & in Conciliis idem Codex Evangeliorum in sublimi Throno editiori loco poni consuevit. Eum theca pretiosissimâ aureâ vel eburnea, gemmisque distincta cum imagine Christi crucifixi includere, aureisque literis scribere priscus mos fuit, quem indicant *Gregorius M.* Lib. XII. Epist. VII. ad Theodolendam; & *Gregorius Turonensis* Lib. *de Gloria Confess. cap.* LXIII. *& Lib. III. Histor. Franc.* cap. X. *Aimoinus Lib. II. de Gestis Francorum*, narrans à Childeberto Rege avectas ab Hispanis inter Ecclesiastici ministerii utensilia, capsas XX. Evangeliorum è solido auro fabricatas, & gemmis ornatas. Sed & osculo Evangelium in Ecclesia exceptum fuisse memorat idem *Gavantus Tit. VI. part. 2. Comment. in Rubr. Missal. p.* 124. his verbis: Sacerdos elevans parumper librum, osculatur Principium Evangelii, dicens: *Per Evangelica dicta &c.* Præterquam in Missis defunctorum, & nisi celebret coram summo Pontifice, Cardinali & Legato sedis Apostolicæ, vel Patriarchæ, Archiepiscopo & Episcopo in eorum residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, & celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit: *per Evangelica dicta.* Hisce in *Commentar.* subjiciuntur: ob reverentiam Prælatorum datur eisdem liber osculandus. Si verò plures Prælati æquales interessent missæ, nulli dabitur osculandus, nec etiam celebranti. Si plures inæquales, tunc digniori tantum. *Cerem. Episc. Lib. I. cap.* 30. Quia Christus unus est, quem repræsentat ille, qui osculatur librum. Aut unus igitur & dignior osculatur, aut nullus, non duo, ne dividatur Christus. Eadem postquam attulisset *Dominicus Macer in Hierolexico p.* 254. annectit: Hoc & Romæ observatur, quod quando plures intersunt Cardinales, tunc Evangelium nulli præbetur ad osculandum. At hæc Cæremonialis regula in matrimonio recentis Christianissimi Regis fefellerat, quandò ad Pyrenæos limites infantam Hispaniarum Regis filiam in uxorem duxerat, quâ occasione ambo Reges fœdus inierant, tunc enim uterque Rex ad propria confinia accesserat in simultaneo instanti; ac Gallus Hispanum cum titulo Patris salutavit, & vice

„versâ hic illi titulum filii dederat, & genuflexi intra eorum limi-„tes audierant sacrum in altari, in collimitanea linea erecto: in o-„sculo autem Evangelii, & pacis iconis, duo Capellani seorsim, ac „eodem tempore has cæremonias præbuerunt ambobus. Hono-„rius III. sub pœna excommunicationis Anno MCCXXI. In Epist. „Decretali, quæ incipit: ad audientiam; cuicumque seculari Prin-„cipi Evangelii osculum præberi vetuit, nisi essent Reges oleo san-„cto uncti. Antiquitùs tamen Populus ad hujusmodi osculum „admittebatur. *Gemma animæ Lib. I. cap. 119.* Quoad Reges „quando uncti sunt, nedum Evangelium osculari possunt. Cæte-„rùm quoad obsequium & reverentiam Evangelii, dicẽdum, quod „in Rhemensi Ecclesiâ Subdiaconus in Principio Missæ exhibet Ev-„angeliorum librum Archiepiscopo celebranti, ut osculetur, di-„cens illi: Hæc est lex sancta, Pater. *Hactenus ille. Confer Cardi-nalis Bonæ Appendicem Rer. Liturgic.* p. 634. *Durandus Ration. divin. offic. Lib. IV. cap. IX.* Codex Evangelii significat populum gentilem, qui per Evangelium crediderit: Ideò ergò Episcopus vel Sacerdos Evangelium & altare osculatur, quia Christus utrique dedit pacem, quandò lapis angularis factus fecit utraq; unum. Potest etiam dici, quod Subdiaconus librum Evangelii, qui clausus portabatur, offert Episcopo vel Sacerdoti, ille verò ad altare proveniens, illum aperit, ad insinuandum illud, quod in Apocalypsi cap. V. describitur, quod nemo dignus est aperire librum, qui intus erat scriptus, & foris sigillis septem signatus, nisi Leo de tribu Juda, clavis David, qui librum aperuit, & septem signacula ejus solvit. Libro verò aperto osculatur illum à parte sinistrâ, ad designandum, quod Prædicatores reconciliaverunt & obtulerunt gentes Christo, quibus ipse per se non prædicavit, licet & ipse per se pacem in Evangelio prædicaverit dicens: Pacem meam do vobis. Et *cap. LIII. Lib. IV.* Rursum ad notandum duorum testamentorum concordiã, Episcopus duabus vicibus codicem osculatur, quia rota continetur in medio rotæ, & duo Cherubim sese recipiunt versis vultibus in propitiatorium. Add. *Lib. IV. cap. XXIV.* §. 30. 32. *Johann. Stephanus Durantus, de Rit. Eccles. Cathol. Lib. II. cap.* XXIII. §. 21. p. 356. Lecto, *inquit,*

inquit, Evangelio ne dum Diaconus, sed & Episcopus ac cæteri Evangelii librum osculantur. Hanc verò consuetudinem non usque adeò recentem esse probat *Jonas Aurelianensis, in Præfat. Lib. II. de cultu imaginum* hoc verborum tenore: Sacræ Religionis adhuc in Ecclesia servatur ritus, & peractâ sacrâ Evangelii lectione, ab Episcopo vel Presbyteris cæterisque sacri Ordinis religiosis, Codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur. (Latiniùs dixisset honoretur.) Item *Rupertus de divinis Officiis. Lib. II. cap. I.* Subdiaconus apertum circumfert Evangelii librum omnibus religioso osculo salutandum, quem ad introitum portaverat clausum: quia post prædicationem Christi cœpit lux credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere fidem Evangelicam. *Honorius Augustodunensis in Gemmâ animæ cap.* XIX. Evangelium per chorum defertur, & singulis ad osculandum porrigitur. *Hugo de S. Victore Lib. II. de Officiis cap.* XXI. Subdiaconus fert Evangelium omnibus religioso cultu salutandum.

§. XI. Qualis in Ecclesiâ Orientali mos obtineat ex Græcis potissimùm Scriptoribus discere licet. *Georgius Codinus Curopalata* (id est Major domus Palatii Imperialis, cui cura Palatii Regii demandata est, quasi dicas Latialiter, *Cura Palatii*, quam dignitatem *Cassiodorus Lib. VII. Variar. cap.* V. in fine, Imperatoris verbis ita Curopalatam compellantis exprimit: "Illud quoque considera, quâ gratificatione tracteris, ut aurea virgâ decoratus, inter obsequia numerosa ante pedes Regios primus videaris incedere, velut ipso testimonio vicinitatis nostræ cognoscam tibi Palatia commisse;) *de Officiis Constantinopolitanæ Ecclesiæ*, Cap. IV. §. 5. p. 106. Ubi de horis magnæ Dominicæ Paschalis tractatio instituitur, hæc nobis inculcat: Absolutis matutinis laudibus Protopapâ & Archidiaconô in vestibulô tabernaculi stantibus, altero Evangelium, altero crucem portante, ingreditur Imperator, & primò quidem osculatur Evangelium, deinde Protopapam, postea crucem & Archidiaconum. Quibus *Goar in notis pag.* 107. subjicit: Evangelio primùm, mox autē dati Imperatori osculi consuetudinē

refe-

referunt in Monasteriis καλόγηροι (id est Monachi, καλὸς enim bonum & γηραιὸς senem Græcè denotat:) de quibus PENTECOSTARIUM, (liber apud Græcos in quo preces pro tempore Paschali continentur:) ψάλλομεν τὸ χριστὸς ἀνέστη, πολλάκις ἄχρις ἂν ἀσπάσονται οἱ ἀδελφοὶ ἀλλήλους; ὁ δὲ ἀσπασμὸς γίνεται οὕτω. Λαμβάνει ὁ ἱερεὺς τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον, καὶ ἵσταται πρὸ τῆς θυρῶν τοῦ ἁγίου βήματος, ὁ δὲ Καθηγούμενος ἐλθὼν καὶ ἀσπασάμενος τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον, καὶ τὸν ἱερέα, λαμβάνει ἐκ τῆς χειρῶν αὐτοῦ τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον, καὶ ἵσταται ἐκ δεξιῶν τοῦ ἱερέως. εἶτα οἱ ἀδελφοὶ πάντες κατὰ τὴν τάξιν αὐτῶν ἀσπάζονται πρῶτον τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον, εἶτα τὸν ἱερέα, καὶ τὸν Καθηγούμενον. Καὶ ἵστανται κἀκεῖνοι ἐνθάδε ὑχωσιν, καὶ ἀσπάζονται ἀλλήλους. Usque dum mutuum sibi dederint fratres osculum, canimus frequentius χριστὸς ἀνέστη. Hoc autem modo peragitur osculum. Sacerdos accepto sacro Evangelio stat è regione sancti tribunalis valvarum, Monasterii verò Præfectus sanctum Evangelium, sacerdotemque deosculatus, de manibus Sacerdotis illud accipit, & à dextris ejus consistit. Tum reliqui fratres sanctum Evangelium ordine deosculantur, deinde Sacerdotem & Præfectum; quocunq; verò loco steterint, invicem deosculantur. *Codini* jungo *Leonem Allatium* in Dissertatione de Dominicis & Hebdomadibus recentiorum Græcorum ita differentem: Et jam solennitatum Dominica advenit, qua Christianæ Ecclesiæ adscripti colligandi erant dilectionis osculo. Colligantur verò dilectionis osculo, Paschatis die, hac ratione: Dato signo à Sacerdote circa auroram, conveniunt omnes tam mares quàm fœminæ, & pueri ipsi, quilibet in suam Parœciam, quàm Græci veluti matrem agnoscunt, venerantурq; raroq; alibi, nec nisi magnâ necessitate coacti, sacrum audiunt, aut reliquis officiis Ecclesiasticis intersunt. Absolutis postmodum precibus matutinis, summa animi omnium alacritate, post dictum Evangelium Sacerdos in foribus bematis stat, sacerdotalibus vestibus amictus, & manibus in pectore Evangeliorum librum clausum tenens, in cujus parte quæ respicit populum, Crux Domini argentea, vel ex aliâ materiâ, affixa est. Tum canitur Troparium: * Χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, θανάτῳ θάνατον πατήσας, καὶ τοῖς ἐν τοῖς μνήμασι ζωὴν χαρισάμενος. Christus resurrexit à mortuis,

morte

morte mortem conculcans, & iis qui in monumentis erant, vitam elargiens. Repetitur donec cæremonia finiat. Interea primus dignitate accedens post venerationem & osculationem sacrarum imaginum, imaginem quæ in Evangelio est, deosculatur, dicens: χριστὸς ἀνέστη, *Christus resurrexit*: & ipse vicissim in faciem à Sacerdote osculum accipiens, respondente: ἀληθῶς ἀνέστη, *Verè resurrexit*. Et sic coram Sacerdote sistitur. Et procedens alius post Sacerdotis oscula, alium stantem amplectitur, & mutuo amplexu alter alteri oscula impingit, verba eadem enuncians, & penes primum manet. Sic advenit tertiùs, quartus; donec omnes qui in Ecclesia sunt, eadem peragant, osculo dato omnibus, acceptoque ab omnibus, quo finito à Sacerdote populus maxima lætitia dimittitur. Fœminæ in Gynæcejo inter se ipsas mutuis amplexibus eadem verba alterâ proponente, alterâ respondente, similia agunt, donec stantes stantibus omnes libentes non sine complexu, suavium dent accipiantque. Neque pueris hoc osculum denegatur; illi etenim pleni gaudio, tumultuario quodam subsultu, totis parentes & amicos, & quos ipsi noverint, ulnis amplectentes oscula capiunt & reddunt. Extra quoq; Ecclesiam per tres illos resurrectionis dies & amplius, quicunque obvii facti fuerint, amplexu excepti, ad oscula mutua admittuntur, viri à viris, mulieres à mulieribus; pueri nullum servant ordinem. Et sic universus Christianorum cœtus depositis odiis & osculo reconciliatus, uno dilectionis vinculo colligatur. Gaudium Ruthenorum in Festo Paschali M. *Adam Olearius* in Germanica Itineris Persici descriptione pag. 106. ita describit: In Festo Paschatos magnum ostendunt Russi gaudium, partim ob finitum jejunium, partim ob memoriam resurrectionis Christi. Morem habent, ut ipso Paschatis die invicem in plateis sibi obvii alter alterum osculentur, adjecta voce *Christos wos Chrest*, Christus resurrexit: cui alter respondet: *VVoistin wos Chrest*. Certissimè resurrexit. Plerumque etiam ova colorata secum habent, & donant amicis; imò nec aliis postulantibus facilè denegabunt. Plurimi enim in foris sedent hinc inde, qui magno numero talia variis coloribus tincta pictaque di-

O ven-

vendunt. Quinimò ipſe Zaar ſolet ſuis aulicis diſtribuere hoc munuſculum, etiam omnibus captivis in carceribus, quos interdum ipſe adit, ſalutat, & eis reſurrectionis Domini gaudium annunciat. Turcis quoque Paſchali tempore oſculum uſitatum eſt. *Chriſtophorus* enim *Richerius* Cubicularius Regius, & Cancellario Franciæ à Secretis, in libello de moribus & Inſtitutis Turcarum, Arabum, aliarumque quæ Mahumedem ſequuntur, gentium, affixo Gabrielis Sionitæ Arabiæ pag. 94. ait: Abſoluto tempore Jejunii ſtatam feriam, hoc eſt, Paſcha unum, in memoriam illius arietis, qui inopinanti Abrahamo in victimam loco filii objectus eſt; noctis porrò ejus, quâ Alcoranum cœlo ad ſe miſſum prædicant; celebrare conſueverunt, ſepulchris mortuorum inviſendis, fundendis ad ea orationibus, conſumendis ibidem cibis quotquot ſecum attulerint: Mutuis demum datis oſculis in hæc verba prorumpunt: *Baaram Glutioczong*, hoc eſt, ſit tibi hoc Paſcha fauſtum ac felix.

* Græci *Troparium* vocant nonnullas preces, quas in horis Canonicis canunt. Tropus eſt genus monaſtici cantus, qui ante Miſſæ introitum in ſolennitatibus dici ſolebat. Τρόπ☉ converſionem, & revolutionem ſignificat, nam reiterantur eadem verba, & ideò à *Johanne Beleth. cap. LIX. de divin. offic.* dicitur zona, quia tanquam cingulum amborum ſenſuum capita annodat. Ad Troparia Græcorum hujuſmodi tropos accedere ait *Pamelius in Præfatione Tomi II. Liturgicorum.* Nullum eorum veſtigium (inquit *Bona Lib. II. Rer. Liturgic. Cap. III. p. 504.*) inveni apud Scriptores, qui ante annum Chriſti milleſimum libros de divinis officiis ediderunt. Quare *Durando* nullo modo credendum eſt, illorum inſtitutionem Gregorio Magno adſcribenti, nec *Johanni Petro Ferrero Ravennati*, viro alioquin erudito, qui Durandum ſequitur, *Lib. VI. de Mirifici verbi Libamine*, qui extat M.S. in Bibliothecâ Vaticanâ. Aliquandò tropus ponitur immediatè ante Introitum, ut in feſto Nativitatis ante illum introitum: *Puer Natus eſt nobis*, præcedit Tropus iſte, *Ecce adeſt, de quo Prophetæ cecinerunt dicentes*: Puer. Aliquandò ipſi intermiſcetur

ſcetur, unâ parte chori ipſum tropum, altera introitum concinente: quorum extant exempla in antiquis Monaſteriorum libris: à Monachis enim privatâ quorundam Abbatum autoritate, ut priſca ferebant tempora, hæc additamenta originem traxiſſe puto. Conf. *Macer in Hierolexico p.* 641. *&* 651.

§. XII. In Eccleſiâ Latinâ Miſſale oſculandum nunquam offertur ab Epiſcopo Principibus, idque juxta conſtitutionem Concilii Provincialis Mediolanenſis primi, quod habitum eſt Anno Domini MDLXV. Menſe Octobri. Capitulo enim de dignitate ab Epiſcopo retinenda, *parte I. Actorum, p. mihi 16. facie 2.* ita ſtatuitur: Alienum eſt valde ab Epiſcopali dignitate, ſi Epiſcopi in conſuetudine Principum ſe deprimant & abjiciant. Ne igitur Principib⁹ accumbentibus ſtent ipſi, ne eó quidem nomine, quod ſumto à Principibus cibo, Deo gratias agere debeant. Et *Actorum parte I. Concil. Provincial. IV. Capitulo*, quæ pertineant ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium & divina officia, pag. 151. fac. 2. Caveatur cum in Miſſæ ſacrificio, quod etiam ſine cantu fit, MISSALIS aut EVANGELISTARIS LIBER, aut Pacis inſtrumentum, cuiquam vel Principi, vel Magiſtratui, vel alii ad oſculandum præbetur, ne id munus per Laicum hominem, ſed per Clericum capiatur. Quod ad ſuperiùs hoc in paragrapo ſancitum attinet, procul dubio ex eminentiæ Epiſcopalis conſideratione profluxit. Epiſcopalis enim dignitatis amplitudo & poteſtas humanâ voce explicari non poteſt, judicio acutiſſimi Plocenſis Epiſcopi *Stanislai Lubienski*, in monitis de Epiſcopatu recte gerendo. Divinum eſt, *inquit*, quod ſuſcipiunt, arduum & difficile, quod ſe effecturos profitentur. Eorum eſt, Dei in terris obire vices, curare & efficere, ne quis eorum, qui illorum fidei commiſſi fuerint, pereat; Ut omnes rectam, & orthodoxæ fidei & Chriſtianarum virtutum, quæ ſolæ hoc nomine ritè cenſentur, normam teneant, denique, ut ſicut in cœlo, ſic in terra fiat voluntas DEI, nomenque ipſius ſanctiſſimũ honorificetur. Oper. P. II. f. 243. Inde ſine dubio factum, ut ſanctiſſimi quique viri delatum ejusmodi honorem ſpernati fuerint, & in ſpeluncis latere, vitæ quodvis periculum adire, patriâ extor-

 res

„res esse, & voluntarium exilium pati maluerint, quàm tanto oneri „subjicere cervicem. Sanctus Nitammon cujus nomē fastis Eccle„siasticis ad diem octavam Idus Januarii adscriptum legimus, cum „è solitudine, in quâ sanctissimè vixerat, per vim traheretur, Episco„pus Geris in Ægypto renunciandus, tantò pavore consternatus „esse dicitur, ut inter trahentium magis, quàm deducentium ma„nus, fusis ad Deum precibus, impetrato vitæ fine, mori potius, quod & obtinuit, maluerit, quam discrimen Salutis ex suscepto Episcopatu adire. Idem *Lubienski* ibidem, f. 246.

§. XIII. Quomodo Clerici se invicem in communione osculentur, *Gulielm. Durandus Lib. IV. Ration. divin. offic. cap.* IX. „edocet. Romanus Pontifex, (vel etiam alii quidam) conversus „osculatur Diaconum, ut ostendat, pacem illam in adventu Christi „venisse, quam Prophetæ promiserant. Unde David Psalmo LXXI. „Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis. Diaconus verò „statim se inclinans osculatur pectus ejus, designans quod inspira„tione divinâ Prophetæ Pacem prædixêre futuram. Nam & Jo„hannes super pectus Domini recumbens, Evāgelii fluenta de ipso „sacro Dominici pectoris fonte potavit. In nonnullis verò Eccle„siis Episcopus primùm osculatur ministros, postea altare, deinde „Evangelium, quoniam Christus sibi primùm recōciliavit Aposto„los, postea Judæos, deinde gentiles. In quibusdam etiam locis offert osculum pacis Cantoribus, quasi retrorsum implens illud: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Dat quidem præsentibus, relinquit absentibus, nec ante osculum pacis Cantores dicunt: *Gloria Patri*, quia fides Trinitatis non ante claruit: quàm se Dominus inclinavit, & nos reconciliavit & Trinitatem per Apostolos prædicari mandavit. Et ideò osculo dato Episcopo, innuit eis ut dicant: *Gloria Patri, & filio, & Spiritui S. sicut erat in Principio & nunc & semper, & in secula seculorum Amen*. Osculo autem dato rursus Diaconi Pontificem orant, quasi dicant, Domine, doce nos orare. Aliter autem Presbyteri & Diaconi Episcopum osculabantur, aliter Subdiaconi, dum Christi corpus ab eo reciperent, quam differentiam ordo Romanus Missæ his verbis insinuat: Presbyteri

teri & Diaconi osculando Episcopum, corpus Christi ab eo manibus accipiant, in sinistrâ parte altaris communicaturi, subdiaconi autem osculando manum Episcopi, ore accipiant Corpus Christi ab eo. Modò nominatus Scriptor. *Lib. IV. Ration. div. Offic. cap. LIII. §. II. seqq.* idem argumentum ulterius prosequēs ait: Episcopus solenniter celebrans juxta morem quarundam Ecclesiarum ter osculatur, semel ministrum, & secundò Diaconum, & tertiò Sacerdotem. In signum verò reverentiæ Subdiaconus & Diaconus pedes & manus summi Pontificis osculantur. Pedem Subdiaconus osculatur, post Epistolam lectam, & Diaconus ante legendum Evangelium. Manum verò Subdiaconus osculatur, offerens ampullam cum aquâ, calicemque cum vino: Et Diaconus offerens patenam cum hostia & thuribulum cum incenso, uterque etiam de manu summi Pontificis Eucharistiam accipit. Illud quoq; vacare non creditur mysterio, quod summus Pontifex septem modis accipit osculum, videlicet ad pectus, ad os, ad humerum, ad manus, ad brachia ad genu & ad pedes. Et Lib. IV. cap. XXIV. Quando Episcopus vel Sacerdos celebrat cum ministris, cuncta solenniùs peraguntur: Diaconus primò dextram manum Pontificis osculatur, nihil dicens, qui a Prædicator Evangelizare debet pro gloria æternâ, de qua Sponsa dicit in Canticis cap. II. Dextra illius amplexabitur me. In aliis tamen Ecclesiis non osculatur, sed solùm inclinans benedictionem poscit. Verū Subdiaconus non manus, sed pedes Romani Pontificis osculatur, ut Summo Pontifici summam exhibeat reverentiam, & ostendat eum esse illius VICARIUM, cujus PEDES OSCULABATUR MULIER ILLA, quæ fuerat in civitate peccatrix. Generaliter nemo debet manum summi Pontificis osculari, nisi cum de manibus ejus aliquid accipit, vel cum ad manus ejus aliquid tribuit, ut ostendatur, quod ex utroque debemus gratias agere ei, qui sicut semper dat propria, sic nunquam recipit aliena.

§. XIV. Illud autem prætermittendum non est, pergit *Durandus* Lib. IV. cap. LIV. §. 4. quod ut perceptione corporis & sanguinis Christi, nulla possit fallacia suboriri, sed in utraq; perfectione veritas evidenter appareat, summus Pontifex non statim permittit

particulâ hostiæ cadere in calicē, sed eam post trinum crucis signaculum super patenam reponit, & post osculum pacis ad sedem ascendēs, ibiq; considens universis cernentib⁹, majorem partem oblatæ suscipit de patenâ, quam Subdiaconus adportaverat de altari, ipsamq; dentib⁹ subdividens unam particulam ejus sumit, & aliam in calicem mittit, & de sanguine cum calamo * haurit. Deinde alteram particulam tradit cum osculo Diacono, aliamq; Subdiacono sine osculo, quem Diaconus ministrans ei ad altare calicem osculatur, & tunc Subdiaconus residuū sanguinis cum particulâ immissâ in calice sumit. §. VII. Ad notandā distinctionē inter Sacros ordines & non sacros, Diaconi qui & superioris ordinis sunt, cum recipiūt Eucharistiā, osculū suscipiunt ab ipso, (Papâ) acolythus & qui sunt inferiorum ordinum, non suscipiunt. Subdiaconus etiam qui charactere hujusmodi quondam inter non sacros, nunc autē inter sacros ordines reputatur, in perceptione corporis nō suscipit osculum à Pontifice, sed in perceptione sanguinis suscipit osculū à Diacono, ut sic qui non sacri sunt, min⁹, & qui sacri sunt, ampli⁹ honorētur.

* Calamus sive fistula Græcis σίφων, instrumentum notat quo antiquit⁹ sanguis Domini è calice exsorbebatur in cōmunione, ne effunderetur. Hodie tamen solus Pontifex utitur Siphone in solennib⁹ celebrationibus, qui tubulus ex auro est, quo Diaconus etiā, & Subdiaconus Dominicum sanguinem exsorbent. Davantria in Cæremoniali M.S. ubi describēs Cardinaliū Diaconorū cōmunionē, de hac fistulâ facit mentionē, aitq;, hos Cardinales post sumptionē corporis Christi exsorbuisse sanguinē Dominicā per Siphonē ex Calice, sustētato à concelebrante Diacono, qui interim hæc verba pronūciabat: *Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternā. Amen.* Et si fortè in eadem Papali aliquis Rex tunc repertus esset, is associatus à secundo Cardinali Episcopo, (quem Davātria sub-Priorem appellat) accedebat ad altare, & recipiebat Sacramentum sub utraq; specie, sic in Praxi hic Autor testatur se vidisse de An. MCCCLV. quandò in die Paschæ per manus Innocētii IV. cōmunionem acceperat Petrus Rex Aragonensis ab Albanēsi Episcopo associatus. In die autē feriæ quintæ in Cœna Domini ad imitandam Christi humilitatem ait idem Davantria, quod Pontifex solus cōmunicat super altare sine ministris, & non cum calamo, sed cum Calice tantùm se confirmat illa die. Etiàm Laici, quandò antiquitùs sub utraq; specie recipiebant Sacramentū, per hanc fistulam sorbebant sanguinem. Quia sanguinis effusio pro-

pter incultioris populi rusticitatē meritò timebatur, calicibus canna est ferruminata affabreq; inserta. *Lindanus in Panopliâ Evangel. Lib. IV. c. 56.* Quæ tamen canna sustentari involuta ab Acolytho solebat, sicut hodie fit de patenâ à Subdiacono, hinc *Ordo Romanus* habet: Acolythū patenam & fistulā habentē. Vid. *Macer in Hierolexico, p. 570.*

Inter Græcos Pontifex primus pani communicat, & tremendo calici participat, Neq; enim illi alius porrigit, nisi forte quispiam ejus ordinis sit, Pontifex videlicet. Deinde aliis omnibus manum & genam osculantibus cōmunionem impertitur, qua & carnis cōmunicationē etiam in futuro seculo, cum Jesu indissolubili nexu futuram prædicat. Manus verò & gena osculum suscipiunt, illa quidem ut ministra, & quæ tremenda illa tangit, hæc quia instrumentū sermonis est, undè preces fiunt, & propter Charitatem, communionemq; in Christo, quod & cōfirmat id, quod tunc profertur, *Christus in medio nostrûm.* *Simeon Thessalonicensis de Templo & Missa*, in Euchologio Græcorum, p. 229. *Durandus Lib. IV. c. LIIX.* Dicto, ite, Missa est, Sacerdos qui adsistit Episcopo ad altare, in quibusdam Ecclesiis mensam altaris ad armū dextrum Pontificis osculatur, ostendens, hunc illum esse Pontificem, cui secundùm legis figuram dexter armus separationis debebatur de hostiis salutaribus & pacificis. Sanè per humerum exprimitur Principatus, secundum illud Propheticum *Es. IX. Factus est Principatus super humerū ejus.* Principatum verò Salvatoris verè expressit vox Angelica, Prophetica & legalis. Angelus enim dixit ad Virginem *Lucæ I. Dabit ei Dominus sedem David, Patris ejus, & regnabit in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Propheta dicit *Ps. XLIV. Sedes tua in seculum seculi, virga regni tui, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Moses, inquit in lege; *Lætamini simul cum eo cœli, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Ad quod designandū in Ecclesia Romanâ tres humerum Pontificis osculantur, in signum reverentiæ, videlicet Primicerius in Principio, Diaconus in medio, & sacerdos in fine Missæ.

§. XV. Deniq; brevem ἀνακεφαλαίωσιν propositorum ut instituamus *Æmari Hennequinæi* verba ex *Lib. de Carem. Missæ c. IX. & XXXVIII.* apud *Antonium Ricciardum Brixianum, in Commentariis Symbolicis Tomo II. fol. m.* 108. prolata adhibebimus. Osculum *inquit*, quod exhibet" Sacerdos, aut significat unionem, aut significat pacem, aut signi-" ficat charitatem, aut significat consensum. Osculum quod"

„Sacerdos exhibet altari, significat unionem, quæ est unio verbi „divini ad humanam naturam; aut est unio Christi Domini ad animam justam & innocentem. Osculum quod exhibet Sacerdos ministris, significat pacem, quæ est aut temporalis aut spiritualis, aut æterna. Osculum quod exhibet Sacerdos Patenæ, significat charitatem, quæ est aut in Deum, aut in proximum. Osculum quod exhibet Sacerdos libro, significat consensum sive Concordiam, qui consensus respicit & Patres Veteris legis, & nos Evangelicos. Osculum in Missa tredecis exhibetur à Sacerdote. Osculum adhibetur altari septies, bis patenæ, bis libro, & bis ministrantibus, neq; id sine mysterio propter ternarii numeri rationem adhibita unitate; ternarius enim numerus quatuor vicibus repetitus, duodenarium facit, cui adjuncta monade fit numerus decimus tertius, qui numerus in Christo Domino & Apostolis Mysticus & sanctus est Conf. *Josua Stegmann, Christognos. Meletem. V. Christi genethliac.* Antiquitus immediatè post Pater noster dabatur Pax, teste *Baronio* ad annum Christi XLV. num. 25. Igitur Diaconus à celebrante accipiens Pacis osculum juxta morem Subdiacono donat, & is omnibus illis tantùm, quos Diaconus incensaverat, communicat, eo ordine, quo incensatio facta fuerat, licet brevitatis gratia sufficiat hanc cæremoniam peragere cum capitibus ordinum in illis Cathedralibus, in quibus reperiuntur Præbendæ Diaconales, & subdiaconales distinctæ, at ubi hic ordo minimè extat, sufficeret primis ex utroque choro hujus functionis actio. Olim etiam Lectori Epistolam Pauli lecturo dabatur Pax. *Baron.* ann. LX. num. 58. Pax autem datur cum dantis & recipientis amplexu, cum sinistræ genæ contactu, quia sunt ex cordis latere, ut ordinant Rubricæ. Ac ultimo loco Subdiaconus Acolytho, qui illum adsociatus est, dat pacem, & hic inferioribus Clericis, aliisque secularibus defert. Secularibus enim nunquam à Subdiacono est Pax deferenda, licet Magnates & locorum Domini essent. Ita Sacr. Rit. congregatio sub die quinto Julii M DC XIV. decreverat. Quandò in celebratione reperitur Sacerdos assistens, tunc hic debet à celebran-

lebrante Pacem sumere, & Subdiacono conferre, ut ad chorum, & deinde ad Diaconum illam deferat. Ead. Sacr. Congreg. Rit. XVII. Junii, Anno MDCVI. Si verò Pontificialiter Episcopus celebret, tunc ad assistentem Sacerdotem spectat ab eo pacem accipere, qui accedens ad latus Episcopi dextrum, & genuflexus osculando prius altare, accipit ab ipso Episcopo Pacem, & ad chorum eo ordine, quo incensatio adhibita fuit, defert. Diaconus & Subdiaconus quandò communicantur, ab eodem Episcopo pacem sumant, duo verò Diaconi assistentes ab eodem etiam post Assistentem Presbyterum sumant, facientes prius genuflexionem; sed altare non osculantur. Tandem Presbyter assistens illam Cæremoniarum Magistro dat, & hic ad alios chori Clericos defert. Quandò verò Episcopus solummodò ad Missam cantatam assistit, tunc Presbyter assistens sumpta à celebrante pace, ad Episcopum deportat, qui Diaconis assistentibus illam communicat. Presbyter autem assistens postquam Episcopo pacem dederit, ad suum locum in Choro recedit, ubi accedens Subdiaconus ad recipiendam pacem, eam ad alios juxta consuetum morem, ut supra dictum, defert, ac tandem Diacono communicat. *Cærem. Episc. Lib. I. cap.* 24. Nam Diaconus in tali casu non debet à celebrante pacem recipere, sicut in aliis casibus facit. Sic enim Sacr. Rit. Congreg. XVII. Junii MDCVI. & XV. Martii MDCVIII. declaravit. Qui fert iconem pacis, vel librum Evangeliorum ad osculandum, non debet facere reverentiam personæ, cui pacem, vel librum porrigit ad osculandam in principio. *Cæremon. Episc. Lib. I. cap. XIV.*

§. XVI. Specialis ritus, inter Romanenses obtinet, quod in Concilio * Provinciali finito Metropolitanus Præsul Episcopis reliquis osculum figit. *Actorum parte I. Concil. Provinciali IV. p.* 179. Absoluto denique ut moris est, Concilio, & sanctis acclamationibus factis, tunc omnes Episcopi surgentes cum reverentiâ osculū Pacis à Metropolitano accipiant, & sibi invicem dent, cum timore

 & amo-

& amore DEI. Quodque sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsâ præstent, ut conjunctissimis animis concordiq; voluntate, & pacis atque charitatis studio, quæcunq; sancita sunt, solicitè exequendo, in eam curam incumbant, ut universa Provincia hæc salutaribus disciplinæ institutis ad usum inductis in omnes benè pieq; agendi partes æq; conformetur. *Concil. Provinc. VI. act. part. I. pag. 313.* Concilio ritè absoluto & dimisso Metropolitanus unumquemque Episcopum, qui ad se salutandum venerit, discedentem sancto osculo Pacis dimittat, ejusque Orationibus & precibus sese intimè commendet. Idem in fine Synodi Diœcesanæ ab Episcopo peragitur. *Concil. V. Provinc. Actor. P. I. p. 279.* Acclamationibus factis omnes Sacerdotes & Clerici surgentes, cum reverentiâ osculum Pacis ab Episcopo accipiant, & sibi invicem dent cum timore & amore Dei. Si verò Cleri, qui convenerit, numerus is est, ut longiùs hic osculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, ut Præpositi & Archipresbyteri solum ab Episcopo illud accipiant, qui deinceps suo quique Clero dent, isque inter se mutuò item.

* Concilii vox deducitur Varroni à conciliando, fullonum verbo, qui lanam cogentes conciliare dicuntur, & ipsa eorum coactio, quæ pedibus ferè peragitur, concilium appellatur. Hinc translatio facta est ad aliarum quoque rerum & hominum denique congregationem. Vide *Gellium Noct. Attic. Lib. XV. c. 27 & Paulum Merulam de Romanorum Comitiis p. 5. Edit Lugdunensis in 12. An.* MDCLXXV. Conciliorum alia sunt Universalia sive Oecumenica, alia Particularia; & hæc vel Nationalia, vel Provincialia, vel Diœcesana. Universalia sunt, quæ sancti Patres & Laici qualiscunq; ordinis Christiani orbis pleriq;, in unum convenientes juxta fidem Evangelicam & Apostolicam condiderunt. Et talia concilia dicuntur Oecumenica non alia ratione, quam Imperator totius orbis Dominus, *L. IX. ff. ad L. Rhod. de Jact.* Patuit enim tàm latè eo tempore Imperium, ut potissima Orbis Christiani portio Cæsaribus pareret; ac proinde cum non unius nationis aut provinciæ, ipsorum Jussu, sed totius Imperii convenerint Episcopi, ratione orbis imperii, non terrarum, Synodi fue-

runt

runt Oecumenicæ. Nationalia & Provincialia à Metropolitano, Diœcesana ab ordinario loci Episcopo congregantur. Vid. *Christoph. Justellus* in Not. ad Codic. Canon. Eccles. African. p. 30. 31. 32. Ordo celebrandi Concilii ab *Isidoro Mercatore*, qui circa Hadriani I. & Caroli Magni tēpora floruit, desumptus ex Concilio Toletano IV. c. 4. & *Garsiæ Loaisæ* Hispanicorum Conciliorum editionis diligentia emandatus, (quo de tamen *Binius Tom. I.* rectè monet, non esse generalem hunc ordinem, sed tantùm forte observatum in Toletano vel aliis in Hispaniâ celebratis Conciliis) ut citatur Tomo I. Concil. Edit. Surianæ p. 11. sic habet: Horâ diei primâ ante Solis ortum ejiciantur omnes ab Ecclesia, obseratisque foribus, cuncti ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent, & convenientes omnes Episcopi pariter introeant, & secundum ordinationis suæ tempus resideant. Post ingressum omnium Episcoporum, atque consessum, vocentur deinde Presbyteri, quos causa probaverit introire. Nullus inter eos audeat ingredi Diaconorum. Post hos ingrediantur Diaconi Probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Et coronâ facta de sedibus Episcoporum Presbyteri à tergo eorum resideant, quos tamen sessuros secum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare aliquid, & definire possunt. Diaconi in conspectu Episcoporum stent. Deinde ingrediantur Laici, qui Electione Conjugali Concilio interesse meruerunt. Ingrediātur quoq; Notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit. Obseratisque januis, & sedentibus in diuturno silentio Sacerdotibus, atque cor totum habentibus ad Dominum, dicat Archi-Diaconus: ORATE! Statimque omnes in terram prosternantur tàm Episcopi, quàm Presbyteri, & orantibus diutiùs tacitè cum fletibus atque gemitibus, unus ex Episcopis senioribus surgens orationem palàm fundat ad Dominum, & cunctis adhuc in terrâ jacentibus dicat hanc Orationem: *Adsumus Domine S. Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris; doce nos quid agamus, quò gradiamur, &c. Ut simus in te unum, & in*

 nullo

nullo deviemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut & hic in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

In hac Oratione non dicatur *Pater noster*, nec benedictio, sed ipsa solummodo Oratio confirmetur. Finitâ autem Oratione & responso ab omnibus Amen; rursus dicat Archi Diaconus: *Erigite vos.* Confestim omnes surgant, & cum omni timore DEI & disciplina tam Episcopi, quàm Presbyteri sedeant. Sicq; omnibus in suis locis consideētibus, Diaconus albâ indutus codicem canonū in medium proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet, id est, de Concilio Toletano VI. æra III. Item è Capitulis Orientaliū Patrū, quæ Martin9 Episcopus de Græco in Latinū vertit, æra XVIII. de Synodo faciēdâ: Item è Concilio Chalcedonensi ærâ XXVIII. Ex Concilio Agathensi, æra XXXV. vel aliud de Canonibus, quid Metropolitano aptiùs visum fuerit, ut legatur; finitisque titulis, Metropolitanus Episcopus Concilium alloquatur per exhortationem, ita dicens: *Ecce sanctissimi Sacerdotes præmissis Deo precibus fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obtestor, ut ea, quæ à nobis de Deo & sacris Ordinibus, vel Sanctis moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate suscipiatis &c. Quod si forsitan aliquis vestrûm aliter, quàm dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis, in nostrorum omnium copulatione, ea ipsa, de quibus dubitaverit, conferenda reducat, qualiter Deo auxiliante aut doceri possit aut doceat. Deinde simili vos obtestatione convenio, nullus personam in Judicando accipiat, aut quolibet favore vel munere pulsatus, à justo Judicio scienter avertatur.* Post hanc exhortationem introibunt omnes, quicunque fuerint Presbyteri, Diaconi, vel Religiosi, sicque ArchiDiaconus legat Canonem Toletani Concilii æra I. Ne tumultu concilium agitetur. Postea Concilium Ephesinū ex ordine perlegatur. Deinde collatio & instructiō de Mysterio S. Trinitatis habeatur, simulque de Officiorum Ordinibus, si in omnibus

omnibus sedibus ejusdem celebritatis unitas teneatur &c. Nec ad aliud aliquid ante transeatur, quàm ista omnia explicentur, ita tamen ut totos tres dies Litaniarum nihil aliud agatur, nec retractetur, nisi sola collatio de Mysterio S. Trinitatis, & de Ordinibus Sacris, vel officiorum institutis.

Post hæc in quarto die reliquæ per Ordinem Personæ admittendæ sunt, sicq; omnes, qui de religiosis in retroactis diebus pro spirituali instructione interfuerant, egrediantur foràs, residentibus aliquibus Presbyteris, quos Metropolitanus probaverit honorandos. Et sic consedentes causarum negotia justè & religiosè colligãt. Nullus tamen tumultus inter considentes aut inter adstantes habeatur. Eodem modo eodemque ordine ad concilium omnes per singulos dies ingrediantur, ut supra dictum Si Presbyteri reliqui aut Diaconi, Clerici s. Laici, de his, qui foris steterint, Concilium pro qualibet re crediderint appellandum, Ecclesiæ Metropolitanæ Archidiacono causam suam intiment, & ille Concilio denunciet. Tunc & illis introeundi singulatim & proponendi licentia concedatur. Nullus Episcoporum à cœtu communi secedat, antequam hora generalis secessionis adveniat. Concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata, ita ut quæcunque deliberatione communi finiuntur, Episcoporum singulorum manibus subscribantur. In die, quo Concilium absolvendum est, Canones, qui in S. Synodo sunt constituti, coram Ecclesia in publico relegantur, quib⁹ explicatis in Choro respõdeatur: Amen.

Deinde ad locum redeuntes Concilii, canones ipsos subscribãt. Jam quæ post concilium agantur, sic addit *Isidorus*. 1. Admonendi sunt à Metropolitano de Pascha futuro, quo veniat die. 2. Quo tempore superveniente anno ad faciendum concilium veniant. 3. Eligendi sunt de Episcopis, qui cum Metropolitano dies festos, Natali Domini & sanctum Pascha debeant celebrare. Post hæc dicente Archidiacono: ORATE, omnes prosternantur in terram, ubi unus è Senioribus hanc illis Orationem dicat: *Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffensè possit tuæ voluntatis Judicia expedire, & ideo perfectioni deputa, quæsumus, quæ perfecto*

æquitatis fine concludere præoptamus, &c. Huic Oratio, Pater noster, adjungatur, & cunctis adhuc in terrâ jacentibus hæc benedictio explicetur: Christus DEI filius, qui est initium & finis, complementum vobis tribuat charitatis! Amen. Et qui vos ad expletionem hujus Concilii fecit pervenire, absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti, Amen. Quibus expletis cum dictum fuerit ab Archidiacono: In nomine Domini JESU CHRISTI eamus cum pace! Omnes illicò pariter exsurgentes, residente Metropolitano, ab ipso primùm incipientes, OSCULUM sibi invicem omnes dabunt. Sicque datâ sibi invicem pace, Conventus Concilii absolvatur. Alius modus concilii instituendi legitur apud *Burchardum* Tomo III. *Concil. Salegunstad.* c. XX, quem, cui volupe est, evolvat.

§. XVII. Varia quoque oscula in ordinatione cujuslibet Sacerdotis ab Ecclesia Græcanicâ adhiberi, ex ipsius *Rituali* sive *Euchologio* sufficienter innotescit. Inter alia de ritu ordinationis Presbyteri servando, sequentia verba occurrunt: Καὶ οὕτως ἀσπάζεται τὸν Ἀρχιερέα, καὶ τοὺς πρεσβυτέρους: (ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι πρεσβύτερος) Atque ita Pontificem exosculatur & Presbyteros: (ordinandus Presbyter.) Ad quæ *Jacobus Goar* in Notis pag. 298. ita commentatur: Mira sagacitate cunctas Ecclesiæ suæ cæremonias persequitur *Simon Thessalonicensis*: εἶτα προτρέπεται, ait, τὸν ἱερὰν ἀσπάσασθαι τράπεζαν, ὡς πλήρη χάριτος, καὶ ὡς ἐν αὐτῇ καθαγιασθείς. Εἶτα τὴν ἀρχιερατικὴν δεξιάν, ὡς δι᾽ αὐτῆς χειροτονηθεὶς, καὶ ἔτι τὴν παρειὰν διὰ τὴν θείαν ἀγάπην, καὶ τὴν εἰρήνην, καὶ ὅτι ὄργανον ἡ παρειὰ τῶν εὐχῶν, καὶ ὅτι ὁ ἀγαπῶν, καὶ ὁ ἀγαπητὸς καὶ ὁ τελῶν, καὶ ὁ τελούμενος διὰ τοῦτο, καὶ οἱ πάντες πρεσβύτεροι χαίροντες ἀσπάζονται τοῦτον ὡς ὁμοταγῆ γίγοντα, καὶ τὸ τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς ἑνώσεως ἐπιδείκνυνται. Commonetur deinde sacram osculari mensam, tanquam gratia exundantem, & quia in eâ consecratus est, tum verò genam, propter divinam charitatem & pacem, & quia est instrumentum precum, eò quod etiam ipse & Pontifex, sicut diligens & dilectus, initians & initiatus, propterea & omnes Presbyteri lætantes cum gaudio hunc deosculantur, quasi ejusdem ordinis participem, eiq; dilectionis & unitatis signû omnes demonstrant. Osculum porrò in universâ Ecclesiâ Sacerdoti recens ordinato quondam datum

colli-

colligitur, tùm ex veteri *ordine Romano* scribente: Tunc osculetur singulos dicens: *Pax Domini sit semper vobiscum*; tùm ex *Dionysio de Ecclesiasticâ Hierarchiâ* cap. V. ὁ πρὸς τῷ τέλει τῆς ἱερατικῆς τελειώσεως ἀσπασμὸς ἱερὰν ἔμφασιν ἔχει. Πάντες γὰρ ὅσοι πάρεισι τῶν ἱερατικῶν ὄντες τάξεων, καὶ αὐτὸς ὁ τελέσας ἱεράρχης, ἀσπάζονται τὸν τετελεσμένον: Quæ circa finem in sacrorum ordinum consecratione adhibetur salutatio, sacram significationem continet: Nam & omnes qui adsunt in sacris constituti, & Pontifex consecrans, consecratum salutant. Cujus ipse subdit rationem; quia cum animi charactere ordinis recepto similitudinem in sese mutuam contemplentur, nec ab amore, nec ab amoris symbolo, quod est osculum, continere se possunt. Ἔνθεν ὁ πρὸς ἀλλήλους ἱερὸς ἀσπασμὸς ἱερουργεῖται τὴν τῶν ὁμοειδῶν νοῶν, ἱερὰν κοινωνίαν ποδηλῶν, καὶ τὴν ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἐραστὴν εὐφροσύνην ὡς ὁλοκλήρως ἀποσώζουσαν ἱερατικῇ μορφώσει τὸ θεοειδὲς αὐτῶν κάλλος. Hinc cō salutatio illa inter ho- "mines Ecclesiastici ordinis consecratur & perficitur, quæ sanctam " ejusdem formæ mentium societatem, lætitiamque mutuam, quæ " amore digna est, indicat, quippe quæ Sacerdotali formæ pulchri- " tudinem divinam conservat. *Nam ut Clemens Constitutionibus Apo* " *stolicis* memorat, Lib. VIII. cap. 5. In sanctissimis hierarcharum & Sacerdotum initiationibus, qui præest augustissimæ rei conficiendæ, osculo impertito consecrationem perficit, quasi totum animū in os educeret; ad tribuendam illam κοινωνίαν; sacræ potestatis communicationē. Quâ in re osculi vice Liberator mundi Christus consimili mysterio cum initiaret Apostolos, insufflationem adhibuit, quæ expressio est prodeuntis velut animi, & se aut sua ultrò largientis. Illud ipsum in Sacrosanctâ Liturgia videre licet, in qua per osculum fit divinæ pacis concordiæque tributio. Quâ de re loquens *Johannes Belethus*, Theologus Parisiensis antiquissimus, *Lib. de divin. offic.* Cap. XLVIII. ait: Pontificem, aliumve rebus divinis operantem, accepto pacis osculo ab ipsâ Euchariſtiâ, vel, ut quidam volunt, ab altari, cœlitum in terris sepulchro, illud impertire Diacono, hunc aliis. Itaque donum illud divinum ab hieromysta pura mente haustum, animique sinu contentum, per osculum velut aureum tubum, gemmeumque Siphonem in alios transmitti-

mittitur. Quem morem scitè & eleganter pius Poëta brevi sed Musæo carmine est complexus.

Ipse etiam castâ dum operatur mente Sacerdos,
Oscula dat, quæ dant ille vel ille aliis.

§. XVIII. Apud Copticas sive Christianos in Ægypto * similes fermè in sacris Ordinationibus ritus obtinent, uti ex Rituali Ecclesiæ Ægyptiacæ, quod Jussu Cardinalium S. Congregationis de propaganda fide ex Lingua Copta & Arabica in Latinum transtulit *Athanasius Kircherus* Anno M DC XLV. elucescit, ibi enim de Ordinatione Anagnostæ sive Lectoris, pag. 241. Lib. I. συμμικλ. lego: Post hæc dabit Librum (Episcopus Lectori) ut portet Evangelium supra Pectus & osculetur altare, manus autem Episcopi & præsentes cum eo. Tunc declarant ei Sacramenta sancta &c. Quandò Sacerdos consecratur Juramento præstito osculari tenetur altare Episcopum & præsentes. Ibidem pag. 251. Idem ordinatus Prælatus facere debet, juxta paginam 254.

* Copticæ Ecclesiæ nomen Christianis in Ægypto degentibus, & in Alexandrini Patriarchæ, qui Cairi hodie residet inspectionem agnoscentibus, convenire nonnulli putant à regione Ægypto, propter mutuam vocabulorum affinitatem; alii à Rege quodam Ægypto, vulgo *Chibth*: quidam à Religione sive professione; Nonnulli deniq; priora rejicientes deducunt à Copto Urbe Thebaidos olim celeberrimâ. Etenim cum Ægyptus ab Insulis *Chibth* dicta sit, juxta *Thevetum in Cosmograph. de Levant*, vel uti *Leo* existimat *Africanus* Lib. VIII. à Rege Ægypto, quem communi lingua Chibth nominant, sunt, qui inde ortum tradunt *Cobt*, ac ulteriùs *Copt*. Notat præterea *Masius* in peculiar. Syror. Ægyptios in quibusdam Antiquitatibus *Ægophti* denominatos: ab hoc igitur nomine, levi mutatione, abjecta nempe per aphæresin usitatam, vocali composita, Æ, factum *Gophti*. Atque hæc sententia arridet *Alexandro Roß* in Tractatu Germanico: **Unterschiedliche Gottesdienste in der gantzen Welt.** p. m. 845. Edit. Heidelberg. in 8. An. M DC LXXIV. Conferatur *Edoard, Brerewood*, in Scrutin. Religion. p. 170. *Johannes Hoornbeek* in Sum-

in Summâ Controversiar. Lib. IX. p. 957. Cophtos dictos scribit ab urbe Ægypti celeberrima olim, & Thebaidos Metropoli *Copto*, unde & *Coptos* dicendos censet vel *Coptitas*, *non Cophtos*, quomodo illos Mahumedani appellant, per contemptum, quasi dicas, *incisos*: Unde & nomen hoc venire, & scriptionem esse *Cophti*, sive ab usurpata olim circumcisione, sive exprobratâ, nonnullis visum. Respicit vero Theologus Belgicus prioribus verbis præcipuè ad *Kircherum* in Prodromo Copto; Verùm si à *circumcisione* Christiani in Ægypto à Mahumedanis *Cophtitæ*, dicti, sanè non per contemtum ita ab illis appellari videntur; constat enim, quod Mahumedani circumcisionem magni faciant. Adhæc nullum in Lingua Arabica & Ebræa, testantibus viris doctis, occurrit vocabulum Circumcisionem significans, quod cum Cophtus, seu Gophtus cognationem habeat. Neq; tamen negare velim, quòd à Christianis cæteris, puta Græcis ibi viventibus, per contemtum *Kόfti*, id est, *circumcisi*, idq; lingua Græca crassiore, ut notat Salomon Schweiggerus in Itinerario Lib. III. cap. X. p. 252. dicantur. Illorum autem qui Coptitas ab urbe illâ, quæ nomine Copton insignita olim extitit, nominatos existimant, sententia præ reliquis *Athanasio Kirchero* placet Prodrom. Copt. Cap. I. Mentionem hujusce Urbis faciunt *Flavius Josephus*, Lib. IV. cap. XI. de Bello Judaico, *Plinius* Histor. Natur. Lib. V. cap. IX. & *Plutarchus* in Lib. de Iside & Osiride, Tom. II. Oper. p. 356. ubi tradit, Isin vestem sumpsisse lugubrem, ubi Urbs est, quæ Coptus hodie dicitur. Et p. 362. In Festivitatibus Ægyti, inquit, ignominiosè tractant rufos, (homines) asinumque de præcipitio dejiciunt, ut *Coptitæ* solent. *Strabonis* ætate hæc urbs tantæ fuit famæ, ut commune audiret Arabum Ægyptiorum Emporium, ad quod omnes, Indicæ, Ægyptiopicæ & Arabicæ merces ex mari rubro deferrentur. Vid. *Lib. II. Geograph.* Sita erat hæc Coptici Nomi seu Præfecturæ Metropolis sub XXVI. Latitudinis gradu, & Longitudinis LXII. dictaq; *Ramusio, Cana*, Conf. *Kircher. Prodrom. intt. cum Oepido*, Tomo I. Syntagm. III. c. 7. Reperiebantur ibidem; Hori, Isidis, Osiridis,

Q Sera-

Serapidis, imò & Crocodilorum simulachra, quæ sicuti gentiles Coptitæ religiosè ut Numina coluerunt, ita contra Christiani Coptitæ adeò aversati sunt, amore religionis, ut ne quidem nominare voluerint, referente *Kirchero* in Prodr. cap. V. sub finem. Eversa autem civitas illa est à Diocletiano, prout *Magdeburgenses Centuriatores* Cent. III. p. 318. observant, nec iterum ex ruderibus excitata. Hodie enim nulla amplius in Ægypto civitas hoc nomine venit, sicuti nec *Philippus Cluverius* in Introduct. ad Geograph. ubi de Ægypti urbibus agit, illius meminit. Cum verò ceu jam dictum, nulla hodie in Ægypto Urbs tali nomine cognita sit, & de veteri Copto vix amplius rudera supersint, nec ipsa quoque Ægyptus hodie *Coptus* nominetur, mirari subit, cur hodierni in Ægypto Christiani vocari ament *Copti*, ac non potiùs *Alexandrini*, cum Alexandria, uti notum est, (non urbs Copto) sedes olim fuerit Coptitarum Patriarchæ. Constat hac de re tum ex *Schweiggero d. l.* tum ex *Baronii* Tomo VI. Annal. ubi inter alia commemorat, quod literarum à Gabriele Alexandrino Patriarcha ad Clementem VIII. Pontificem Romanum perscriptarum, calci hæc fuerint addita: Perveniat volente Deo, Ramam ad manus magni Papæ ex Alexandria Coptorum Patriarcha. Et iterum in aliâ quadam Epistolâ: Scripsimus d. 16. Mensis Hatur benedicti, anno juxta Coptorum computationem &c. Interim tamē haut improbabilis illorum videtur opinio, qui statuunt, quod cum Christiani vel solitudinis amore, vel ob grassantes persecutiones, in Thebaidos deserta urbi *Copto* proxima, commigrârint, factum inde sit, ut Christiani postmodum maluerint ab urbe *Copto Coptitæ*, quàm ab Alexandria (ubi primùm quidem salutaris doctrinæ semina fuerunt sparsa;) *Alexandrini* nominari. Illud tamen probe notandum, quod non omnes Christiani in Ægypto hodie viventes *Coptitæ* salutentur: Sunt enim ibidem & alii, Græcæ Religioni addicti, qui Circumcisionem non admittunt, quomodo hi Coptitæ faciunt. Ab Italis Coptitæ vocantur *Christiani della Cintura*, forte quod peculiari vestitu incedentes Zona se cingunt. *Schweigger. Itiner. Constantinopolit.* l. c. Item.

l. c. Item *Iacobitæ*, à Jacobo hujus ſectæ autore. Refert quoque *Leonclavius* part. II. Chron. Turcic. p. 130. quòd Maronitæ Hierosolymis degentes itidem *Chriſtiani della Cintura*, id eſt, præcinctura vocitentur. Doctrinam & ritus Eccleſiæ Coptitæ Roſſæus, Brerewoodus, & Hoornbeckius locis allegatis proponunt, quò ſe curioſus lector conferre poterit.

§. XIX. Ἀρχιερατικὸν Eccleſiæ Græcæ, Liturgiæ parte III. de Ordinatione Metropolitæ pag. 28. hæc exhibet: Μέγας χαρτοφύλαξ κρατῶν τὸν χειροτονούμενον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀνέρχεται διὰ τοῦ ἀετοῦ πρὸς τὸν Πατριάρχην, καὶ ὑποδείκνυσιν αὐτῷ ἀσπάσασθαι τὸ τοῦ Πατριάρχου δεξιὸν γόνυ, καὶ τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ τὴν δεξιὰν παρειάν. Εἶτα ἀπέρχεται πρὸς τοὺς Ἀρχιερεῖς, καὶ ἀσπάζεται, καὶ αὐτοὺς εἰς τὸ στόμα. Magnus vero Chartophylax * tenens caput ordinati, aſcendit per Aquilam (α) ad Patriarcham, electoque innuit, ut oſculetur genu dextrum, manumque dextrã, ac dextram genam Patriarchæ. Hiſce *Iſaacius Habertus* Obſervatione IV. pag. 36. ſubdit: Hic agitur de oſculo, quod *Initiativum* dici poſſet, quomodo dicitur à *B. Dionyſio* τελειωτικὸς ἀσπασμὸς *Lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. V.* Mitto, quæ in Conſtitutionibus *S. Clementis*, Lib. VIII. Ubi Epiſcopus in Solio conſtituitur, παρὰ τῶν λοιπῶν Ἐπισκόπων αὐτὸν φιλησάντων τῷ ἐν κυρίῳ φιλήματι. Duo quidem exempla in mediũ produxit rei Eccleſiaſticæ peritiſſimus, *Fr. Hallierus*, Profeſſor Sorbonicus, unum ſancti Epiphanii, quem Pappus Diaconum primò ordinatum, poſtea pace datâ continuò Presbyterum ordinâſſe ſcribit in vitâ; cap. XXVI. Alterum S. Amphilochii ab Angelis conſecrati, & poſtea ab Epiſcopis oſculo excepti, ut narrat *Nicephorus*, quæ ſuſpecta, Lib. II. cap. XX. (β)

* *Chartophylax*, Chartarum ſeu Scripturarum cuſtos, judex omniũ Eccleſiaſticarum cauſarum, habens cauſas matrimoniales: ſed & in cæteris Clericorum cauſis cognitor, tanquam dextra Pontificis manus, *Codinus* de Offic. Eccleſiaſt. Conſtantinpolit. cap. II. §. V. In illâ Eccleſia erat nomen magnæ dignitatis, quâ decoratus ſigillum Patriarchæ (quod *Bullatorium* quoq; dicebatur) in collo appenſum ferebat, teſte Balſamone apud Baronium An. DXCI. n. 31. ſeq. *Anaſtaſius Bibliothecarius* in Notis ad ſecundam

Synodi VIII. quam Latinè reddidit, actionem, Chartophylax, inquit, interpretatur Chartarum custos, fungitur autem officio Chartophylax apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet infulis Ecclesiasticorum ministrorum, & agens Ecclesiastica prorsus obsequia, exceptis illis solis, quæ ad sacerdotale specialiter & propriè pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus Præsulum aut Clericorum à foris veniens in conspectum Patriarchæ intromittitur: nullus Ecclesiastico conventui præsentatur, nullius Epistola Patriarchæ missa reperitur, nisi fortè à cæteris Patriarchis mittatur. Nullus ad præsulatum, vel alterius Ordinis Clericatum, sive ad Præposituram Monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet & commendet, atque de illo ipsi Patriarchæ suggerat, & ipse præsentet. Nec sacerdos novellis Sponsis absque ejus licentia benedicere poterat. Alias hujus dignitatis eminentias recenset Baronius citato loco. Locus ubi Chartophylax residebat, *Chartophylacium* dicebatur, quod nos *Archivum* vocamus. *D. Gregor. in Regist. Lib. XII. Epist.* 26. Quia Chartophylacium prædictæ piæ memoriæ Justiniani tempore, ita surripiente subitò flammâ incensum est. Dicebatur etiam *Chartologium*. Vide *Hieronymum Fabrum in Sacris Memoriis Ravennatibus part. I. p.* 9. *&* 10. In Ecclesia Romana *Chartophylacis* dignitas, sub nomine *Chartularii* reperitur, longè tamen minoris æstimationis. Erat etiam officium seculare, Judicis, nempe, delegati Imperialis, non non Custodis ejusdem Imperialis Archivi; uti colligere licet ex *Anastasii* Collectaneis per *Sirmondum* in 8. editis; ibi enim de exilio S. Martini Papæ legitur: *Ergò feriâ secunda diluculo mittit Chartularium suum, & quosdam de obsequio suo &c.*

(α) Aquila Græcis ἀετὸς sive ἀέτωμα peculiariter usurpatur de fastigio ædificiorum æquilæ volantis speciem repræsentante, juxta Eustathium vetustissimum Homeri interpretem; Galeno est illud, quod triangulari forma supra tectum elevatum est, in Lex. Hip. apud Scapulam. p. m. 57. Lex. Græc.

(β) Nice-

(β) Nicephorus Callisti filius, Xanthopulus sub Andronico Palæologo circa initium seculi decimi quarti historiam Ecclesiasticam scripsit libris viginti tribus, quorum postremi quinq; perierunt. Hoc opus eruditi propter plures fabulas & falsas relationes passim acriter insectantur, quemadmodum errores non exiguos *Baronius, Possevinus* aliique in eo observârunt. *Theodorus Beza in Notis ad Act. Apostol. cap. I. v. 13.* Nicephorum ineptum ac ridiculum historiæ Ecclesiasticæ Scriptorem appellat. *Casaubonus Exercitat. I ad Baronii annales, cap. XII. p. 92.* Nicephorus, *inquit*, autor vanissimus, futissimus, fabulosissimus, nec συγγραφεὺς, sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδὸς meritô suô dicendus, cui ipse *Baronius*, quoties animum intendit, fidem omnem abrogat. Idem p. 105. Scriptor fabulosissimus, & Judicii in litteris nullius, quare quidquid apud ipsum legitur, nisi alia accedat autoritas, non pluris facio, quam folia farfari. Ipse Baronius quot locis istum fabulatorem aspernatur, rejicit, confutat? qui utinam sibi constaret, nec quod alibi destruit, idem alibi adstrueret. Plura contra illum testimonia Vide in *D. Joh. Gerhardi p.m. Patrologiâ, p. 622. seq. D. Dannhaueri Hodec. Homil. Academic. P. I. p. 157. Josuæ Arndii Not. ad Francisci Vavassoris Libr. de formâ Christi circa finem.*

§. XX. Sed exempla mittamus, satis enim de ritu constat. Apud Latinos quidem vetus Ordo Romanus in consecratione Diaconi, deinde in Benedictione Consummationis Presbyterorum: Tunc osculetur singulos, dicens: Pax Domini sit semper vobiscum. In Consecratione vero Episcopi post acceptum baculum: Tunc det osculum Pontifici & Diaconis omnibus: Et tenens eum Archidiaconus deportet in Presbyterium, & det osculum Episcopis & Presbyteris. Sic apud Græcos in Consecratione duntaxat Diaconi ad Episcopalem usque. Osculi vero hujus significatio in Ordinum Mysteriis alia est, quàm & in Baptismo, apud *S. Cyprianum Epistola Epistola LIX.* (quam ut Synodicam laudat *S. Augustinus Cont. II. Epist. Pelagii Lib. IV. cap. 8. ad*

Fidum; & apud *Chrysostomum Tomo V. Oper. homiliâ L.* Non solius videlicet charitatis, fraternitatis & pacis testificandæ causa; nam in Ordinatione adhibitum osculum præsertim oris & manus, gratiæ & potestatis communicationem significat, juxta eum modum quem innuit *Procopius Gazæus in Lib. I. Regum, cap. X.* ad ea verba: καὶ ἐφίλησεν αὐτὸν, ἵνα τῆς ἐνοικούσης αὐτῷ χάριτος μεταδῷ. *Et osculatus est eum, ut inhabitantis sibi gratiæ participem reddat.*

At sciscitari quispiam potest, ad quid osculum in genu ipsius Patriarchæ? Non moramur hic gentium superstitionem, quam adeò disertè *Plinius Lib. II. cap. XLV.* expressit: *Hominis genibus quædam & Religio inest, observatione gentium. Hoc supplices attingunt; ad hæc manus tendunt, hæc ut manus adorant.* Hic verò neque de Supplicatione, neque de assentatione agitur, sed de aliqua potiùs gratiarum actione, ob ipsius Ordinationis beneficium recens susceptum, quâ quidem testatur agnoscitque ordinatus se ad novam dignitatis quasi lucem natum esse, in genibus ordinantis, ut Scriptura loquitur, *filii Machir nati sunt in genibus Ioseph*, Genesis quinquagesimo capite. Septuaginta Interpretes dederunt: ἐπὶ μηρῶν, *super femora*, sed Hebræis melius vulgata respondet: עַל־בִּרְכֵּי *Super genua.* Simpliciter autem est Reverentiæ signum, Lucæ cap. V. Petrus dicens: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum*: procidit ad genua Jesu. Idem laudatus Habertus Observat. VII. pag. 138. scribit: Alterum hic observatione dignum est, quod tam disertè exprimatur osculum εἰς τὴν παρειάν, in genam Patriarchæ. Hoc enim tanquam honoris præstantissimum argumentum à Græcis existimatum, ut testatur, quod in Florentinæ Synodi Actis veteribus adnotatur. Illud porrò sic habetur in capite περὶ τῆς εἰσελεύσεως τοῦ πατριάρχου, de Ingressu Patriarchæ in Ferrariam, narrantibus ita Episcopis de se & Exocatacilis, qui dignitates primarias in Ecclesiâ Constantinopolitanâ gerunt: * πρὸς τὸ παλάτιον τοῦ Πάπα, εὐθέως, ἀνήλθομεν, καὶ τὸν πάπαν ὁ πατριάρχης ἠσπάσατο ἱστάμενον ἐν τῇ παρειᾷ, ἡμεῖς δὲ καθήμενον τὴν δεξιὰν αὐτοῦ. καὶ τὴν παρειάν. Σὺν τοῖς ἐξωκατακοίλοις. οἱ δὲ ἄλλοι μόνον τὴν χεῖρα ἢ καὶ μόνῳ τῷ προσκυνήματι τοῦ ἀσπασμοῦ τοιγαροῦν γενομένου καὶ τὰ ἑξ. h. e. Continuò ad Palatium Papæ ascendimus; & Patriarcha

quidem

quidem ſtantis Papæ genam oſculatus eſt, nos autem ſedentis dextram & genam, cum Exocatacelis, ſeu officialibus. Reliqui verò aut dextram oſculati ſunt, aut profunda veneratione contenti fuêre.

* Ἐξωκατάκοιλοι ſive Exocatacœli aliqui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ officiales vocabantur; nam extra Patriarchium pernoctabant, quia Parochi erant in civitate, ideò in ſuis Parochiis pernoctare tenebantur. Sex autem fuerunt numero, nimirum magnus Oeconomus, magnus Sacellarius (ſive Saccularius, i. e. Theſaurarius, quia Græcum σακελλάριος Latinè ſaccularius vertitur, à σακέλλιον, quod Latini ſaccum interpretãtur) Magnus Scevophylax, (qui ſacrarum ſupellectilium curam habebat, ac in ſede vacante erat Oeconomus) Magnus Chartophylax, Præpoſitus parvo ſacello, & Protecticus; (h. e. Juxta Græcum, primus defenſor, qui ſuſcipiebat captivos, & ibi erat Judex cauſarum criminalium. *Codin. Lib. I. de Offic.* Erat etiam Eccleſiaſticum officium ejus, ad quem pertinebat cauſas criminales Clericorum cognoſcere; item Eccleſiæ defenſor erat, ac ſuam Juriſdictionem in Eccleſiarum ingreſſu exercebat, qui ideo πρωτεκδικῶν nuncupabatur: quod officium primo ordini Clericorum Conſtantinopolitanorum à Patriarcha Gregorio Xiphilino additũ fuit, quia, ut ait *Balſamon*, non libenter Defenſoris munus renunciabant, ut ad alia officia aſcenderẽt propter ejus lucrum, ideoq; prædict' Patriarcha inter priores Eccleſiæ dignitates hoc officium annumeravit) Balſamon quinq; tantum numerat, quia ſextus & ultimus ſub Imperio Alexii Comneni à Patriarcha Xiphilino additus fuerat. Erant itaq; hæ dignitates maximæ auctoritatis & præeminẽtiæ, ita ut in publicis confeſſionib' Epiſcopos præcederẽt, cũ illius Eccleſiæ veluti Cardinales eſſent, & uti tales habiti ſunt in Concilio Florentino, in cujus actis hæc habẽtur: *Patriarcha Papam ſtantẽ oſculatus eſt in gena, nos vero cum Exocatacœlis ſedentis dextram & genam oſculati ſumus.* In Patriarchatu Diaconorũ officium exercebant, in qua functione Planetâ utebantur. Quæ dignitates licet ſex numerentur, tamen revera erant ſeptẽ,

nam

nam dignitas Archidiaconalis, cum sit ad nutum Patriarchæ amovibilis, non connumeratur. *Adrianus Junius* primam Syllabam divisim legit, nempe ἐξ καλάκοιλοι, i. e. sex Caracœli, quia, ut ait, eorum Parochiales Ecclesiæ in vallibus situatæ erant: at præterquam quod hoc sine fundamento commentatur, minus verisimile quoq; videtur, quod in illa tam magnifica civitate Constantinopoli non plures, quàm sex Parochiæ reperirentur, & omnes in vallibus sitæ; & à fortiori, quod tempore Balsamonis, quandò nimirum non sex, sed quinque tantum erant hujusmodi Parochi, tunc etiam *Exocatacœli* appellarentur. In Novellis *Alexii Comneni* Imp. à Leunclavio collectis legitur, motam fuisse litem inter Episcopos ex una parte, & Chartophylacem ex alterâ, unam, scilicet, ex supra dictis dignitatibus super præcedentiâ, in cujus favorem scripsit his verbis imperator: Quod sederet ante Episcopos, quoties illos convenire ob aliquam necessitatem oportebat. Et Sylvester Sguropulus Exocatacœlus, quod in Florentino Concilio ante Episcopos ejus æquales non sedissent, conqueritur, & tali in eorum favorem ibi Sect. IV. cap. X. adducit: Nam ut illi quinque sensus nunquam ab homine vivo removentur; ita nec illi à latere Patriarchæ discedunt. Semper supra Archiepiscopos capiebant loca, ac ut Præsides Patriarchici Senatus celebrabantur. De Constantinopolitanis Cardinalibus mentionem facit Johannes Papa VIII. ad Augustum Basilium & Leonem scribens; & Adrianus Papa, quandò in sede Patriarchali restituerat Photium, qui à summis Pontificibus ejus Prædecessoribus eâ sede privatus fuerat, hanc Conditionem Adrianus adjecit, nempe, ut post mortem Photii fratris nostri, nullus ex dignitate mundanâ ad Pontificalem honorem ascendat, sed ex Presbyteris Cardinalibus ejusdem Ecclesiæ, vel Diaconibus, aut ex aliis Sacerdotibus, qui sub Ecclesia Constatinopolitanâ consistunt. Apud *Baron. in Annal.* ad An. DCCCLXXIX.

§. XXI. Discrimina hæc salutationum & osculorum non inconsulto sunt ita diligenter & accuratè expressa, & quidem in editione Romanâ Conciliorum, pag. 310. Dignitatem verò eorum qui

qui ordinati sunt, osculum illud in genam Patriarchæ seu Pontificis commendat, ut docet Innocentius, Presbyterorum Canonicorum ad osculum Episcopi admissionem, esse dignitatis ipsorum, non in postremis numerandam testimonium; Presbytero cuidam Cardinali Trecensi Episcopo scribens: cum ad eandem Ecclesiam accessisses consecratus, eum cum Canonicis aliis ad osculum recepisti, cum tunc nonnisi Canonici ad osculum admittantur. Religioni fuit Sacerdotum manus etiam publicè osculari. *S. Chrysostomus homilia XVII. Tomo V. Operum*, in illud Pauli ad Romanos XVI. *Salutate Priscillam: Hypocritarum est, publicè quidem & ad omnem conspectum osculari manus Sacerdotum, genua tangere, supplicare, ut pro se orent, & Baptismo indigentes ad illorum januas currere. Domi autem & in conventibus tantorum bonorum auctores & Ministros contumeliis perfundere, aut contumeliam inferentes tolerare.* Quod ne quis ad solos summos Sacerdotes, id est, Episcopos referat, addendus est *S. Paulinus* in vita S. Ambrosii, statim ab initio, de quo ita disserit: *Postea verò cum adolevisset, & esset in urbe Româ constitutus cum matre viduâ & sorore, quæ virginitatem jam fuerat professa, comite aliâ Virgine, cujus Virginis soror Candida, & ipsa ejusdem Professionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus, cum videret Sacerdotis à domesticâ sorore vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dextram, dicens: & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem se Episcopum futurum esse memorabat. Loquebatur enim in illo Spiritus Domini, qui illum ad Sacerdotium nutriebat, illa verò ut adolescentem & nescientem quid diceret, respuebat.* Hieronymus quoque Epistola XCVIII. se Presbyterum à quibusdam in honore habitum testatur, ut sibi manus oscularentur. Conferatur Fronto Ducæus in Notis ad Chrysostomi homilias, pag. 104. Edit. Parisinæ in fol. Anno MDCXIV.

DISSERTATIO VI.

De

OSCULIS IMAGINUM ET RELIQUIARUM SACRARUM HONORI DICATIS.

SUMMARIA.

I. *Imaginum usus & cultus in templis per tria priora à nato Christo secula Ecclesiæ ignotus. Clementis Romani disputatio dudum Iconolatras refutavit.* II. *Eosdem oppugnârunt B. Patres, Irenæus, Iustinus, Tertullianus, Clem. Alexandrinus, Cyprianus, Origenes.* III. *Lactantius, Concilium Elibertinum.* IV. *Epiphanius, Augustinus, Nicephorus Callistus. Græci picturas post medium Seculi quarti in templa collocarunt historiæ & ornatus causâ. Paulinus in Occidentali Ecclesiâ picturas primùm introduxit.* V. *Gregorius M. primus imaginum in templis usum contra Serenum Massiliensem defendit propter humani ingenii ruditatem. S. Meletii imago multis chara.* VI. *Gregorii M. censura ab Athanasio improbata. Vapulat à Theodoreto. Seculo septimo imaginum cultus Ecclesiæ paulatim obtrusus. Octavo autem palam adhibitus multas rixas excitavit. Synodus Quini-Sexta in Trullo habita.* VII. *In Concilio Francofurtano ad Mœnum post Felicis & Elipandi de humanitate Christi hæreses explosas, Synodus secunda Nicana imaginum cultum adstruens rejicitur.* VIII. *Modus colendi imagines apud Græcos:* τῦ Πϱοσκυνῦ *interpretatio. Discrimen in cultu imaginum. VValdensium origo. Protosyncellus in Ecclesia Constantinopolitanâ.* IX. *Græcorum studium circa imagines.* X. *Osculum Imaginibus Salvatoris nostri in Vigilia Nativitatis figitur. Salutare, adorare & osculari promiscuè usurpatum. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus intercessiones Sanctorum efflagitat.* XI. *Moscovitæ multas habent pictas imagines, rarò sculptas, iisque impensè addicti sunt, ferè ad superstitionem usque. Osculum crucis apud eos penè sanctius Iuramento. Ruthenus alterius domum ingressus prius imaginem præsentem veneratur, quam homines compellat.* XII. *Chytræus de Græcorum imaginibus pictis agens, à falsis Allatii criminationibus vindicatus. Sculptilia Græci non curant.* XIII. *Imaginibus adoratio ratione Prototy-*

totyporum à Græcis antiquioribus vanè tributa. Mitior hodiernorum sententia. Commercium literarium Patriarchæ Constantinopolitani Ieremiæ, & Theologorum Tubingensium superiori seculo institutum. Latriæ & adorationis discrimen, sæpè non attenditur. XIV. *Pontificiorum differentia inter* δουλείαν & λατρείαν *ex Augustino desumptu rejicitur.* Δουλείας & λατρείας *genuina significatio.* λάτρων, *latrones. Bellarmini confessio de nullitate distinctionis inter duliam & latriam.* XV. *Adoratio ad Prototypum directa S. Scripturæ contrariatur. Epiphanii locus notabilis de statuis. B. Virgini Mariæ non competit adoratio. Varro ethnicus cultum Dei per imagines improbat.* XVI. *Pontificiorum testimonia contra imaginum adorationem. Germanis adhuc seculo* XII. *post Christum natum, adoratio imaginum interdicta.* XVII. *B. Mariæ nomen & imago osculis honoratur. Cultus eidem impensus. Statuas deosculandi mos ethnicis usitatus. Invitatorium in Psalmodia sacra quid.* XVIII. *Græci tempore jejuniorum medio signum crucis osculandum proponunt. Dominica* σταυροπροσκυνήσεως. *Hymnus in festo Crucis cantari solitus. Christus feriâ sextâ magnæ hebdomadæ decorè exsculptus vel pictus omnibus inter Græcos exhibetur osculandus.* XIX. *Crucis apud Latinos consecratio & adoratio. Ritus quibus illa peragitur. Observatio de die Parasceves ex antiquissimâ ut vocant, Agendâ. Historia Passionis Dominicæ in spectaculum theatricum proh dolor convertitur.* XX. *Cruci certi dies festi constituti. Formulæ invocandi crucem blasphemæ. Pontificii latriæ cultum cruci exhibēt. Contraria Pici Mirandulani sententia confirmatur à Peresio.* XXI. *Crucis adoratio ad Indos, Sinas & Iaponios ministerio Iesuitarum propagata.* XXII. *Crux agonizantibus & vitâ mulctandis osculanda offertur à Pontificiis. B. Maria cum sanctis ab Indicis & Iaponiis Martyribus invocatur, contra Praxin orthodoxæ Antiquitatis.* XXIII. *Veterum Christianorum ad* εὐθανασίαν *pia præparatio. Martyum unicum solatium Christus.* XXIV. *Corona Christi spinea, (si Deo placet) osculanda præbetur populo inter Papicolas. Miracula ejus ope edita. Ubi asservetur & quid de ea censendū. Tunicæ Christi idē honos habitus. Descriptio ejusdē.* XXV. *Reliquiarum honor inter Romanenses. Vocantur ab illis sacra Religionis Tessera & arma spiritualia.* XXVI. *Annuli nummiq; sanctorū corporibus admoti pro reliquiis habentur. Sandalia osculis excepta, quin & ipsa*

 defun-

defunctorum corpora, unde nonnullis sanitas acquisita jactatur. S. Mauri brachium Cassini reverenter introductum. XXVII. *Dallæus Tridentinorum Patrum astutiam evertit. Reliquiarum veneratio religiosa priscæ Ecclesiæ à tribus prioribus seculis ignota.* XXVIII. *Verbo Dei contraria & Idololatrica. Corpora defunctorum ex præscripto S. Scripturæ, & prisca Ecclesiæ consuetudine honestè tumulanda.* XXIX. *Conventus celebres quotannis ad sepulchra Martyrum passionis eorum die olim bono fine instituti.* XXX. *Reliquiarum effossiones & translationes ab ethnicis ad Christianos migrâsse probatur exemplis. Constantinus M. Imp. reliquias fidelium ex vilioribus sepulturis in honestiores transtulit, non autem ad Idololatricam venerationem super altaria collocavit. Multa Christiani ab ethnicis receperunt, ut ethnicos facilius ad suam religionem traducerent. Harmonia doctrinæ Ecclesiasticæ & Philosophicæ. Crimen falsi à Pontificiis in allegando Eusebii loco commissum.* XXXI. *Non possunt in cultu reliquiarum notam Idololatrarum effugere. Mens Augustanæ confessionis de hoc negotio. Cordatiores Pontificii reliquiis nihil tribuerunt.* XXXII. *Fraudes confictarum reliquiarum detectæ.* XXXIII. *Claudii Scoti argumentum contra Lipsanolatriam.* XXXIV. *Terræ, in qua Jobus consedit, osculum impressum. Peregrinationes ad loca sancta supervacaneæ. Illarum Origo à Constantino M. deducta.* XXXV. *Cum superstitione conjunctæ, & ideo S. Viris improbatæ sunt. Gregorii Nysseni argumenta stringentia contra illas.* XXXVI. *Iudicium Cassandri de iisdem.* XXXVII. *Aliorũ testimonia.* XXXVIII. *Oscula veterum Christianorum Martyrum vulneribus & cicatricibus oblata.* XXXIX. *Idem honor vinculis, lectulis & liminibus illorum tributus. Postibus item Ecclesiæ. Quandoque & urnis atque cryptis. Basilica quid? earum structura. Ab usu gentilium in Ecclesias conversa. Basilicæ Romæ Patriarchales quatuor.* XL. *Oscula januis & mensæ sacrarii apud Græcos fixa. Ratio hujus ex Chrysostomo. Urnas Imperatorum Græci osculantur.* XLI. *Invectiva in Pontificios: Mortui nullatenus invocandi.* XLII. *Mesusah Iudæorum in magno pretio est. Quibus locis domus inferatur. Nominis Schaddai interpretatio; quomodo illud membranæ inscribendum. Nulli Christiano Mesusah danda. Osculum ad locum Mesusah directum.*

§. 1. Ori-

§.1. ORiginem & Progressum imaginum præcipuè in templis satis quidem antiquam esse, nemo historiæ Ecclesiasticæ peritus inficias ibit; nec tamen quisquam facile eamdem ab ipso Christi in terris Ministerio arcessere absque gravi veritatis læsione præsumet. Quandoquidem à tribus primis Christianitatis seculis usum ac cultum imaginum Ecclesia DEI penitus ignoravit, quod ex iis, quæ Doctores illorum temporum contra Paganos Iconolatras acriter urserunt, ad oculum patescit. *Erasmus Roterodamus in Catechesi* autor est, usque ad Hieronymi ætatem fuisse probatæ vitæ & religionis viros, qui publicè in templis nullam habuerint imaginem, nec pictam, nec sculptam, nec textam, ac ne ipsius CHRISTI quidem. Fatetur hoc quoque *Lilius Gregorius Gyraldus de Diis gentium Syntagmate I.* & *Georgius Cassander* Scriptor quidem Pontificius, at longè modestissimus, in suâ ad Ferdinandum I. & Maximilianum II. Imperatores *Consultatione*, ubi disertè dicit, ex Clemente & Arnobio certum esse, initio prædicati Evangelii aliquanto tempore INTER CHRISTIANOS, PRÆSERTIM IN ECCLESIIS, imaginum usum NULLUM OMNINO fuisse. Caruit ergò Ecclesia Christi in externo cultu Dei annos plus minus CCCLX à nato in carne Christo Domino, imaginibus & simulachris, seu Idolis & statuis. Quod Apostoli imagines ad cultum proposuerint, nullibi historia sacra memorat. Nec minorem operam & laborem Apostolorum successores imaginibus impugnandis, hominibusque ab earum cultu & veneratione avocandis laudabiliter impenderunt. In libris enim *Recognitionum*, qui licet falsò, *Clementi Romano* attribuuntur, extat *Libro V.* ad Jacobum fratrem Domini generalis Disputatio contra imagines, ubi refutatur præcipuum Ethnicorum Argumentum, quo etiamnum hodie Pontificii imaginum & simulachrorum cultum defendunt, dicentes: *ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles se adorare.* Respondet Clemens; Cæsaris nomen nulli alii audetis imponere, quia reum suum statim punit: DEI verò audetis, quia reum suum punire propter pœnitentiam differt. Et si verè velitis DEI imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo DEI imaginem cole-

retis. In omni enim homine est imago Dei, non in omnibus verò similitudo, sed ubi benigna anima est & mens pura. Si ergò verè vultis honorare imaginem Dei; nos verò vobis quod verum est, aperimus, ut homini qui ad imaginem Dei factus est, benefaciatis, honorem & reverentiam deferatis, esurienti cibum, sitienti poculum, nudo indumentum, ægro ministerium, peregrino hospitium, & in carcere posito necessaria ministretis: Et hoc est, quod verè Deo delatum reputabitur. Hæc autem in tantum ad honorem Dei imaginis cedunt, ut qui ista non fecerit, contumeliam imagini divinæ intulisse credatur. Quis ergò iste honor Dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & inanes atque exanimes figuras, tanquam numina venerari; & hominem in quo vera Dei imago est, spernere? *Et post pauca*: Intelligite ergò, quia latentis intrinsecus Serpentis est ista suggestio, quæ persuadet pios vos videri posse, cum insensibilia colitis, & non videri impios, cum sensibiles & rationabiles læditis. *Item*, quid certè tam impium, tam ingratum, quàm à Deo beneficium consequi, & reddere lignis & lapidibus gratiam? Propter quod expergiscimini, & intelligite salutem vestram &c.

§. II. Ex S. Patribus primo loco sistimus *B. Irenæum*, S. Polycarpi discipulum, Episcopum & Martyrem, sub Commodo Imperatore clarum; An. post N.C. CLX. qui *Libro* I. *de hæresibus, capite* XXIII. inter errores Basilidis & discipulorum ejus recenset, quod uterentur imaginibus, invocationibusque. Et cap. XXIV. Inter hæreses Carpocratis & Gnosticorum, hanc etiam numerat, quod imagines haberent Christi & Apostolorum, atque Philosophorum, easque coronarent ac colendas proponerent. *Justinus Philosophus & Martyr*, eorum post Apostolica tempora primus, quorum scripta ad nos pervenerunt, Anno χειροτονίας CL. celebris in *Dialogo cum Tryphone Judæo* Ephesi habito, & *Apologia* II. ad Imperatorem Antonium Pium, Omnes imagines ad cultum propositas, simpliciter damnari dicit. *Tertullianus*, vetustissimus inter Patres Latinos, quorum Scripta habemus, & ante medium seculi tertii, anno nempe CCXXX. illustris, testatur diversis

versis locis in Apologetico, Christianos suo tempore maximè odisse statuas cum suis ornamentis. Hinc etiam ille in Deorum Idola toties invehitur Cap. IX. XI. & alibi. Ac in libro *de Corona Militis*, Altius, *inquit*, Joannes: *Filioli, custodite vos* ab Idolis, non tam ab Idololatriâ, quasi ab officio, sed ab Idolis, id est ab ipsa effigie eorum. Indignum enim, ut imago Dei vivi, imago Idoli & mortui
„ fiat. Contra Gnosticos voluntatem Dei hanc esse demonstrat,
„ non tantum, ne adorentur imagines, sed neque fiant & ha-
„ beantur: & tam Idololatras esse qui eas faciant retinentque: (*ad*
„ *cultum videlicet*) quàm qui eas colunt. Clariùs id etiam demon-
„ strat in *libro de Idololatriâ*, ubi non solùm gravissimè invehitur,
„ in omnes imaginum cultores, sed ipsas quoque artes sculpendi
„ & pingendi damnat, quod artifices, qui se Christianos profite-
„ bantur, imagines Idololatris venderent. In *Libro de Spectaculis* ex loco Apostoli in I. Corinth. X. pulchrè argumentatur: Si ab-
„ stinendum est ab Idolothytis (id est, cibis Idolis consecratis)
„ quia quæ immolantur Idolis, non Deo, sed Dæmonibus immo-
„ lantur; Ergò etiam ab Idolis ipsis suspiciendis & colendis absti-
„ nendum est: quia in illis non Deus, sed Dæmones inhabitant. Et *cap.* XXX. *Apologetici inquit*: Nos adoramus oculis ad cœlum sublatis, non ad imagines seu picturas. In hunc Apologeticum *B. Rhenanus* ex verbis & argumentationibus Tertulliani colligit, Tertulliani argumentationem nihil concludere, nisi statuatur, Christianos tempore illo imagines omnes odio maximo habuisse, cum suis ornamentis. Undè apparet nullas tunc temporis fuisse prorsus in Christianorum templis Imagines. *Clemens Alexandrinus*, Scriptor itidem seculi tertii *Lib.* VI. *Stromatum* perspicuè dicit: No-
„ bis (nimirum Christianis) nullum est simulachrũ in mundo. Quo-
„ niam in rebus genitis nihil potest referre Dei imaginem. Idem in *Paranesi ad Gentes* scribit: Nobis apertè vetitum est artem fallacem exercere. Scriptum enim est; Non facies cujusvis rei similitudinẽ. Appellat quoq; speciosum quidem, sed improbũ artificium, quod postquam floruerit, auctus sit error; Et *Prophetiam* citat, quæ dicit: Res hic se habebunt infeliciter, quandò crediderint statuis.

Nobis

Nobis non est imago sensilis de materia sensili &c. Quid quælo clariùs contra Imaginum usum apud Christianos veteres dici poterat? *Cyprianus Episcopus* Carthaginensis circa Annum Domini CCL. contra Demetrianum disputans, Idola non tantum contra legem DEI, sed & etiam cum hominis naturâ pugnare existimavit. Eodem seculo tertio *Origenes* Clementis modò laudati discipulus floruit, & prolixam concertationem cum Celso instituit, ex qua apparet inter præcipua accusationis capita hoc etiam Christianis Ethnicos objecisse, quod Religionem absque simulachris haberent; Respondet autem Origenes, non ita, ut simulachrorum gentilium loco, vel Christi, vel Apostolorum substituat imagines, adeoque asserat, Christianis atrocem infligi injuriam, si de illis spargatur, quod in externo cultu imaginibus prorsus careant, quod fecisset utique si vel unam imagunculam Christiani eo tempore „ habuissent: Sed sunt, inquit *Lib.* IIX. *contra Celsum*, nobis simula„ chra, non per impuros opifices aliquos fabricata, sed per Dei „ verbum nobis edita & formata, virtutum scilicet exempla & stru„ cturæ, quæ imitatrices sunt Christi. Allatum quoque fuerat à Cel„ so dictum Heracliti, quo ille indicabat, stultè facere eos, qui si„ mulachris preces offerunt, nisi nôrint Deos & Heroas quinam sint. *Respondet Origenes*, sciri posse Deum, & ipsius unigenitum, & eos, quicunque à Deo honorantur Deorum appellatione, Deitatis ejus participes, diversos esse à Diis gentium, qui sint Dæmonia; Impossibile tamen esse, ut quis Deum noverit, fiat supplex statuis: Nec hoc tantùm stultum esse, si quis preces simulachris offerat, sed etiam, cùm id aliquid simular, vulgi opinionibus se attemperans: nihil enim adulterum debet esse in animâ hominis verè pii ergà Deum. Nos verò ideò quoque non honoramus simulachra, quia quantum possumus cavemus, ne incidamus in eam credulitatem, ut iis tribuamus divinitatis aliquid. Lib. VII. *contra Celsum.*

§. III. Sub finem seculi tertii & initium quarti *Lactantius Firmianus* demonstravit, non solùm nullum usum simulachrorum sui seculi Christianis, sed ita quoque tum visum fuisse, ut ne liceret simula-

ſimulachris quidem uti. Nam *Libro II. Divinarum Inſtitutionum cap. II.* ſimpliciter aſſerit, Dei imaginem ſemper ſupervacuam eſſe, quippe cujus numen & ſpiritus ubique diffuſus abeſſe nunquam „ poſſit. Quæro, *inquit*, ſi quis imaginem hominis peregrè con- „ ſtituti contempletur ſæpiùs, ut ex ea ſolatium capiat abſentis, „ num idem ſanus eſſe videatur, ſi eo reverſo atque præſente in „ contemplanda imagine perſeveret, eaque potiùs, quàm ipſius „ hominis aſpectu frui velit? Minimè profectò. Etenim hominis „ imago neceſſaria tum videtur, cum procul abeſt; ſupervacua fu- „ tura, cum præſto eſt; Dei autem, cujus Spiritus ac Numen ubi- „ que diffuſum, abeſſe nunquam poteſt, ſemper utique imago ſu- „ pervacua eſt. Et ſimulachrum Dei non eſſe illud, quod digitis „ hominis ex lapide aut ære aliave materiâ fabricatur, *docet*, ſed „ ipſum hominem, quoniam & ſentit & movetur, & multas ma- „ gnaſque actiones habet. *Quin amentiam* eſſe *judicat*, effingere, „ quæ poſtmodum vereamur, aut vereri & colere, quæ finximus „ nos ipſi. Nec intelligunt, *pergit*, homines ineptiſſimi, quod ſi „ ſentire ſimulachra, & moveri poſſent, ultrò adoratura, à quibus „ ſunt expolita, quæ eſſent aut incultus, & horridus lapis, aut ma- „ teria informis, & rudis, niſi fuiſſent ab homine formata. Homo „ igitur illorum quaſi parens putandus eſt, per cujus manus nata „ ſunt, per quem ſpeciem, figuram, pulchritudinem habere cœ- „ perunt, cum ante fuiſſent quod fuiſſe ſe Priapus apud Horatium „ innuit his verbis:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, ſcamnum faceretne Priapum?
Maluit eſſe Deum, Deus inde ego, furum aviumque.
Maxima formido.

„ Sed hæc, *inquit* Lactantius, nemo conſiderat. Infecti ſunt enim „ perſuaſione, ac mentes eorum penitùs fucum ſtultitiæ perbibe- „ runt. Adorant ergo inſenſibilia, qui ſentiunt, irrationabilia qui „ ſapiunt, exanima qui vivunt, terrena qui oriuntur è cœlo. Nam „ iſta mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quo- „ libet materiæ genere formata, quid aliud ſunt, niſi terra, ex qua

S nata

„ nata sunt? Quid ergò inferioribus rebus subjacetis? quid capiti-
„ bus vestris terram superponitis? Idem cap. IV. pergit: Ubi ergò
„ veritas est? ubi nulla vis adhiberi potest Religioni; ubi nihil quod
„ violari possit, apparet; ubi sacrilegium fieri non potest. Quid-
„ quid autem oculis, manibusque subjectum est, id verò quia fra-
„ gile est, ab omni ratione immortalitatis est alienum. Frustra
„ igitur homines auro, ebore, gemmis Deos excolunt & exor-
„ nant, quasi verò ex his rebus ullam possint capere voluptatem.
„ *Cap.* autem XVII. ejusdem libri inter causas vanæ Religionis
„ Idolorum duas potissimum adducit, alteram, quod simulachra
„ quæ coluntur, effigies sunt hominum mortuorum: alteram,
„ quod imagines sacræ, quibus inanissimi homines serviunt, omni
„ sensu carent, quoniam terra sunt. Quare *ait* cap. XVIII. non est
„ dubium, quin RELIGIO NULLA SIT, UBICUNQUE
„ SIMULACHRUM est. Nam si religio ex divinis rebus est, di-
„ vini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: Carent ergò Reli-
„ gione simulachra, quia nihil potest esse cœleste in eâ re, quæ fit
„ ex terrâ. Quidquid enim simulatur, id falsum sit, necesse est.
„ Nec potest unquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco
„ & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potis-
„ simum seria, sed quasi ludus ac jocus est, non religio in simula-
„ chris, sed mimus religionis est. Præferendum est igitur verum
„ omnibus falsis. Calcanda terrena, ut cœlestia consequamur.
Hucusque Lactantius, non cultum modò, sed & fabricationem simulachrorum exagitat. Quâ fronte autem hæc dicere aut scribere ausus fuisset, si Ecclesiæ Lactantii & Constantini M. seculo imagines & simulachra ex quolibet materia caduca & fragili, vel Christi, vel Apostolorum, vel aliorum quoque sanctorum habuissent. Huc facit manifestum edictum contra Picturas & imagines Christianorum, cap. XXXVI. *Elibertini Concilii*, Constantini M. temporibus celebrati, quo sancitur: Picturas in Ecclesiis fieri non debere; ne quid colitur & adoratur, in parietibus depingatur. *Canon* XLI. ejusdem Concilii sic sonat: Admonere placuit:

cuit fideles, ut quantum possunt, prohibeant, ne Idola in domibus suis habeant. Si verò vim metuunt servorum, vel se ipsos puros conservent: Si non fecerint, alieni ab Ecclesia habeantur. Exstat apud *Burckardum VVormatiensem Episcopum*, *Lib.* III. *Decret.* cap. XXXV, & *Caranzam* in Epitome Concilior. p.81. 83.

§. IV. Post medium Seculi IV. quidam hæretici imagines adorandas proposuerunt. Inde *Epiphanius* Salaminæ Cypri Episcopus circa Annum CCCLXX. in suo *Panario de Carpocratianis* disserens scripsit: Habent imagines per colores depictas. Quidam etiam ex auro & argento, ac reliqua materiâ. Quas tamè imagines JESU esse dicunt, & has JESU imagines sub Pontio Pilato factas esse, quandò inter homines versabatur. Habent autem eas imagines occultè: Insuperque Philosophorum quorundam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis & aliorum, cum quibus Philosophis etiam alias imagines JESU collocant, collocatasque adorant, & gentium mysteria perficiunt. Erectis enim his imaginibus de cætero gentium mores servant. Qui verò sunt gentium mores alii, quam sacrificia atque alia? *Augustinus* Epiphanium imitans in Catalogo hæreseon, sectæ Carpocratianæ fuisse traditur, *inquit*, socia quædam Marcellina, quæ colebat imagines JESU & Pauli, & Homeri & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo. *Nicephorus* etiam *Callistus*, cui alioqui imagunculæ Christi Domini non displicuerunt, *Lib.*XVIII. Historiæ Ecclesiasticæ, *cap.* LIII. commemorans hæreses à Jacobitis Armeniorum inventas, imagines *ait* etiam Patris & Spiritus S. effigiant. Quod perquam est absurdum. Imagines enim corporum eorum sunt, quæ videri & circumscribi possunt, non eorum, quæ invisibilia sunt & intelligentiâ comprehendi nequeunt. Successu temporis cum memoriæ Martyrum summo in pretio essent, ac templa splendidissimè exornarentur, cœpit simul in ipsis templis etiam imaginum

esse usus; nondum tamen ad cultum & adorationem, sed partim ad historicam admonitionem, partim etiam ornatus causâ. Cœpit hoc potissimum fieri circa Ann. Christi CCCLXXX. in Orientalibus Ecclesiis; & quidem, quod observarunt aliqui, inter Græcos primùm reperiuntur descriptiones picturarum in ipsis templis apud *Gregorium Nyssenum*, Basilii fratrem, ut est videre in ejus *Oratione in Theodorum Martyrem*, in qua & figuram rerum animantium à sculptore factam commendat, & marmoris à lapicidâ politi tanquam argenti lævitatẽ, & vivam ipsius Martyris effigiem, omniumque ejus præclarissimorum factorum adumbrationem expressam, & oculis propositam excellentissimè à pictore in opere sculptili, una cum Christi imagine, in quibus imaginibus pugnas Martyris non minùs ad vivum expressas agnoscit, quàm si in libro descriptæ & commemoratæ essent. In Synodo II. Nicenâ refertur, eundem Nyssenum collachrymatum esse, dum juxta simulachrum Abrahæ filium suum immolantis, transiret. Sed ubi illud fuerit, non exprimitur. Habetur etiam, ibidem Martyrium Euphemiæ virginis in Templo urbis Chalcedonensis fuisse depictum, quantum autem conjicere licet, in porticu illæ picturæ fuerunt. Apud Occidentales pinxit Ecclesiam fortasse primus *Paulinus* Episcopus Nolanus, qui juxta Trithemii calculum Anno CCCCXX. celebris fuit. Is facti hujus causam hanc reddidit: Cum fideles die festo convenirent ad celebrandum Felicis Martyris memoriam, religiosè excipiebantur convivio, & cum plus æquo epulis genioque indulgerent, pingi curavit ille pater in parietibus templi Veteris Testamenti historias, nec non & Novi, quo populus illis intuendis frugalius & sobrius in convivio se gereret. Hæc res mox in aliis quoque Ecclesiis magno cum applausu recepta fuit: meminit enim *Prudentius* Poeta Christianus *in Passione Cassiani Martyris* pictæ imaginis in templis his versibus:

Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contrà
    Fucis colorum picta Imago Martyris.
Æditus consultus ait, quod prospicis hospes,
    Non est inanis aut anilis fabula.

Histo-

Historiam pictura refert, quæ tradita libris
· Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Paulinus Epist. XII. suas picturas ita describit:

Pleno coruscat Trinitas Mysterio.
Stat Christus agno, vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit:
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ corona sunt Apostoli.

Eodem modo Paulinus è Matthæi XXV. cap. in Basilicâ Fundanâ statuerat historiam extremi Judicii in formâ duorum gregum.

§. V. Seculo sexto *Serenus Massiliensis* cum videret à quibusdam imagines ut idola coli, zelo accensus eas confregit atque projecit, quare gravèm à Gregorio Magno Pontifice censuram *Lib.* VII. *Epistola* CIX. ad Serenum, retulit. Pervenit ad nos, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos habuisse: ne quid manu factum adorari possit, laudavimus; sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcircò enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua igitur fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu prohibere debuit, quatenus & literarum nescii haberent, unde scientiæ historiam colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. Eandem sententiam prolixius repetit & explicat *Libro* IX. *Epist.* IX. ad eundem Serenum; Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omninò laudavimus: fregisse verò reprehendimus. Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit orandum, addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc Idiotis præstat pictura. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodò mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, hortamur ut

eorum animos, quos à tua disjunctos unitate cognoſcis, revocare feſtines. Adeoque Gregorius hic primus eſt, qui uſum in templis imaginum palam propugnavit, cum ſimile quid ante ipſum apud Patres orthodoxos non reperiatur. Præcipuum autem Gregorii argumentum defenſioni imaginum ſuccurrens eſt, quod imagines eſſent Libri Laicorum. In eadem enim Epiſtolâ, aliud eſt, ait, picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus. Quia in ipſa etiam ignorantes vident, quod ſequi debeant, in ipſa legunt, qui literas neſciunt, unde & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt. Hæc ille. Quamvis enim egregia facinora ſanctorum ſint conſignata literis, ut lectores indè ſuam damnent ignaviam, & ſuos excitent animos ad ſequelam, ſcripta tamen ad omnes non pertinent, quippe plebi ignaræ inconceſſi cadunt eo effectu, quem colligunt docti. Ergò fuit ductu penicilli, id eſt, beneficio imaginum ignaro populo conſulendum. Illæ namque plebi ſanctorum egregia facta produnt, ac proinde poteſt dici imago plebis ignaræ liber, qui plerumque magis ingerit animo virtutes ſanctorum, quos eruditè depicta tabella refert, quàm ipſe librorum panegyres. *S. Bonaventura* notat *in l. 3. Sentent. diſt. 9. qu 2.* Introductas imagines ob tarditatem affectus noſtri, qui plerumque tepens ad audita Chriſti facta ſalutis hominum cauſa, videns hæc eadem Myſteria eruditâ manu lineata ſuis coloribus, concepto amore erga pium Redemptorem protinus incaleſcit. Quantùm auribus oculi præſtent, *Horatius Lib. de arte poeticâ* ediſſerit:

Segniùs irritant animos demiſſa per aurum
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit Spectator.

Eandem ob cauſam multi S. Meletii imaginem domi ſervabant, quorum benevolum affectum *Chryſoſtomus in Encomio Meletii* ita commendat: Non autem ad nomen ſolum adeò fuiſtis affecti, ſed ad ipſam etiam figuram corporis. Quomodo enim feciſtis in nominibus, hoc etiam feciſtis in illius imagine. Etenim in palis annu-

lorum,

lorum, & in simulachris, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & ubique sacram illam multi expresserunt imaginem.

§. VI. Verum enim verò si ad normam Sacratissimæ veritatis dicendum quod res est, eodem cæmento, quo Ethnici suarum imaginum usum defenderunt, Gregorius olim suum fundamentum incrustavit, haustis procul dubio ex eorum lacunis quæ superius lectori propinavimus. Quandò enim *Maximus Tyrius Philosophus* sub Commodo Imperatore Romæ clarus, ad imagines & signa devolvebatur, dixit, instituta hæc esse, ut admoneamur divinæ naturæ, perinde ac pueri soleant tenuibus quibusdam notis à præceptoribus expressis, constituta memoria ad ediscendam artem manu quodammodo perduci. Visi sunt enim Legislatores quasi cuidam gregi puerorum dicationes has sacras tradidisse. Et admodum clarè hoc ipsum ex *Athanasio* intelligitur, qui *in libro contra gentes*: Philosophi, *inquit*, Gentium, & qui apud eos eruditi dicuntur, cum urgeri à nobis cœperint, non negant hominum & mutorum animalium formas atque effigies esse, qui apud eos videntur Dii; Verùm hanc afferunt rationem, idcircò se illas imagines fingere, ut per eas sibi Deus respondeat & reveletur: Non posse enim invisibilem aliter nosse, quam per hujusmodi signa & τελετάς. Alii sapientiora his & altiora se dicere arbitrantes, *ajunt*, ideò hæc fingi atque formari, ut per ea cœlestes invocentur & appareant Angeli atque virtutes, sicque apparentes veram illis Dei insinuent notionem. Esse enim ea hominibus veluti literas, quæ relegentes possint per eam, quæ ex illis insinuatur, cœlestium spirituum revelationem, & Dei intelligentiam consequi. Manifestus ergò Symphonismus in Gregorio Magno cum gentilibus deprehenditur. Quid huic occinat *Theodoretus Serm.* VII. *de sacrificiis, ad Græcos infideles*, nunc attendendum venit. Simulachra, *ait*, Sathan curavit fieri in usum eorum, qui literarum sunt expertes, ut iis ad superstitionem incitarentur. Consonat Athanasius l.c. scribens: Perquam fabulosè, & non rationabiliter hæc dicere Gentes, imò Gentes hac in re maximam impietatem in perniciem suam operari. Laudabile insuper factum *Epiphanii* in fine ejusdem

Episto-

Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham his verbis exprimitur: Cum venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogâssem quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, & intrâssem ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi vel Sancti cujusdam. Non enim satis memini cujus imago fuerit; Cum ergò hoc vidissem in Ecclesiâ Christi, contra autorem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent. *Et mox*: Precor ut jubeas in Ecclesia Christi, istiusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam hanc magis habere solicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesiâ Christi, & populis qui tibi crediti sunt. Initio seculi Septimi usque ad Synodum Quini-Sextam (*) imagines quidem in templis fuêre, ut tamen non liceret ullam adorare, quæ non esset Deus. In Synodo Quini-Sexta Anno Christi DCXCII. celebratâ vocantur imagines σεπταί, id est, *venerabiles*, sicut templum σεβάσμιον Concilium Constantinopolitanum jussu Constantini Copronymi Anno DCCLIV. celebratum, nuncupat: & *Iustinianus* Imp. Sacratissimus *Novella* VII. *cap.* II. Nosocomia & Xenodochia appellat *venerabiles domos.* In illa Quini-Sexta Synodo canone LXXIII. dicunt Patres: Cum crux vivifica illud salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam antiquo lapsu salvati sumus, eum, qui par est, honorem habeamus. *Vnde & mente & sermone, & sensu, adorationem ei tribuentes*, crucis figuras, quæ à nonnullis in solo ac pavimento fiunt, omninò deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Qui secus fecerit, excommunicari decernimus. Seculo vero octavo cultus religiosus & adoratio imaginum palam Ecclesiæ obtrudi & urgeri cœpit, reluctantibus quantumvis Imperatoribus zelosis. Propterea Philippicus cum ad Imperium venisset Synodum coegit Constantinopoli ex Episcopis plurimis, Anno Domini DCCXIII. in qua

Idolo-

Idololatriæ omnem aditum pæcludere volens, imagines Patrum, qui sex Synodis universalibus interfuissent, quique jussu Constantini Pogonati, & Justiniani F. depicti fuerant, Constantinopoli in Sophiæ Templi porticu abradi, omnesque alias amoveri jubet; idemque ut faciat Romanus Pontifex præcipit. An. DCCXXIV. Leo III. Isaurus Imp. conventum Constantinopolitanum instituit, & imagines ac statuas in foro combussit, edicto cavens, ne quis eas adoret vel veneretur. Ad eundem scopum collineavit Synodus Constantinopolitana sub Imp. Constantino Copronymo coacta, & vulgo VII. Oecumenica dicta, ubi CCCXXXVIII. Episcopi sanciverunt, ne quis adoraret aut in templa collocaret imagines juxta Actionem sextam Concilii Nicæni secundi; Qui Imperatores inde nomen ICONOCLASTARUM obtinuerunt, ceu Chronologi ad Seculum VII. fusiùs enarrant.

* Synodus illa πενθέκτη (πενθ᾿ ἕκτη) sive *Quinisexta* audit, quia quod quintæ & sextæ, Synodis universalibus deerat, protinus constituit. Quin & *Anton. Possevinus* Tomo II. Apparatûs Sacri in verb. Quinisextum p. 305. & Trullanum, p. 513. confitetur, eandem canones addidisse quintæ & sextæ Synodo. Quamobrem recte dicitur supplementum earundem Synodorum generaliũ. Locus hujus Concilii cognominatur *Trullus. In Chronico de rebus Patriis Constantinopolitanis à Codino* edito, crebra mentio fit de *Trullo*. quando agitur de templo admirabili, quod exstrui atque erigi Justinianus Imp. curavit. Sed in illo Templi magni *Trullo* Synodus non est habita. *Theodorus Balsamon* scribit Patres convenisse *in Trullo Magni Palatii*. Commentar. in Photii Nomocanon. 171. Scilicet in Secretario Palatii Cæsarei, quod fastigiatum, testudine sursum erectâ, sui rotunditate conficiens hemisphærium, ab ipso ædificii genere Trullus fuit nominatum. *Baronius Tomo* VIII. *Annal.* sub Ann. DCLXXX. num. 41. De alio *Trullo Anastasius Bibliothecarius in vita Sergii I. Pontificis*, de prædicans templum SS. Cosmæ & Damiani, inquit, *Trullum Ecclesiæ Sergius Pontifex fusis chartis* (id est, laminis) *plumbeis*

 coope-

cooperuit atque munivit. Trullus, ut verbo me expediam, erat tholus sive ædificiũ quod formam turritæ concamerationis habebat.

§. VII. Anno Domini DCCXCIV. Indictione secundâ; Adriani Pontificatus XXIII. Constantini solius Imper. Orientalis quinto, Francofurti ad Mœnum post festum Paschale amplissimum Concilium congregatum est, uti uno ore confirmant *Paulus VVarnefridus in Chronico Tomo I.* Corporis Historiæ Francicæ veter. fol. 180. num. 10. *Ademarus* part. II. ejusdem Corp. historici fol. 400. num. 50. *Lupoldus apud Irenicum* Lib. II. *Baronius Tomo IX.* Annal. Ecclesiast. sub ann. Christi DCCXCIV. num. 1. *Possevinus Apparat. Sacr. Tomo I. in verbo* Francofordiensis fol. 600. *Iohannes Cabassutius in Notitia Concilior.* p. 513. *Philippus Labbeus in Synopsi Concil. historica, pag.* 100. Occasionem præbuit tum Felix hæreticus, tum Adrianus Pontifex, qui Acta Synodi Nicænæ II. de Imaginum adoratione miserat Carolo approbanda. Frequentes igitur convenêre circiter trecenti numero Episcopi, Abbates, Sacerdotes, Monachi, ex omnibus Caroli Magni Regis Provinciis, nimirum ex Italia, Gallia & Germania, quibus Paulinus, Aquilejensis Episcopus in Libello *Sacro Syllabo* addit Episcopos ex Hesperiâ, Liguriâ, Æmiliâ & Austria, Provinciis longè dissitis. Misit eò Adrianus Pontifex suos Legatos, Theophylactum & Stephanum Episcopos. Interfuit huic venerando Cœtui Rex Carolus ipse. Ac primum Felicis & Elipandi opinio, quod Christus secundum humanitatem adoptivus Dei filius sit, à Synodo discussa & condemnata est. Vid. *Salomon Gesner, Lib. II. Enarrat. Histor. Concilior. Sec. IIX. pag.* 372. *Tom.* II. *Corp. Histor. Franc. fol.* 40. n. 40. 50. & fol. 401. n. 10. *Ado Viennensis Episcopus, in Chronico*, Ætate VI. *B. D. Dorschæus in Collatione ad Concil. Francofurt.* p. 100, 113. seq. Deinde Acta Synodi Nicænæ secundæ ventilantur, & sententia de imaginibus adorandis rejicitur, Patribus sic pronunciantibus: Imaginum „ cultum & adorationem esse impiam, Synodum porrò Nicæ„ nam secundam, quam septimam universalem appellaverat Pontifex, damnari, nec universalem dici debere. Illud perspicuè tradit *Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis Histor. Eccles. Rhemens.*

Lib.

Lib. III. *cap.* XX. . ita scribens: Septima autem apud Græcos voca-
„ ta universalis *Pseudo Synodus* de imaginibus, quas quidam con-
„ fringendas, quidam autem adorandas dicebant; neutra verò in-
„ tellectu sano definiens sine autoritate Apostolicæ sedis, non lon-
„ gè ante nostra tempora Nicææ est à quamplurimis Episcopis
„ habita & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Fran-
„ ciam direxit. Unde Caroli M. Imperatoris tempore generalis
„ Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebra-
„ ta, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque Ma-
„ jorum, ipsa Græcorum Synodus destructa & penitùs abdicata,
„ de cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio
„ adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per
„ quendam Episcopum missum. Paulo post de titulo universalis
„ Synodi hæc subnectit: Autoritate itaque hujus Francofordien-
„ sis nonnihil repressa est imaginum veneratio: sed tamen Ha-
drianus & alii Pontifices in sua opinione perseverârunt, & mortuo
Carolo pupparum cultum vehementiùs promoverunt. Idem
suo calculo confirmat *Eginhardus in vita Caroli M.* apud Erphor-
diensem, *Aimonius Lib.* IV. *cap.* LXXXV. de Gestis Francor. *Aven-
tinus Lib.* IV. *Annal. Bojorum. Abbas Vrspergensis* in Chronicis ad
Ann. DCCXCIII. Imò hoc tam manifestum est, ut contra Ponti-
ficii ne hiscere quidem audeant. *Blondus* sanè inter Pontificis adu-
latores (adoratores dicendũ erat) non postremus, *Lib.* I. *Decad.* II.
Histor. scribit: in Francofurtensi Synodo condemnatam esse Sy-
nodum de imaginibus deponendis, quam Græci falso appellabant
septimam. Atqui eum non latuit Nicænam condemnatam fuisse.
Nec dissimulat confiteri *Iohan. Cabassutius* Concilium Francofor-
tense damnâsse Synodum septimam de imaginum cultu, in Noti-
tiâ Concilior. pag. 483. Quod cum videret Cardinalis Bellarmi-
nus, eò devenit, ut statueret, ceu alia, sic quoque Concilium
Francofurtense errare potuisse, & adeo errâsse, non *in juris* sed
in facti quæstione, Tomo I. Controvers. Theologic. Controv.
IV. Lib. I. de Conciliis cap. VII. Lib. II. cap. IX & Lib. II. de
imaginibus Sanctorum, cap. XIV. Egregia scilicet conse-
quentia, quæ si valeret, omnes Pontificiorum hypotheses

erroneas destruere, & veluti gladius Delphicus nodum Gordium dissecare posset.

§. VIII. Etsi verò subsecutis temporibus cultui imaginum Orthodoxi Ecclesiæ Doctores passim contradixerunt, quod etiam à Waldensibus, (*a*) eorumque successoribus, Wiclefo, Johanne Husso ac Hieronymo Pragensi, post medium seculi decimiquarti, & circa decimi quinti initium, factum est, ceu Chronologi observant: Nihilominus tamē inveterata consuetudo tam altas in Ecclesia Latina & Græca egit radices, ut ad præsentē usque diem quamvis notabili cum discrimine imagines ibidem reverenter colantur. Testem provoco inter Græcos magnæ auctoritatis, *Metrophanem Critopulum*, Hieromonachum (Sacerdotem Monachum) & Patriarchalem Constantinopolitanum Protosyngelum, (*b*) postea verò Patriarcham Alexandrinum, qui in *Confessione suâ* de Ecclesiâ Orientali, Helmestadii à *Ioanne Hornejo* Anno MDCLXI. edita, „ cap. XV. sequentibus negotium declarat: Sanctis, *inquit* imagi„ nibus Ecclesia etiam cultum convenientem tribuit, non religio„ sum, nec servilem, absit hoc, talis enim soli Deo competit, sed „ congruum & benevolentiæ testem, referens nihilominus etiam „ hunc ad eos, quos imagines repræsentant quemadmodum S. Basilius M. ait: honor imagini exhibitus transit ad illum, cujus imago existit. Cæterum modus colendi imagines hic est. Quando festum aliquod agitur, in medio templo proponitur imago exprimens festum quod celebratur; E.g. Si Nativitas Christi celebratur, imago quoque illam continet; si verò Resurrectio, etiam hanc; si autem festum Sancti cujusdam, illius imago repræsentatur, quam imaginem quemlibet Christianorum, qui in templo sunt, aperto capite *Osculari* decet, id est, labris suaviari. Ad hunc modum & Synodus Oecumenica septima (septem enim easque solas Synodos Oecumenicas nos admittimus, ex illis verò quæ certis in locis habitæ sive particulares sunt, ea omnia amplectimur, quæcunque Oecumenicæ septem & receperunt & confirmârunt,) *quæ Nicææ altera vice coacta est*, cultum sanctarum imaginum fuit interpretata. Hæc enim quandò exposuit anathematismum ita se habentem: *Si*

quis

quis non adorat Dominum nostrum Iesum Christum imagine expressum, anathema sit: Voluit etiam, quid ibi vox προσκυνεῖν significet, declarare, adducto ejus significationis testimonio ex Homero: κύνησε δέ μιν. Deinde subjicit, κυνέω κυνῶ significat, LABRIS OSCULOR, & cum Præpositione πρὸς, προσκυνέω, ῶ, quemadmodum τρώγω, κατατρώγω, πίνω, καταπίνω dicitur; Præpositionibus nihil aliud præterquam majorem Emphasin exprimentibus Sic quoque κυνῶ & προσκυνῶ. Hæc sunt verba Synodi: Sunt autem nonnulli (pergit Metrophanes) apud nos, qui in tali adoratione seu *religioso osculo* discrimen valde laudabile facere velint. Si enim imago quæ proposita est, Domini fuerit, pedes ejus osculari cupiunt; Si verò Semper-Virginis matris ejus, manus; si denique sancti cujuspiam; faciem. Quam differentiam laudant & amplectuntur, qui inter nos probatissimi sunt, & maximè ingeniosi. Inter Dominum enim & servum discrimen sit oportet. (*a*) Waldensium Ecclesia unde nomen traxerit optimè *Augustus Thuanus Historiar. Lib. VI. p. m.* 288. *Edit. Francofurt. in* 8. sic exponit: Petrus Valdus locuples civis Lugdunensis
„ Anno Christi circiter CIↃCLXX. Valdensibus nomen dedit. Is, ut
„ monumentis testatum reliquit Vidus Perpinianus, Præsul Lo-
„ devensis, qui quæsitoris in Valdenses munus exercuit, domo ac
„ bonis relictis, totum se Evangelicæ professioni devoverat, &
„ Prophetarum atque Apostolorum scripta populari lingua ver-
„ tenda curaverat, antiquorum etiam Patrum aliquot testimoniis
„ adjunctis, quibus in animum defixis, fretus ingenio suo & sensu,
„ prædicationis munus sibi sumpserat, perque plateas ac vicos
„ Evangelium plebi interpretabatur; Cum jam multos sectatores
„ exiguo tempore circa se haberet, eos tanquam discipulos ad
„ Evangelium promulgandum in omnes partes ablegat. Idem p. 289. Cultum Sanctorum inter Sathanæ commenta referunt. *Iohann. Wolfius Lection. memorabilium* ad Ann. MCLX. p. 381. mentem Waldensium ita declarat: Dei & sanctorum imagines esse delendas. *Alphonsus de Castro Lib. VIII. hæreseon.* p. 244. Addens idololatricum esse, habere eas in templis, sive illæ sint Christi, sive sancti hominis alicujus. Et Lib. III. p. 101. Waldenses Wiclefista-

rum Parentes appellat; quin hîc ut alibi semper Waldenses imitantur Wiclefistæ. *Iohannes VViclefus* Anglus, Theologus Oxoniensis floruit circa Annum MCCCLXXXI. Wiclefo suppar & ejus doctrina multum adjutus *Iohann. Hussus*, nec non *Hieronymus Pragensis*, quantas persecutiones tolerarit & quid docuerit, Vide in Historia universali *Boxhornii* ad Ann. MCCCC. p. m. 904. seqq. Itemque peculiari *dissertatione de Ecclesia VValdensiũ Ioachimi Hesterberg*, An. MDCLXVIII. Argentorati sub Præsidio B. *D. Dannhaueri* institutâ.

(*b*) Πρωτοσύγκελλος, Protosyncellus, id est, primus domesticus. Dignitas Ecclesiastica in Constantinopolitana Ecclesia ita dicebatúr, quia omnium Syncellorum, id est, habitantium sive domesticorum Patriarchalis Palatii erat primarius, ejusdemque Patriarchæ Vicarius, imò futuræ Patriarchatus Successioni destinatus; Ideò dignitas hæc à Capitulo illius Ecclesiæ cum Imperiali beneplacito eligebatur. Eodem præterea mense ab Imperatore Johanne ad Papam Martinum Legati redierunt, Marcus, inquam, Iagrus, & Stratopedarcha (idem sonat quod Protostrator, sive Præfectus stabuli, vel Marescallus) & magnus Protosyncellus, inquit *Georgius Phranza*, Byzantinus Chronicorum Scriptor Seculo decimo quinto, *in Chronico de rebus Byzantinis, Lib.* II. *cap.* 2. à Jacobo Pontano Anno MDCIV. Ingolstadii in 4. Latinè edito.

§. IX. Metrophani *Leonem Allatium* succenturio, qui *Lib.* III. *de Eccl. Occident. & Oriental. Perpetua consensione* (si Diis placet) cap. IX. *p. m.* 1039. Græcorum studium circa imagines his verbis exprimit: Sacras imagines integra mente & voce venerantur; quibus totius Ecclesiæ etiam muros exornant, ut semper ante oculos habeant & meditentur gesta sanctorum. In privatis etiam domibus nullus est, qui simili peculio non glorietur; ante quas cum festus dies agitur, à Vigiliæ vesperis per totum subsequentem diem lampades accendunt. Nec antiquis tantum imaginibus contenti, novas procurant, cum hoc ævi, & semper antea, apud eos pictores, pro genio tamen temporis floruerint. Eas non in telis, sed in tabellis pingunt, semperque eadem formâ repræsentant: quæ enim faciei lineamenta & vestimentorum formam in antiquissimis vident,

dent, ea omnibus modis imitantur, ut pictores illi, non pro arbitrio pingant, sed quod vident, in aliis referant. Idque non novum est in eâ Ecclesiâ, sed ab antiquissimis etiam temporibus in usu. *Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus* Anno Christi DCCCVI. die XII. Aprilis constitutus, (acerrimus alius Iconolatra) *Libro de inculpata Christianorum fide* : Τῶν δὲ εἰκονιζομένων ἡνίκα πολυσχιδὴς ἡ πλάνη. Πολλοὶ γὰρ παρ' αὐτοῖς θεοί τε καὶ δαίμονες, ἀνάγκη πλείους εἶναι, καὶ τὰς μορφὰς, καὶ τὰ ἐκτυπώματα ποικίλα, καὶ πεπληθυσμένα, καὶ τοῖς εἴδεσι διαφέροντα, καὶ ἀνομοίων ἀνόμοια, καὶ τὸ βρέτας ἑκάστῳ ἀλλόκοτον, ἀνατιθέμενον. Παρ' ἡμῖν δὲ τοῖς χριστιανοῖς ἁπλῆς οὔσης, καὶ ἀσχεδάστου τῆς ἀληθείας, ἐπειδὴ, εἷς ὁ Χριστὸς, μία τῷ εἴδει, καὶ ἡ τούτου εἰκὼν, καὶ ὁ χαρακτὴρ ὅμοιος, ἐξ ἑνὸς ἀρχετύπου ἀεὶ προερχόμενος, ὡς φέρε εἰπεῖν, ἀφ' ἑνὸς δακτυλίου πολλὰ γίνεται ἐκτυπώματα, εἰ καὶ ταῖς ἡλικίαις ἔσθ' ὅτε, καὶ τοῖς τῶν τόπων ἐν οἷς διῃτᾶτο ἰδιώμασιν, κατά τε τὸ σχῆμα, καὶ τὴν μορφὴν βραχύ τι παραμείβεται. Πληθύνεται δὲ εἷς καὶ ὁ αὐτὸς μένων, ὥσπερ ἐκ μιᾶς λαμπάδος πολλῶν ἀναπτομένων, ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πυρὸς μένοντος τῷ πάθῳ καὶ τῇ πίστει τῶν δεομένων τῆς ἐντεῦθεν ὠφελείας καὶ χάριτος. i.e. Eorum verò quæ pictura exprimuntur, cum error in multas partes divideretur, multi enim apud eos Dii & Dæmones, necesse est esse plures formas, & expressiones varias, & numero abundantes, & specie differentes, & dissimilium dissimiles, & statuam unicuique insolentem consecrari. Apud nos autem Christianos, quibus veritas simplex est, & indivisa, cum unus sit Christus, una est specie illius imago, & character similis, ex uno archetypo semper proveniens; quemadmodum, exempli gratiâ, ex uno annulo multæ fiunt expressiones, quamvis ætate sæpenumero, & locorum in quibus habitabat, proprietatibus, secundum figuram & formam paululum immutentur. Multiplicatur porrò, unus & idem manens, quemadmodum ex unâ lampade multæ accensæ, uno & eodem igne & permanente, desiderio & fide exorantium, quæ inde emanant, utilitatem & gratiam. Pergit deinceps : ἐν τούτοις ἅπτονται καὶ τῶν ἱερῶν κειμηλίων, ἐν οἷς τὰ ἅγια καὶ ζωοποιὰ τοῦ Χριστοῦ ἐπιτελεῖται μυστήρια· ἔτι καὶ τῆς ἐσθῆτος, ὅση ταῖς σεπταῖς ταύταις ἱστορίαις σεμνῶς περιστέλλεται, πρὸς δὲ καὶ τῶν ἐν ταῖς Εὐαγγελικαῖς βίβλοις προσκυνουμένων πτυκτίων. Καταλύουσι γοῦν τὸ Εὐαγγέλιον. Καὶ τί γὰρ ἕτερον ἐνορᾷν ἐστιν ἢ κινούμενον παρ' αὐτοῖς καὶ λυόμενον τὸ Εὐαγγέλιον· ἐν τίνι γὰρ διοίσει τὰ ἐντὸς γεγραμμένα τῶν ἐκτὸς ἱστορουμένων τῆς τοιαύτης ἐννοίας καὶ ὑποθέσεως ἐπ'

ἀμφο-

ἀμφοτέρων θεωρεμένης. Διὰ τοῦτο εἰ τὸ ἕτερον τίμιον, καὶ θάτερον τίμιον, ἢ ἀλλήλοις συνοιχήσεται πᾶσα ἀνάγκη. Ἤδη δὲ ὁρῶμεν πολλὰ τῶν σεβασμίων βίβλων τουτωνί, καίγε καὶ τῶν ἀρχαιοτέρων, καὶ τῷ μακρῷ χρόνῳ παρ᾽ εὐσεβῶν, καὶ φιλοθέων ἀνδρῶν ἐκπεπονῆσθαι μαρτυρουμένων, ἅπερ ἀναπτυσσόμενα ἐν μέρει μὲν διὰ τῆς καλλιγραφικῆς εὐφυΐας, τὰ τῆς θείας ἱστορίας ἡμῖν ἐμφανίζει διδάγματα. Ἐν μέρει δὲ διὰ τῆς ζωγραφικῆς εὐτεχνίας τὰ αὐτὰ ἡμῖν παραδείκνυσι πράγματα, καὶ οὐδέν τι μᾶλλον τόδε διατιμαίνειν· εἷς γὰρ ἐπ᾽ ἀμφοῖν ὁ λόγος, καὶ δι᾽ ἀμφοτέρων τῆς σωτηρίου τοῦ θεοῦ λόγου οἰκονομίας ἡ διδασκαλία τε καὶ ἀνάμνησις γίνεται· ἃ γὰρ ὁ λόγος διὰ τῆς τῶν γεγραμμένων ἐκήρυξεν ἀναγνώσεως, ταῦτα καὶ ὄψις διὰ τῆς τῶν ἱστορουμένων ἐντεύξεως συμπαρέδειξεν· οὐ τῶν ἱερῶν σκευῶν τὸ εἰς πλῆθος ἄφατον, καὶ ἀνεξερεύνητον ταῖς ἱερομορφίαις ταύταις ἐκπρεπῶς ἐγκαλλωπιζόμενον κατεμάλαξεν. Adhæc, sacra cimelia invadunt (puta Iconomachi) in quibus sacra & vivifica Christi peraguntur mysteria; necnon & vestes, quotquot venerandis hisce picturis decorè exornantur; adhuc etiam tabulas, quæ in Evangelicis libris adorantur. Destruunt itaque Evangelium. Ecquid etenim apud eos videre est, nisi loco suo dimotum & abolitum Evangelium? Nam in quo different, quæ intus exarata sunt, ab iis quæ extra depicta, cum eadem sententia & argumentum in utrisque conspiciatur? Propereaque, si unum venerandum est, & aliud venerandum erit, vel unum cum aliò perditum iri necesse est. Jam verò intuemur complures ex his libris venerandis ex antiquioribus etiam, & multum ante tempus à piis & Dei amantibus hominibus, ut testimonio hominum comprobatur, conscriptis; quæ dum aperiuntur, in unâ parte ob scriptoriæ artis concinnitatem, divinæ nobis historiæ præcepta insinuant; in parte verò aliâ, propter pictoriæ excellens artificium, res nobis easdem ostendunt: Et non magis hoc aut illud commonstraverint, cum in utrisque eadem ratio sit, & per utraque salutaris Dei verbi Oeconomiæ doctrina & recordatio comparetur. Quæ enim sermo per descriptorum lectionem palam edicit, eadem & unus per depictorum congressum manifestat. Non sacrorum vasorum multitudo, quæ verbis exprimi nequit, & ingenio hominum conquiri, sacris hisce imaginibus decorè nimis elaborata emollivit.

§. X. Imagines Salvatoris nostri in Vigilia Nativitatis Dominicæ Imperatores religioso cultus OSCULO quondam coluisse, auctor

auctor est *Georgius Codinus Curopalata*, seculi decimiquarti scriptor rerum Constantinopolitanarum exactissimus, *de Officiis & Officialibus* Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolit. c. VI. Mensis Dec. XXIV. celebratur vigilia Nativitatis Christi, Imperatore ad matutinum, secundùm usitatam sibi consuetudinem, non egresso, sed in suo conclavi commorante. Finito matutino & dimisso cœtu Canonarchæ imagines afferunt, & tabulatum erigunt, ex quo pendent sanctæ imagines Nativitatis Christi, & aliæ tres vel quatuor; coram hoc pulpitum est, in quo sanctum Evangelium repositum jacet. Postea egreditur Imperator ex suo conclavi, magno domestico ad januam stante, & Imperatoris ensem ferente. Igitur simulac Imperator apparet, cantores statim cantant illud: DIUTURNUM FACIAT DEUS IMPERIUM TUUM! Quibus canentibus Imperator vadit, sanctasque imagines OSCULATUR. Deinde regressus stat prope thronum suum, magno domestico ad sinistrũ Imperatoris latus stante cum Spatha seu ense Imperatorio. Et §. XV. Finitis horis Imperatore rursus abeunte & sanctas imagines exosculante, suumque conclave repetente, solvitur circumstatio, donec debita Liturgiæ hora advenerit. Hæc ille. *Tarasius* Patriarcha Constantinopolitanus Sec. post N.C. octavo, in Epistolâ Synodicâ ad Imperatores Concilii Nicæni II. Tomo XIX. Conciliorum, pag. *606. Edit. Paris.* Anno MDCXLIV. A priscis inquit, temporibus Sancta Dei Ecclesia accepit in legem, tam à sanctis & primis doctrinæ nostræ Magistris, quàm ab eorum successoribus eximiisque Patribus nostris, imagines adorare sive salutare. Idem enim utrumque est, κυνεῖν quippe antiquâ Græca linguâ & salutare & osculari significat, & πρὸς Præpositio augmentum quoddam amoris significat, quemadmodum verba hæc φέρω προσφέρω, κυρῶ προσκυρῶ, ita κυνῶ προσκυνῶ, quod salutationem indicat & amorem vehementem. Quod enim quis amando osculatur, id & adorat, & quod adorat, id osculatur. Καὶ ταύτας (εἰκόνας) προσκυνεῖν ἤτοι ἀσπάζεσθαι. Ταυτὸν γὰρ ἀμφότερα. Κυνεῖν γὰρ τῇ ἑλλαδικῇ ἀρχαίᾳ διαλέκτῳ τὸ ἀσπάζεσθαι, καὶ τὸ φιλεῖν σημαίνει· καὶ τὸ τῆς πρὸς προθέσεως ἐπίτασίν τινα δηλοῖ τοῦ πόθου· ὥσπερ φέρω καὶ προσφέρω, κυρῶ καὶ προσκυρῶ, κυνῶ καὶ προσκυνῶ, ὃ ἐμφαίνει τὸν ἀσπασμὸν, καὶ τὴν κατ'

ἐπίκτασιν φιλίαν· ὃ γάρ τις φιλεῖ, καὶ προσκυνεῖ, πάντως καὶ φιλεῖ. *Nicephorus Constantinopolitanus* in literis quas suscepto Patriarchatu ad Leonem III. Romanum Pontificem scripsit, idem ferè innuit, dicens: exosculor nihilominus & expeto Sanctorum apud Deum patrocinia & intercessiones: Primò quidem præcipueque sanctissimæ & immaculatissimæ semper virginis ac Dominæ nostræ, Dei matris; mox vero divinarum cœlestiumque virtutum; sanctorum laudatissimorumque Apostolorum, beatorum Prophetarum, gloriosissimorum invictissimorumque Martyrum, divinorum Patrum ac omnium denique sanctorum, qui ab initio mundi Domino placuerunt, & absque ullo omnino fine in ipso & per ipsum vivunt, (animæ enim justorum in manu Dei sunt) ut qui maximam hinc animæ corporisque salutem consequar. *Post quædam*: complector itidem suspicioque non solum venerandas Christi omnium Salvatoris nostri iconas, & venerabiles sanctissimæ Dei matris imagines, verùm sacras quoque Sanctorum omnium effigies, eamque venerationem illis exhibeo, quam honor eorum meritò postulat. &c. vid. Clariss. *Martinus Hankius Libro de Byzantinarum Rerum Scriptoribus, part. I, cap.* XII. *p.* 232.

§. XI. Insigne Moscovitarum studium erga imagines describit *Archontologia Cosmica* sequentibus verbis, pag. 463. Imagines depereunt, sic effusè amore ornant, & veneratione eas prosequuntur, quas ideò habent in templis suis innumeras easque pictas (sculptas vel fusas rarissimè videbis, aut nullas: Olearius refert, se unicas offendisse in quodam Sacello Moscuæ NB) Sanctorum denatorum, ut dicunt; inprimis autem B. Mariæ, & S. Nicolai magni Russorum Patroni. Unusquisq; suum sanctum ibi habet, quem etiā plerumque ipse eò reponit, coram quo devotissimè se incurvat, & preces suas peragit. Videbis in compitis viarum, ad fores templorum &c. passim Russos devotos & orantes ante crucis signa suspensa. Sed & in communibus negotiis suis ostendunt, se multum esse deditos imagunculis: Neque enim pedem domo efferunt, aut ædes suas ingrediuntur, quin se ter inclinent ante crucifixi aut virginis matris imaginem, quarum alteram habent in omnibus prope-

hypo-

hypocaustis aut cubiculis suis, cum appenso lumine, ubi tamen non ipsum simulacrum, aut Divum quempiam adorant, sed hæc verba dicunt: HOSPODII, vel rectiùs GOSPODI POMILUI. Domine miserere nostri. Hoc facto demum colloquuntur cum iis, qui eos conventos voluerunt, aut eis valedicunt. Idem faciunt in mensâ, quoties cibum capere volunt. Ornant imagines suas pro suis quisque opibus, unionibus & gemmis, nullam autem venerantur, nisi à Russo vel Græco artifice pictam: Peregrino Latinæ Religionis non donant, nec vendunt ullas suarum, utpote indigno, qui tale sacrum habeat; & ignaro quomodo satis honorare debeat. Metu etiam percelluntur magni alicujus Numinis, si aliquid insoliti accidat circa imaginem, cujus rei exemplum narrabo. Anno MDCXLIII. Mense Junio, Moscuæ vetusta quæpiam & valde honorata imago colorem suum ultrò immutârat, rubicundiorem exhibens vultum quàm antea. Miraculum à Popis extemplò defertur ad Patriarcham & Welikinnesam, seu magnum Ducem: ominosum & calamitatis alicujus publicæ præsagum habetur ab omnibus, ac proinde constituitur jejunium, & pœnitentiam statis diebus peragi oportere, quo pœnas effugerent. Ipse Zaar vir valde devotus multas profundit lachrymas cum suspiriis; convocat interim etiam omnes Ruthenicos pictores, eosque sub fide osculi crucis, (quod juramenti religione penè sanctiùs habent) interrogat, ut sibi dicant, utrum causam habeat hæc res naturalem & ordinariam, an miraculosam? Respondent unanimiter omnes, non esse miraculum aliquod, sed materiâ coloris evanescente, vel deciduâ, qua incrustata fuerat imago, fundum ipsum apparere, qui in tabulâ ab artifice, uti manifestè ipsi deprehendunt, ruber sit positus, ejusque lineas nunc pellucére. Sic metus evanuit. Plura etiam contigêre exempla fraudis, qua Popi credulæ plebi, & circa talia crepundia versanti imposuêre, eo fine, ut eò largiores nanciscerentur eleemosynas, sed dolo detecto aliquoties puniti fuerunt. Evanidas planè vel ob vetustatem, vel ob cariem ligno exeso aliove modo inutiles redditas non abjiciunt, sed aut committunt aquæ labenti,

 aut

aut altè defodiunt in terram coemiterii hortive alicujus. Gemina *Adamus Olearius in Descriptione itineris Persici* p. 179. exhibet. Quando Ruthenus in alterius cujusdam domum aut hypocaustum venit, primò omnium Deo suo honorem exhibet oratque; postea demum homines alloquitur. Intrat enim instar muti, neminem curans, licet decem, vel plures adsint præsentes. Primo ingressu circumspicit, annon imago aliqua adsit, quæ ut plurimùm pone mensam ad parietem pendet, aut in pinacothecâ stat. Si nullam illicò conspicit, quærit JEST LEBOCH? Non adest Deus aliquis? Visa imagine ter se coram illâ inclinat, consueta verba proferens GOSPODI POMILUI, h. e. Domine, miserere mei. His peractis demum se ad præsentes homines convertit, eosque salutat.

§.XII. Antequam ab Ecclesia Græcâ discedam, & ulteriùs provehar, duo potissimum expendenda sese hic offerunt: Primum est, an Græci sculptas venerentur imagines? Scripserat in *Oratione de statu Ecclesiarum suo tempore in Græcia, Asia, Africa &c. David Chytræus*: Magna pars vulgi & Sacerdotum, pietatis summam in cultu Mariæ Virginis & imaginum, (quas non sculptas, sed pictas solummodo habent,) collocat. Ex his Leo Allatius occasionem arripuit impudenter in B. Chytræum debacchandi, quasi ille Græcis falsum quidpiam affinxisset. Sic enim *de Ecclesiâ Occidental. & Oriental. perpetua consensione, Lib.* III. *cap.* XV. §. 16. scribit: Pergit ludere Chytræus, demitque Græcis sculptarum imaginum adorationem. Sculptarum imaginum duo sunt genera; alterum quod per se stat, omni ex parte excavatum, & suo corpore ab aliis rebus sejuncto commendabile, quales sunt antiquorum statuæ, ex marmore, metallo, aut alia materia confectæ; alterum est, quod in lapide ipso aut solido corpore inciditur, non tamen ab eo divisum, sed parte ea quam videri voluit artifex, protuberans plus minusve, ut eidem artifici placuit. Utrumque hoc genus sculptarum imaginum à Græcis in veneratione haberi, ipsa experientia docet. Prius genus ipsemet Allatius l. c. dicit esse verum, in altero verò genere id aliter se habere. Et tu Chytræe, audes tam apertè mentiri, asse-

asserereque, Græcos non habere sculptas imagines. Sed si quis Chytræi propositum considerat, facile à turpi mendacii crimine eum absolvet. Recenset enim ex fide testium oculatorum, quæcunque in sua oratione continentur, de consensu vel dissensu Græcorum neutiquam solicitus. Si mentitus est Chytræus, cur *Petrus Stevartius* ad *Manuelis Calecæ* qui circa finem seculi decimiquarti floruit, *Libros* IV. *de process. spiritus S. adversus errores Græcorum, Tomo* XIV. *Bb. Pp. Colon. pag.* 470. Chytræi narrationem confirmavit. Cur *Goar*, qui minutissima in Græcià perscrutatus est, etiam post editionem Operis Allatiani, *in Euchologio Græcor. p.* 28. scripsit: Tantum exhibent Græci sacris imaginibus cultum, ut non minus exemplo sint, quam admirationi; si tamen pictæ sint; A SCULPTILIBUS AUTEM TANQUAM AB IDOLIS ABHORRENT: media tamen planaque sculptura, in sacris imaginibus formandis, eò quòd ad picturam accedat, utuntur, non protuberante, ut Allatius prodit. Aut igitur Stevartius & Goar cum Chytræo sentientes strenuè mentiuntur, dum Græcos non habere sculptas imagines asserunt, aut ipse Allatius apertus mendaciorum faber Græcis sculptas & protuberantes imagines obtrudere conatur. Fortassis autem de suis Italo-Græcis aulæ Romanæ aulam & sustentationem captantibus loquitur, statuarum mentionem faciens, non quas ipsi templis inferunt, sed quas unus alterve, paucique adeò intra privatos parietes possident, vel quæstus gratia aliis divendunt. Adde intra spatium octoginta ferè annorum sculptilium adorationem introduci potuisse, quæ antea non erat usitata. Suppetit insuper aliud manifestum testimonium Metrophanis Critopuli, qui diutius inter Græcos versatus est quam Allatius, summamque dignitatem adeptus, Patriarchalem nempe Alexandriæ, quæ Allatio nunquàm fortè conferetur. Ille autem in Confessione Ecclesiæ Orientalis cap. XV. Græcos consuetudinem veteris Ecclesiæ observare expressè innuit, de imaginibus Christi, B. Virginis & Angelòrum loquens: τούτων οὖν εἰκόνας ἡ Ἐκκλησία ἐποίει οὐ γλυπτὰς, οὐδὲ λαξευτὰς, ἀλλὰ γραπτὰς μόνον· ὡς πάρεστι μαθεῖν ἔκ τε τοῦ Εὐσεβίου καὶ Εἰρηναίου ἀνδρῶν ἀρχαιοτάτων, καὶ ἐκ πολλῶν ἄλλων ἁγίων πατέρων τῆς πρω-

τοτύπυ Ἐκκλησίας, id eſt: Horum itaque imagines Eccleſia non ſculptiles faciebat, neque exciſas, ſed pictas tantùm, quemadmodum addiſcere licet ex Euſebio & Irenæo, viris antiquiſſimis, nec non multis aliis S. Patribus Eccleſiæ primitivæ. Conf. Alexander Roſs unterſchiedliche Gottesdienſte/ p.m. 820. Edit. Heidelberg. in 8. Anno 1674. Sedeat tandem Allatius, & cum Petro Bellonio, cujus Lib. Obſervat. I. cap. XLI. in partes ſuas vocat, in tenebris micet!

§. XIII. Alterum occurrit ventilandum, quo modô cultum imaginibus Græci deferant? Supra §. VIII. ex Metrophane Critopolo innotuit, imaginibus ratione prototyporum adorationem tribui. Sic olim *Conſtantinus Epiſcopus Conſtantiæ in Nicæna II. Synodo dixit*: Ego imaginibus cultum honoris exhibeo eundem, qui debetur vivificæ Trinitati. Et ſi quis nolit idem facere, eum anathematizo ut Marcionem & Manichæum, quemadmodùm in Caroli M. libro adverſus hanc Synodum edito comparet. In eodem quoque Concilio Act. IV. ita decretũ fuit: Non ſunt duæ adorationes, ſed una adoratio, imaginis & primi exemplaris, cujus eſt imago. Quid citeriores Eccleſiæ Græcæ teneant & doceant, ex reſponſione Patriarchæ Jeremiæ ad Auguſtanæ confeſſionis articulos ſingulos, præcipitante ſeculo ſuperiori adornatâ diſpaleſcit. Occaſio reſponſi fuit, quod Tubingenſes Theologi, præprimis Jacobus Andreæ, & in reliquis reſponſis Jacobus Heerbrandus, Theodoricus Schnepfius, Lucas Oſiander, Stephanus Gerlachius, Everhardus Bidenbachius omnes SS. Theologiæ Doctores Auguſtanam confeſſionem per Martinum Cruſium Græcè conſcriptam Patriarchæ Conſtantinopolitano Jeremiæ, qui brevi poſt de throno Patriarchali dejectus fuit, tranſmiſerint, non eum in finem, ut Pontificii nugantur, quaſi ſub alas illius confugere, ipſumque pro capite, poſtquam Pontificem Romanum rejeciſſent, agnoſcere vellent, ſed ut ipſius judicium de hac Eccleſiarum noſtrarum confeſſione cognoſcerent. In illa reſponſione I. Articulo XXI. qui eſt de cultu ſanctorum, invocationem propriè ſoli Deo competere dicunt; quæ verò dirigitur ad ſanctos, non propriè invocationem eſſe, ſed per accidens & per gratiam. Poſt aliqua: Mediatores faciunt

ciunt tum ſanctos omnes, tum præcipuè matrem Domini, & cum ea choros Angelorum & Sanctorum, ita ut templis, donariis, adhortationibus, ſacris imaginibus adorentur SCHETICE (in reſpectu ad aliud, ſcilicet prototypum) non latreuticè, cultu divino. B. D. Hieronymus Kromaier in Scrutinio Religionum, Diſput. XI.p.m.268. Hoornbeek ſumm. Controverſ. Lib. XI.p.942. Eadem ferè ratione diſtinguitur adoratio, προσκύνησις, à latria in ſententiis de uſu imaginum, quæ dicuntur comprobatæ in ipſa II. Synodo Nicænâ, Tomo I. Bb. Pp. Græco Lat. p.727. C. Cultus ille in Spiri-„tu & veritate, quem Latriam appellant, beatæ Trinitati tribuitur „ab Orthodoxis, ſanctis autem imaginibus non latria omninò ſed „ADORATIO, exoſculatio & honor. ἡ μὲν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ λατρεία τῇ μακαρίᾳ Τριάδι τῶν ὀρθοδόξων ἀπονέμεται· ταῖς δὲ ἁγίαις εἰκόσιν, οὐ λατρεία πάντως, ἀλλὰ προσκύνησις, καὶ ἀσπασμὸς καὶ τιμή. Hic vides προσκύνησιν *adorationem*, non tantum diſtingui à latriâ, ſed etiam ei ſic opponi, quaſi ne nomen quidem προσκυνήσεως latriæ conveniat, id eſt, quaſi latria non ſit ampliùs vocanda adoratio, neq; adorationis nomine, viliori ſcilicet & humiliori, ſignificanda. Ajunt enim imaginibus tribui non λατρείαν, ſed adorationem. Non potuit validiùs negari adorationem eſſe latriam. Mox ita alteram ab altera ibidem diſtinguunt, ut quæ Chriſto ipſi tribuitur, ſit per latriam, *naturalis*, ſuæ ſcilicet ipſius divinæ naturæ causâ; cultus verò qui imagini defertur, adoratio quædam ſit *relativa* & æquivoca. Ἐπὶ μὲν τοῦ Χριστοῦ λατρευτικὴ ἡ προσκύνησις, καὶ φυσική. &c. κατὰ τὴν θείαν φύσιν αὐτοῦ. Ἐπὶ δὲ τῆς εἰκόνος τοῦ Χριστοῦ, σχετικὴ ἡ προσκύνησις καὶ ὁμωνυμική. Ubi obſervari meretur iſtos his fateri adorationis vocabulum de honore iſto ut vocant, *relativo* σχετικῷ dici tantum æquivocè, adeoque propriè ac συνωνύμως ſoli latriæ convenire. Verùm ex iis quæ paulò ante dixerant, apparet id nominis communi hominum uſu tandem à ſua proprietate tam longè diſceſſiſſe, ut non modò ad *latriam*, ſed etiam ad venerationem quandã ſignificandam, plurimùm imò immenſum à latriâ diſtantẽ, indifferenter, quin etiã ſæpius ac crebrius uſurparetur. Ibi enim p.729. B. C. ex *Leontio* rem totã ita explanãt:

Adora-

Adorationum una est eximia & supra omnes posita adoratio, quæ soli universorum Deo creatori &c. debetur & attribuitur, qualis est, quæ in spiritu & veritate consideratur. Aliarum altera est excellentiæ causa & dignitatis, ut quæ Regibus & aliis Principibus à subditis exhibetur. Altera Tyrannica & violenta, quam hostibus ac Tyrannis metu ac pœnæ timore inviti coactique præstant. Alia voluntaria est & honoraria, non per latriam ex desiderio & fide, qualem eam esse ajunt, quæ sanctis Angelis, item & viris divinis attribuitur, quin & sacris templis honorandis & vasis: ultimum autem hoc προσκυνήσεως adorationis genus nihil aliud quam venerationem esse patet.

§.XIV. Qui occidentalem Pontificem Romæ adorant, multò scrupulosiorem in adoratione differentiam, qua palpabiles suos errores obvelent, effingunt, & imagines suas se non adorare ut Deos clamant, sed potiùs eam adorationem quæ soli Deo debetur, expresse negare se sacris imaginibus produnt; tribuere autem illis genus quoddam inferius reverentiæ atque adorationis, quod nihil aliud sit, quam recognitio virtutis aut excellentiæ alicujus, externo signo, veluti religiosè osculando, corpus inclinando, genu flectendo, aliisque ejusmodi testata, sic enim *Johannes Hardingus* contra *Johannem Iuellum* Episcopum Sarisburiensem scribit: Et hoc quidem δουλείας illud vero λατρείας fuco defendere nituntur. Hanc distinctionem D. *Augustinus* primus confinxit, nec enim ante illum apud ullos Patres legitur, non quod eâ Imaginum cultum & Adorationem palliare voluerit, ut hodie à Pontificiis fieri solet, sed in genere tantum inter cultus religiosos hac ratione distinxit, & eum qui debetur uni Deo λατρείαν vocavit. Δουλείαν verò nominavit eum, quem etiam Creaturis impendere licet. In *Epistolâ* XL. *ad Deogratias, & contra Faustum Lib.*XX. cap. XXI. Latriam dicit eam servitutem, quæ Deitati soli exhibetur, ibique addit, uno vocabulo à Latinis enunciari non posse. Libro quoque *de Civitate Dei* XX. *cap.* I. de his rebus multa præscripta inveniuntur. Cum verò inter sanctos singulariter excellat humanitas Christi, & B. Virgo Maria, Pontificii recentiores tertiam adorationis, speciem hyperduliam

duliam commenti sunt, eamque B. Mariæ & humanæ Christi naturæ attribuerunt. Vide *Bellarminum Lib.* I. *de Sanct. Beat. cap.* XII. & *Martinum Becanum, Tomo* I. *Opusc.* XIV. *cap.* XXI. *th.* 2. Quam inepta autem & vana sit isthæc distinctio, nec Grammatica satis, nedum Theologica, docti viri dudum exactè docuerunt. Præcipuè mihi Theologi Anglicani *Laurentii Humfredi*, pulcherrima verba arrident, quandò *in libello de Iuelli vitâ fol.* 156. ait: Dum nos velut servos & mancipia in sanctorum obsequium addici volunt, ut sanctis δουλείαν exhibeamus, quid aliud à nobis quam gravissimam servitutem, humillimam subjectionem erga homines exigunt. Nam δουλεία Græcè acerba & dura est servitus, ut עֲבֹדָה apud Hebræos, apud quos inter שֵׁרֵת & עָבַד, id est, inter *ministrare* & *servire* hæc est differentia, quod illud prius ministerium sit liberorum, servorum posterius. Genes. IX. *Cham erit servus servorum fratribus suis*: qui titulus hodie non servilis est, sed Papalis, & hæc Domini maledictio à Papa in opimam benedictionem versa est. Exodi II. gemuisse Israelitas legimus, ac propter servitutem suspirâsse. Esaias cap. XIV. vaticinatur, populum ab onere, tributo, dolore & servitute durâ immunitatem & requiem consecuturum. Quæ gravissima servitus à LXX. Interpp. δουλεία convertitur. *Augustinus de Civitate Dei Lib.* X. δουλείαν notat esse, qua quis sui juris non est, sed plane servit alteri. *Hesychius* admonet, Philoxenum Musicum propterea *Dulona* cognominatum, & Civitatem quandam *Dulon*, valdè scilicet oneribus servilibus oppressam; & diem captivitatis appellari apud Poëtas *Dulion*. Græci quoque inter λατρείαν & δουλείαν hoc solum discrimen statuunt, quod alterum sit, propter mercedem operam locare, alterum planè serviliter & gratis sine pretio aut præmio ullo servire. *Eustathius in suis Parabolicis ad Homeri Iliada* refert, λάτρον mercedem vocari apud veteres: unde latrones antiquitùs mercenarii milites dicebantur, quos nescio quàm rectè aliqui sic dictos putârunt, quasi LATERONES, ut qui Regum ac Principum latera stiparent: & λάτρην apud Aristophanem famulum, λάτριν verò ancillam significare. Suidas Latriam definit, esse δουλείαν & servitutem propter mercedem. Atque hoc sensu sacræ literæ

 λατρεύ-

λατρεύειν interpretantur etiam. Ubi enim præcipitur, *Ne servile opus die Sabbathi fiat*, λατρευτὸν in Græco scribitur. Rectè itaque Pontificii δουλείαν sibi sumunt, quandoquidem & duriter & gratis serviunt. Ut enim à sanctis non sunt conducti, ita nec à Deo, nec ab ipsis, quorum servi esse volunt, ullum salarium, ullum stipendium accipiunt. Ex quibus simul perspici potest duliam & latriam sæpè confundi & Synonyma esse. Ad hæc cultum divinum, & contra, omnem servitutem humanam utraque voce denotari, quis est vel mediocriter doctus, qui ignoret? Deut. XXVIII. cap. λατρεία Diis alienis, lapidibus & lignis tribuitur. Eodem cap. ait Dominus ἀνθ᾽ ὧν οὐκ ἐλάτρευσας κυρίῳ τῷ θεῷ σου, λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου. Et ut Moses Deuteronomii cap. XXXIV. nominatur servus Jehovæ, ita Paulus aliquoties se Christi δοῦλον vocat. Ac quod idem Paulus Roman. I. dicit, μάρτυς μου ἐστὶν ὁ θεὸς ᾧ λατρεύω. Id *Oecumenius* ita interpretatur: λατρεύω οἷον δουλεύω. Et in Actis ait, se apud Ephesios perseverâsse δουλεύοντα τῷ θεῷ. In Matthæo scribitur cap. VI. οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Ubi verbum δουλεύειν scribitur, ut commune utrique cultui. Quin ipsemet Augustinus non videtur constanter hanc distinctionem retinuisse: Etenim quæstione in Exodum XCIV. tractans cap. XXIII. hæc verba: Si servieris Diis alienis, tibi erunt offendiculum: hoc loco, inquit, est, δουλεύσῃς non λατρεύσῃς. Quare *Bellarminus* rei veritate compulsus *Lib.* I. *de Sanct. Beatit.* cap. XII. ita pronunciavit: Quamvis illa vocabula non sint propria divino cultui, secundum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen Scholæ Theologorum (puta Papalium & Thomistarum) non sine causa EXCOGITAVIT illam distinctionem de dulia & latria. Confer B. D. *Balthasar. Meisneri Philosoph. Sobr. part.* II. *sect.* I. *quæstion.* XII.

§. XV. Cæterùm & illa adoratio quæ ad Prototypum, vel id, quod imagine repræsentatur, directa est, verbo Dei & doctrinæ veteris Ecclesiæ aperto Marte repugnat. Quo de negotio *Epiphanius hæresi* LXXIX. *Contra Collyridianos* patheticè perorat; Nonne est, *inquit*, SIMULACHRIFICUM hoc studium, & diabolicus conatus? prætextu enim Justitiæ semper subiens hominum mentem.

tem Diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans, statuas humanas, imagines præ se ferentes, per artium varietatem expressit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur, ipsorum verò imagines, quæ nunquam vixerunt (neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt) adorandas introducunt, adulterante mente ab uno & solo Deo: velut commune scortum ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatum, & quod temperantiam legitimi conjugii unius viri detrivit. Revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Revera virgo erat ipsa virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est, de cœlis verò ex finibus paternis accessit. Et propterea Evangelium munit nos, dicens, quod ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est, mulier? Quo non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellavit, velut prophetans, quæ futura esset in terrâ, sectarum & hæreseon gratiâ, ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim ejusque deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res, & anicularum fabula, ut ita dicam, tota hæresis tractatio. Quæ verò Scriptura de hoc narravit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & sensu in honore honorata, velut corpora sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim, sicut Helias ex matre virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus, sicut Johannes qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Jesus, sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterii qua digna facta est. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in vivis sit, neque Johannes adorandus quamquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, imò potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus

 viven-

viventem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorârunt creaturam præter creatorem, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam, quæ genita est ab Anna, quæ ex Joachim donata est Annæ, quæ per preces & omnem diligentiam, secundum promissionem Patri ac matri data est, non tamen aliter genita est præter hominum naturam, sed sicut omnes ex semine viri & utero mulieris. Sit in honore Maria. Pater & Filius & Spiritus S. adoretur. Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imo neque virum. Deo debetur hoc mysterium. Neque Angeli cupiunt talem glorificationem. Deleantur quæ male scripta sunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni. Convertatur rursus figmentum ad Dominum. Gemina his habentur *in Epiphanio*, *Lib.* II. *Tomo* II. *hæresi* LXIX. *contra Ariomanitas*, *& Lib.* III. *Tomo* I. *hæresi* LXXVI. *contra Anomæos*, *ac in Ancorato fol* 565. *& contra Melchisedecianos hæresi* LV. *Lib.* II. *Tomo* I. Quin imò ex paganis quoque prudentissimi intellexerunt, cultum qui Deo per imagines exhibetur, non satis castum Deoque convenientem esse. Tradit enim *Augustinus Lib.* IV. *de Civitate Dei, cap.* XXXI. Varronem dixisse, antiquos Romanos plus quàm annos centum & septuaginta Deos sine simulachro coluisse; quod si adhuc, *inquit* Varro, mansisset, castiùs Dii observarentur. Consonat *Plutarchus in vita Numæ*: Hic autem Romanos prohibuit existimare, imaginem Dei aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos neque picta, neque ficta Dei prius species, sed in prioribus centum & septuaginta annis templa quidem ædificabant, sacraque tuguria erigebant, simulachrum verò nullum corporeum dicabant. Perinde atque nefas esset deterioribus meliora assimilare, neque aliter atque intelligentia Deus percipi possit. Eadem apud *Clementem Alexandrinum*, *Eusebium Cæsareensem*, *Tertullianum*, *& Dionysium Halicarnassæum* offendes. Optimè proindè suo tempore *Amphilochius Iconii Episcopus*, *Epiphanii* σύγχρονος, scripsit: Non nobis Sanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curæ est, quoniam his opus non habemus, sed politiæ illorum virtutum memores esse debemus.

mus. Quibus verbis ad Carpocratianorum hæresin respexit, qui illa ætate, imagines Jesu, Pauli & aliorum coloribus in tabulis depictas habebant, quod Christianis non in usu esset.

§. XVI. Hæc cum ita se habeant, non pauci emunctioris naris homines inter ipsos Pontificios, scandalosam illam imaginum adorationem obelo signârunt, veritatisque clypeo muniti, eidem publica scripta mascule opposuerunt. *Robertus Holkoth* natione Anglus, Professione Dominicanus, circa Ann. MCCCXLIX. in libr. Sapientiæ, Lect. CLXXXV. Thomæ definitionem hac ratione convellit: Latria ad Deum solum pertinet. Imago autem Dei Deus non est, quare Latria imagini non est tribuenda. Alioqui Creator & res creata eodem cultu adorarentur. *Guilielmus Durandus in* Ration. divin. off. Si, inquit, nec homines nec Angeli adorandi sunt, attendant, quid agant, qui sub Prætextu cujusdam Religionis seu pietatis diversas adorant imagines: Non enim licet aliquid manufactum adorare. Una tantùm Dei Patris est imago, quam una cum patris tantum adoratione adorare debemus. *Gabriel Biel in Canon. Lect.* XLIX. eorum sententiam tanquam saniorem probat, qui dicunt, quòd imago neque ut consideratur in se, secundum quod lignum est, lapis, aut metallum, neque ut consideratur secundum rationem signi & imaginis, sit adoranda. Qualitercunque enim consideretur, inquit, est res insensibilis & creatura, cui adoratio λατρείας minimè est exhibenda. Hinc patet quorundam hominum stolidus error, qui adeò ad imagines afficiuntur, ut in ipsis credant esse aliquid numinis, gratiæ vel sanctitatis, quibus potentes sint facere miracula, præstare sanitates, ex hoc assurgentes ad eorum venerationem, ut præmissorum aliquid consequantur. Arguitur ex eodem nonnullorum indocta simplicitas & indiscretio, quâ reverentiùs adorant imagines pulchras quàm turpes, novas quàm vetustas: aut è contra ornatas venustiori auro vel purpurâ, quàm nudas, credentes eas sanctiores, quo pretiosiores, &, ut *Bernhardus* ait, offerentes libentius auro tectis, ubi magis cernitur divitiarum cumulus. Arguitur & aliorum rudis levitas, qui improvidè vota emittunt, & ad peregrinandum se obligant, nunc

 adil-

ad illam, nunc ad aliam Ecclesiam, intuitu certarum imaginum, credentes illas majus in illa, quam similes in aliis fulgere à virtutibus, clarere miraculis, & majore fulciri potestate. Hæc omnia in vanam transeunt superstitionem, in quam non inciderent, si rationem adorationis ac veri cultûs attenderent: aut si ignorant, informationem humiliter acciperent. Patet siquidem imagines esse res insensibiles, quæ ex certâ partium suarum figuratione & ordine imaginis nomen sortiuntur: Undè eis convenit res alias significando repræsentare. Ratio autem ordinationis in Deo, est perfectio summa & universalis præsidentia. In creaturis verò est aliquid divinum, puta virtus, potestas, aut excellentia aliqua singularis à Deo participata: quorum neutrum reperitur in imagine; nulla talis propter se adoranda est, neque auxilium quodcunque ab eis postulandum. Neque enim vident, neque audiunt, neque se intelligunt venerantes. Sunt enim Creaturæ inanimatæ, quibus nec est sensus, nec intellectus. Hactenus Biel. *Georgius Cassander* Theologus itidem Pontificius in Consultatione ad Ferdinandum & Maximilianum F. Imp. de Articulis Religionis inter Catholicos & Protestantes controversis, cum ex Nicetâ Historico indicâsset, adhuc tempore Friderici Barbarossæ Imp. circa Ann. Domini MCLXX. Germanis imaginum adorationem interdictam fuisse, quamquam dubium non sit, quin jam tum quoque in Germaniæ Provinciis nonnullæ superstitiones & abusus in imaginum usum irrepserint, tamen, inquit, optandum esset, ut majores nostri huc usque, in prisca illa majorum suorum sententiâ integrè perstitissent, manifestius enim est, quàm ut multis verbis explicari debeat, imaginum & simulachrorum cultum nimiùm invaluisse, & affectioni, seu potiùs superstitioni populi plus satis indultum esse, ita, ut ad summam adorationem, quæ vel à paganis suis simulachris exhiberi consuevit, & ad extremam vanitatem, quam Ethnici in suis simulachris & imaginibus effingendis & exornandis admiserunt, nil à nostris reliqui factum esse videatur. Quare & prudentes in Ecclesia Catholicâ viri, jam olim modum aliquem huic rei ponendum, & superstitioni occurrendum censuerunt. *Idem ad finem verborum*

Gabrie-

Gabrielis Biel : hæc omnia in variam tranfire fuperftitionem , in quam non inciderent, fi rationem adorationis, & veri cultûs attenderent, aut, fi ignorant, informationem humiliter acciperent, *addit*: ifta quidem rectè dicuntur, fed utinam illi, à quibus hæc informatio accipienda effet, non ipfi harum fuperftitionum autores effent, vel certè eas in animis fimplicium hominum aliquandò quæftûs caufa nutrirent.

§.XVII. Mariæ Semper-Virginis nomini ofcula quoque confecrata leguntur apud Papicolas. Solebant enim quondam ad nomen Mariæ manus ofculari, fiquidem feftus dies effet ; extra hos autem genua flectebant , & ofcula ei, cui innitebantur, figebant. Quam maximè hunc ritum inter Præmonftratenfis Ordinis focios obtinuiffe, illa indicant, quæ autor vitæ *Hermanni* apud *Laurentium Surium*, VII. Aprilis recenfet. Moris eft, *inquit*, in ordine noftro, puto quod & in aliis, ut quoties cunque nomen venerabile virginis venerandæ, in Collectis, in Symbolo, in Præfatione, & in falutatione Angelica, quæ dicitur pro Invitatorio,* pronunciatur, conventus veniam capiat, id eft, diebus non feftis, procumbens in genua, ofculetur id, cui orans incumbit; Feftis diebus ofculetur manum. Hujus confuetudinis meminit quoque *Aloyfius Novarinus* , *Veronenfis*, *Schediafmatum Sacro-Profanor. Lib.* IX. *cap.* XXIV. *p.* 263. *Et Libro* IV. *Electorum Sacrorum cap.* XXI. *p.* 330. §. 1126. Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui ut fofpes & integer Mariam coluerat, iconem ejus amuleti inftar geftans, fæpeque *deofculans*; ita ubi advertit mortem inftare, de Regio apparatu in fuo funere incurius , & exofus faftum , voluit deferri in ædem B. Virgini Mariæ facram. *Dupleix* in vita Ludovici XI. fub Ann. MCCCCLXXXIII. apud *Marcellinum de Pife, Tomo* I. *Encyclopædiæ Moralis, pag.* 455. Idem Rex plumbeam B. Virginis imaginem pileo affuebat. *Pife l.c.p.* 675. Eâdem etiam figurâ Virginis B. fibi confuluit Imperator Ifaacius Angelus Comnenus, qui audiens hoftem fignis explicatis urbem Imperii caput contendere , B. Virginis imaginem , quæ erat foris , magno apparatu in urbem invexit , magnoque cultu exhibito emeritæ conjugi S. Jofeph , ejus fuffragio irritos fecit

omnes

omnes impetus æmulorum. *Ipse* ibidem, ex historia Imperiali, sub Ann. MCLXXXVII. Ludovicus Pius Imperator & Rex Gallus, Mariæ obtutus sciens esse salutares, imaginem ejus ligneam affabrè effictam adeò deperibat, ut etiam ad venationem egrediens, illam circumferret, ut, dum per quietem liceret aspicere, in arbore collocatam humili obsequio excoleret; nec unquam sine Mariâ comite aliquid aggressus est, & ut ingrati animi notas expungeret, eidem imagini templum augustum commendavit. *Krantzius Lib.* X. *Metropol.* Unde autem ille mos emanârit, egregiè *Iohannes Drusius Observationum Lib.* II. *cap.* XV. his verbis explicat: Quod hodiè in more positum est, ut in honore Christo ejusque sanctis habendo, eorum imagines ac statuas *deosculentur*, id usque ab illâ impiâ & ridicula veterum, qui falsos Deos colebant, superstitione ductum ac propagatum videtur. Solebant enim illi statuas ipsas, in quibus aliquid divinitatis esse opinarentur, deosculari. Id didici ex I. Regum XIX. ubi ita scriptum est: *omnia genua, quæ non curvaverunt τῷ Baal, & omne os, quod non osculatum est eum.* Quô igitur ritu illi Diis suis honorem exhibebant, eodem hodiè in Christi imagine & sanctorum sanctarumque statuis venerandis utuntur. Hactenus ille. De tali imaginum cultu *περὶ ἴσῳ Georgius Buchananus* alicubi canit:

Oscula, serta, Rosas, das & libamina Saxo,
Teque cupis dici, cum facis ista, pium.
Quid tibi pro tantâ majus pietate precemur?
Quàm ut fias Numen, tu quoque, quale colis.

* *Invitatorium* est antiphona, quæ replicatur ad Psalmum nonagesimumquartum, *venite exultemus*, quâ invitatur populus ad adorandum Deum. In officio Mozarabico vocantur *Sonus*. In Regulis Monasticis denominatur *versus Aperitionis*, sive *Responsorium hortationis*. Et in nonnullis pervetustis cæremonialibus vocatur *Antiphona invitatoria*. Igitur in triduo hebdomadæ majoris relinquitur, ne unitè cum Judaico populo Christum adoremus, quem illi in passione ejus illudentes adorabant. Ob eandem rationem in festo Epiphaniæ etiam reticetur. *Amalarius* autem

autem ait *cap.V. de Ord.Antiph.* quod solet Apostolicus canere in vigiliis,& in Ecclesia S. Mariæ ad præsepe sine invitatorio, fortasse quia ibi est idem Christi præsepe, ut significaretur, quod idem infans ibidem proprio vagitu ad ejus adorationem populum invitet. Vid. *Macer in Hierolexico p.335. Cardinalis Bona de divinâ Psalmodiâ c.* XVI. §.8.*p.*835.*Oper.Edit.in* 4.*Antverpianæ.*

§.XVIII. Præter adducta alia adhuc restant oscula producenda, inter quæ principale subsellium sibi vindicat CRUX, Dominicæ Passionis Instrumentum, quod ab omnibus in Ecclesiâ Græcâ & Latinâ oscula accipit. Inter Græcos quidem Dominica tertia & quartâ quadragesimæ adoratio Crucis celebratur. Causam cur id fiat, & præcipuè hebdomade quarta, post *Callistum in Synaxario* de eadem Dominica, Euthymius novarum Patrarum Episcopus apud *Allatium*, Dissertatione de Dominicis & hebdomadibus recentiorum Græcorum, subjuncta Operi *de Eccles. Orient. & Occident.consens.p.*1438. his verbis prosequitur: Quam ob causam crucis signum medio jejuniorum tempore ad adorandum omnibus proponitur. Cum spirituale nobis divinumque Pancratium tempus hoc aperuit jejuniis, in quo animæ certamina ut quispiam diceret, percurrimus, & circa ea promptiores alacrioresque descendimus, omnem in illis animæ virtutem ac robur, veluti in theatro commonstrare conantes, præclarasque coronas adversus animarum hostes reportare, ne in principio conatus ostendentes, tum inter progrediendum animum despondeamus. Crux in medio hujuscemodi Pancratii proponitur, exantlatos jam antea labores suscipiens, & ad futuros excipiendos certantibus animos addens, quæ in Gymnicis certaminibus unctores peragunt, in medio stadii commorantes, & athletas vocibus excitantes. Hujusce etiam gratia homines in itineribus diversoria commenti sunt, ut iter agentium ad illum usque locum, cursuum contentionem quiescere faciant, vegetiusque ad ea, quæ subsequuntur, desiderium indant. Fuerit itaque hic crux & Salvatoris passionum recordatio, ne nos ad jejunii incommoda toleranda defatigemur, sed velociùs cursum contendamus ad resurrectionem, Christo per crucem ad eam ducente. Et hæc est vera ratio, quare medio jejuniorum tempore

crucis venerationem solenni ritu celebramus. Hactenus ille. Hæc eadem Dominica dicitur alio nomine τῆς σαυροπροσκυνήσεως, Adorationis crucis, & legitur Oratio Philothei Constantinopolitani, Archiepiscopi εἰς τὴν τρίτην τῶν νηστειῶν κυριακὴν ἢ τῆς Σταυροπροσκυνήσεως In tertiam jejuniorum Dominicam, seu adorandæ crucis. In media quadragesima legitur Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi λόγος εἰς τὴν προσκύνησιν τοῦ τιμίου σαυροῦ, Oratio in adorationem venerandæ crucis. Germani Patriarchæ Constantinopolitani εἰς τὴν προσκύνησιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σαυροῦ ἐν τῷ καιρῷ τῆς μεσονηστίμου. In adorationem venerandæ & vivificæ crucis tempore medio jejunii. Item Theodori Studitæ εἰς τὴν προσκύνησιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ Σταυροῦ &c. In adorationem pretiosæ & vivificæ crucis. Nam per totam hanc hebdomadam crux omnibus fidelibus publicè à Sacerdote exponitur adoranda, cui omnes reverentiam, summâ corporis inclinatione, prius se signo crucis signantes, exhibent & adorant, ac demùm deosculantur. Hymnus antiquissimus in festo Sanctæ crucis communiter in Ecclesiâ Græca cantari solitus à Metrophane Critopulo Confess. Eccles. Orient. cap. XV. p. m 127. sic exprimitur: ὅν περ πάλαι Μωϋσῆς ἐν ἑαυτῷ προτυπώσας τὸν Ἀμαλὴκ καταβαλὼν ἐτροπώσατο, καὶ Δαβὶδ ὁ μελῳδὸς ὑποπόδιόν σου βοῶν προσκυνεῖσθαι διετάξατο, τίμιον σαυρόν σου Χριστὲ ὁ Θεός, σήμερον ἁμαρτωλοὶ προσκυνοῦμεν χείλεσιν ἀναξίοις· σὲ τὸν καταξιώσαντα παγῆναι ἐν αὐτῷ ἀνυμνοῦντες βοῶμεν. Κύριε σὺν τῷ λῃστῇ τῆς βασιλείας σου ἀξίωσον ἡμᾶς. Σημειωτέον οὖν τί ὁ ὕμνος φησί· σήμερον ἁμαρτωλοὶ προσκυνοῦμεν χείλεσιν ἀναξίοις, οὐκ εἶπε, γόνασιν, ἢ σώμασιν, ἢ κεφαλαῖς, ἀλλὰ χείλεσιν. Hoc est; Pretiosam crucem tuam,
„ Christe Deus, quam cum Moses quondam in semetipso defor-
„ maret, Amalechum oppressit & fugavit, David etiam, carmi-
„ num modulator, scabellum pedum tuorum decantans, adorare
„ jussit, hodie peccatores, (nos) labris indignis osculamur. Te, qui
„ in illâ suffigi voluisti, laudantes inclamamus. Dignare nos Do-
„ mine, una cum latrone, regno tuo. Notandum itaque quid hymnus ille dicat: Hodie, inquit, peccatores nos adoramus labris indignis, non dicit genibus, vel corporibus, vel capite, sed labris. *Tarasius Episcopus Constantinopolitanus Epist. Synodic. Tomo* XIX. *Conciliorum, pag.* 608. Nos vivificam crucem adorantes congruè cani-
„ mus: Crucem tuam adoramus Domine, adoramus & lanceam,
„ quæ aperuit vivificum latus bonitatis tuæ: quod evidenter saluta-

tio

tio cum osculo est, diciturque ut id demonstrat, quod hæc propriis labiis contingimus. H.I. Porrò perhibet *Allatius Lib.* III. *de Eccl.Orient.& Occident.consens.c.*XV.*§.16.p.*1218. quod Græci cruces ferè omnes non pictas, sed lignis in cū modū efformatas maxima in veneratione habeāt, & adorandas exponāt, &, dum supplices aliquid à Deo exorāt, circumferant, neq; his contenti, in nonnullis Christum appensum, à cruce separatū, ut in Italia fieri solet, summa animi demissione, cū ipsa cruce colant. Adde, in officio Parasceves, dū Christum ipsum veluti ad sepulturā comitantur, Christi corpus undequaq; efformatū sepultumq; circumducere per urbes, & adorare. Idē de hebdomada magnâ, quā alii salutiferæ passionis σωτηρίου πάθους nuncupāt, l.c.p.1447. Feria sexta, inquit, circa horā diei secūdā, horæ uti præscriptæ sūt à Cyrillo Patriarcha Alexandrino in Ecclesia, & reliqua illius diei officia; nocte subsequenti, ante Sabbathū, sepulchri sepultiq; Dni laudes cū cantu prosequūtur. Adhæc tamē tēpora usus obtinuit, ut dū Psal.cxviii. canitur, & singulis versiculis singula Troparia cōcinūtur, Christus decorê exsculptus, vel affabrè in tabula depictus, & in feretro depositus, solenni cereorū ardentiū apparatu, Sacerdotibus, quemadmodū cū sacra Missarū solēnia celebrāt, vestitis, reliquo Clero, nō sine ordine cōcomitāte, & Christi fidelib9 feretrum prosequētibus, per urbis Plateas defertur, proponiturque omnibus adorandus exosculandusque: sicque omnium venerationi patet. Flores interim, imagini superpositi, maximo studio ab omnibus conquiruntur, quibus sibi maxima bona, non corporis modò, sed rerum etiam domesticarum pollicentur.

§.XIX. In Papatu signum crucis postquàm multis longisque ac mysticis ritibus, precibus & Ceremoniis consecratum, & de ligno, materiâ vilissimâ, si non in Numen, certè in rem divinam atque adoratione dignam quadam veluti Apotheosi mirabiliter immutatum, statim ab ipso illo, qui consecravit, Pontifice, & ab aliis sacris, qui adsunt, hominibus adoratur. Ita enim in Pontificali, publico ac authentico volumine, à Papa non uno confirmato, communi omniū consensu atq; usu recepto, Clementis postremò VIII. jussu restituto atque edito, part. II. pag. 361. A. legimus: Tum Pontifex flexis ante crucem genibus ipsam devotè adorat, & osculatur.

Idem

Idem faciunt, quicunque alii voluerint. Si crucis signum ex metallo, vel lapide fuerit, ipsum quoque simul atque consecratum fuerit, Pontifex flexis genibus devotè adorat & osculatur, planè ut illud prius, quod ex ligno erat. Ibidem, p. 362. B. Extra hunc communem & quotidianum cultum certi sunt statique quotannis dies, quibus crucis signa solenniùs atque devotiùs apud Latinos coluntur. Melioris cognitionis ergò illorum dierum ritus ad crucis adorationem pertinentes adscribam. Feriâ sextâ in Parasceve antepaschali crux potissimum ab omnibus Latinis hoc modo adoratur: Completis Orationibus Sacerdos primò crucem jam in altari præparatam accipit à Diacono, quam versâ facie ad populum à summitate parum disco operit, canens Antiphonam, *Ecce lignum crucis*: & ubi ministris concinentibus ad eum locum ventum est, quo chorus cantat, *Venite adoremus*: tum omnes se prosternunt, excepto celebrante, qui disco operit brachium dextrum crucis, elevatque eam paulisper, & iterum incipit: *Ecce lignum crucis*, aliis cantantibus & adorantibus: inde procedit ad medium altaris, & disco operiens crucem totaliter, ac elevans eam, tertiò altiùs incipit: *Ecce lignum crucis*, aliis cantantibus & adorantibus: *Ecce lignum crucis, in quo Salus mundi pependit*. Chorus respondet: *venite, adoremus*. Posteà Sacerdos solus portat crucem ad locum ante altare præparatum, & genuflexus ibidem eam locat; mox depositis calceamentis accedit ad adorandam crucem, ter genua flectens, antequam eam deosculetur. Hoc factô revertitur, & accipit calceamenta & casulam. *Missale Roman. fer.* VI. *in Parasc. p.* 225. 226. Postmodum ministri altaris, deinde alii Clerici & Laici bini & bini ter genibus flexis crucem adorant, exinde cantatur communiter Antiana; *Crucem tuam adoramus, Domine, & sanctam resurrectionem tuám laudamus & glorificamus. Ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo*: ibidem p. 228. Postea cantatur: *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis. Nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine, dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.* Et hæc quidem feriâ sexta antepaschali. Ejusdem ferè tenoris sunt, quæ *Libro* II. *Sacrar. Ceremoniar. Romanæ Ecclesiæ p.* 96. seq. traduntur: Papa dimissâ

mitrâ

mitrâ vadit ad adorandum crucem, medius inter duos Diaconos Cardinales assistentes, quem alii ex suis Episcopis adsistentibus sequuntur; & ter cum distantiâ genu flectit & orat, antequam illam osculetur. Et postquam illam osculatus fuerit, projicit in bacile ibi paratum viginti quinque ducatos in auro, vel plures, ut sibi placet, & revertitur ad sedem suam. Cum primum Papa ad sedem suam reversus est, Cardinales vadunt bini & bini ad crucem, ad adorandum. Quod si numerus Episcoporum Cardinalium impar sit, ultimus Episcopus adorabit cum primo Presbytero. Idem fiat de Presbyteris & Diaconis Cardinalibus in ultimo tantùm loco. Si Imperator aut Rex intersint, adorant & osculantur in ordine, sicut recipiunt cineres, id est, post omnes Cardinales. *Guilielmus Durandus Lib.* VI.*cap.*LXXVII.*divin.Offic.* de die Parasceves. Subsequenter ipsa crux denudata salutatur & adoratur, quia eum, cui perfidi illuserunt, Christiani reverenter salutando, & devotè osculando venerantur. In veteri quadam Agenda, circa Ann. DCCCC. scripta, diei Parasceves talis observatio apud Rodolphum *Hospinianum de Origine Festorum Christianorum, p. m.*77. *Edit. Genevens. in fol.* Ann. MDCLXXIV. recensetur: Convenêre, *inquit*, hora octavâ omnes, tum Ecclesiastici, tum Laici in templum, quadragesimalibus induti vestimentis, ut Pontifici missam celebranti ministrent. Lecta est tum historia Passionis secundùm Johannem; cui cum certæ preculæ subjectæ fuissent, tacitè omnes sua repetiêre tecta. Sub vesperam vero crux cunctis *deosculanda* præbebatur ab Episcopo. Ac solebant eodem die ignis & cerei consecrari, & pro Cleri, ac universi populi, Pontificis Romani, Imperatoris, ejusque loci Episcopi salute, preces fieri. Ritus hos paulò aliter commemorat Thomas Naogeorgus Libro IV. Regni Papistici in hunc modum:

Luce Sacerdotes duo circum altare sequenti
Idolum portant humeris Christi in cruce fixi,
Russâ contectum casulâ, lugubre canentes.
Ante gradus tandem nudatum veste reponunt
Strata super villosa tapetia, suppositumque
Super pulvinar capiti: hinc prostrati corpore toto

Omnibus infigunt perfossis BASIA membris,
Ligneum & Idolum summo venerantur honore.
Hos dein certatim rasorum turba sequuntur,
Impietatis ut artifices ad talia semper
Præcedunt: post quos tractabile vulgus adorat,
Dona ferens pariter, nummos, ceremque vel ova,
Aucupium rasis gratum, cultusque scelesti
Speratum pretium. Quo pacto idola coluntur,
Catholica hæc si sunt, Christique imitamina Sponsæ?
Præterea ne quid simulachris ludere cessent,
Et pro derisu regnantem exponere Christum,
Assumunt aliam statuam pro more jacentem
Defuncti nuper, porrectis cruribus aptè
Atque decussatim compostis pectore palmis,
Et pompa cantuque pio ad factum ante sepulchrum
Portant, sericeis tectam membra omnia peplis.
Sic tamen, ut cerni possint: multiscia dicas
Serica, sic visum transmittunt cunctaque monstrant,
Præcedunt pueri tabulis inamœna crepantes,
Lumen & æditiuus præfert. Scit signa popellus:
In genua extemplo cadit, aut terræ oscula figit,
Extenditque manus, & multis pectora tundit,
Et statuam quernam divinum ut Numen adorat.
Ne jaceat verò inque sepulchro sola colatur,
Mysticus adfertur quoque & una clauditur intus
Panis, ut impietas crescat, cultusque profanus.
Sacrificus supplex statuam veneratur inertem
Primus, & Assyrios pani succendit odores.
Multa statim populus comportat lumina circum,
Cancellisque hæret, noctemque diemque precatur
Curvatis genibus, violisque & flore sepulchrum
Omnigeno exornat, suaque affert munera largè.
Adsunt conducti quoque qui Psalteria cantent,
Alterni, defuncto homini velut atque nocenti,
Utque magis hinc plebs ad munera danda vocetur.

Judicet ex his Lector, quam procul à veteri consuetudine recesserint in Papatu, & an ex passionis Dominicæ, adeoque redemptionis nostræ historiâ Theatricum spectaculum fecerint, nec ne?

§. XX. Sed & alium cruci propriè diem festum dicârunt, mensis scilicet Septembris decimumquartum, quo in solennibus Missæ suæ sacris, in ea parte, quam *Offertorium* (in quadam brevi Antiphona consistens, quæ tempore oblationis canebatur, ad imitandum Israeliticum populum, ut Innocentius III. ait, de quo in II. Paralipom. cap. IX. legitur) vocant, ita Deum precantur: Protege Domine plebem tuam per signum sanctæ crucis ab insidiis inimicorum omnium, ut tibi gratam exhibeamus servitutem, & acceptabile fiat sacrificium nostrum. Mox in *secretâ* (puta oratione quæ in Missa incipit *à Te igitur*, & alias vocatur Canon missæ, quia est regula consecrationis; ideò Regula ab *Ambrosio* salutatur, ab *Optato* Legitimum, à *Vigilio* Papa Ordo precum, à D. *Basilio* Secretum:) rogant, ut sicut illud (crucis vexillum) adorare meruerunt, ita perenniter ejus gloriæ salutaris potiantur effectu. Miss. Roman. p. 632. Sic in Missâ de sancta cruce: Tuam crucem adoramus Domine. Est & alius apud eos dies crucis honori sacer, Mensis Maji tertius, quo eam ab Helenâ inventam putant. Illic inter cætera sacra, Oratio quædam dicitur, quâ crucem ipsam, veluti vivens Numen, ita appellant atque invocant: O crux splendidior cunctis astris, mundo „ celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola „ fuisti digna portare talentum mundi; dulce lignum, dulces cla- „ vos, dulcia ferens pondera, salva præsentem catervam in tuis ho- „ die laudibus congregatam. Breviar. Roman. fest. Maji, p. 892. „ Item: Arbor decora & fulgida, Ornata Regis purpura, electa di- „ gno stipite, Tam sancta membra tangere. Beata, cujus brachiis „ Sêcli pependit pretium, statera facta corporis, Prædam quæ tu- „ lit tartari. O crux ac spes unica! Hi Latinorum religiosi in sacra crucis signa honores non solùm in Pontificali, Breviario, Missali, Rituali, aliisque id genus publicis & authenticis Libris sollicitè præcipiuntur, verùm etiam in Ecclesiasticis singulorum scriptorum commentariis, historiis atque annalibus nullibi non occurrunt. *Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis, &*

Præses

*Præses Concilii Tridentini, Lib.*II. *de legitimis Iudicibus rerum Ecclesiasticarum fol.m.*187. Sic venerabilem, *inquit*, crucem adora-
„ mus, in qua Domini corpus extensum est, & sanguis ille, quo
„ mundus universus purgatus est, emanavit, & ligni natura illius
„ fluxibus irrigata, pro morte vitam perpetuam tulit. Sic crucis
„ signum adoramus, quo Dæmonum agmina fugantur, & varii cu-
„ rantur morbi. Cum semel in ipso exemplari gratia & virtus ex-
„ hibita sit, & usque ad exempla similis vis se diffundat. En manifestæ Idololatriæ Emblemata! Profitentur enim Pontificii se latriæ cultum, qui soli Deo ex ipsorum sententia debetur, cruci ejusque imagini exhibere. Si loquamur, *inquit Thomas Summ.part.*III.*quæst.* XXV. 4.c. de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, utroq; modo est à nobis veneranda: Uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in eâ, alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quod ejus sanguine est perfusa. Undè utroque modô adoratur, eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. Et propter hoc crucem alloquimur & deprecamur, quasi ipsum crucifixum. Si verò loquamur de effigie crucis Christi in quacunque alia materia, puta lapidis vel ligni, argenti vel auri, sic veneramur crucem tantùm ut imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriæ. Eandē sententiam tenent alii Scholastici magno numero, nempe *Cajetanus*, vid. & *Bonaventura in Sentent.*III. *distinct.*9. *qu.*4. *Alexander Alensis*, *part.*III. *qu.*3. *Paulus Burgensis*, *scrutin. Scripturæ*, *part.*I. *distinct.*8.*c.*13. *Antonius Florentiæ Archiepiscopus part.*3.*qu.*12.*tit.*9.§.5.*&c.* Nec non *Concilium Tridentinum*, & qui ei interfuerunt scriptores (*Iacobus Nanclantus*, *Andradius*) qui post illud scripserunt, *Dominicus à Soto*, *Ioann.Granatensis* alii, apud *Iohann.Rainoldum de Apocryphis*, *Prælect.*CCXL. *col.* 1592. Contrarium placet Joanni Pico Mirandulano, conclusione tertiâ, quæ sic sonat: Nec Crux Christi, nec illius imago adoranda est adoratione Latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. Hoc sequi videtur *Martinus Peresius* Pontificius non incelebris apud *Hospinianum de Origine templorum Lib.*II. *pag.*180. tribuens cruci nescio quam aliam adorationem, idque aliquot rationibus. Primò conten-

contendit, falsò dici signi ac rei significatæ cogitationem seu notitiam eandem esse, cum sint duæ, quæ à se invicem distinguantur. Primùm quippe apprehenditur hoc vel illud signum esse, deinde rem intuemur quam significat: hæc fiunt quidem simul tempore, sed natura & ratione unum alterum præcedit. Deinde quamvis lapis, marmor aut metallum, fiant signum, non tamen idcircò suam naturam commutant, neque limitem superant insensibilium rerum, neque dignitatem rationalis creaturæ attingunt, vel habent secum conjunctam rem, quam significant. Regem quidem adoramus in purpurâ suâ, quæ si ab Imperatore sejungatur, nequaquam illi Regis honorem exhiberemus. *Augustinus homilia* LVIII. *de verbis Domini*, Christi humanitatem scribit latriâ adorandam, quia conjunctam habet divinitatem, quæ si sejungeretur, (quod tamen faciendum non est,) latriâ non adoraretur: quantò ergò minùs Crux, quæ revera separata est à Christo, latria coli non debet: Hic Peresius quædam rectè dicit, in eo tamen errat, quod cruci qualemcumque adorationem concedit, ut prudentissimè *Erasmus* scripserit: Multò facilius imagines posse removeri, quàm ratio & modus cultûs earum definiri.

§. XXI. *Maffejus Jesuita in historiar. Indicar. Libro* I. *p.* 27. ut rem ipsis Ethnicis notam, ponit Lusitanos *crucem adorare*. & Lib. V. p. 220. cum crucis purpureæ in cœlo signum præfulgens ad occasum aliquamdiu apparuisse narrâsset, addit eo viso Lusitanos omnes *venerabundos procubuisse*, & Albuquercium nobilissimum eorum Ducem sublatis ad eam crucem manibus, clara voce, pro sua eximia Pietate, has preces fudisse: *O crux nostra Redemptionis argumentum*, & aliis paucis interjectis: *In te, te inquam, spes nostras omnes habemus repositas; Te profitemur, agnoscimus, adoramus, ac suppliciter petimus, nobis inter tot pericula terrâ marique præsidio sis.* Idem Lib. XVI. p. 717. laudat Bactiani, unius ex Moluccis Insulæ, regulum, quod defixas haut uno loco præaltas cruces adorari à popularibus jusserit. *Trigautius* & ipse Jesuita *Martyrolog. Iapon.* Lib. IV. cap. 5. pag. 389. in Quivanis cujusdam sui ex Japoniâ Martyris elogio, inter cætera pietatis ejus specimina hoc disertè memorat,

 quod

quod manè ad locum, in quo crux erat, ire ad eam adorandam quotidie soleret. Annales Japonici ad Ann. MDCIX. MDCX. pag. 8. ubi Jubilæum à Paulo V. Pontifice Romano missum illuc pervenisse narrant, *Pii*, inquiunt, ut Jubilæo perfruantur, in templis crucis signum adorant, quod passim zelo pietatis adducti ipsi collocarunt. Alii ejusdem gentis annales ad Ann. MDCXIX. pag. 118. Cruces, quibus Meaci suffixi sunt duo & quinquaginta Latini ritus Martyres, quod eæ affabrè factæ & ad elegantiam expolitæ essent, digniores fuisse dicunt, quæ ad Christianorum adorationem, quàm ad eorum supplicium erigerentur. Apud *Iarricum Indic. Lib. VI. cap. XV. p.* 682. Sacerdos de Cazanarum, id est, Thomæorum Presbyterorum ordine, ab Archiepiscopo Goano ad convertendos Mallæanos missus, cum cuidam ex eâ gente primario seni pauca de Deo, & Christo ejus filio pro nobis crucifixo exposuisset: *Eo*, inquit, *omnes Christiani crucem adorant, quod Dei filium in eâ pro nobis mortuum repræsentet*: Hoc unum est scilicet ex primariis Latinæ Catecheseos elementis, quo rudes animos ante omnia imbuendos putant, ut eos ad suam religionem convertant. Neque aliter nostrates Canadensinâ in diversissimâ orbis parte Apostoli Jesuitæ suos vel Catechumenos, vel Neophytos instituunt. Crux ante omnia in locis barbaris erigitur; tum ea religiosè adoranda prædicatur. Huronibus (gens est in illis locis non ignobilis) sibi à cœli siccitate metuentibus, Præceptor Jesuita suadet, ut unà omnes veniant adoratum crucem, quas ipse apud eos fixerat, lancem farris quisque secum ferentes, gratum Domino Deo donarium oblaturi. Tum Jesuita quo iis ad illam religionem præiret, crucem Princeps adoravit atque osculatus est, ut ipse disertè narrat. Annal. Canad. Ann. MDCXXVI. p. 31. 32. Idem Annal. Canad. Ann. MDCL. MDCLI. p. 93. se suosque crucem in illa barbarie ex Latinâ disciplinâ positam adorasse, & Angelorum custodum auxilium supplices invocâsse scribit. Sed & in istorum libris sæpè occurrit solennis illa crucis adoratio, quæ quotannis feriâ sextâ antepaschali celebratur. Notat *Trigautius Lib. V. Sinic. cap. V. p.* 503. Sinenses Neophytos crucifixi adorationem magno cum pie-

tatis

taris sensu illo die peragere. Sic *Troës Japponic. Relation.* 3. Ann. MDXCVI. p. 225. Nangazachenorum Japonum pietatem laudans, præter alia quæ recenset, sacra exercitia, commemorat eos feria sexta crucifixi effigiem frequentissimos esse veneratos. Et *Jarricus Indic. Lib.* VI. *cap.* X. *p.* 604. Indos (ut vocant) Thomæos, qua vi, qua arte ad Latina sacra tandem traductos, & sub Goani Archiepiscopi Latini jugum missos, narrat sextâ illâ feriâ magnâ cum devotione ad crucis adorationem accessisse. *Cardimus Relat. Indic, p.* 129. Eandem illo die crucis adorationem in Insulâ Hainan, Sinarum vicinâ, à Jesuitâ Marros institutam, peractamque celebrat; eamque cæremoniam, tantæ sanctitatis, ac pietatis visam fuisse dicit, ut omnes inde magnam consolationem perceperint, totumque illum diem in se ad pœnitentiam verberandis ac flagellandis assumpserint. *Alexander Rhodius* refert *Itinerarii Eoi part.* II. *cap,* XXVII. *p,* 133. se suis Concinsinensibus non quidem (nisi typographi sit mendum) sextâ, sed tamen quintâ Antepaschali feriâ rectum crucifixi signum proposuisse adorandum & osculandum, magnamque vim lachrymarum tum hoc spectaculo, tum suâ Oratione ex eorum oculis elicuisse. Confer Bellarmini Libr. II. de Imaginibus cap. XXVII. ubi diversis sed facilè dissolubilibus argumentis crucis cultum stabilire nititur.

§. XXII. Eadem crux vel lignea, vel ex alia nobiliori materiâ conflata, moribundis, agonizantibus, & ad ultimi supplicii locum se conferentibus apud Latinos osculanda & gestanda offertur, quasi illa singularem consolationem ejusmodi hominum animis inferat, quæ tamen nunquam efficaciùs sese exerit, quàm quando ex limpidissimo Israelis fonte hauritur, ad quem mœstæ mentes, ut verè refocillentur, unicè deduci debent. In *Rituali Romano de visitatione ægrotorum pag.* 205. 206. legitur: Moribundo Presbyter jubetur inprimis crucifixi imaginem osculandam prebere, eamque ante eum intuendam statuere, ut in eà Servatorem, & omnium malorum remedium contempletur. Operæ pretium est rem exemplis confirmare: Senex quidam septuagenarius, cui Jorami nomen erat, Funagi in Bungensi

 inter

inter Japonas regno, pro eâ fide, quam à Jesuitis acceperat, occisus est Anno Domini MDLXXXIX. die Julii XXVII. Quomodo? Audi ex Fr. Solier de Rebus Jesuitarum Japonicis, Lib. IX. cap. XII. §. 116. Gallicè Parisiis Anno MDCXXVII. excusis. Ille ubi se quæri sensit, reliquiarium suum inprimis cum granis benedictis, & rosario sibi ex collo ipse suspendit unà cum Divæ virginis imagine; tum crucem manu gestans, & in genua procumbens, & sacra Jesu ac Mariæ nomina invocans, à percussoribus jussu Regis est obtruncatus. Ita narrant Jesuitarum annales. Is ergo non uni in Deum & Christum religioni, sed & Mariæ cultui, reliquiarumque & imaginum & crucis veneratione testimonium sua morte perhibuit. Invictus ille athleta Simeon cum post horrenda tormenta in patris domum esset relatus, se Deo suavissimis & amore delibutis cum Jesu & Dominâ diva Virgine colloquiis commendat, in has voces erumpens; Te sancta Maria, Mater Dei, misericordiam *posco, Misericordiam Angelorum regina, mihi misero peccatori.* Et cum jam esset in supremis: *Date, quæso crucifixum* inquit, (id est Christi crucifixi imaginem) *ut ejus vulneribus figam oscula, ut hæc anima in sanctissimum illud corpus per istas fossuras de corpore discedens ingrediatur*, & statim porrectum crucifixi signum adoravit. *Annal. Iapon.* ad Ann. MDCXXX. cap. III. p. 130, 131. Interdum cum imagine crucem conjungunt, ut ille devotionis à Jesuitis tantopere celebratæ Bonaventura, qui cum esset in vinculis brevem sibi in ligno crucem ad solatium animi effinxit, & mox crucifixi oblatam iconem primò intuens, mox *osculatus*, tandem dentibus arreptam, non ante dimisit, quam animam una emitteret. *Trigautius Martyrolog. Iaponic. Lib.* I. *cap.* XXVI. *p.* 142. Quando *Solier* Lib. XIX. cap. XIV. p. 706. nobile duorum & quinquaginta hominum, partim Nangazachi, partim Omuræ captorum Martyrium celebrat, Omuranos tradit ad supplicium proficiscentes vel crucem manu, vel crucifixum omnes gestâsse. Et Michaelem Caravallium Jesuitam cum aliis quatuor Monachis Nangazachi pro sua religione exustos ad supplicium euntes crucem quemque manu tenuisse. *Idem Sol. Lib.* XX. *cap.* XXVI. *p.* 1011. Et Simonem Bocusayum cum suis, cum esset

ſet à Jetcundono Bungenſi Principe ad mortem pro ſuâ fide damnatus, ante Chriſti crucifixi imaginem in genicula procubuiſſe: & Dominicum quendam in urbe Firoxima cum ad ſupplicii locum veniſſet, genibus nixum tradunt crucem, cui erat mox affigendus, tum humi adhuc jacentem magnâ devotione adorâſſe. Idem Lib. XIIX. cap. XIV. Et Lib. XX. cap. XVII. p. 898. tradit illuſtrem fœminam, cui *Gratiæ* nomen erat, cum ad Martyrium raperetur, roſarium genero ſuo donâſſe, & ſublatam crucifixi Servatoris imaginem adorâſſe oſculantem. Ita denique Gonſalem Sylveiram Jeſuitam nobilem in diverſa orbis parte, apud Monomotapæ Regem ad Martyrium, de quo divinitùs erat admonitus, infracto animo ſe comparâſſe, cum roſaria ſua Neophytis quinquaginta, quos eo ipſo die tinxerat, diviſiſſet, crucifixi imaginem ſumpſiſſe in manus, & mox precibus ante eum fuſis à barbaris poſtremò immaniter fuiſſe occiſum. *Petrus Iarricus* de rebus Jeſuitarum indicis Lib. III. cap. X. p. 123. 124. Latinè Coloniæ Anno MDCXV. & Gallicè Burdegalæ Anno MDCXX. editis. Dies me deficiat, ſi omnia adferre velim. Hæc eſt perpetua Latinorum Praxis, tam firmiter omnibus infixa, ut neminem facilè ſine crucis cultu & B. Virginis invocatione ex hac vitâ migraſſe invenias. Verùm enim vero nunquam Latini ex antiquitate docebunt, vetuſtiſſimis Chriſtianis ante annum Domini trecenteſimum cultum crucis religioſum in uſu fuiſſe; Abſurdiſſimum enim credebant, ſi religioſè coleretur quidquam, quod vel ſit vitæ ſenſuſque expers, vel quod cuſtodia humanâ indigeat, neque ſe ipſum tueri poſſit, vel quod naturæ & hominum injuriis obnoxium ſit, vel quod hic in terrâ hæreat, noſtriſque elementis concluſum teneatur, vel quod arte & manu hominum fictum formatumque ſit, quemadmodum *Iohannes Dallæus Lib. V. de Religioſi cultus objecto cap.* III. *& Lib.* I. *cap.* XVIII. luculenter & eruditè deducit. Adde ſi placet Chemnicii Examen Concilii Tridentini part. IV. initio.

§. XXIII. Nunc quomodo vetuſtiſſimi Chriſtiani vel in morbo vel in ipſa etiam morte ſe geſſerint, & qua ratione ad illorum regulam noſmetipſos componere deceat, inquiramus. *Origenes,*

cum Celsus suis dæmonius, quæ alioqui infirma, & rebus terrenis ac sensibilibus affixa esse concedebat, hanc saltem facultatem tribueret, ut *corpora sanare possint*; Quanto inquit, *Lib.* VIII. *contra Celsum,p.*430. satius est, &c. concedere se Deo universorum, per Jesum Christum nostræ doctrinæ autorem ? & ab illo omne auxilium, & sanctorum justorumque Angelorum custodiam poscere, ut nos liberent à circumterraneis Dæmonibus ? Tum paulò post constituit, quærendam esse sanitatem pietate in Deum universorum per nostras ad illum preces. Hic Origenes Paganicis ad Dæmonia precibus non cruces, imagines & reliquias opponit, sed ipsum universorum Creatorem per Christum invocare præcipit. Ergò Latinorum Patronus censendus non est. *Justinus Martyr* præcipit pios non Mariam, aut Angelos invocare, non reliquiis, aut cruciculis, aut imaginibus sacris se adversum inimicas, atque in eo rerum articulo insidiantes potestates munire, sed ad unum Deum precibus confugere. Ut nos (inquit *in Dialogo cum Tryphone* p. 260. lin. 22.) cum jam ad exitum vitæ sumus, à Deo eadem poscamus, qui avertere potest omnem impudentem & malignum angelum, ne animam nostram capiat. Ergò ille Sanctorum opem per preces ad eos postulandam ignoravit. Sed si etiam primitivam Martyrum Ecclesiam de modo bene moriendi consulamus, eandem longe alienam ab hodierna & antiqua Latinorum doctrina reperiemus. *Clemens Romanus* Apostolorum Petri & Pauli fidelis discipulus & in Evangelio συνεργὸς, ut eum S.Paulus Philipp. IV. v. 3. vocat, adeoque doctrinæ Apostolicæ cumprimis conscius, in præclara ad Corinthios Epistola, quæ cum per mille annos in Ecclesiâ delituisset, tandem sub antiquis Codicibus Constantinopoli ad hodiernum Magnæ Britanniæ Monarcham CAROLUM II. delatis reperta fuit, (uti in Bibliotheca nostra Anglorum Theologica p. 505. innuimus) Lectores ad beatam mortem, præsertim ad Martyria, sic instruit: Vana studia relinquamus, & ad vocationis nostræ venerandum canonem convertamur. Sanguinem Christi intentis oculis contemplemur, & quàm pretiosus sit Deo hic sanguis considemus, qui propter nostram salutem effusus toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit, undè rerum omnium Dominus jurat: Vivo ego,

ego, nolo mortem Peccatoris! *S. Ignatius*, Johannis Evangelistæ “
discipulus, qui adhuc in carne Christum conspexit, ad violentā “
mortem eductus, Valedictoriis ad Polycarpum, ad Smyrnenses, “
ad Ephesios, ad Magnesios, ad Romanos, ad alios datis Epistolis,
JESUM CHRISTUM, verum suum & incomparabile quem vocat,
vivere, summoperè omnibus commendat. Ejus ad mortē properantis
fiducia hæc fuit: JESUS CHRISTUS, *inquit*, pro nobis “
in carne clavis fixus passus est omnia, ut nos salvaremur. In nomi- “
ne Jesu mortem & omnia sustinebo, ipso me confortante, qui per- “
fectus homo factus est. Nemo erret, qui non credit in sanguinem “
JESU, jam judicatus est, *in Epistola ad Smyrnenses*. In priori ad *E-* “
phesios, crucem piorum, (inprimis agonem extremum) *machinam*, “
qua nos Jesus Christus ad excelsa trahit, Spiritum S. *funem*, quo “
ad cœlum rapimur, fidem in Christum ὁδηγὸν vel ducem, quo ad “
vitam æternam manu quasi ducimur; *Charitatem viam*, qua ad “
Deum pergimus, *Christianos* omnes *Conviatores* ad cœlestem Pa- “
triam appositè vocat, & in solo Jesu Christo verum vivere inveni- “
ri affirmat. Quin & hoc vitæ Principium statuit; si quis perfectè “
in Jesum Christum credat; Carnem Jesu τῆς ἀθανασίας φάρμακον καὶ “
ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν pulchrè appellat, undè habemus τὸ ζῆν διὰ “
παντὸς ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ. In Epistolâ ad *Magnesios*, ægrotos æque sanos “
commonefacit, ut in Jesum Christum velut in unum templum “
cōcurrant, cū nihil Jesu Christo sit melius, hoc uno nos salvificari, “
hunc unum esse spem nostram, à qua Christianus nec in vita, nec “
in morte avelli debeat. In Epistolâ ad *Romanos* votum concipit: “
Ignis, crux, bestia, ossium confractio, commolitio corporis, tor- “
menta Diaboli super me veniant solùm, ut Jesu meo fruar. Ibi- “
dem pronunciat: se mori malle propter Jesum Christum, quàm “
regnare super terminos terræ. Illum quæro, *ait*, qui pro me mor- “
tuus est, illum volo, qui pro me resurrexit. Ille mihi lucrum ad- “
jacet. Vivens scribo, sed mori desidero, nam & AMOR MEUS “
CRUCIFIXUS EST. Mortali cibo non delector. Panem Dei “
volo, qui est caro Jesu Christi, & potum volo sanguinem ejus “
&c. S. Polycarpus in Epistolâ ad *Philippenses ait*: Rogo vos om- “
nes, ut insistatis verbo Justitiæ & Patientiæ, quam oculata fide “

vidi-

,, vidiſtis in beatiſſimo Ignatio, Zoſimo, Ruffo, imò in Apoſtolis,
,, qui ad debitum gloriæ locum commigrârunt, cum non dilexe-
,, rint hoc ſeculum, ſed eum, qui pro ipſis & pro nobis mortuus eſt.
,, *S. Cypriani* Epiſcopi Carthaginenſis eodem quo capite plexus eſt,
,, die, fiduciam in Chriſtum præclara nos docet Oratio, quam ha-
,, buit: Te, *inquit*, deprècor, Pater Majeſtatis, qui in fine temporum
,, noſtri es miſertus, dũ JESUM CHRISTUM filium tuũ, Deum
,, & Salvatorem noſtrum nobis miſiſti per quem nos de periculo
,, imminentis mortis liberaſti. Te deprecor, fili Dei vivi, qui mor-
,, tuos ſuſcitâſti, remitte univerſa mea commiſſa. Paratus ſum pro-
,, pter nomen tuum victimã ſanguinis fundere, & quodvis tormen-
,, tum ſuſtinere. Tu Domine, ſis adjutor, ſis defenſor meus, tu me
,, ab adverſario defende, qui crucifixus aculeum mortis conculcâ-
,, ſti. Devicta eſt mors, devictus inimicus Diabolus. Per nomen
,, tuum libera me de manu quærentis animam meam, & da opem
,, vincendi inimicum, Tu, qui es potens aſſertor & advocatus mea-
,, rum Precum Sancte Pater, reſpice ſuper has preces meas, per be-
,, nedictum JESUM CHRISTUM Salvatorem noſtrum, per
,, quem tibi laus & gloria in ſecula ſeculorum Amen. Extat inter O-
pera *Cypriani* hæc ad mortem Præparatoria Oratio, pag. m. 514. Ha-
bes hic, Lector, fragrantes ex ſanctiſſimorum Patrum Viridariis
floſculos decerptos, undè viva fides merito Chriſti unicè innixa
ſuaviter ſpirat. Nihil audis de invocatione Sanctorum, nihil de ve-
neratione imaginum, aut reliquiarum. Nulla occurrit mentio cru-
cis ligneæ, vel alterius hujus generis Latinorum armaturæ. Spes
firma pientiſſimorum hominum in ſanguine Chriſti pro totius
mundi peccatis effuſo ſolùm recumbit. Ille tanquam ſaluberri-
mum in agone Mortis emplaſtrum animi oculis proponitur, ne
horribilis mortis larva moribundos terreat, & ab auguſto ſalutis
tramite ad avia maligni Spiritus deducat. Optimum in morte re-
fugium eſt gratioſa Dei miſericordia, Peccatorum plenaria remiſ-
ſio, & efficaciſſima in bono confirmatio. Quâ ſancta armatura in-
ſtructus de omnibus hoſtibus quotquot piæ animæ inſidiantur,
mundo ſcilicet, Sathanâ & morte glorioſiſſimè triumphabit.

§. XXIV.

§. XXIV. Admodùm quoque frequens eſt inter Papicolas coronam ſpineam & centum alia, quæ Chriſtus ſua ſanctiſſimâ carne tempore viſibilis converſationis, contigiſſe fingitur, ſtatis temporibus oſculanda populo præbere. Sic coronam JESU ſpineam à Græcis redemptam, & Pariſios deportatam S. Ludovicus Rex Galliæ cum Epiſcopis magno cultu excepit, oſculisque veneratus eſt, teſte *Gilberto Genebrardo Lib. IV. Chronographiæ.* Ita de Margarethâ quadam ſanctimoniali paralyticâ Theologi Janſeniani in Reſponſo Francicâ linguâ edito, ſuper miracula, quæ à ſacra quadam ſpinâ apud Suburbanam Portus Regii Eccleſiam edita feruntur, pag. 15. ſcribunt: Delata eſt ad Portum Regium ad Sacram ſpinam adorandam; & mox tradunt, pag. 18. Durandi uxorem poſtquam eandem ſpinam adoraſſet & oſculata eſſet, ſtatim fuiſſe ſua infirmitate relevatam. Et pag. 22. Magnam vim mortalium Eccleſiam illam ſuam adire, ad ſpinam adorandam. Itē, ſanctimoniales cum profunda veneratione ſpinam Dominicæ coronæ adorare. *Pallæus L IV. adverſus Latinorum Tradition. de religioſi cultus Objecto cap. I. p.* 588. Anno Chriſti M DC X. Sacrificulus quidam Coloniæ in æde D. Urſulæ, Johanni Caſimiro Saxoniæ Duci particulam ſpineæ coronæ oſculandam obtulit, quam laudabilis Princeps adorare recuſabat, indignam cultu ratus, quod injuriam Salvatori quondam intuliſſet, teſte *B. Gerhardo Loc. Theolog. Tomo VIII.* §. *106* Corona è ſpinis contexta plena ſentibus, & hericio ſimilis, juxta *Hieronymum in cap. III. Abacuc: & Auguſtin. in Pſalm. LVIII.* Aſſervari creditur Pariſiis in Sacello à S. Ludovico ſtructo, poſtquam à Balduino, Hieroſolymorum Rege, Venetis prius oppignoratam, eam accepiſſet; id quod ex ipſius Balduini literis ad Ludovicum conatur oſtendere *Ferrandus in Diſquiſit. Reliqu. Lib. I. c. 1.* Add. Johann. Euſebii Nierembergii Liber de miraculoſis Naturis terræ promiſſæ cap. CII. p. 492. Hiſtor. Nat. Edit. Antverp. in fol. An. MDCXXXV. Partem hujus ſpineæ coronæ ſibi vendicat civitas Lucenſis in Hetruriâ, Ovietum in Hiſpania, innumeras ſpinas alii, quæ ut conciliaret Ferrandus contra

Calvini objectiones, finxit post *Arboreum* duas fuisse Christi coronas, Spineam alteram, quâ in prætorio Pilati fuerit compunctus, ex junco alteram, quam portârit in cruce. Cum vero hæc subsistere non posse videret, certè junceam coronam refutat *Baronius* ad ann. XXXIV. num. 86. dedit, quod res erat, multas tales spinas & coronas hinc inde ostendi, quæ Martyrum fuerint, vel aliundè acceptæ, id est, *ex errore*, ut fatetur *Gretserus*, pro Christi corona supponi.

Tunicæ Christi, quam servare Trevirenses jactant, inconsutuli, eandem venerationem deferri ex eo colligo, quod anonymus quidam tradit, devotionem venerationemque S. tunicæ semper fuisse celebrem, idque non tempore tantùm publicæ ostensionis, quæ semper fuerit ex intimis cordis penetralibus profecta, adeò ut pauci in consideratione præsentissima vitæ & passionis Christi lachrymis sibi temperare potuerint, pleni insuper solatio cœlitùs infuso, aucto ex fervidissimo usu Sacramentorū & demonstrato spontaneis sacrificiis & Eleemosynis, verùm etiam in futurum frequentibus exercitationibus id contestando, & perennes fructus operando, fundata est missa canora quotidiana super altare S. tunicæ. Deinde sub Richardo Episcopo fundata est fraternitas nomine S. tunicæ. Tertiò precatiunculæ quædam ordinatæ, pro reliquia- „rum harum memoriâ. Prima est ex quinq; antiquis: O Sanator „& Redemptor mundi JESU CHRISTE, oro te per hanc sanctis- „simam vestem, quam sanctissimo corpore tuo gestasti per multos „annos ad salutem hominum, miserere mei, & vesti animam me- „am virtutibus, Amen. Exteriorem ejus constitutionem quod attinet, dicitur esse revera longa virilis tunica, cum manicis amplioribus, non vestis exterior, nec interior, & cuti adhærens proximè, sed media, eaque quotidiana Christi, formæ pro Regionis consuetudine, & Christi conditione valdè conspicuæ, gar ansehnlich: materiæ difficulter discernendæ, neque laneæ, neque sericæ, sed quantum discerni potest, potius similis singulariter tenuissimo lino, qualem gestavit Jacobus frater Domini, juxta *Christophori Broweri histor. Trevir. in Iohanne I.* Coloris etiam ineffabilis subrubidi ad cineraceam rubedinem declinantis, ad lu-

cem referentis cinnabarim crudam, & in aëre etiam sese mutantis: atque ita super tenuissimo filo non contextam, non consutam, sed penitus & satis densè concinnatam esse, & juxta fimbriam velut floribus aut imaginibus acupictam, tanquam essent literæ senio extinctæ. Hinc credibile esse, quod *Euthymius* circa ann. Christi MCXVIII. adeoque septuaginta annis prius quam à Johanne I. dicitur eruta, ex traditione scriptisque monumentis de eâ tradit, B. Virginem filio suo divino infanti adhuc manu artificiosa tunicam illam confecisse. Vide kurtzen Bericht/ Jussu Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. Caroli Caspari, Electoris & Archiepiscopi Trevirensis, Treviris apud Huprichtum Rulandum impress. in *B. D. Johann. Georgii Dorschei Tunicâ Christi inconsutili cap. II.* §. XXVI. & CXXVI. Ego autem valde vereor, ne multis Papicolis illud Hieronymi in sui temporis sacrificulos, jure objici queat: *Quid agis, Sacerdos? qui iisdem labiis oscularis filium virginis, (ejus coronam spineam vel tunicam) quibus osculatus es filium Veneris, O Juda! tradis sic osculo filium hominis?*

§. XXV. Ulteriùs maximo cum zelo, sive potius ξηροκακοζηλίᾳ exhibent & arripiunt reliquias sanctorũ inclusas vitro vel crystallis honorandas, Videlicet ossa ac cineres, & quidquid carnis, in quâ vixerunt, superest, quin & pilos ac vestes, & alias reculas, quæ eorum fuerũt, venerari, osculari adorabũdi, magnaq; religione colere, etiam in ipsis illis templis, & ad eadem illa altaria, in quibus Numen illud suum quiescere fingunt, ipso præsente ac inspectante, audent. Toto die illud in Papatu exercetur, & sane miseret me rudissimæ istius plebeculæ, quæ toties tegumenta Thaidis pro indumentis beatissimæ Virginis, ossa porcina vel vervecina pro reliquiis sanctorum tanta solennitate veneratur. Fraus nimis aperta est, & vel apud ipsos prostituta, undè dicterium in ipso Papatu enatum; ROMA, TRIA TECUM NON AUFERES, LAPIDES, QUIA NIMIS GRANDES, PIETATEM, QUIA NIMIS EXIGUA, RELIQUIAS, QUIA NIMIS INCERTÆ! Venerantur enim sanctos qui nunquam vixerunt, vel in rerum naturâ fuerunt. Item multorum reliquiæ coluntur in terris, quorum animæ ardent in inferno. *D. Chemnitius*

in Examine Concil. Trident. part. III. de Invocat. Sanctor. p. m. 575. Edit. Genevens. in fol. Ann. MDCXXXV. Verùm τυφλὸν δ' ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος! Juvat quædam huc facientia ex Romanistarum tabulis de promere, ut mens illorum pleniùs innotescat. *Johannes de Turrecrematâ in festo Invention. Crucis q.* 3. Reliquiæ, *inquit*, crucis, clavorum, lanceæ, vestium, Christi, & imago crucifixi sunt λατρείᾳ veneranda. *Bellarminus Lib. II. de Reliquiis & imaginibus c.* 2. Nos reliquias honoramus & osculamur, ut sacra pignora Patronorum nostrorum. *Concilium Tridentinum Sessione XXV.* quæ est nona sub Pio IV. Pontifice Romano. *de Reliqu. Sanct.* Martyrum & aliorum sanctorum cum Christo viventium corpora à fidelibus veneranda esse docet, per quæ multa beneficia hominibus à Deo præstantur. Tum eos omninò damnandos esse definit, qui affirmant Sanctorum reliquiis VENERATIONEM atque HONOREM non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari; prout eos (inquit) jam pridem damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia. Vid. *Chemnic. l. d. part. IV. p.* 661. *Bartholom. Caranza in Summâ Concilior. p.* 798. *Petr. Suavis Polanus, alias Paulus Sarpius Venetus, histor. Concil. Trident. Lib. VIII. p.* 726. *Edit. Gorinchemiens. in* 4. *An. MDLVIII. Sfortia Pallavicinus Cardinalis in Vera Concilii Trident. historiâ, Lib. XXIV. cap. V. p.* 279. *seq. Edit. Antverp. in fol.* Ann. MDCLXXIII. *Vasquez in* 3. *Thomæ quæst.* XXV. *Disput.* 112. *c.* 2. Apud Catholicos, ait, veritas indubitata est, reliquias sanctorum, sive fuerint partes ipsorum, ut ossa, carnes, & cineres, sive res aliæ, quæ ipsos tetigerunt, vel ad ipsos pertineant, ADORANDAS ET IN HOC HONORE SACRO habendas esse. Sic *Disput.* CXIII. initio dicit: Cinctoria & sudaria Pauli adorationis cultu fuisse veneranda. *Stapletonus in Promptuario Catholico, part. I. pag.* 292. Pia ac Deo grata est illa devotio, qua non tantùm Deum ipsum, sed & sanctos ejus, nec tantùm personas Sanctas ipsas, sed & quidquid ipsarum est, atque ad eas pertinet, cum fide & pietate ordinata complectimur. Et paulo post: Eodem sane cultu, eadem veneratione

reli-

reliquias relativè consideratas prosequimur, qua ipsos sanctos. *Costerus* in Euchiridio cap. XV. Ossa Sanctorum habent vim sancto contactu suo sanctificandi, ac qui Martyris ossa attigerit, illius Justitiæ Sanctitatisq; quodămodo particeps, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem, efficitur. Inde Latini reliquias multis præclaris elogiis exornant, easdem *sua Symbola, suas tesseras, sua adversus hostem arma, atque munimenta* vocantes, de quibus nihil apud veteres occurrit. In Jesuitarum annalibus passim illa profitentium Latinorum exempla prostant. *Imagines, rosaria, agnos-Dei, cruces & reliquiaria* Gabriel Mattos Jesuita, *sacras vocat sanctissima sua religionis tesseras, suaque arma spiritualia.* Annal. Japon. ad Ann. M DC. XIV. p. 167. Alius ejusdem generis scriptor, *sua fidei Symbola.* Leo ad se suosque contra impendentem persecutionem muniendos, rosaria. imagines, Sacra numismata, grana benedicta, aliaque arma spiritualia sibi à Jesuitis dari petit, ut ad hujusmodi (inquit) discrimina, si forte inciderint, parati simus. Annal. Jap. Ann. M DC XXX. *Solier Japon. Lib.* II. *cap.* 1. *p.* 107. Ignatio Cocincinensi Catechetæ hæc eadem è vinculis, in quæ ob cultum Latinum conjectus erat, flagitanti, *Alexander Rhodius Jesuita* se ait *Itinerar. Part. II. cap. L, p.* 266. strenuo Christi militi Spiritualia illa arma, quibus tam feliciter uteretur, misisse, quæcumque nancisci potuit. Ita alii omnes de his loquuntur. *Froës Jesuita,* suos Bungenses & Amaguccianos in Japonia Christianos magna fide complecti dicit Divorum reliquias, calculos benedictos, Agnos-Dei, atq; his armis contra Dæmonis insultus se communire. Annal. Japon. ad Ann. M DXCV. p. 226. *Christophorus Borrus,* ejusdem Sectæ historicus, *Relat. de Cocincin. Part. II. cap.* 9. *p.* 212. 113. *Gallic.* Ann. M DC XXXI. Rennes. narrat Jesuitas in ædes apud Cocincinenses spectris infames, intrâsse absque pavore & hostem formidabilem oppugnâsse crucibus, reliquiis, & agnis Dei armatos. Qualia arma ullum veterum Christianorum primitivæ Ecclesiæ aut postulasse, aut rem adversus Christi hostes gerentem adhibuisse, in canâ antiquitate nuspiam legitur.

§. XXVI. Quidam annulos nummosque sanctorum corporibus admoverunt, ac deinde pro reliquiis servârunt. Imò nonnulli S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani sandaliis oscula figebant. De eo *Guigo in vita ejus apud Novarinum Lib. VI. Schediasmatum Sacro-Profanor. Cap. XX. p. m. 174.* §. 112. ita scribit: Lactentes offerebantur parvuli, quo tàm sancti corporis tactu adversus omnia munirentur adversa. Nonnulli etiam sandalia ipsa ardentiori fide osculando mordebant, aliquid inde ob sanctitatem ferre volentes. Annuli ac nummi, & res aliæ sancto applicabantur corpori, ut eô sepulti pro reliquiis haberentur. Isidorus Clarius, Patria Brixianus, Professione Benedictinus, Fulginii, ubi Ecclesiæ per septennium præfuit, Anno Christi MDLV. defunctus, tantâ in pauperes largitate & in omnes benignitate usus, sanctitatis opinionem inde conciliavit, ut post mortem turbâ ingruente & invitis custodibus ædes perrumpente totis quadraginta horis ad deosculationem patuerit, nullo fœtore emisso. Illustris & verè Augustus Scriptor *Thuanus Lib. XVI. Histor. p. m. 757. Edit. Francofurt. in* 8. Quidam à reliquiis medicinam exspectant, seque inde sanitatem recuperasse gloriantur. Tale quidpiam *Petrus Maffejus in Ignatii Lojolæ vitâ, Lib. III. cap. 14. p. m.* 148. *Edit. Antverp. in* 8. Anno MDCV. his verbis recenset: Cum defuncti Lojolæ corpus exequiarum causâ jaceret in feretro, Bernhardina quædam Romana filiam strumis jam diu laborantem, quam arte nullâ Medici sanare potuerant, ad osculandas mortui manus admovere vehementer optabat, certam ex eo contactu filiæ valetudinem sibi pollicita. Sed cum præ turbâ, impetu sæpè facto, puella nunquàm ad feretrum accedere potuisset; denique mater, quippe quam filiæ charitas valentiorem audacioremque reddebat, non antè destitit, quàm ex vestimentis Ignatii frustulum adepta (& osculata) est. An verò ex eo speratam medelam acquisiverit, valde dubito, nisi fortè superstitione aut mirâ imaginationis vi Spiritus animales concitante & alterante effectum fuerit. *Chronicon Cassinense Lib. II. cap. LIV.* de reliquiarum S. Mauri translatione: Cum Hugo Cluniacensis ob preces Theobaldi Abbbatis os integrum brachii S. Mauri

Mauri capſulæ argenteæ, inſtar turrium artificioſè erectæ decenter incluſum per ſex ſui Monaſterii fratres mitteret Caſſinum, ex tota Provincia populi concurſus factus eſt quam maximus, devotione præcipua, totus etiam Monaſterii Conventus inæſtimati jucunditate lætatus eſt, omnesq; ſolennibus induti ſacrisq; veſtibus cum cereis ac thymiamatibus plurimis ad portam veterem aliquantò extra Monaſterii ambitum procedentes obviam cum devotione ſummâ hoſpiti tanto iverunt, & quaſi viventem in carne conſpicerent, omnes in terram pariter procidentes adoraverunt, ſurgentesque ſecundum illum locum devotiſſimè ac reverenter mixtis gaudio lachrymis oſculati ſunt, & cum hymnis ac laudibus honorificè nimis proſequentes in Monaſterium introduxerunt, & ſuper Magiſtri ſui Benedicti venerabile altare poſuerunt.

§. XXVII. At verò nullibi Scriptura Sacra reliquias Sanctorum religioſè colere jubet nec tali cultui auxilium promittit. Acutiſſimus Dallæus ſubdolam Tridentinorum Patrum vafritiem meritò perſtringit, in decretum ipſorum paulò ante §. XXV. adductum, *Lib. IV. de Religioſi cultus Objecto Cap. I. p.* 585. hanc cenſuram exercens: Illi primò non adorationem, aut cultum religioſum (quæ vera eſt ipſorum ſententia) ſed venerationem ſuis reliquiis decernunt; Superſtitionis ſuæ dedecus hujus vocabuli ambiguitate obumbrantes. Venerationem enim dici omnes ſciunt etiam eum honorem, qui & perſonis & rebus habetur eximiis, citra omnem religionis cultum; ut cum Presbyteros & ſenes, & viros virtute conſpicuos venerari nos dicimus, & cum codicem venerandæ antiquitatis appellamus, & alia ejusdem cenſus ſexcenta, quibus nullam religioſi cultus partem ſignificari notum eſt. Deinde cum ſolis Sanctorum corporibus hanc venerationem eo vindicare viderentur, quod nihil aliud in decreti Principio, quàm ſanctorum cum Chriſto viventiũ corpora dixiſſent, ſtatim aliò delabuntur, ſeq; hoc corporum vocabulo etiam cætera, quæ vel ſanctos tetigiſſent, vel ad eos quoquo modo pertinuiſſent, complecti haut obſcurè ſignificant, cum mox eos damnant, non qui Sanctorum modo corpora, (quod ex illo conſequens erat) veneranda negarent, ſed in genere,

genere, quicunque Sanctorum reliquiis venerationem non deberi affirmaret. Reliquiæ enim apud eos sunt non sola Sanctorum corpora, sed plurimæ etiam aliæ res, & quidem non paucæ viles & in speciem despicabiles. Has fortasse Patres puduit disertè venerandas decernere. Itaque sola sibi Sanctorum corpora curæ esse primò finxerunt, mox iidem callidè adjecto reliquiarum nomine caverunt, ne suorum in eas res, quæ sunt in illo secundo reliquiarum censu, religionem prodidisse aut repudiâsse putarentur. Fortasse & in eo aliquid doli subest, quod eos, quos omninò damnandos esse definiunt, non dicunt simpliciter (quod vulgaris Latinè loquentium consuetudo postulabat) negare *sanctorum reliquiis venerationem deberi*, sed *affirmare eam illis non deberi*. Id enim dicere, ut quivis videt, non est, si propriè loquimur, *affirmare*, sed *negare*. Sed & istorum quanta fraus fuit, cum quos damnant, eorum sententiam sic describunt, ub ab iis dicant non modo *venerationem*, sed etiam honorem reliquiis negari? Nos quidem *venerationem*, quam Tridentini intelligunt, id est, religiosum cultum, etiam sanctissimorum hominum corporibus deberi negamus; honorem verò ne vilissimorum homuncionum corporibus invidemus. Sepulturam enim, quæ proprius est mortuorum honos, nemini homini mortuo, (nisi vetent publicæ leges) negandum contendimus: neque si quid est præterea, quod publico gentium jure sit in hoc genere legitimum. Postremò quæ illa quæso est Ecclesia, quam ajunt jam pridem damnavisse nostrorum sententiam? Non certè Apostolica; Non quæ proximè Apostolicam ad ann. Domini CCC. secuta est, in qua omnis reliquiarum veneratio religiosa plane penitusque est inaudita. Atqui frustra cujusvis alterius Ecclesiæ sententia obtruditur. Nisi hanc tecum sensisse doceas, neque tua Apostolica erit, de adorandis reliquiis definitio, neque non Apostolica mea de non adorandis fides. *Hactenus Censura.*

§. XXVIII. Quapropter supradictus reliquiarum cultus merè est electitius & superstitiosus, verbo DEI è diametro contrarius, quippe quod Genesis III. v. 19. de homine dicit: Pulvis es, & in pulverem reverteris. Undè colligere pronum, corpora

pora piorum communi omnium matri terræ demandanda, neutiquam autem veneranda esse, Esaiæ XXVI. v. 2. LVII. 2. Syr. XL. v. 1. Quod Sancti in populo Dei semper observarunt, velut ex eorum Exemplis ad oculum patet. De Saræ sepulturâ testimonium habetur Genes. XXIII. v. 19. De Abrahamo sepulto testatur Genesis cap. XXV. v. 9. De Isaaco, Genes. XXXV. v. 29. de Jacobo, Genes. L. v. 5. De Josua, Davide, aliisque II. Reg. XIII. v. 12. De Mose ab ipso Deo Angelorum ministerio in valle terræ Moab humato, Deuteron. XXXIV. v. 6. Et quamvis Judæi posterioribus Seculis Patriarcharum memoriam semper in pretio habuerint, imò etiam in precibus suis propter promissiones nomina illorum publicè allegaverint, non tamen ad sepulchra eorum invocationes direxerunt, multo minus ossa effoderunt, circumgestarunt, & ad peculiarem cultum osculanda, tangenda, spectanda prostituerunt, vel ab illis virtutem, & opem in angustiis exspectârunt, sicut hactenus ex Schola Romanensium audivimus. Quin potius ossa ipsorum Prophetarum in dormitoriis suis reliquerunt asserente ipsâ veritate, Sospitatore nostro Matth. XXIII. Exstruxerunt quidem & decorarunt sepulchra Prophetarum, reverentiam suam erga illos tali ratione declarantes, quos injuste occisos esse fatebantur; Istud autem illorum studium juxta *Chrysostomi* interpretationē, Christus acriter increpavit, quod scilicet sint mortuorum Prophetarum laudatores & admiratores, cum viventium & præsentium, qui peccata arguunt, & verbum DEI purè docent, sint persecutores & contemptores, quodque Sanctos pauperes hic viventes negligant, & in mortuorum sepulchris ædificandis & exornandis ostentationis gratiâ multùm absumant. Qualem putas invectivam Chrysostomus in cultum & venerationem reliquiarum apud Romanenses vibraturus esset, si idolomaniam hodie propriis oculis adspiceret? In Novo testamento fidelium defunctorum corpora similiter honestâ sepulturâ honorata fuerunt. Sic enim Johannem Baptistam demortuum discipuli tumulo intulêre, Matth. XIV. v. 12. Marc. VI. Idem Protomartyris Stephani exuviis factum

Actorum VIII. Nec Christus ipse majorem honorem sibi demortuo haberi voluit, quam honorificam funerationem, ceu historia illius sepulturæ manifestat. Nec Apostoli aliud quidquam desiderarunt aut præceperunt. Eadem consuetudo post Apostolorum tempora in Ecclesia obtinuit. Epistola de Martyribus Galliæ circa annum Christi CLX. apud Eusebium lib. V. cap. 1. valde conqueritur, 'quod fidelibus non licuerit Sanctorum Martyrum corpora, canibus projecta tumulare. Καὶ γὰρ τοὺς ἐναποπνιγέντας ἐν τῇ εἱρκτῇ, παρέβαλον κυσὶν, ἐπιμελῶς παραφυλάσσοντες νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν, μὴ κηδευθῇ τις ὑφ' ἡμῶν. Eorum enim corpora qui in carcere suffocati perierant, canibus objecerunt, sollicitè observantes noctu atq; interdiu, ne quis nostrorum ea sepulturæ mandaret; juxta versionem Henrici Vallesii, quæ Anno MDCLXXII. Moguntiæ in folio prodiit. *Origenis contra Celsum Lib. VIII.* hæc sunt: Rationalem animam honorare didicimus, & hujus organa sepulchro honorificè mandare. Sed omnium instar Patrum *Augustinus* totum negotium Synopticè comprehendit *Lib. I. de Civitate DEI cap. XIII.* scribens: Nec ideò tamen contemnenda & abjicienda sunt „corpora defunctorum, maximèque justorum atque fidelium, qui„bus tanquam organis & vasis ad omnia bona operSaanctus usus „est Spiritus. Si enim paterna vestis, ac annulus, & si quid hujus„modi, tanto charius est posteris, quantò erga Parentes major af„fectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique „multo familiariùs atque conjunctiùs, quam quælibet indumenta „gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod „adhibetur extrinsecùs, sed ad ipsam naturum hominis perti„nent. Undè & antiquorum Justorum funera officiosâ pietate „curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura provisa: ipsique „dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corpo„ribus filiis mandaverunt, & Tobias sepeliendo mortuos, Deum „promeruisse, teste Angelo commendatur. Ipse quoque Domi„nus die tertio resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus præ„dicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretio„sum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepelien-

dum

„dum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui „corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorificè te„gendum sepeliundumque curârunt. Verùm istæ autoritates non „hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei „providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora „quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurre„ctionis adstruendam

§. XXIX. Sepulturis hujusmodi ritè curatis deinceps honos anniversarius superadditus est à priscis Christianis, ut ad sepulchra Martyrum præcipuè passionis eorum die, Panegyres & celebres conventus instituerent, non propter cultum & invocationem, sed ut sequentium animi ad Præcessorum viam exemplis insignibus suscitarentur. Cum enim viderent multos martyria aversari, & in persecutionibus deficere, Martyrum panegyres peculiari solennitate celebrarunt, certamina eorum summis laudibus extollentes, ut hoc modo superstites in fide susceptâ confirmarentur & pro illa maxima vitæ discrimina intrepido animo adire minimè dubitarent. Vestigium hujus ritus pro ratione illorum temporum in crudelissimis persecutionibus, ut: lissimi reperio in *Origenis Libro III. Super Jobum*. Memorias, *inquit*, sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium, devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Clariùs finem horum conventuum explicat *Basilius in Asceticis cap. XL.* Non decet, *ait*, Christianos aliam ob causam in Martyrum memoriis, aut locis vicinis comparere, quam ut precentur, & per recordationem Sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint, ad hujusmodi zeli imitationem incitentur. *Et homilia XIX.* Nostri profectûs tantùm causâ sat fuerit illorum (*Martyrum vel Sanctorum*) celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari; sed ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratiâ indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor: Sic è sanctorum commemoratione

gestorum, ad omnes provenit utilitas. *Augustinus* quoque *contra Faustum Manichæum* scribit: Populum Christianum memorias martyrum religiosâ solennitate concelebrare ad imitationem excitandam.

§. XXX. Effossiones & translationes reliquiarum ex uno loco in alium Ethnicos habent auctores, à quibus tandem in Christianorum Ecclesiam irrepserunt. Quod ut ad oculum pateat, exempla in medium afferre libet. Pompam Regiam quâ Antigonus Demetrii Patris cineres ex Syria in Græciam deportavit; *Plutarchus in Demetrio* sub finem his verbis exponit, p. m. 915. At enim habuit & funus Demetrii tragicam theatralemque speciem. Nam filius ejus Antigonus ubi reliquias Patris cognovit afferri, totam classem solvit, eisque apud Insulas occurrit obviam. Ut eas accepit, imposuit urnam, quæ ex solido auro erat, in navem prætoriam. Civitates, ad quas appulerunt, hinc coronas ingesserunt urnæ, hinc viros cultu lugubri miserunt ad exequias decorandas & prosequendas. Decurrente Corinthum classe, urna ex puppi conspicua visa, regali purpura & diademate exornata, quam circumstitit in armis juvenum statio. Celeberrimus illius ætatis tibicen Xenophantus, assidens sacratissimum carmen accinuit, cui concinente remigio, clangor cum modulatione quadam velut in planctu respondit carminum ad tibiam ambitibus. Maximam commiserationem & luctum ipse Antigonus stantibus in portu & littore frequentibus movit, sordidatus lacrymisque confectus. Honoribus & coronis funeri Corinthi delatis, deportavit reliquias Demetriadem, urbem illi cognominem, ex parvis ad Joleon oppidulis frequentatam. Cimon Thesei ossa navi prætoriæ imposita, eaque omni magnificentia decorata ex Scyro Insula Athenas annis prope quadringentis post reduxit, quæ ab Atheniensibus magna celebritate excepta sunt, quasi ipse Theseus in urbem rediisset. *Plutarch. in Theseo, p. m. 17. & in Cimone, p. 483.* Inimici Phocionis jusserunt, ut corpus ejus extra fines Atheniensium projiceretur, ac ne quis Atheniensis rogum funeri incenderet. Quamobrem nemo amicorum ausus fuit corpus attingere. Conopion quidam tali assuetus mini-

ministerio operam locare, exportatum ultra Eleusina cadaver igni ex æde mulieris Megaricæ sumpto combussit, ibi Mulier Megarica cum ancillis assistens tumulum honorarium aggessit, atque inferias dedit Phocioni: Ossa in sinu collegit, eaque nocte domum deportata defodit apud focum cum his verbis: APUD VOS, OPTIMI PENATES, HAS BONI VIRI RELIQUIAS DEPONO, EAS VOS, CUM ATHENIENSES AD MENTEM REDIERINT, PATRIO REDDITE SEPULCHRO. Et sanè brevi intervallo rebus edocti Athenienses qualem moderationis & justitiæ Præsidem custodemque amisissent, Statuam ei ex ære posuêre, & ossa publicè extulere. Idem *in Vita Phocionis, p. m. 759. Pausanias in Bœoticis* tradit Thebanos sepultum esse apud se Linum vatem contendisse; asseverâsse insuper Philippum Amyntæ F. profligatis ad Chæroneam Græcis, somnii cujusdam monitu Lini ossa eruta in Macedoniam transportâsse: mox itidem alio commotum somnio Thebas reportanda curâsse. Themistoclis ossa Athenienses è Magnesiâ reportari in patriam curarunt, pœnitentiâ ducti, quod eum aliquandò proscripsissent. *Pausanias Lib. I.* Ex his gentilium moribus translatio, cultus & veneratio reliquiarum in Ecclesiam Dei introduci cœpit à Constantino Magno Imperatore, non quidem ut in Altaribus aut aliis excelsis locis ad adorationem Idololatricam prostituerentur, sed rursus terræ mandarentur loco honestiori quæ persecutionis tempore subitanea sepultura conditæ erant, teste *Anastasio Bibliothecario* in Chronico, & *Cedreno in* Annalibus. Sicut enim reliqua externa ornamenta quæ Ethnicæ religioni plausibilem speciem & autoritatem apud homines conciliarunt, studuit ad Christianam religionem transferre, ut eam hoc modo etiam gentibus commendabiliorem faceret, sicut tota ejus historia indicat: ita cum videret, gentes Regum & præstantium virorum corpora, si in loco ignobiliori condita essent, magna pompâ & solennitate ad nobiliora transferre: quos vero Heroas putabant, in splendidissimis templis deponere; censuit hunc honorem multò rectiùs Sanctorum Dei, Apostolorum, Martyrum aliorumque corporibus & reliquiis exhiberi. Paucis, vel unicus *Eusebii* locus ex *Libro XII. de Præparatione Evangelicâ capite VII.* sufficienter innuit, quomodo

 expra-

ex prava ethnicorum imitatione, multa in Ecclesia Christi à Christianis recepta sint, ut tali ratione Ethnicos vincere & ad suam religionem traducere possint. Scilicet Eusebius existimavit, complures ex gentibus fidem Christi suscepturos esse, si Doctrinæ Ecclesiasticæ & Philosophicæ quædam conformitas proponeretur. Instituit itaque illam, & ex *Platone* hæc verba describit: Quomodo oporteat honorare mortem eorum, qui gloriosè vitam commutâ-,,runt? Respondet *Plato*: Qui in militiâ mortui sunt, nonne dici-,,mus aurei generis esse eos? Omninò credimus Hesiodo, quo-,,modo quidam hujus generis moriuntur, quod illi δαίμονες ἁγνοὶ ἐπι-,,χθόνιοι τελέθουσιν, ἐσθλοὶ, ἀλεξίκακοι, φύλακες μερόπων ἀνθρώπων. H. e. ,,quandò Heroes moriuntur, indè fiunt Dæmones puri, obversan-,,tes in terris boni, depulsores malorum, & custodes hominum. Addit autem Plato, in posterum ut Dæmones factos, οὕτω θεραπεύσομεν καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας. Ita colemus eos, & monumenta eorum adorabimus. Huic Platonicæ sententiæ subjicit Eusebius hæc verba: Hæc Platonica rectè accommodantur ad mortem θεοφιλῶν religiosorum, quos rectè dixeris milites veræ pietatis: ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν δὲ καὶ μακαρίας αὐτῶν ψυχάς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων. H. e. Undè & moris nobis est ad monumenta seu loculos eorum accedere, & apud illa vota seu precationes facere, honorareque beatas animas ipsorum, tanquam probaliter seu rationi consentanea hæc à nobis fiant. Et tandem concludit *Eusebius*: Hæc Plato & alii σύμφωνα τοῖς ἡμετέροις δόγμασι, dogmatibus nostris consonantia seu consentanea. Ubi magnus *Chemnitius in Exam. Concil. Trident. p. m. 672.* observat manifestum crimen falsi à Pontificiis in allegando hoc Eusebii loco frivolè committi, dum legunt: Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietates milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaque ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur. Eusebius contrà nequaquam dicit, fideles Martyribus vota seu supplicationes facere, neque dicit, Martyrum intercessione ad Deum multum juvari fideles, sed dicit: solitos Christianos ad Martyrum monumenta Deum invocare, non

addens,

addens, id recte pieque & verbo Dei consonum, sed probabiliter & rationi consentaneum ab ipsis fieri.

§. XXXI. Ex his igitur satis elucescit cultum illum reliquiarum Pontificiis consuetum Idololatriæ notam nullo modo effugere posse, quia religiosè dum creaturas colit, in primum Decalogi præceptum graviter impingit. Appositè *Nazianzenus* in Distichis circa hoc pronunciat:

Sacrificare grave est, non purâ mente, sed omnis
Defuncti peccat qui colit ossa magis.

Idcircò talis cultus jam dudum explosus fuit. Certè Synodus Francofurtana auspiciis Caroli Magni coacta *Lib. I. de Imaginibus* cap. 18. religiosam venerationem reliquiarum comparat superstitiosæ Judæorum Religioni, serpentem æneum suffitu colentium. Idem Imperator Sanctos prohibet religiosè colere *Lib. I. de Imagin. cap. IX. & Lib. II. cap. XX. & XXV.* tali decreto: Adoratur Deus, sed non osculatur, venerantur Sancti, qui è seculo cum triumphis meritorum migraverunt; sed nec adorari debent cultu divino, nec osculari (Latiniùs, osculo excipi:) Quid pulverem linteamine circũductum adorando oscularis? Consona proponit *Augustana confessio Artic. XXI. de cultu Sanctor.* hoc verborum tenore: Memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum & bona opera, juxta vocationem; Ut Cæsar potest exemplum imitari Davidis in bello gerendo ad debellandos Turcas: nam uterque Rex est. Sed Scriptura nõ docet invocare Sanctos, seu petere auxilium à sanctis. Paulò fusiùs *Apologia Artic. de invoc. Sanct.* Confessio *inquit*, nostra probat honores Sanctorum. Nam hic triplex honos probandus est. Primus est gratiarum actio; debemus enim Deo gratias agere, quod ostenderit exempla misericordiæ, quod significaverit, se velle salvare homines, quod dederit Doctores, aut alia dona Ecclesiæ. Et hæc dona ut sunt maxima, amplificanda sunt, & laudandi ipsi Sancti, qui his donis fideliter usi sunt, sicut Christus laudat fideles negotiatores. Secundus cultus est confirmatio fidei nostræ, cum videmus Petro condonari negationem, erigimur & nos, ut magis credamus, quod vetè gratia exuberet supra Peccatum. Tertius honos est imitatio, primùm fidei, deinde cæterarum virtu-

virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet. H. I. Confer B. D. *Gerhardum in Epitome Confess. Catholic. Lib.* II. *Special. part.* 2. *artic.* I. *cap.* 2. *p. m.* 51. Quid, quod & cordatiores inter Pontificios reliquiarum cultum aperto Marte profligaverint? *Guilielmus Paradinus in Annal. Burgundic. Lib. I.* circa An. MCCCLXXX. honorem defunctorum ossibus illatum, sacrosanctum Evangelium obscurâsse asserit. *Erasmus Roterodamus in Annotat. Matthaei* XXIII. *cap.* Damnat hoc loco *Hieronymus* mulierecularum quarundam superstitionem, quae quod olim in phylacteriis suis faciebant Pharisaei, id tum faciebant in parvis Evangeliis, & in crucis ligno, aliisque rebus hujusmodi, quae habent, *inquit*, zelum Dei, sed non secundum scientiam, culicem liquantes & Camelum glutientes. Si vir sanctissimus haec sentit de mulieribus, quarum infirmitati par erat nonnihil cōdonare, quid dicturus sit, si videat hodiè passim ad quaestum ostentari lac Mariae, quod honore propemodum exaequatur corpori Christi consecrato, prodigiosum oleum, fragmentula ligni crucis tam multa, ut si in acervū redigantur, vix una navis oneraria vehat; hic ostentari Francisci Cucullam, illic intimam vestem Mariae virginis, alibi pectinem Annae, alibi caligam Joseph, alibi calceum Thomae Cantuariensis, alibi Christi praeputium, quod cum sit res incerta religiosiùs adorant, quàm totum Christum. Neque verò haec ita proferuntur tanquam ferenda, & plebeculae donanda affectibus; verùm huc ferè summa religionis vocatur, avaritiâ Sacerdotum & quorundam Monachorum hypocrysi, quos alit populi stultitia. Atque in his Comoediis primas agunt Episcopi quidam factitii, ne usquam valere videantur, haec suis diplomatibus approbant, suis naeniis ornant, tantâ gravitate, ut quoties mihi legitur istorū comprobatio, minùs credam, quàm antea credebam. Quibus in rebus nisi gravis inesset pietatis jactura, Christus non tam acriter in hoc hominum genus inveheretur, cum alioqui lenis sit in peccatores. *Henricus Cornelius Agrippa à Nettesheim, Libro de Vanitate Scientiarum, Cap. LVII.* Sed avarum Sacerdotum genus, avari homines, non modo ex lignis & lapidibus, sed etiam ex mortuorum ossibus, & Sanctorum Martyrum reli-

quiis

quibus materiã avaritiæ suæ captantes, suæ rapinæ instrumenta fecerunt. Attollunt sepulchra confessorũ, exponunt reliquias Martyrũ, vendentes illorum contactûs, oscula: exornant eorum simulachra, & festa illorum magnis pompis decorant, prædicant illos sanctos & attollunt magnis præconiis; vitam autem illorum, quos tantopere laudant, longissimè fugiunt. Nonne istis locutus Salvator: *Væ vobis, qui ædificatis sepulchra Prophetarũ, similes illis, qui occiderunt eos.*

§. XXXII. Nec desunt, qui in multiplices reliquiarum confictarum imposturas, quibus carbones populo pro auro venduntur, calamum laudabiliter strinxerunt. Nam ut fraudes in reliquiis occurrentes evitarentur, citra dubium ex mandato Caroli Magni in *Concilio Moguntino* tale decretum factum est: Deinceps verò corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre, sine consilio Principis vel Episcopi, & sanctæ Synodi licentiâ. *Innocentius III. in Concilio generali cap. cum ex eo. ext. de reliqu. & venerat. Sanct.* Prælati non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causâ venerationis (reliquiarum) accedunt, variis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit. *Alexander* III. *Capit. audivimus*, I. *Lib. Decretal.* III. *Tit.* 45. talem sancivit constitutionem: Audivimus quod quidam inter vos Diabolicâ fraude decepti, hominem quendam in potatione & ebrietate occisum, quasi sanctum (more infidelium) venerantur, cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis Ecclesia permittat orare, dicit enim Apostolus: Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergò non præsumatis de cætero tollere, cum, etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque autoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. *Desiderius Erasmus in Ecclesiaste, Lib.* II. *Tomo V. Operum p.* 738. Illud non est recentis exempli, Divos confictis miraculis affectibus imperitæ multitdinis commendare. Deforme exemplum est Pharmacopolarum, qui mensâ in foro positâ ostentant eductos dentes, lapides è vesicis exsectos, &c. Horum non dissimiles sunt, quos nimium diu tulit mundus, qui circumferunt reliquias ac statuas sanctorum, summâ impudentiâ jactantes miracula, quæ

nunquam gesta sunt, & interdum plusquam scurrili impudentiâ fœnum aut stramenta ex latrinâ fortassis aut horreo sumpta offerunt simplicibus osculanda, ostendunt carbones è focô sumptos, mentientes his assum fuisse Laurentium. Idem *in Colloquio*, *Peregrinatio Religionis ergò, Tom. I. Operum, p.m. 659. seq.* Exhibetur nobis articulus humani digiti è tribus maximi. Exosculor. Deinde rogo, cujus sint Reliquiæ? ait S. Petri. Num Apostoli inquam? ajebat. Deinde contemplans magnitudinem Articuli, qui gigantis videri poterat, oportuit, inquam, Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem quidam in cachinnum solutus est. Vertimus nos ad cœleste lac Beatæ virginis. Men. O matrem filii simillimam! ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantùm lactis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans. Ogyg. Idem caussantur de cruce Domini, quæ privatim ac publicè tot locis ostenditur, ut si fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ justum onus videri possint, & tamen totam crucem suam bajulavit Dominus. Ad latus Septentrionale [Cantuariæ] reservantur arcana, dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum sit: Calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oscula, nec erat futurus finis, nisi qui mihi tum comes erat, hujus peregrinationis parùm commodus, interpellasset ostentandi studium, *Georgius VVicelius in Compend. de Semitis antiquis*. Constitutionum humanarum commendationes de reliquiarum quæstuariis, aut potius de reliquiis Sanctorum ad quæstum prostitutis, quæ ab ebriis nugonibus quibusdam confictæ erant ac si Sanctorum essent, cùm illis extiterit nihil nugacius, quod postea inter pocula ipsi effutierunt &c. in præsens nihil attingemus. Ejusmodi si qui publicitùs concionari fuerint ausi, næ illi fideles servi Domini, & digni qui supra multa constituerentur obeunda. Fatemur caliginem, nec imus inficias per eos fuisse istiusmodi in Ecclesiam invecta, per quos minimè debuit, & quos nunc autores esse oportuit, ut Augiæ non fabulosum stabulum expurgaretur. *Baptista Fulgosus* (Volaterranus vocat *Baptistinum Frigosum*, Leander in descriptione Italiæ,

Bapti-

Baptistam Fregosum, aliqui etiam *Campofulgosum*) Dux quondam Genuensis *in Memoralibus*: Non longè à Turonibus Urbe Galliæ, sacellum erat cujusdam Numini dicatum, cujus quamquam ignoraretur nomen, tamen vulgò homines eum Martyrem appellabant. Illic vota homines suscipiebant atque persolvebant. *Martinus Turonensium* Episcopus sub finem Seculi IV. ad sacellum cum paucis profectus, orare Deum enixè cœpit, ut veritas detegeretur: clarè ab omnibus audita vox fuit affirmantis, ipsum qui in eo loco coleretur, latronē fuisse, qui propter gravia scelera suspensus fuerat. Quā obrem ex eo sacello corpus erutum fuit, proposito posteris ejus rei exemplo, quæ in sacris literis habetur; scilicet multorum in terris corpora venerationem habere, quorum animæ cruciantur in inferno. Idem refert *Johann. Baptista Egnatius*, Sacerdos Venetus (qui ex Fulgosi fontibus agros suos ubertim rigavit) *Lib. IX. Histor. cap. IX. & Johann. Franciscus Picus Mirandulanus de Prænotionibus Lib. I. cap. VI. Gregorius Turonensis Archiepiscopus Sect. VI. Lib. IX. Histor. Francorum cap. VI.* testatur, in sancti cujusdam capsulâ inventas fuisse radices, dentes talpæ, ossa murium, & vulpium ungues conditos: undè etiam totam istam superstitionem detestatur. Tiguri in thecа pretiosissimâ, in qua reliquiæ SS. Felicis & Regulæ Martyrum repositæ credebantur, & quotannis die Passionis eorum magnâ cum pompâ & veneratione, circumgestabatur, inventæ sunt cùm aperiretur in reformatione, particulæ aliquot de latere coctili, funiculus item XII. cubitorum longus, & costæ nonnullæ de fele aut simili animali, ac nihil præterea. Genevæ ut fertur, habebatur brachiū S. Anthonii; cùm thecâ inclusum erat, omnes ipsum exosculabantur & adorabant; cum productum est in medium, cervi pedem esse compertum est. Ad majus altare ejusdem Urbis aliquid erat de Cerebello Petri Apostoli; quamdiu id inclusum fuit, de eo nemo dubitabat: fuisset enim blasphemia titulo fidem non habere: sed cum excussus est nidus, & accuratiùs observatus, repertus est pumex. Turoni summa superstitione culta fuit Crux quædam argentea multis & variis gemmis ornata; in iis erat Achates antiquâ & insigni sculpturâ, quem Aureliam allatum, cum

 diligen-

diligentiùs inspiceretur, deprehenderunt insculptam gerere Veneris imaginem, jacentem Adonidem deplorantis. Atqui hæc ipsa gemma erat, quam qui ad crucem accedebant, flexis genibus solebant die Passionis Domini religiosissimè deosculari. *Hospin. de Templ. cap.* VII. *p.* 103. *Jacobus Gretserus Lib. I. de Cruce cap.* XCVII. fatetur, sacra pignora & lipsana ex Imitatione aucta, & ex prototypo sæpiùs expressa occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent, se ipsum exemplar possidere, cum non nisi imaginem haberent. Et Lib. II. de Cruce, cap. LXII. Novi temporis diuturnitate, fideliumque persuasione sæpiùs evenisse, ut sacra lipsana permutarentur, alterumque in alterius locum substitueretur, & id, quod non erat, censeretur. Utile igitur esset, inquit *Chemnitius l. c. p.* 672. propter posteritatẽ in singulis nationibus tales descriptiones confici, & capsulas reliquiarum inspici. Ita enim multiplices fraudes detegerentur, & usu veniret, quod Vir eruditus & gravis Andreas, Abbas Amelunxbornensis narrare solet, Anglorum quondam Regi Eduardo ex dentibus laboranti accidisse: Cum enim ille mandâsset Apolloniæ dentes, quæ ubique in regni sui Ecclesiis in reliquiis servabantur, ad se mitti, tot ex unius regni reliquiis, Apolloniæ dentes coacervati fuerunt, quos aliquot magnæ tonnæ capere non potuerunt. Aut quod circumforaneo cuidam patrum memoria accidit, qui cum plumas Spiritus Sancti se circumferre in reliquiis jactabat, faceti quidam homines clam apertâ capsulâ, carbones loco plumarum subjecerunt: cumque postridie præmissa longâ præfatione, de plumis suis præfatus fuisset, & populus adorabundus astaret, aperiens capsulam pro plumis carbones invenit. Is verò artis suæ non immemor, inversa oratione cœpit declamare, esse carbones Craticulæ Laurentii subreptos. Sed rancidam illam Camerinam ulteriùs moveri desino.

§. XXXIII. Ex his omnibus luce meridianâ clariùs apparet, quid de reliquiis vulgò jactatis judicandũ sit, simulq; illarum cultus satis infringitur. Ineptissimè enim à quibusdã superstitiosis Lipsanolatris concluditur: Imago hæc vel illa repræsentat Christum vel natum, vel patientem, morientem, resurgentem, ac de hostiũ suorum

suorum catervâ heroicè triumphantem; ergo eodem cultu quo Prototypum honoratur, veneranda est. Vel, quia Christus in cruce pependit, ideò omne lignum cruce signatum vel pictum adorari debet, siquidem Christus tanquam Dei filius & mundi Salvator propter infinitam suam Majestatem, ab omnibus qui illum norunt, adoratur. Risit suo tempore hanc judicii perversi imbecillitatem *Claudius Scotus, Taurinensis Episcopus*, sub initium Seculi noni nostræ Σωτηρίας, quando adversus Theodemirum Abbatem ejusdem ævi ita scripsit: Sed dicunt illi falsæ religionis atque superstitionis cultores, nos ob recordationem Salvatoris nostri crucem pictam, atq; in ejus honorem imaginatam colimus, veneramur atq; adoramus. Aliud Deus jussit, aliter isti faciunt. Deus jussit crucem portare, non adorare, isti volunt adorare, quia nolunt nec spiritualiter nec corporaliter secum portare. Taliter Deum colere, ab illo recedere est, contra quos respondendum; quia si omne lignum crucis schemate factum volunt adorare, pro eo quod Christus pependit in cruce, & alia multa illis conveniunt, quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horas in cruce pependit, & tamen novem mensibus lunaribus & insuper undecem diebus in utero virginis fuit, qui simul sunt dies lunares ducenti septuaginta sex, id est novem menses & supra dies sex. Adorentur ergò puellæ virgines, quia virgo peperit Christum. Adorentur & præsepia, quia mox natus in præsepio est reclinatus. Adorentur & veteres panni quia continuò cum natus esset, pannis veteribus est involutus. Adorentur & naves, quia frequenter in navibus navigavit, & de naviculâ turbas docuit, & in nave dormivit, & in dextra navigii rete mittere jussit, quando præpeditis illâ magna captura facta est piscium. Adorentur asini, quia asello insidendo ad Hierusalem usque pervenit. Adorentur etiam agni, quia de illo scriptũ est; Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Sed isti perversorum dogmatum cultores agnos vivos volũt vorare, & in pariete pictos adorare. Adorẽtur & Leones; quia de illo scriptum est: Vicit Leo de tribu Juda, radix David. Adorentur & Petræ, quia quandò de cruce est depositus in saxeo sepul-

sepulchro est positus, & de illo dicit Apostolus: Petra autem erat Christus, sed Christus petra, agnus, leo, tropicè, non propriè est dictus, per significantiam, non per substantiam. Adorentur & Spinæ ruborum, quia exinde Spinea corona tempore Passionis capiti ejus imposita est. Adorentur & arundines, quia ab eis colaphis à militibus caput ejus cæsum est. Postremò adorentur & lanceæ, quia unus militum lancea ejus latus aperuit.

§. XXXIV. Meminit *Chrysostomus homilia V. ad populum Antiochenum Tomo V. Operum, pag. m.* 51. Nonnullos peregrinationem suscepisse in Arabiam, ut terram in qua miraculum illud Patientiæ, JOBUS, consedit, oscularentur. Multi, *inquit*, nunc longam & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabiam adeunt, ut fimum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris (JOBI) certamina & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Ex quibus Papicolæ procul dubio errorem conceperunt, unum locum sanctitate alterum præcellere, precibus accommodatiorem esse. Quamvis locus nihil sanctitatis personæ conciliet, sed illa potiùs isti. Undè mos ille, qui Arabiam lustrare osculisque honorare propter JOBI virtutes persuasit, cum superstitione conjunctus fuit. Non opus est mare transire, non opus est longam subire peregrinationem, omnes & ad Ecclesiam occurrentes, & domi manentes, multô Deum studio invocemus, monet *Chrysostomus homil. III. ad Pop. Antiochenum*. Idem *homiliâ XXXI. de Cruce, Tomo II. Oper. pag.* 108. Nobis quoniam Christus adveniens omnem terram emundavit, omnis locus orationi vacat, & ubiq; nobis licet Deum prædicare. Et omnis terra sanctior illo loco est, qui in illo tempore prædicabatur Sancta Sanctorum. Ne ergò nos excusemus, dicentes: quod non est facile quempiam orare secularibus negotiis implicitum, propè se domum non invenientem oratoriam. Nam ubicunque sis, potes altare tuum constituere, nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Commune quoque illud *Hieronymi* hic obtinet: Non Hierosolymis fuisse, sed ibidem benè vixisse, laudandum est, ex *Epistola ad Paulinum*. Antiquissimum peregrinationis exemplum ex antiquitate Ecclesiastica

Nice-

Nicephorus adducere videtur, quandò Lib. III. cap. XIX. Peregrinationes quorundam ad templum & Sepulchrum Clementis Romani Episcopi quidem memorat, absque tamen loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, quæ narrationem probabilem reddunt, denominatione, ut suspicari liceat, res falsas & confictas ab eo pro veris narratas fuisse. Neque enim concordant cum his, quæ in vita Clementis ex Damaso de hoc negotio *Platina* exhibet. Nicephorus sic habet: Clemens anchora ferrea collo ejus appensa, in altum mare projicitur, Mari autem diebus septem ad tria millia passuum diviso, multi eò eunt, & Martyris corpus exosculantur, templo divina virtute excitato. Reliqua ibidem subjuncta de puero per oblivionem Parentum hîc relicto, & undis suffocato, postea autem cum fluctus rursum recessissent, salvo apud loculum Sancti invento, nil nisi rancidam fabulam sapiunt: Ut taceam neminem eò dementiæ processisse, ut in profundo maris templum exstruere auderet, siquidem marinæ procellæ conatum statim irritum reddidissent. Quas ineptias cum ponderasset. Platina ex Damaso casum aliter enarrat, inquiens: Hanc ob rem motus Trajanus ex satellitibus suis quosdam mittit, qui Clementem in mare projicerent, alligata ad collum anchorâ; cujus sacratissimi corpus non ita multo post ad littus delatum (observa dissensum) est, atque eo loci sepultum, exstructo templo, unde fons divinitùs emanaverat. Locum fontis his verbis ostendit: Dum ibi aquæ penuria laboraretur, Clemens collem haut longè positum conscendens agnum vidit, sub cujus dextro pede fons divinitùs abundantem aquam scaturiebat. &c. Maxima autem probabilitate Origo peregrinationum Hierosolymam versus, & in terram sanctam ab ævo Constantini Magni deducitur, quippe qui primùm loca terræ sanctæ ab Ethnicis Idololatriis, quibus ab Adriano Imperatore repleta erant, expurgari & excoli jussit, ac propter rerum ibi gestarum memoriam deturbatis gentium delubris in fund. Sepulchri Christi magnificũ templum ædificavit. Quæ gloriosissimi Imperatoris devotio multos Hierosolymam adeundi commovit, ut tot miraculis celeberrima loca non tantum propriis oculis lustrarent, sed etiam templa illic

divino

d vino honori dicata admirarentur. Atq; hac ratione solennis illius ad terram sanctam peregrinationis initium fuit, ait *Onuphrius Panvinius* in appendice ad *Platinam*. Vide Eusebium Lib. III. & IV. de Vita Constantini, nec non Sozemenum Lib. II. Histor. Ecclesiast. cap. XXVI. Et ab his peregrinationibus vota & superstitiones longè aberant, quæ sensim successu temporis invaluerunt.

§. XXXV. Ea propter studium istud peregrinandi laudatissimi Ecclesiæ antiquæ Præsules, aliique religiosi viri seriis suis adhortationibus sufflaminare, si non penitùs impedire aut tollere summopere conati sunt. *Antonius Eremita* circa Constantini M. ejusque filiorum tempora celebris, has in terram sanctam & alia loca peregrinationes valdè improbavit. Nam ut in vitâ ejus ab *Athanasio* Alexandriæ Episcopo conscripta, & è Græco in Latinum ab *Evagrio* conversâ, legimus, Græci, *inquit*, studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos inanium literarum quærant Magistros. Nobis verò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum, unde & Dominus in Evangelio ait: Regnum Dei intra vos est. Virtus quæ in nobis est, mentem tantùm requirit humanam. Similiter *Gregorius Nyssenus* Cappadocum Episcopus in Epistola contra eos qui adeunt Hierosolymam, stringentia Orthodoxæ sententiæ argumenta συντόμως καὶ ἐπιτόμως comprehendit, videlicet 1. quod peregrinatio Hierosolymitana destituatur mandato: Si hæc suadet (inquit Gregorius, juxta versionem *Petri Molinæi*) præceptorũ manuductio, op⁹ exequi ut jussum à Domino. Sin verò est extra Domini præcepta, haut scio quid hoc sit, rei aliquid non mandatũ velle agere, atque ita ipsum sibi legẽ esse honesti. 2. Certè quandò Dominus invitat benedictos ad hæreditatem regni cœlorum, profectionem Hierosolymam inter rectè facta non retulit: ac cum qui sint beati pronunciat, hoc studiũ non complexus est. Cõsideret verò prudens, cur in eo, quod neq; beatum efficit, neq; ad regnum aptum, opera collocetur. 3. Cum spiritualem noxam (peregrinatio) affricet, non est isto tanto digna studio, imo est vitanda summopere: ne qui vitam eligit Deo addictam, ab ulla re noxia cõfigatur. Graves quidem & sanctissimores sunt propositi omnibus tum

viris

viris, tum mulieribus, at peculiaris est vitæ actæ ex studio Sapientiæ honestas. Ea autem in separato & solitario vitæ instituto rectè servatur, quippe cujus ingenium est, à permistione abhorrens & inconfusum, cum nec mulieres inter viros, nec viri inter mulieres ad tuenda honestatis officia contendant. Sed itineris necessitas accuratam horum observationem in promiscuam negligentiam vertit. Impossibile enim mulieri tantum iter percurrere, nisi habeat comitem custodem, & cum ob imbecillitatem sexus imponitur Jumēto, & cum inde deponitur, & cum in difficilioribus locis apprehēditur. Utrumlibet autē supposuerimus, sive notū aliquem habet, qui hoc servitium impleat, sive mercede conductum habet, qui hoc ministeriū exhibeat, utrovis modo se res habet, non effugit res ista reprehensionem. Nam sive se peregrino, sive se suo committit, non servat legem temperantiæ. Cum verò per Orientis regiones, Pandochia, & diversoria, & urbes quam plurimæ licentiā mali & promiscuam libertatem habeant, quî fieri potest, ut trāseunti per fumum oculi non mordeantur ejus acrimonia? Ubi polluitur auditus, polluitur oculus, polluitur animus per oculos, & aures fœda admittens. An possibile est loca infecta sic transire, ut non afficiaris? 4. Qua autem in re superior erit, qui ad ea loca venerit? quasi verò ad hæc usque tempora Dominus illis in locis corpore versetur, à nobis verò recedat; aut quasi abundaret Hierosolymis Spiritus Sanctus, ad nos verò transire non posset. 5. Si ex his quæ apparent, certa capi possent argumenta divinæ præsentiæ, meritò quis existimaverit, Deum magis in gente Cappadocum, quam extra commorari. Quam multa enim sunt apud eos altaria, per quæ nomen Domini honoratur? 6. Adhæc, si largior esset in Hierosolymitanis locis gratia, peccatum inter homines ibi agentes non esset familiare. Nunc verò nullum non impuritatis genus apud eos perpetratur; Nequitiæ, adulteria, furta, Idololatriæ, veneficia, invidia, cædes: & maximè quidem hoc malum ibi familiare est, usque adeò ut nusquam tanta sit ad cædem proclivitas, quanta illis in locis, hominibus ferarum more currentibus ad sanguinem popularium frigidi lucri ergò. Quapropter timentes

Dd Domi-

Dominum, cum in quibus locis agitis, laudate. Loci enim mutatione ad Deum non acceditur; sed ubi ubi locorum fueris, ad te veniet Dominus, si modò tale inveniatur animæ tuæ diversorium, ut possit in te habitare Dominus & inambulare. Sin verò interiorem hominem habueris plenum improbis cogitationibus, etiamsi fueris super Golgatha, etiamsi super monte Olivarum, etiamsi sub monimento Resurrectionis, tantum abes à Christi in animum tuum receptione, quantum qui neque fidei principia agnoscunt. Confer *Johann. Henrici Heideggeri, Professoris Theologi Leidensis Dissertationem de Peregrinationibus Religiosis contra Bernhardum Baldinger, Ecclesiæ Badensis Præpositum.*

§. XXXVI. Superiori Seculo admodum emphaticè de isto negotio *Georgius Cassander in Consultatione ad Articuluum XXI. p. m.* 972, Operum, pronunciavit, cujus verba quamlibet prolixiora, „digna sunt quæ hic recitentur: De veneratione, *inquit*, reliquia„rum & locorum sacrorum, in quibus sanctorum corpora vel cine„res condebantur (quas Memorias appellabant) manifestum est, „olim hujusmodi reliquias præsertim Martyrum, ut quæ fuerint „membra Christi & templa Spiritus Sancti, summo in honore habi„tas fuisse, ita ut ad illorum memorias solennes & celebres conven„tus haberentur; in quibus & sacrificium Deo offerebatur, & san„ctorum virtutes prædicabantur. Cur autem hujusmodi memoriæ „tanto honore frequentarentur, è causam exponit *B. Augustinus* „*de Civitate Dei Libro VIII. capite ultimo.* Ut eâ, *inquit*, celebrita„te & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imita„tionem talium coronarum eodem vocato in auxilium, & eorum „memoriæ renovatione adhortemur: item, ut meritis eorum con„sociemur, & orationibus adjuvemur. Ita legimus, ad hujusmodi „loca Martyrum reliquiis insignia, & vota nuncupata, & peregrina„tiones susceptas, quæ omnia tum utiliter fiebant, cùm adhuc & „certa memoria Martyrum vigeret, & Deus indubitatis miraculis „eos, qui mortui putabantur, sibi vivere declararet. Atq; hæc o„mnia eò referebantur, ut fides quam illi moriendo professi sunt, „his tanquam signis confirmaretur: ita *Augustinus de Civit. Dei Lib.* „*XXII. cap.* 8. Conclamante populo, Miraculo ad memoriam B. Ste-

phani

phani edito; Quid, *inquit*, aliud erat, in cordibus exultantium nisi" fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est? *Et paulò post*," *capite nono*. Cui, *inquit*, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in" qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascen-" disse in carne? *Paulinus in Epistolâ ad Macarium*, Deum, ait, per A-" postolos & Martyres virtutes operari, ut credamus Dei filium &" Dominum nostrum Jesum Christum ex resurrectione mortuorũ" regnantem in cœlis ad dextram patris vivorum esse Dominum," non mortuorum. Verùm in hæc paulatim abusus irrepsit, nam" queritur *Basilius in Definit. cap. XL.* jam suo tempore consuetudi-" nem, quæ apud Sanctos viros obtinuerat, corruptam fuisse, nam" pro eo quod in hujusmodi conventibus, quæ in Martyrum memo-" riis agebantur, alius pro alio precari deberet, & per sermonem ad-" hortationis mutuò se ædificare, nundinas & quasi publicum em-" porium ex sacratis Martyrum locis factas esse, quas absurditates" pro suo commercio approbare non debeant. Quin & *Ambrosii*" *& Augustini* temporibus mos invaluerat, ut ad Martyrum memo-" rias populus epulas inferret, quod à melioribus Christianis non" fieri, & à *B. Ambrosio* Mediolani interdictum testatur. Constat" quoque posterioribus temporibus, nimium reliquiis & memoriis" Sanctorum indultum & tributum fuisse, sic ut à bonis quoque vi-" ris pio zelo præditis, summa quasi religio in hujusmodi reliquiis" conquirendis, auro & gem̃is exornandis, & memoriis seu templis" sumptuosissimis ædificandis posita putaretur, & ab improbis quo-" que hominibus falsâ fiduciâ in cultu inepto & superfluo reliquia" rum collocaretur. Quare in *Concilio Cabilonensi cap. XL.* reprehen-" duntur, qui Romam aut Turonum sub prætextu orationis pera-" grant: putantes frequentatione horum locorum se à peccatis pur-" gari & impunè peccare. Accesserunt & alia mala, quod avari-" tiæ causâ ad simplicem populum illiciendum falsæ reliquiæ" supponebantur, & ficta prædicabantur miracula, iisque miracu-" lis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miracu-" lorum raperetur, quàm ad sanctorum imitationem, vel vitæ emẽ-" dationem provocaretur: Nonnunquam autem astu & illusione" Dæmonis hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa"

„novæ reliquiæ revelabantur, & ejusdem operatione miracula edi „videbantur; hinc decretum illud *Lugdunensis Synodi c. LXII.* Præ- „lati non permittant populum vanis figmentis aut falsis documētis „decipi, sicut occasione quæstus fieri consuevit. Et in Concilio *Car-* „*thag. V. Canone XIV.* Altaria quæ per somnia & inanes revelationes „constituuntur, omninò reprobari videntur. Item, permulti reper- „ti sunt, qui sanctorum reliquias seu falsas, seu veras quæstui habue- „runt, ita ut passim à circumforaneis & vilissimis hominibus, instar „Sacrorum Isidis circumferrentur, & multis mendaciis imperito „vulgo commendarentur. Illud quoque jam inde ab aliquo tem- „pore præter antiquum morem invaluit, ut sanctorum corpora su- „pra ista altaria, qui locus soli corpori Christi deberi putabatur, „collocarentur, quæ sub altari poni consueverant. Sic *Ambrosius* „de Inventione reliquiarum Gervasii & Protasii, Ille, *inquit*, Chri- „stus videlicet super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub al- „tari, qui ipsius redempti sunt sanguine. Hodie verò cum passim „omnia reliquiis sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne „si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis & dijudican- „dis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestan- „dæ imposturæ patefierent, quemadmodū in nonnullis locis factū „est, & B. Martino accidit, qui cum locum quendam suæ Diœcesis, „monumento cujusdam tanquam Martyris celebrem adiisset, de- „prehendit non Martyris, sed scelesti latronis monumentum à po- „pulo cultum & frequentatū, quod everti statim & exscindi jussit. Quamvis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis certa piorum hominum monumenta violârunt, & ossa sive cine- res, quibus etiam barbarissimi homines pepercerant, summâ cum ignominia abjecerunt & dispersérunt. Cum igitur veræ & comper- tæ Reliquiæ, præsertim in his Provinciis perpaucæ sint, & multæ ex iis, quæ ostentantur, non temerè suspectæ haberi possint, atque illarum frequentatio & veneratio non multum pietati, plurimùm verò superstitioni vel quæstui serviant, multo consultiùs videtur, ut ab omni Reliquiarum ostētatione abstineatur, & populus ad ve- ras Sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtu- tum, quæ in scriptis vel ab ipsis, vel de ipsis exstant, imitanda pro- vocetur.

§. XXXVII.

§. XXXVII. Ad eundem scopum tendunt, quæ *Becelinus* itidē Pontificiæ sectæ propugnator, apud *Johannem Kivium* de Abusibus Ecclesiasticis, p. m. 144. Oper. in fol. edit. Manutianæ Anno MDCXIV. proponit: Exsecrandas illas superstitiones reliquiarum, quas per ditissimi Nepotes à quæstu verissimè appellati ad Ecclesiæ ludibrium exitiumque invexerunt, nescivit Antiquitas, nec vidit Abusus ridiculos, in quibus non exigua pars pietatis vulgi nostratis hærebat hactenùs. *Guilielmus Peraldus Episcopus Lugdunensis*, Seculo tertio decimo, *in Summa Virtutum & Vitiorum, Tomo I. Quintæ partis Principalis Tractat. de Beatitudinibus part. II. pag. m. 362. Edition. Moguntina in 4.* Anno MDCXVII. Si vestes quæ Salvatorem tetigerunt, pro reliquiis habentur, quare verba quæ processerunt de ore ejus, pro reliquiis non habentur? Nullum verborum illorum negligendum esset, in Psalm. *Folium ejus non defluet.* Diligenter essent audienda verba illa, & memoriæ infigenda. Eccles. VIII. *Ego os Regis observo.* Credendum est, quod verba ipsius magnæ sint virtutis. Illi enim specialiter dicitur in Psal. XLIV. *Diffusa est gratia in labiis tuis*: & Lucæ IV. *Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore illius. Erasmus* in Præfatione Paraphras. super Nov. Testamentum: Si quis tunicam Christi exhibeat, quo non terrarum provolaturi sumus, ut eam osculari liceat; Atqui ut totam Christi supellectilem proferas, nihil erit, quod Christum expressiùs & veriùs repræsentet, quàm Evangelicæ literæ. *Idem in Enchiridio Militis Christiani, Tomo V. Oper. pag. 27.* In manifesto Christianus es, in occulto gentili gentilior. Veneraris Divos, gaudes eorum reliquias contingere, sed contemnis, quod illi optimum reliquerunt, puta, vitæ puræ Exemplar. Nullus cultus gratior Mariæ, quàm si Mariæ humilitatem imiteris. Nulla religio sanctis acceptior, magisque propria, quàm si virtutem illorum exprimere labores. Vis tibi demereri Petrum & Paulum? alterius fidem, alterius imitare Charitatem, & plus feceris, quàm si decies Romam cursitaris. Vis summo honore Franciscum afficere? elatus es, admirator pecuniæ es. Largire hoc Divo, compesce animos, & exemplo Francisci esto modestior, contemne sordidum lucrum, & inhia bonis animi. Remitte contentionē, & vince in bono malū.

 Istum

Istum honorem pluris faciet Divus ille, quàm si centum illi cereos accenderis. Magnum quiddam putas, si Francisci cucullo obvolutus sepulchro inferaris? Nihil proderit vestis similis mortuo tibi, si mores fuerint dissimiles vivo. *Chrysostomus Homilia LI. in Matthæum*; tangamus fimbriam vestimenti ejus [Christi] imò verò totum ipsum. Si enim volumus, non vestis solùm, sed corpus ipsius propositum est nobis, non ut tangamus solummodo, sed ut comedamus & saturemur. Adeamus ergò Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, rectè omnes valuerunt, quantò magis corroborabimur, si totũ in nobis habemus? Plura hujus generis monita desideranti satisfaciet *B. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. part. IV. fol. 665 seq. B. Gerhardus, Tomo VIII. Locor. Theol.* §. 100. *Confession. Catholic. Lib. II. Part. II. Artic. X. cap. 3. B. Dietricus Analysi Evangelior. Part. II. Dominica XXIV. post Trin. pm. 550. seq. D. Henricus Höpfner Saxoniæ Evangelicæ Sect. III. Part. 2. cap. 2. p. 552.* Johann. Henricus Ursinus Analector. Sacror. Lib. II. num. IX. p. 114. 117. Joachimus Ursinus in Stupendis Templ. Jesuit. part. III. p. 353. Gilbertus Voetius disputat. Select. part. III. LXIX. p. 1002. Georgius Zeæmannus Uncatholisch Pabstum part. II. f. 689. 710. B. Thom. Steger in Disp. Inaug. de Ortu & Progressu Cultus reliquiarum ex professo.

§. XXXVIII. Veteres Christiani Martyrum corpora, vulnera, cicatrices ac id genus alia ex pio affectu osculabantur. Testis est *Prudentii* Poetarum Christianorum Principis hymnus II. Peristephanon, S. Vicentio dicatus, v. 333. seqq.

Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum thorum,
Siccare cruda Vulnera;
Ille Ungularum duplices
Sulcos pererrat OSCULIS;
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Eadem devotione ad Martyres sub Maximini Tyrannide cruciatos laudatissimus Imperator Constantinus Magnus accessisse legitur apud

apud *Theodoretum, Lib. I. Histor. Ecclesiast. cap. XI. Tomo III. Oper. part. posterior. p. m. 551. Edit. Paris. in fol.* Jacobi Sirmondi S. J. Cum videret, *inquit*, dextros oculos quibusdam effossos, intellexitque fidei constantiâ hanc illos cladem pertulisse, labra vulneribus admovit, benedictionem OSCULO inde se hausturum confidens. Martyrologium Romanum *Cæsaris Baronii* d. VII. Februarii, p. 86. Sanctus Julianus Cappadox, qui EXOSCULANS Martyrum corpora, ut Christianus delatus, & ad Præsidem ductus, lento igne jussus est comburi. *Optatus Milevitanus Libro Primo contra Parmenianum, Tomo IV. Bibliothecæ Patrum, p. m. 271.* memorat, à Cæciliano Carthaginensi Diacono datum fuisse crimini LUCILLÆ fœminæ, non quod os Martyris ori admovisset, sed quod importuno tempore ante cibum sacrum sumtum, & os illud non esset Martyris vindicati sive recepti. *Gregorius Nyssenus Oratione de S. Theodoro Martyre, Tomo II. Operum, pag. 1012.* Ipsas attingere reliquias, si quandò aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quàm id sit multum desiderandum & optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, & ejus desiderii compotes facti. Quasi corpus enim per se vivens & florens qui intuentur, amplectuntur (οἱ βλέποντες κατασπάζονται) oculis, ori, auribus omnium sensuum instrumentis osculum adhibentes, deinde officii & affectionis lacrymas Martyri, quasi integer esset & appareret, superfundentes. Hæc ille. Oblectamina enim Martyrum fuerunt vulnera, non opprobria, Margaritæ pretiosæ, non vanæ superstitionis machinæ. Dubium non est, *ait Ambrosius in IV. poster. ad Corinthios*, quod in Martyribus Christus occiditur, & in iis qui pro fide patiuntur aut mortem, aut vincula, aut verbera, Christi passiones sunt, ut & vita ejus in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt quæ ostendunt introitum ad futuram vitam, quam promisit Christus. Martyres amamus, non quod cruciantur, sed quod ob Christum cruciatus ferunt: contra latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob malefacta puniuntur. Verba sunt *Chrysostomi Orat. I. adversus Judæos*.

§. XXXIX.

§. XXXIX. Alii Auctores notârunt, quod idem honor vinculis, lectulis, imo etiam liminibus Martyrum habitus fuerit. Quis in carcerem patitur reptare ad OSCULANDA VINCULA Martyrum? *Tertullian. Lib. II. ad Uxorem, cap. IV.* enunciat. Confer Notas *Nicolai Rigaltii* in hunc locum. *Chrysostomi homil. XXX. in 2. Corinth. XV. Romæ Subterraneæ Tom. I, Cap. XXII.* §. *II. pag.* 112. *ex Edit. noviss. Pauli Aringhi.* De Lectulis *Prudentius* iterum loco citato canit v. 545. seqq.

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Per fragmen illud testeum,
Quô parta crevit gloria,
Et quem trementes posteri
Exosculamur lectulum.

De Liminibus autem Hymno III. Peristephanon, in Passionem S. Laurentii, v. 516. seqq.

Ipsa & Senatus lumina
Quondam, Luperci aut Flamines
Apostolorum & Martyrum
EXOSCULANTUR limina.

Petrus Venerabilis cognomento, Abbas Cluniacensis, Seculo XII. propter admirandam in omni literarum genere perfectionem celeberrimus, juxta *Joh. Gottfrid. Olearii Abac. Patrolog. p.* 369. Lib. I. de Ecclesiis, liminum Apostolicorum mentionem faciens, ait: Ab eisdem fidelibus dulcissime ac devotissimè DEOSCULANTUR. (pro, oscula accipiunt.) *Johannes Gerbrandus de Leidis*, Sec. XV. Carmelitani Conventus in Harlemensi cœnobio Prior, Lib. IV. Chronici Belgici, de Comitibus Hollandiæ & Zelandiæ, cap. XV. de Carolo V. Carolus Romam veniens omnes Postes Ecclesiæ humiliter osculabatur, & Ecclesias die noctuque impigrè frequentabat. *Pauli us* in III. Natalem Felicis iisdem subscribit sequentibus versiculis:

Cernere tunc passim est sacrâ purgare medelâ
Pectora liminibus sterni -- --

Ad prio-

Ad priorem Prudenti, locum de Liminibus, insignis Philologus Johan. Weitzius Commentar. p. 519. plenioris interpretationis gratiâ addit: Moris erat adeuntibus Basilicam * ante ejus ingressum procumbere ad limina, postes deosculari & preces fundere. Inde *Fortunatus de* Basilicâ Ravennate, Libro IV. in Vita S. Martini, circa finem scribit:

Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe
Fusus humi supplex — —

Idem de S. Radegunde refert, quod adiens Basilicam S. Martini, per singula se prostraverit limina. Diego Suarez Vice-Rex Peguensis cum admissa crimina sanguine expiaturus ad locum Idolo offensorum cõsecratum duceretur, singulis delubri gradibus osculum impressit, ter ubique JESU nomine ingeminato. Erasmus Francisci part. III. Ost und West-Indischen wie auch Sinesischen Lust- und Staatsgartens/ pag. 1574. Ex Ferdinandi Mendez Pinti Itinerario.

De Urnis idem judicare vel ille Prudentii locus jubet: Urnas reorum morticinas lambere. Hymno XIV. Peristephanon v. 385. id est, cados osculari. Adhuc fit in Italiâ, ut tumbas Divorum superstitiosè osculentur, ait *Georgius Fabricius in Comment. VVeitzian. super Prudentium, p. 376.* Sed illustrior locus in eodem Poëtâ de cryptis Martyrum visitatis & honoratis, Hymno IV. qui Passionem Hyppoliti describit, hoc numerorum ambitu conclusus reperitur:

Manè salutatum concurritur: omnis adorat
    Pubes, eunt, redeunt, Solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul & peregrinos
    Permixtim populos, Relligionis amor.
OSCULA perspicuo finguntimpressa metallo:
    Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
    Natalemque diem passio festa refert:
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi?
    Quæve celebrando vota coire Deo?

Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites,
  Unà & Patricios ambitioni pari.
Confundit plebeja Phalanx umbonibus æquis,
  Discrimen procerum præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
  Explicat, & longis ducitur Ordinibus.
Exultant fremitûs variarum hinc inde Viarum,
  Indigena & Picens, Plebs & Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
  Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.
Quisque, suæ lætus cum conjuge, dulcibus & cum
  Pignoribus, rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
  Hæret & in magnis densa cohors spaciis.
Angustum tantis illud SPECUS esse catervis,
  Haut dubium est, ampla fauce licet pateat.

Add. Joachimus à Beust, Explicat. Evangelior. Dominâ Quasimodogeniti. Notæ Baronii ad Martyrologium, p. 509.

* Basilica, Græce βασιλικὴ, id est, regia, erat ædificium vel diversorium apud gentiles ad negotia à mercatoribus & nummulariis peragenda *Seneca Lib. III. de Irâ cap. XXXIII.* Fremitu Judiciorum Basilicæ resonant. Erat etiam locus ad jus dicendum. *Plinius Junior Lib. VI. Epist. XXXIII.* Sedebant judices centum & octoginta (tot enim quatuor consiliis conscribuntur) ingens utrinq; advocatio, & numerosa subsellia, præterea densa circumstantium corona latissimum Judiciũ multiplici circulo ambibat. Ad hoc, stipatum tribunal, atq; etiam ex superiore basilicæ parte, quà fœminæ, quà viri, & audiendi quod erat difficile, & quod facile visendi studio imminebant. Structuram Basilicarum *Vitruvius Libro V. describit.* Illas postea Christiani in usum templorum converterunt. Prius vocabantur Regum habitacula, unde & nomen habent, nunc autem ideò Basilicæ divina templa nominantur, quia ibi Regi omnium DEO cultus & sacrificia offeruntur, juxta *Isidorum Lib. XV. Originum, cap. IV.* vel quia profanæ Basilicæ

licæ in Ecclesias Christi conversæ sunt, ad quod alludere videtur Ausonius in Gratiarum actione pro Consulatu ad Gratianum Augustum, statim post principium dicens: Basilica olim negotiis plena, nunc votis pro Tua salute susceptis. *Eunodius in Dedicatione Basilicæ Apostolorum,* ubi templum fuit Idolorum, Dict. Sac. II. Veni ergò, piissime Domine, & ad Consecrationē operis tui plenus illabere; Vice humani per Baptismum pectoris purgentur hæc templa turpi hactenus dedicata Patrocinio. Romæ Principaliores Basilicæ sunt quatuor, quæ PATRIARCHALES appellantur, LATERANENSIS, scilicet, VATICANA, S. PAULI, & S. MARIÆ MAIORIS. Denique Basilica dicitur Legum Codex, cujus Leo Philosophus, teste *Balsamone,* auctor fuit. *Johann. Bona Rer. Liturg. Lib. I. cap.* XIX. §. *IV. p.* 414. *Macer in Hierolexico, pag.* 73.

§. XL. In Ecclesiâ Græcanicâ Januis sacrarii oscula figi perhibet Ἀρχιερατικὸν Ecclesiæ illius, parte VI. Liturgiæ in ritu introitus & Trisagii p. 54. ab Isaaco Haberto Paris. editū, An. MDCXLIII. in fol. his verbis: Ἐρχόμενοι δὲ πάντες εἰς τὰς ἁγίας θύρας κατὰ συζυγίαν ἐν ταῦτα μερίζονται, καὶ ἀσπάζεται εἷς τὴν μίαν θύραν, καὶ ὁ ἕτερος τὴν ἄλλην. Καὶ οὕτως εἰσέρχονται εἰς τὸ ἅγιον βῆμα. Οἱ δὲ Διάκονοι ἀσπάζονται τὴν ἁγίαν τράπεζαν. Ὅταν δὲ φθάσῃ ὁ Πατριάρχης εἰς τὰς ἁγίας θύρας, ἀσφαλίζουσιν αὐτὰς οἱ ὀστιάριοι καὶ ἀσπάζεται πρῶτον τὴν δεξιὰν, εἶτα τὴν εὐώνυμον. Καὶ οὕτως ἀνοίγουσιν αὐτὰς, καὶ εἰσέρχεται, καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ οἱ Ἀρχιερεῖς ἀσπαζόμενοι καὶ αὐτὰς τὰς ἁγίας θύρας ὡς καὶ οἱ Διάκονοι. Id est, accedentes autem bini ad januas Regias, qui dividuntur, unusque portam unam osculatur, alter alteram. Atque sic ingrediuntur ad Sanctuarium. Diaconi verò osculantur sanctam mensam. Cum autem venerit Patriarcha ad sanctas januas, custodiunt eas ostiarii, & ipse primū n dextram osculatur, dein sinistram, atque sic eas aperiunt, tum ingreditur; Et ante ipsum Pontifices & Presbyteri osculantes etiam Sanctas januas, ut & Diaconi. *Chrysostomus Homilia* XXX. *in posteriorem ad Corinthios Epistolam*: Templum, *inquit*, Christi sumus, itaq; templi vestibula & aditum OSCULAMUR, cum invicem nos osculamur. Non cernitis quàm multi hujusce templi vestibula osculantur, illi

 quidem

quidem caput inclinantes, hi vero manus tenentes, eamque postea ori admoventes. At per has etiam januas & ostia ingressus est Christus, & ad nos ingreditur cum communicamus.

Apud Græcos nemo præter Herodianum, Historicorum, si styli elegantiam & perspicuitatem spectes, nemini secundum, inter veteres, quod scio, hactenùs narravit, urnam, quá mortuorum reliquiæ condebantur, osculo exceptam fuisse. Is autem Libro IV. Historiarum Cap. I. sic habet: Εἵποντο δὲ ὄπισθεν αὐτοῖς οἱ τὴν ὕπατον ἀρχὴν τότε διέποντες, κάλπιν φέροντες, ἔνθα ἦν τὰ Σεβήρου λείψανα. οἵτε προσαγορεύοντες τοὺς νέους αὐτοκράτορας, παριόντες καὶ τὴν κάλπιν προσεκύνουν. Post sequebantur Consules, urnam cum Severi reliquiis gestantes. Qui autem novos Imperatores consalutaverant, urnam quoque ipsam supplices adorabant; id est, osculabantur, ut *Politianus* verbum προσκυνεῖν rectè vertit.

§. XLI. Ex relata prioris Ecclesiæ consuetudine ad Pontificios manavit reliquiarum cultus, quo de in antecedētibus sermo institutus est. Undè etiam ab ipsis Romanensibus tota hæc Cærimonia ad venerationis osculum reducitur. Verùm enim verò quoniam his osculis opinionem cultus aut meriti superstitiosè addunt, creduntque se OSCULANDO crucem aut linteolum demereri eum, qui in cruce pependit, aut linteolo involutus fuit, adeoque gratiam consequi & remissionem peccatorum: Ideò illam ipsorum deosculationem Theologi orthodoxi ab osculo adorativo veri Dei rejiciunt, & ad adorativum Dei fictitii transferunt. Commodè hic *Augustini* verba ex *Libro VIII. de Civitate DEI. cap.* XXVII. accommodamus dicentes: Nos Martyribus non templa, nec Sacerdotia, nec Sacra & Sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum Dei hominum, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certârunt, ut innotesceret vera Religio, falsis fictisque religionibus convictis. Quis autem audivit aliquandò fidelium, stantem Sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumq; constructum,

ctum, dicere in precibus, offero tibi Sacrificium, Petre & Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit, ut eâ celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium Coronarum atq; Palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur? Quæcunque igitur adhibentur obsequia religiosorum in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Placent quoque *Simonis Goulartii* verba in *Notis ad Cypriani Epistolam* XXXVII. Audio, *inquit*, memoriæ nomen, non mortuorum invocationem, non ossium Polycarpi & sociorum exhibitionem, DEOSCULATIONEM, coram eis genuflexionem, circumgestationem per compita, reservationem cum opinione cultus divini in istis reliquiis conquirendis, & religiose asservandis inclusi. Condita sunt honorificè, pretioso velamine operta, non adorata; nec in Martyrum memoriis Catholica Ecclesia proposuit piis in terra degentibus suffragia & patrocinia per intercessiones & merita sanctorum in cœlo. Recitata & celebrata sunt certamina Martyrum, quæ pro fide Christi pertulerunt, addita ex verbo Dei prædicatione, qua explicaretur, quibus Coronis & Braviis intrepidi milites Christi ornati essent; idque ideò, ut auditorum animi ad similia certamina præpararentur & animarentur. Fiebant etiam vota ad Deum, ut pii superstites in hac spirituali militiâ, socii & consortes fierent Martyrum, tum in pugnâ, tum in victoriâ, & vitæ æternæ coronâ; ut disertis verbis dicunt Smyrnenses. Horum nos in veritatis professione discipulos, tum consortes in gloria esse optamus.

§. XLII. Judæi occæcati etsi quidem in ædibus suis & Synagogis nullas imagines, picturas aut statuas habent, superstitionem tamen penitus redolet analogum quidpiam inter illos, cui summam ex instituto venerationem deferre solent. Nimirum Januæ domus & singulorum conclavium, quæ habitantur, & domesticis usibus serviunt, infigunt schedam membranaceam,

quam מזוזה Mesusah vocant, cui inſcribunt primò ex Deuteronomii cap. VI. v. 4, 5, 6, 7, 8, 9. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus unus eſt, &c.* usque ad; *Scribes quoque illa in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.* Deinde ex Deuter. XI. à v. 13. *Et erit, ſi obediendo obediveritis præceptis meis &c.* usq; ad v. 20. *Scribes quoque ea.* Hanc ſchedam convolutam cannæ vel pixidi includunt, eamque clavo infigunt vel intrudunt muro ad dextrum poſtem ingreſsûs domus, vel foſſulam ad id in poſte ipſo excavant. Quod *uni duntaxat poſti* eam inſerunt, Magiſtri ipſorum eruunt ex voce מזזת, quæ cum uno duntaxat Vau ſcribitur in adducto loco. Quod *Poſti dextero*, extundunt ex voce ביתך; quam hic explicant per ביאתך Ingreſſus tui. In ingrediendo enim dextrum pedem ſoleri præponi ſiniſtro. Quod *non tantum januæ domus exteriori, ſed & interioribus in domo ipſa ſit infigenda*, docent ex voce Plurali ובשעריך *& in portis tuis*, Ideò enim, ajunt, adhiberi pluralem numerum, ut doceatur, omnes portas hic intelligi, Ædium, Cubiculorum, Cellariorum, Horreorum, Civitatum, Oppidorum &c. *Talm. Menach. fol. 34. 1.* Domus Synagogæ exemta eſt à *Meſuſah*, quia non habitationi, ſed precationi, eſt deſtinata. Quod ſi verò in ea ſimul ſit locus, qui ab aliquo inhabitatur, tenetur de ea. Loca ſecreta, balnea, officinæ coriariæ & ſimilia, itidem excipiuntur: quia non ſunt לדירת כבוד pro uſu honeſto. Schedæ huic interiùs nihil præter commemorata loca Scripturæ eſt inſcribendum. Undè qui etiam certos characteres & ſignacula, vel etiam Nomina alia divina, Angelorum, vel alios verſus Biblicos ſuperſtitiosè addunt: illi malè faciunt, & dicuntur eſſe ex illis, qui nullam partem habent in ſeculo futuro. Exteriùs autem, ſeu averſæ ejus parti, inſcribunt nomen שדי Schaddai, & eo quidem loco, ut reſpondeat, vel voci והיה *Et erit*, in interiori parte, vel ſpatio & interſtitio verſuum illorum, ex Deut. VI. & XI. Rationem hujus rei reddit hanc R. Bechai in Legem, fol. 196. col. 2. Gentes, *inquit*, mundi exiſtimant, proſperitatem ædium dependere ab aſtris. Nos verò ut teſtatum faciamus, Deum vincere & deſtruere vim aſtrorum, & ab ipſo omne bonum promanare in ædes, non ab aſtris; ideò inſcribimus his Schedis nomen Schaddai. Sic poſteaquam Jobi

XXII.

XXII. v. 17. dicitur: *Quid facit Schaddai illis?* respondetur v. 18. והוא מלא בתיהם טוב *Ipse implet domus eorum bono.* Ajunt præterea; Rex qui est caro & sanguis, est intra Palatium suum, & ministri ejus custodiam agunt foris: Contra est hic; Israelitæ dormiunt in lectis suis, intra ædes suas, & Deus custodit ipsos foris: Vi scilicet ac virtute harum schedarum, quibus nomen ejus inscriptum. Hinc quotiescunque homo pius vel domo sua egreditur, vel eam ingreditur, Manu sua Mesusam hanc tanget & dicet: Dominus custodiat egressum & ingressum meum à nunc & usque in seculum. *In Colbo fol. 101. col. 4.* scribitur ideò fieri, quod שַׁדַּי vox sit Symbolica harum trium שומר דירת ישראל Custodiens domicilia Israelis. *In Levusch Ateres sahaf Num. 288.* §. 15. pro memoriali, vel confirmatione hujus rei affertur id quod apud Jobum legitur cap. XXII. v. 25. וְהָיָה שַׁדַּי בְּצָרֶיךָ (Et erit Schaddai munitio tua) Ne legas, ajunt בְּצָרֶיךָ sed בְּצִירֶיךָ Et erit Schaddai in Cardine, vel, in poste tuo; cui cardo inest. Itaque ita inscribunt hoc nomen, ut membranâ convolutâ videri queat: & in eum finem quoq; in calamo seu Pixide, cui inseritur, faciunt foramen, per quod conspiciatur. Quidam præter nomen שדי adscribunt insuper כוזו במוכסז כוזו quod scribunt esse nomen Angeli custodiæ huic Præfecti. Meminit hujus etiam *Antonius Margarita*, sed qualia hæc sint nomina non explicat. Respondent hæ tres voces tribus istis in versu Deut. VI. v. 4. יהוה אלהנו יהוה. Illas ex his eliciunt certâ quadam arte Cabalisticâ (NB. hic se manifestè prodit superstitio Recutitorum) qua pro unaquâque litera, proximè sequentem substituunt, & eas ita inter se commutant, veluti כ pro י, ו pro ה, ז pro ו, ב pro א, & sic consequenter. Magnam his nominibus sanctitatem adscribunt. Hinc domo ad negotia sua egressuri solent dicere; בשמך כוזו במוכסז כוזו אלך ואצליח *In nomine tuo, kusu Bemochmas kusu, iter ingrediar, & prosperabor.*

Convolvunt hanc schedam à fine linearum versus Principium, ut in aperiendo earum initium statim Lectori in oculos incurrat. Antequam eam Posti inserant, hanc super eâ præmittũt benedictionem:

nem: *Benedictus sis, ô Domine Deus noster, Rex mundi*, qui nos sanctificasti præceptis tuis, & præcepisti nobis לקבוע מזוזה *Postibus infigere Mesusam.* Cæterùm multa hic scribunt de Pelle cui hæc inscribenda, de atramento, de formâ scribendi, de modo inserendi, de ædibus & conclavibus, quæ de his *Mesusoth* tenentur, vel quæ non &c. Ea qui scire volet, adeat Ritualia eorum. Certis temporibus illas depromunt & recensent, videntes, an adhuc illæsæ & integræ, an vitium passæ sint, veluti an sint laceræ, vel Scriptura deleta &c. Quicunque domum aliquam conducit statim tenetur eam *Mesusah* instruere. C.m quis è domo emigrat, & Judæo eam inhabitandam relinquit, non debet *Mesusah* eximere & auferre, quia Spiritus & Dæmones maligni statim immigrant in eam domum, quæ *Mesusah* caret, à quibus novo hospiti periculum imminere posset, si domus illa ad tempus sine *Mesusah* relinqueretur. Quod si verò vel à Christiano domum conduxerit, vel Christiano eam elocet, licet eam auferre, & secum asportare, quia sic nullum Judæo, sed Christiano duntaxat, metuendum periculum, cujus Judæus nullam tenetur habere rationem. Nulli Christiano hujusmodi *Mesusah* danda, quia ille non debito eam honore & veneratione habebit. Quod si tamen aliquis eam petat, cui sine periculo denegari nequit, majoris alicujus mali & incommodi vitandi causâ dari potest. Usus harum Schedarum est, ut quotiescunq; homo per portam domus suæ vel egreditur, vel ingreditur, ex intuitu earum sibi in memoriam revocet Dei Unitatem, Providentiam, Potentiam, Legem, quorum documenta in dictis illis Scripturæ extant, & per horum considerationem ad timorem Dei excitetur, & à peccato abstrahatur. Hactenùs *Johannes Buxtorffius Synagogæ Judaicæ cap.* XXXI. Loco ubi *Mesusah* sita est, frequenter Judæi manus admovent exeuntes, quin & aliquandò illum OSCULANTUR, ut usus confirmat, & tradit *Rabbi Leo*, apud *Novarinum, Electorum Sacrorum Libro V. Cap.* XII. §. 131. *Paginâ* 47.

DISSER-

DISSERTATIO VII.

De

OSCULIS IDOLOLATRICIS GENTILIUM.

SUMMARIA.

I. *Vocis Idolum explicatio. Idololatria quid. Origenis distinctio inter simulachrum & similitudinem. Idolorum descriptio ex Athanasio.* II. *Apostoli propositio: Idolum nihil est in mundo, pensitata.* III. *Idololatriæ mater nimia admiratio. Senatus Romanus Deos constituebat. Magni Romanorum Dii* XII. *Homines propter multa merita inter Deos relati; quandoque tamen etiam turpissimis idem honor decretus. Vetustæ de Antinoo Imp. Hadriani Catamito in Deos relato Inscriptiones. Besantinoum.* IV. *Gregorii Nazianzeni de Origine Idololatriæ elegans discursus.* V. *Osculum in cultu Deorum tribus modis adhibitum. 1. Ori. 2. Manibus. 3. Pedibus. Iesuitæ Idololatriam & Tyrannidem in Indias introduxerunt. Idoli Lama pedes Tatari osculantur. Indi Idoli Nandi caudam.* VI. *Eminus stantes manum prius ori admovebant, deinde manu basia jactabant, contra Lipsium & Adrian. Turnebum. Salmuth notatus & Muretus vindicatus. Pauperes præter osculum manus dextræ Diis nihil offerebant. Osculum orantis signum. Idem preces reddit perfectas.* VII. *Certi in adoratione gestus. Dextratio. Sessio primoris digiti in pollice. Vossius notatus. Circumactio in adorando adhuc Muhamedanis in usu. Lapis Veneris effigie insignita in templo Make. Gentiles versus Orientem, Israelitæ versus Occidentem precantes se vertebant. Turcæ in precibus Meccam respiciunt, Iudæi ad Austrum se vertunt.* VIII. *Caussa hujus vertiginis ex Plutarcho. Hesperii ex Indice & Pollice crucem formant. Adoratio cœlestis exercitus & elementorum.* IX. *Cultus Solis & Lunæ antiquissimus multis gentibus fuit notus. Sol Iovis oculus. Luna præses viarum. Multa nomina Solis, quia omnes Ethnicorum Dii ad illum referuntur.* X. *Heliopolis Aegyptiorum. Simulachrum Solis. Aethiopes eidem cinnamomum offerunt. Templum Solis apud Emesenas.*

Cultus inter Romanos, Græcos, Germanos usque ad tempora Priscillianistarum. XI. *Nostra ætate Solis cultores sunt Gronlandi, Lappones, Scythæ, Samojedi, Molgomsai, Badai, Cathaini, Sinenses, Iavani, Maluccani, Philippini, Zeilonenses, Persæ, Africani.* XII. *Americani. Virginiensium & Floridanorum vicini. (Festum anniversarium in honorem Solis apud Vtinenses. (Accolæ freti Californiani, Peruani, Cuscanorum statua Soli dicata. Congenses.* XIII. *Cultores Lunæ Sueciæ populi subpolares, Irlandi, Tatari, Chinenses, Japonii, Goënses, Guzaratenses, Iavani, Molnecani, Philippini, Africani, Americani, Incolæ Guianæ, Hispaniolæ, novæ Zemblæ, Peruani cuilibet animali peculiarē stellam tribuūt. Chiani singulis mensibus suas stellas assignant. Tapuyæ in Brasilia Plejades colunt. Scythæ septentrionales stellam polarem. Philippini Saturnum, sub nomine Maglente, Luciferum Americani.* XIV. *Iudæorum consecratio Lunæ.* XV. *Explicatio Iobi c.* XXXI. *v.* 26. *Manum suam osculari ore suo sensu Scripturæ quid? Comparatio Lunæ & bonæ famæ.* XVI. *Ezechielis c.* VIII. *v.* 17. *expenditur: ramum ponere ad nares suas, id est subsannare. Zemorah varia significat. Palmites arborum Idolis consecrati. Crepitus ventris inter Aegyptiorum Deos. Mercurio sacer & bonæ fortunæ nuncius. Oppedere contra tonitrua. Ramos osculari. Rami à gentilibus admoti naribus adorandi causâ. Daphnephoria Thebanorum. Oschophoria Atheniensium.* XVII. *Idololatricus Indorum cultus Arbori delatus. Osculari flores Idolo consecratos* XVIII. *Adorationi manus osculatio juncta. Baal sive Bel nomen variis Diis commune. Vitulos osculari. Deosculatio & veneratió Hebræis idem notat. Idolum Moloch qua formâ. Varia illi sacrificia oblata. Gehenna undè. Gaffarelli opinio de liberis per ignem transmissis rejecta.* XIX. *Camelus à Mahomedanis Persicis tempore Paschali in sacrificium adhibitus multis cum cerimoniis. Caro ejus medicamenti vice usurpata.* XX. *Elementa à multis gentibus Deorum loco culta. Ignis veneratores Lappones, Indi, Romani, & fortè incolæ aureæ Chersonesi. Benjamin Tudelensis scriptor suspectus. Aër Chinensium Deus. Aquæ divinus honor tributus ab Aegyptiis. Fontibus & aquis hostiæ datæ. Ganges à Bengalensibus devotè adoratur.* XXI. *Terra mater Dea æstimata multis gaudet cognominibus.*

Hertha

Hertha Germanorum. Sacellum terræ dicatum apud Spartanos, Templum Romæ. Varios habuit cultores. Zlota Baba Scytharum. Terram osculari quorum mos. XXII. *Idola in arboribus apud Indos, Mahomedanos, Guineanos, Angolenses, Peruvianos. Brasilianum Numen, fructus cucurbitæ similis, nomine Tammaraka.* XXIII. *Oscula januis, lapidibus, aris, fanis aliisque rebus Numini consecratis data. Humum, templa & aras matres anxiæ capillis passis verrebant. Portas urbis osculantur discessuri.* XXIV. *Smaragdi inter numina Peruvianorum. Vilissimi quoque lapides adorati. Caabah Arabum. Lapidum cultus in Mechâ. Lapis Abrahami vestigia ostendens. Incurvatio super lapidem effigiatum Iudæis graviter prohibita. Americani & Incolæ Insulæ Madagascar aurum pro numine habent.* XXV. *Doctorum de derivatione verbi adoro variæ sententiæ. Palmerius à Barthio notatus.*

§. I.

IDolum Græcis εἴδωλον ab εἶδος aut εἴδομαι propriè est idem quod simulachrum, imago, species, quia visui objicitur. *Glossarium*, εἴδωλον, simulachrum, larva. *Tertullianus de Idololatriâ cap.* III. Ad hoc necessaria est vocabuli interpretatio, εἶδος Græcè *formam* sonat: ab eo per deminutionem εἴδωλον deductum, æque apud nos *formulam* facit. Igitur omnis *forma* vel *formula*, *Idolum* se dici exposcit. Inde Idololatria omnis circa omne Idolum famulatus & servitus. Hæc ille. Tamen ex analogiâ Græcâ & usu autorum εἴδωλον non est vox deminutiva, sed rectà fluit ab εἴδομαι, videor. Exodi XX. v. 4. Ne facias tibi פֶּסֶל ibi Paraphrasis Chaldaica ponit צְלֵם id est statuam, imaginem, ipso *Aria Montano* interprete. Septuaginta senes vertunt εἴδωλον. Deus per Mosen sanxit, μήτε εἰκόνα μήτε ὁμοίωμα ποιῆσαι, inquit *Iustinus Martyr contra Tryphonem*, Vulgatus interpres reddidit, imaginem, similitudinem. *Cicero Lib.* I. *de Finibus.* §. XXXII. itidem idola exponit imagines. *Plin. Lib.* VII. *Epistolar.* XXVII.

Mox,*inquit*,apparebat Idolon,ſenex macie & ſqualore confectus. Cicero Epiſt. ad familiares *Lib.*XV. *Ep.*16. Sed ſi inſulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolet ad pectus. Conferatur *Iſidori Lib.* VIII. *Etymologiar. cap.*XI. Idoli propriâ ſignificatione laxiùs extensâ, Idolum etiam dicitur, quidquid mens humana in veri Numinis locum ſubſtituit. Et ad hoc genus loquendi præeunt nobis ſeptuaginta Interpretes, I.Paralip. XVI. v.26. ubi vertunt: Πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. Ac Idola etiam retinuit Latinus Interpres. Hebraicè eſt אלילים *elilim*, hoc eſt vanitates, vel, ut ſic dicam, nullitates. Undè & Apoſtolus ait. I.Corinth. VIII. v.4. οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ: quaſi diceret, idolum nec numen eſt, nec vim numinis habet; ſed res eſt vana, & inane hominum commentum, eoque nulla virtute præditum, ad hominem vel ſanctificandum vel polluendum. Undè deinceps colligit, in edendis iis, quæ idolis ſunt immolata, per ſe nullum eſſe crimen; ſed tum demum peccari, ſi quis hac edendi libertate abutatur neglectâ charitate: ut ſi de iis comedat cum offendiculo infirmi fratris. Hæc evincunt, non de ſolis imaginibus, vel ſimulachris divino honore affectis, idolum uſurpari, ſed aliquantò laxiori ſignificatione: quomodo & idoli, & idololatriæ nominibus paſſim veteres utuntur Theologi. Ita *Tertullianus Lib. de idololatria cap.*II. Idololatria Deo fraudem facit, honores illi ſuos denegans, & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat. Et *Cyprianus in Exhortatione ad Martyrium*: Tunc idololatria committitur, cum divinus honos alteri datur. *Origenes* locum Exodi XX. v.4. Non facies tibi ſculptile, explicans, Homiliâ VIII. inter ſimulachrum & ſimilitudinem ſic diſtinguit: Si quis quolibet metallo auri vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat ſpeciem quadrupedis, vel ſerpentis, vel avis, & ſtatuat illam adorandam, non idolum, ſed ſimilitudinem fecit: vel etiamſi picturam ad hoc ipſum ſtatuat, nihilominùs ſimilitudinem feciſſe dicitur; idolum facit, quia ſecundum Apoſtolum, idolum nihil eſt, I.Cor. VIII.4. Et facit quod non eſt. Quid eſt autem, quod non eſt? Species, quam non videt oculus, ſed ipſe ſibi animus fingit, verbi gratia: ſi quis humanis membris, caput canis aut arietis formet,

met, vel rursus in uno hominum habitu duas facies fingat, ideò hæc species Apostolus dicit, idolum nihil est in mundo. Hunc sequitur *Oecumenius*, *Theodoretus in Exod.quæst.* XXXVIII. Idola sunt falsa simulachra, qualia Græci & Ægyptii effingere consueverunt, formas scilicet non subsistentes, velut sphingas, tritonas, Centauros, homines canino vultu. Explicatissimè D. *Athanasius de Gentibus in Orat.p.*7.8.*Edit.Heidelberg. An.*1601. Ut qui penitùs exalto in terram afflicti, instar terrestrium cochlearum torquent sese ac reptant: Ita quippe impientissimi mortales ubi semel ceciderant à concipienda imagine Dei, homines deinde & hominum formas tum viventium, tum defunctorum in Deos retulerunt. Postmodum verò cogitationibus consiliisque deterioribus initis, in lapides etiam & ligna, reptilia tum aquatici generis, tum terrestris, & in brutas ferasque beluas divinum & supramundanũ nomen transtulerunt, omnes interim divinos honores illis attribuentes vero ac legitimo, reque ipsâ Deo Christi Patre rejecto. *Paulò post*: quippe qui bruta rationabiliaque animalia invicem permiscentes, & in unam speciem contrahentes pro Diis colunt, quales sunt apud Ægyptios Canicipites, Serpenticipites, Asinicipites: & in Lybia Jupiter Ammon vervecino capite configuratus. Commodè quoque *Iohannes Lorinus in Comment. Act Apostolic.cap.* XVI. *v.*29. Sculptilis imago distinctiùs & enixius prohibita est, quoniam cultus IDOLORUM versabatur potissimùm in imagine sculptâ vel statuâ, quæ soliditate partium & crassitie magis exhibet personas, quæ adorando proponuntur, quàm si hæc in superficie duntaxat coloribus exprimatur.

§.II. Quandò autem Apostolus dicit, Idolum est nihil in mundo, triplex respectus attendendus erit. Notatur enim hic ante omnia ipsum formale Idoli, quod est divinum aliquid à superstitioso hominum cœtu creaturis tributum. Hoc non est subsistens aliquid, hoc creaturæ verè non participant, sed est notio tantùm & conceptus mentis vanissimus. Ratione hujus formalis considerata Idola Apostolus nihil esse pronunciat. Deindè attenditur Idolorum Impotentia, quia cultores eorum magna exspectantes fru-

ſtra ſunt. Inde in Pſalmo CVI. *v.*28. Idola *Methim*, mortui vocantur. Sanè mortuis nulla inhæret virtus, potentia nulla, & niſi corpora mortuorum ex aſpectu hominum remota terræ mandantur, magis obſunt quam proſunt. Sic Idola, Scriptura teſte mortui ſunt, ἀνωφελῆ, non poſſunt bene facere nec male facere. Perniciem & interitum iis afferunt, qui in ipſis confidunt. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non adorabuntur, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo: Similes illis fiunt, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in iis, quæ ad contemtum Idolorum & vanam Idololatrarum fiduciam arguendam verba adducit HieroPſaltes Pſ. CXV. v. 5. ſeqq. Confer Jeremiæ cap. X. v. 3. 4. 5. Conſonant illa *Athanaſii Tomo* I. *Orat. contra Idola. p.* 11. utinam, utinam, ſine ſpecie ulla artifex illis Numina conformâſſet, ita enim fieret, ut non tam evidens ſuæ adverſus ſe ſtoliditatis documentum oſtenderent. Tum enim ſi ſigna notaſque ſenſuum non haberent, quales ſunt oculi, nares, aures, manus, os, ipſis interim immobilibus & ſine uſu ſenſuum, ſenſibiliumque perceptione, ſimpliciorum animos fallere potuiſſent. Nunc contra habent & non habent, ſtant & non ſtanr, ſedent & non ſedent, nullam enim vim iſtiuſmodi actionem poſſident, ſed in eo ſtatu quo voluit artifex, permanent, divinitatis ſuæ argumentum nullum de ſeſe exhibentes, inanimati prorſus ſolum hominis arte conſiſtendi ſpeciem habere videntur. Apud *Prudentium* S. Vincentius Martyr ita canit, Periſtephanon hymno II. v. 65. ſeqq.

O veſtra inanis vanitas,
Scitumque brutum Cæſaris!
Condigna veſtris ſenſibus
Coli jubetis Numina;
Exciſa fabrili manu
Cavis recocta & follibus
Quæ voce, quæ greſſu carent,
Immota, cæca, elinguia.

Impo-

Impotentiam Idolorum & cœcitatem Idololatrarum idem Poeta Christianus his perstringit Peristeph. Hymno XIV. v. 296.

Non erubescis stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia?
Quæ DIS ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
Fracta & liquata contulerunt Vascula.
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolor in stipite,
Quos sæpè falsos circulator decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
Edentularum cantilenæ suaserint.
Vos eruditos miror & doctos viros,
Perpensa Vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo jure constent: quanta Majestas regat,
Quidquid creatum est, qui creavit omnia.

Ulteriùs attendi meretur quod Idola ad salutem hominum nihil conferre possint. Benè *Augustinus Lib.* XX. *contra Faustum Manichæum, cap.* V. *Tomo* VI. *Oper. p. m.* 132. Solus ille colendus est, quo solo fruens beatus fit cultor ejus, & quo solo non fruens omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur. Jam autem quid prosint Idola impotentia inutilia, Dii mortui, ad salutem hominum? Nihil. Id iterum Augustinus declarat l. c. Sunt enim, *inquit*, & Idola, sed ad salutem nihil sunt. Et qui colit arborem, non quidem arando, sed adorando, non id colit, quod nunquam est, sed quod ita colendum non est. Ipsa etiam Dæmonia; undè dicit Apostolus, Quæ immolant gentes Dæmoniis immolant, & non Deo, utique sunt, quibus illos immolare dicit, & quorum nos socios esse non vult. Jam verò cœlum & terra, & mare, & aër, & Sol & Luna & cætera sydera, omnia hæc manifesta oculis apparẽt, atq; ipsis sensibus præsto sũt. Quæ cũ pagani tanquã Deos colũt, vel tanquam partes unius magni Dei; nam universum mundũ quidam eorũ putant

putant maximum Deum: ea colunt, quæ sunt. Cum quibus quandò agimus, ut ea non colant, non eis dicimus, quod nulla sint; sed quod colenda non sint, eisque colendum horum omnium conditorem, Deum invisibilem suademus, cujus solius participatione beatus homo fieri potest, quod omnes velle nemo ambigit. Hæc *Augustinus*. Sunt igitur idola nihil ratione formæ, impotentiæ & inutilitatis suæ, in promovendâ salute hominum: Sunt tamen aliquid idola ratione sui materialis. Sunt aliquid creaturæ, sol, stellæ, sunt aliquid ex lapidibus, metallis, ligno confecta simulachra; sunt aliquid homines & Angeli, tam boni, quàm mali: Quæ, postquam illis ab hominibus idololatris & superstitiosis opinio divinitatis affingitur, propter hoc mentis figmentum non amittunt suam, in qua conditi & formati sunt, essentiam, sed manent, quod sunt; fiunt autem quod non sunt, Dii scilicet & idola, nimirum in conceptu hominis, extra quem nihil sunt in mundo.

§.III. Undè autem idololatria omnis mali Principium & finis extiterit, luculenter docet Liber Sapientiæ, qui vulgò Salomoni adscriptus, verum auctorem Philonem habere existimatur: Sic enim scribit cap. XIV. v. 21. Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines, incommunicabile nomen (Dei nimirum) lapidibus & lignis imposuerunt. *Tertullianus* quoque *Libro de Idololatriâ* cùm alibi, tùm *capite* XV. originem hujus mali satis ostendit scribens: Recogitemus omnem idololatriam in homines esse cultum, cum ipsos Deos nationum homines retrò fuisse, etiam apud suos constet. Nec dissentit *Chrysostomus*, cum ait: Ex nimia admiratione, in qua nonnulli apud homines fuerunt, pro Diis ipsos habitos fuisse, & idololatriæ causam præbuisse. Ita & Alexandrum M. Senatus Romanus (penes hunc enim Deos creandi arbitrium sive χειροτονία fuit). Tertium decimum Deum adscivit, adjungens scilicet hunc ad numerum XII. illorum magnorum Deorum, (quorum imagines ad forum stabant auratæ, nomina autẽ Ennius duobus hisce versibus complexus est:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jove, Neptunus, Vulcanus, Apollo.)

velut

velut supernumerarium quendam Deum. Atque hoc quidem rationi quodam modo conveniens videri poterat, in Deos referri illos, quorum in genus humanum multa & præclara extitissent merita ac beneficia; nihil enim propiùs ad Deum accedit, aut magis Deo dignum est, quàm de multis mortalibus benè mereri, uti lex XII. Tabularum innuit, Cap. de dupl. Deorum genere, Tit. de Religione: DIVOS, ET EOS, QUI COELESTES SEMPER HABITI, COLUNTO, ILLOS, QUOS IN COELUM MERITA VOCAVERUNT, HERCULEM, LIBERUM, ÆSCULAPIUM, CASTOREM, POLLUCEM, QUIRINUM ET ILLA, PROPTER QUÆ DATUR HUJUSMODI ADSCENSUS IN COELUM; MENTEM, VIRTUTEM, PIETATEM, FIDEM, EARUM LAUDUM DELUBRA SUNTO. Sed Pugiles quoque & Cinædos, & turpissimos homines alios, aliquandò ἀποθεώσει dignatos fuisse, & in Deorum collegium adoptatos, id verò omnium est indignissimũ, omnemque admirationem superat: Quomodo Imperator Hadrianus Antinoum Catamitum suum, cujus nefario amore exarserat, quemque in deliciis habuerat, posteaquam ille se, ut creditur, pro vitæ Imperatoris devoverat, Deum fecit, inque honorem ejus urbem condidit, aut certè instauravit, de Antinoi nomine appellatam. Historiæ Augustæ illustrator celeberrimus *Isaacus Casaubonus* ad Spartiani Adrianum, p. m. 137. Tom. I. Histor. August. Edit. Lugdunens. in 8. Anno MDCLXXI. nummum veterem ex ære antiquissimum & elegantissimum, quem è magni Thuani Præsidis Cimeliis deprompsit, profert, in cujus alterâ parte nomen & vultus Catamiti hujus expressa sunt, in alterâ verò hircus, convenientissimum videlicet Symbolum libidinis ἀτόπου. Literæ quæ orbem totum posticæ partis implebant vetustate sunt exesæ, planeque ignorabiles, paucis exceptis: ex quibus tamen liquidò constat legendum CΜΥΡΝΑΙΟΙC ΠΟΛΕΜΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ. Consecrationis Antinoi cum alia extant hodieque monumenta, tum istud Romæ egregium:

ΑΝΤΙΝΟΩ
ϹΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ
ΠΡΟΦΗΤΗϹ.

Qui lapidem hunc honori Antinoi dedicavit, Hadriani Libertus fuit, aut alicujus è Trajani cognatis. Erat autem προφήτης, id est Sacerdos Antinoi. Sed quoniam vulgo creditum est, hoc sacerdotio præditis vim divinandi inesse, ideò non ἱερέα se, aut sacerdotem vel flaminem nominat, verum Prophetam. Ac ferè videas omnes Ægyptiorum Deorum sacerdotes dici à scriptoribus Prophetas, ut observat *Diogenes Laertius*. Quod autem hic nominatur Antinous σύνθρονος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν, Deorum Ægypti consessor & consors, illud significat: urbem de hujus nomine Antinoum sive Antinoopolin in Thebaide, jussu Hadriani appellatam, non à fundamentis fuisse novam factam, sed ejus gratia instauratam, & quasi denuò conditam: cum esset antè is locus alii numini consecratus. BESAM Deum illum, & urbem quoque priores vocabant, quam appellationem diu etiam postea retinuerunt Ægyptii, altera Græcis relicta. Propterea fuêre, qui de duobus unum nomen componerent, & oppidum istud BESSANTINOUM appellarent. Plura Casaubonus l.c. suppeditat. Locus *Chrysostomi* superiori geminus in *homiliâ primâ ad Populum Antiochenum* occurrit: Hoc, *inquit*, maximè est, quod Idololatriæ principium & radicem introduxit. Multi enim qui & bella benè gesserant, erexerant trophæa, & urbes ædificaverant, & aliis hujusmodi promeruerant sui temporis homines, Dii à multis existimati sunt, & templis & aris honorati. Et omnis gentilium Deorum numerus ex his omnibus est conflatus.

Quidquid humus, quidquid Pelagus mirabile gignit,
In luxêre Deos: colles, freta, flumina, flammas,

Verè Aurelius Prudentius contra Symmachum Libro priori cecinit. Et *Boxhornius in Oratione de Theologia Paganorum*, Tot, *inquit*, Dii prodiêre, quibus recensendis non sufficiunt numeri omnes Arithmeticorum. Nec temerè quis posset

Vati-

Vatibus ut mos est centum sibi poscere voces,
Centum ora, & centum linguos optare,

Lapides, & ligna, & truncos, & metalla, & herbas', & bestias, & alios terrigenos Deos, Deasque, quibus tot sacrificârunt gentes, tot populi, tot civitates, tot familiæ, tot homines, recensiturus.

§.IV. Antequam ad alia contendam, non possum mihi temperare quin elegantissimum *Gregorii Nazianzeni* locum ex *Oratione secundâ de Theologia* huc transferam, quandoquidem omne punctum in eruderanda Idololatriæ Origine tulisse videtur; ita verò ille disserit: Etenim Deum quidem, ac primariam illam causam, natura quidem omnis rationis particeps appetit, cæterùm ob eas, quas dixi causas, viribus deficitur. Languens autem desiderio, maleque omninò affecta ægerrimeque hoc damnum ferens, secundam, ut dici solet, navigationem init; ut scilicet, vel ad eas res, quæ sub aspectum cadunt, oculos flectat, ac quampiam earum pro numine colat, pernicioso utique errore labens, (quid enim in omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, excelsius & divinius est eo, à quo cernuntur, ut illud adoretur, hoc adoret?) Vel per spectabilium rerum pulchritudinem, ordinemque Dei cognitionem assequatur, atque ad ea percipienda, quæ oculorum obtutum fugiunt, ducibus oculis utatur; non autem per earum rerum, quæ oculis subjectæ sunt, magnificentiam, Dei jacturam faciat. Hinc alii Solem, alii Lunam, alii siderum magnitudinem, alii cœlum quoque ipsum una cum illis, quibus pro motus qualitate, vel quantitate, mundi gubernationem administrationemque tribuerunt; alii rursus propter necessarium usum, terram, aquam, aërem, ignem, quod his sublatis humanæ vitæ salus incolumitasq; constare non possit; alii deniq; quidquid temerè ex rebus aspectabilibus ipsis occurrit, coluerunt, pulcherrima quæq; eorũ, quæ oculis obversabãtur, Deos sibi proponentes. Nec defuerunt, qui imagines atq; figmẽta divinis honoribus affecerunt, primùm quidem propinquorũ ac necessariorum, ii videlicet qui vehementiori luctu afflicti erant, corporiq;

 addi-

„ addictiores; ac proindè homines vitâ perfunctos monumento-
„ rum honore prosequebantur; postea autem aliènorum quoque,
„ nempe ii, qui multis post eos seculis extiterunt, ignoratione vi-
„ delicet primæ naturæ, ac serie per manus ipsis à majoribus tra-
„ diti honoris, quasi justi & necessarii, consuetudo enim temporis
„ longinquitate confirmata, pro lege habita est. Nonnulli etiam
„ Principatum atque Imperium colentes, & corporis robur lau-
„ dibus efferentes, ac formæ venustatem admirantes, eum qui ab
„ his rebus ornabatur, temporis progressu in Deorum numerum
„ adscripserunt; ad hujusmodi imposturæ subsidium & patroci-
„ nium, fabulas quasdam assumentes. Dein vitiosissimi quique,
„ vitia ipsa fœdosque affectus, Deos esse censuerunt, aut certè sub
„ Deorum nomine coluerunt; iram nimirum, cædem, libidinem,
„ temulentiam, reliquaque ejus generis, non æquam nec hone-
„ stam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atque eos par-
„ tim humi reliquerunt, partim sub terram abdiderunt, (hoc u-
„ num satis consultè) partim in cœlum evexerunt: O ridiculam
„ hereditatis partitionem. Ac deinde figmento cuique nomen a-
„ liquod vel Deorum vel Dæmonum tribuerunt; pro erroris ni-
„ mirum licentiâ, solutaque libertate. Statuasque insuper erexe-
„ runt, easque adeò magnificas, & excellentes, ut pretio ipso vul-
„ gi animos inescarent. At hæc victimarum cruore, ac sacrificio-
„ rum nidoribus: quidam etiam obscœnis flagitiis, hoc est, furore
„ ac cædibus, hujusmodi numina honorari existimârunt. Tales
„ quippe honores Diis talibus haberi conveniebat. Eo tamen a-
„ mentiæ quidam proruperunt, ut bestiis & quadrupedibus, &
„ reptilibus, atque horum turpissimis quibusque, maximeque
„ ridiculis, seipsos dedecorarent, iisque Dei gloriam assignarent.
„ Ut non sit facile constituere, utri magis contemnendi sint, ii-
„ ne qui adorabant, an qui adorabantur. Quamquam fortasse
„ multo majore contemptu atque ignominiâ digni erant, qui res
„ hujusmodi adorabant: quoniam cum ratione præditi essent,
„ Deique gratiam accepissent, deterius meliori prætulerunt. At-
„ que hæc fuit impuri illius hostis impostura, rei honestæ specie

ad

ad malum abutentis, qualia sunt pleraque illius facinora. Nam " cum eorum cupiditatem, ad Dei conquisitionem, oberrantem " accepisset; ut principatum ad se transferret, ac desiderium illo- " rum eluderet, quasi cœcos viæ cujusdam cupiditate flagrantes; " manu ducens, alios aliò præcipites egit, atque in unum quod- " dam mortis exitiique barathrum dispersit.

§.V. Superiùs dissertatione quartâ nobis sermo fuit de OSCULO ADORATIVO VERI DEI, hic autem ADORATIVUM DEORUM fictitiorum maximè inter gentiles exponemus, de illo etiam quantum præsens negotium requirit, in medium allaturi. Præprimis verò notandum est, quod Osculum in cultu Deorum triplici modo fuerit oblatum: Quidam enim os eorum osculabantur, quô de *Ciceronis in Verrem* locus accipiendus venit, *Tomo* II. *Oper. Orat.* IX. §. 94. Herculis templum est apud Agrigentinos non longè à foro, sanè sanctum apud illos & religiosum; ibi ex ære simulachrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim me vidisse pulchrius, usque eò ut rictus ejus ac mentum paullò sit attritus, quod in precibus non solum & gratulationibus, (malim cum *Lipsio* legere gratationibus, voce accommodatiori, quia Diis gratias agebant) id venerari, verum etiam osculari solent, quod tamen rariùs factum ex allato Ciceronis loco cognoscitur. Vide *Andream Wilkium* Ἑορτογραφίας *part. prior. pag. m.* 391. *Edit. Lipsiens. in* 8. Ann. MDCLXXVI. Alii Deorum manus osculis fatigabant, ut *T. Lucretius Carus de Rerum Natura Lib.* I. *versu* 317. seqq. testatur.

—— Tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpè salutantum tactu præterque meantum,
Hæc igitur minui, cum sunt detrita, videmus.

Ad quæ *Obertus Gifanius Buranus* in Indice, puto, *inquit*, signa quædam ænea seu statuas ad urbium portas collocari solitas, quarum dextras osculari amârunt cives exeuntes boni eventus causâ, atque etiam tangere & quasi salutare. Hæc ille. Divonæ Cadurcorum extat monumentum antiquissimum, in quo visitur mulier coram idolo dextram deosculans; hinc rusticanæ muliercula hodie-

quæ cum ſanctiſſima Euchariſtia attollitur, manus obvertuut, & mox ad os referunt, teſte *Iohanne Beſſono Soc.* Jeſu in Lucubration. ad Canticum canticorum pag. 30. Edit. Toloſanæ in fol. Ann. MDCXLVI. Nonnulli verò Simulachrorum pedes oſculis honorabant, auctore *Appulejo Libro* XI. *Metamorphoſ.* poſt medium; cujus verba hæc ſunt: Exoſculatis veſtigiis Deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad ſuos diſcedunt lares. *Prudentius in Apotheoſi* v. 523. ſeqq.

> Auguſtum caput ante pedes curvare Minervæ
> Fictilis, & ſoleas Junonis lambere, plantis
> Herculis advolvi, genua incurvare Dianæ.

Indotum quorundam gentilium, quibus Luſitani dominantur cultus perverſus jure optimo hic locum occupat, qualem quidem *Juſtus Heurnius*, Johannis filius, *in Tractatu de legatione Evangelicâ ad Indos capeſſendâ* cap. VIII. & ultimo exactè recenſet: Si quis, *inquit*, p. 36. Japonicas & Indicas epiſtolas ſcrutari velit, nil præter nudam agreſtemque Idololatriam, ſuperſtitionem & Tyrannidem ab ipſis ſub Chriſti nomine induci comperiet. Sacellum erat, ait Jeſuita *Pimerus in epiſt. ex urbe Cambaja*, multis roſis adoriferis, elegantiſſimiſque floribus ita exornatum, ut cœlum eſſe videretur, omnibus hiſce diebus à Luſitanis tanto ſtudio frequentabatur, ac ſi Jubilæi conſequendi ſpem habuiſſent. Et idem faciebant omnes gentiles & Mauri, intranteſque dicebant, ſe divini quid perſentiſcere, & attoniti addebant: AN DEUS HIC EST? NUM HIC HABITAT? Multi quoque procidebant in genua, ad adorandum puerum Jeſum, & ejus pedes oſculabantur, turbinibus ſuis è capite depoſitis. Idem præſtabant imagini beatæ Virginis, ad quam neſcio cur hæc gens tam ſingularem demonſtret devotionem: Ea enim conſpecta, magnum ei honorem reverentiam & benevolentiam exhibet. O præconium Jeſuita dignum! Eant nunc & negent (Pontificii) à ſe foveri Idololatriam: Hos ſanè Ethnicos, quod imagines illorum adorârint, commendant.

Vene-

Venerationem Tartarici Idoli Erasmus Francisci part. 3. des Ost- und West-Indischen/ wie auch Sinesischen Lust- und Staats-Gartens pag. 1664. his verbis persequitur. Am Ende der Haubtstadt Baranthola hat der grosse LAMA sein Residents-Schloß Bietala genannt/ allda sitzt dieser Oelgötz in dem innersten Stockwerck seines Pallasts/ müssig / in fauler und seitler Ruhe / läst sich wie einen Gott anbeten / nicht allein von den Einwohnern des Reichs LASSA / sondern auch von allen Unterthanen der Tartarischen Könige / gestaltsahm sie freywillige Wallfahrten dahin anstellen / und ihm als einem wahren und lebendigen Gott/ (weßwegen sie ihn auch einen ewigen himmlischen Vatter nennen :) grosse Geschencke nebenst demüthigem Gebeth auffopffern : in dem Er in einem dunckeln Gemach / welches aber mit Gold und Silber geschmückt/ darzu von vielen brennenden Lampen erleuchtet wird / an einer erhobenen Stelle auff einem Küssen sitzet / dem etliche kostbarliche Teppichte untergelegt ; daselbst werffen sich die Frembdlinge vor ihm nieder / und küssen ihm in tieffster Demuth die Füsse / nicht anders als dem allerhöchsten Bischoff. Longè fœdior cultus Idolo Indico NANDI exhibetur teste Itinerario Petri Della Valle , parte 4. Epistolâ 9. pagina mihi 158. Editionis Genevensis in folio, Anno MDCLXXIV. Oberhalb des Fischweihers gegen dem grossen Thor des Tempels (ohnfern von Ciaul) über / stehet unter einem Schopffe das Bildnüß eines Ochsens / welcher auff allen seinen vier Füssen lieget / und eben das jenige ist / welches ich zu Canarà gesehen habe und Basnanà genandt wird / in Ciaul aber NANDI heißt ; dieses Bildnüß wendet das Gesicht und die Brust gegen der Thür des Tempels / den Rücken und Schwantz aber/ gegen dem Fischweiher. Die Heyden welche diesen Tempel besuchen / gehen zu erst zu dem Weiher / in welchem sie ihre Hände und Füsse waschen / hernach ziehen sie ihre Schuhe auß / und küssen auß Ehrerbietung den Schwantz des besagten NANDI, oder neigen sich zum wenigsten tieff vor denselben.

§. VI. At-

§. VI. Atque hæc in divino cultu ſimplex oſculorum ratio exiſtit. Alia majorem ſuperſtitionem cultumque exquiſitiorem ſapit. Verebantur ſcilicet utplurimum Deos profano ore ſuo tangere, ac proinde eminùs ſtantes manum reverenter ori admovebant, conformatis labiis ſvaviabantur, ac manu baſia jactabant, ut *Phædrus fabula* LXXXVIII. *pag.* 108. eloquitur; minimè verò adorantes manum prius porrigere & deinde ad os referre ſolebant, uti *Lipſius* quidem literatiſſimus *Lib.* II. *Elector. cap.* 6. gratis prodidit, quem alii ſecuti eundem errorem erraverunt. Ipſe vir aliàs perſpicaciſſimus, ſecutus videtur *Adrianum Turnebum libro* XIIX. *Adverſarior. cap.* 6. Si *Henrico Salmuth ad Pancirolli res deperditas Tit.* XLVI. fidem tribuimus. Idem tamen *Salmuth* ſine fundamento *Muretum* inſimulat ejuſdem cum Lipſio ſententiæ, cum potiùs contrarium ipſa *Mureti* verba *variar. lection. lib.* X. *cap.* 1. liquidè inſinuent: Rogatus enim aliquandò num illa in ſalutandis potentibus conſuetudo, qua noſtram ipſi manum ori admovere ſolemus, veteribus æque ac recentioribus eſſet uſitata, hunc in modum reſpondit: Solebant & illi, cum aut fanum aliquod præterirent; aut lignum lapidemve aliquem adſpicerent, in quo divinitatis aliquid eſſe opinarentur, (neque enim vilior illis temporibus ullius rei, quàm Deorum annona erat) manum ad os referre, & tenui murmure illos lapideos aut ligneos Deos, ut ſibi faverent, precari. Ubi de protenſione manus, quæ fiebat prius, quam manũ ori admoviſſent, nec vola nec veſtigium apparet. A noſtris partibus ſtat Cl. *Salmaſius*, & ex eo *Ouzelius ad Minutum Felicem*, pag. 6. nec non *Servatius Gallæus ad Lactantium Lib.* II. *cap.* 4. adorationem ipſe Minutius pag. 2. ſic deſcripſit: Cæcilius ſimulachro Serapidis denotato ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, labiis oſculum preſſit. *Appulejus Madaurenſis Philoſophus Platonicus* tempore Imperatoris Antonini Pii, *in Apologia*: Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit, nullum templum frequentavit, ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere. Pauperes quandoque ita Diis litabant, ut dextram tantùm manum oſcularentur præterea nihil offerentes. Fidem hujus ritus facat

Lipſi-

Lucianus Samosatenus Tom. III. *edit. Basiliens. p.* 921. περὶ θυσ. in hæc verba prorumpens: ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν. At si quis pauper est, is ita Deo litat, ut dextram duntaxat suam ipsius osculetur. Et explicatiùs περὶ ὀρχήσεως *Tomo* 4. *p.* 105. Καὶ ἰνδοὶ ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχονται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν. Indi postquam manè surrexerunt Solem precibus venerati sunt, non quidem ut nos, deosculatâ manu perfectam precationem arbitramur. Ubi ultima verba innuunt, osculum orantis signum fuisse. Hinc idem Scriptor in *Encomio Demosthenis ait, Tom.* I. *p.* 904. Cum ille manum ori admovet, neque ego suspicabar eum aliquid facere, quàm orare Deos. Imò quando inter precandum manus osculabantur, preces demùm perfectas esse existimabant: quæ consuetudo ferè apud Græcos obtinuit, uti ex *Cælio Rhodigino lib.* V. *cap.* 3. *Antiquar. Lection. p.* 233. colligitur. Græcis, *inquit*, pluribus preces tùm demum perfectæ videbantur, si inter eas manus exoscularentur.

§. VII. Sed illa manuaria adoratio certo cum gestu conjuncta erat; adorantes etenim totum corpus circumagebant, Romani quidem dextrorsum, unde hæc conversio DEXTRATIO vocatur apud *Salmasium in exercitationibus Plinianis, ad Solinum*, fol. 936. & *Iohannem Rosinum, Antiquit. Rom. Lib.* III. *Paralipom. ad caput* 33. de tali ritu elegantiarum Pater *Plautus* in Curculione act. I. scen. I. quo me vortam nescio, si Deos salutas dextroversum censeo. Galli è contra sinistrorsum se vertebant. Hinc *Plinius Lib.* XXIIX. *cap.* II. hist. nat. scribit in adorando dextram ad osculum referimus, totum corpus circumagimus, quod in Lævam fecisse Galli religiosiùs credunt. Majorem his ut lucem fœnerer, vel adhuc quædam hujus commatis adspergere mihi dividiæ non erit. Solebant (verba sunt *Hieronymi in Apologiâ adversus Ruffinum*) adorantes manum deosculari, & sua capita submittere. Ulteriùs progreditur *Appulejus Lib.* IV. *Metamorph.* inquiens: Multi denique civium & advenæ copiosi, quos eximii spectaculi Rumor studiosa celebritate congregabat, inaccessæ formositatis admiratione stupidi, & admoventes oribus suis dexteram, primore digito in pollicem resi-

 dente,

dente, ut ipsam prorsùs Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur. Ubi nequaquam silentio præterire possum, quod inter eruditos nondum conveniat, de ritus, quo se circumagebant, antiquitate. Verisimilius, cum simplicissimum quodque antiquissimum, humaniorum literarum scientissimo *Vossio* videtur, primitùs fuisse contentos dextram ori admovere sine ista vel corporis conversione, vel sessione primoris digiti in pollice. *Lib.* II. *de Ortu & Progressu Idololatriæ, Cap.* III. *p.m.* 319. Verùm allidit vir Magnus, hanc enim in sacris circumactionem apud Romanos à Numâ inventam perhibet *Guilielmus du Choul, sive Caulius vel Brassicanus*, Regis Christianissimi Consiliarius, in Discursu Gallico *de la Religion des anciens Romains p.* 300. Lugduni Gallorum in 4. Anno MDLXVIII. Talem in adorando versionem Muhamedanis adhuc usitatam, quibus Imperium Byzantinum visum est, constanter adserunt; & testatur *Euthymius Zigabenus in Catechesi Saracenicâ* his verbis è Græco versis: Anathematizo etiam ipsam illam precationis domum in MAKE, in cujus medio jacere ajunt lapidem magnum, Veneris effigiem habentem: Honorari autem istum lapidem, quasi Abraham super eum cum Agare coierit, aut camelum illi alligaverit, cum Isaacum sacrificaturus erat. Eos autem qui precatum illûc eunt, alteram manum ad Lapidem extendere, alterâ verò aurem suam tenere, atque ita in orbem circumagere, donec è vertigine obfusis tenebris concidant. Idem in *Panopliâ*: Supplicant verò ex præcepto Muhamedis ad Austrum conversi. Hoc quoque *Bartholomæus Georgievvitz* de Turcarum fœminis annotat. Vide *Salomonis Schvveigeri Itinerarium*. Ergò perantiquus iste circumactionis mos est, & fortassis à primis Solaris cultûs temporibus profluxit, ut præcipue Solem Orientem colerent, ac quocunque etiam tempore ad Orientem conversi Deum precarentur; Israelitæ contra Occidentem versi ubi sanctuarium erat, preces Deo funderent, atque ita ostenderent precantes, se non adorare Solem Orientem, sed Solis Dominum, ut ait *Anastasius Nicænus*, quæstione XVIII. in Scripturam. Notabilia quoque circa hoc negotium *Hottingerus in Historia Orientali Lib.* I. *cap.* VIII. *p.*302.

*p.*302. *ex Maimonide* allegat. Locus ſic habet: Conſtat, Idololatras deſtinâſſe ædificandis templis ſuis & erectioni imaginum, loca excelſa, quæ ibi reperiebant in montibus altis. Hac de cauſa elegit Abraham, Pater noſter, montem Moriah, propterea quod altiſſimus eſſet mons, in quo publicè profeſſus eſt fidem de unitate. Atque hunc proprium ſibi eſſe voluit, terminumque ſibi conſtituit ad Occidentem, quia Sanctum Sanctorum futurum erat ad Occidentem. Atque hoc eſt, quod dicunt, MAJESTAS DIVINA EST IN OCCIDENTE. Expreſsè etiam docent Magiſtri noſtri p.m. in *Gemara Ioma*, Abrahamum Patrem noſtrum reſpectû hunc Sancto Sanctorum definiiſſe, cujus rei cauſa, meo Judicio, eſt, quod cum recepta tunc fuerit opinio in mundo colere Solem, eumque pro Deo habere, ſine omni dubio omnes homines ſe converterint ad Orientem: Propterea Abraham Pater noſter Occidentem in monte Moriah, id eſt, Sanctuario reſpexit, ut Soli tergum obverteret. H.I. Similiter Ægyptios idola in montibus excelſis ponentes & ad Ortum orantes ex Abenechio Arabe *Athanaſius Kircherus* adducit *Tom.*I. *Oedipi fol.*250. Sic Turcæ in precibus ſuis Meccam verſus ſe ſolent vertere. *Hottinger.l.c.cap.*5.*pag.*215. & *Seldenus Lib.* III.*de Synedriis Ebræorum pag.*425. (quod Cuſpinianus fortè attendens de meridionali plaga abſolutè accepit,) Idem de Judæis obſervat *Schickardus de Iure Reg. Ebr.pag.*419. *edit. noviſſ.* De gentilibus hunc ſitum ſolicitè attendentibus prolixior eſt *Seldenus* loc. dicto *pag.*428. ſeqq. ubi nonnulla de Judæorum ad auſtrum converſione ſecundum quendam Athanaſii locum inſpergit. Confer p.440 441. Plura de adoratione verſus Orientem videnda ſunt apud *Iohannem Dallæum in Pſeudepigraphis Apoſtolicis*, ſive de Octo libris de conſtitut. Apoſtolic. p.154. ſeqq. *Polydor. Virgil. Lib.*V. *de Invent. rer. cap.*IX. *Ioh. Baptiſta Caſal. de Ritib. Chriſtian. f.*24. *ſeqq. Ioh. Stephan. Durantum Lib.*I. *de rit. Eccleſ. c.*3. *Cornel. à Lapide in act.*1. *& in Ezech.c.*8. *Pinedam in Iob.*XXXI. *verſ.*26. *Scaliger. trihæreſii c.*20. *Hildebrand. in ritib. orant. p* 1. *ſeqq. Voetium Tom.* III. *diſp. ſelect. p.*267. *ad* 276. *It. p.*934. *Ioſuam Arnd tract. de Superſtitione c.*3. *p.* 102. 103.

§.VIII. Causam verò hujus motus *Plutarchus in Numâ* sic declarat: adorantium illa vertigo ad mundi circuitus similitudinem fit, aut fortasse is, qui adorat, quoniam templis ad orientem spectantibus adversatur ortui, mutat se ipsum & ad Deum convertit, orbem faciens & absolutam precem utrinque conjungens, nisi medius fidius Ægyptiis Rotis simile quiddam mutatio illa habitus significat, docetque quasi nihil ex humanis rebus stabile & firmum sit, sed utcunque vertat Deus revolvatque vitam nostram id jucundè ac libenter admitti conveniat. Sedere autem cum adoravit, auspicium esse dicunt, quo & ratas preces, & in bono perseverantiam fore significatur. Hæc ibi: At in *Marcello*: Equus ululatu illorum expavefactus retrocedit, viquc Marcellum avertit. Ille veritus me ea res permoveret in omen versa milites, equum properè in sinistram flectit & ad hostes convertit. Solemque ipse adorat, ut si non casu, sed ejus rei causa circumegisset equum; solenne enim est Romanis, cum adorant Deos, & in orbem se convertere. Rursus in *Camillo*: Simul atque ita fatus est, (Camillus) ut in more est Romanis à precibus & veneratione Deorum sese convertere dextrorsum, dum circumagit se, prolabitur. *Tertullianus* quoque testatur *in Apologetico*, adoraturos versus solem orientem labia vibrâsse. Deinde, *inquit*, suspicio solem nos adorare, quod innotuerit ad orientis Regionem precari; sed & plerique vestrum affectatione aliquando & cœlestia adorandi ad solis ortum labia vibratis. Porrò vestigium hujus ritus in Poetarum Latinorum phœnice exstat *Lib.* XII. *Aeneidos*:

Illi ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum paterisque altaria libant.

Alter ritus primorem digitum erigendi parum hodie differt à ritu Hesperiorum, qui ex pollice & indice crucem formare eamque in adoratione & templis osculari consueverunt, excepto, quod isti pollicem indici imponunt, Romani contra. Ad manu-adorationem refertur etiam illud *Iulii Capitolini in Marco Antonino Philosopho*; Cum Lucillam Matrem Marci in Viridario venerantem simula-

mulachrum Apollinis vidisset. Plures quoque, ut unde digressus sum, revertar, olim manus suas versus lunam, solem, stellas, quin & ipsa elementa elevâsse, easdemque retractas osculatas fuisse ex antiquitatum monumentis patet. Hunc cœlestis exercitus cultum, qui Cananitis natales suos debet, Chaldæis, Syris, Sabæis, Ægyptiis, Indis, aliisque quondam observatum, imò hodienum adhuc observari, scriptorum fide dignorum testimonia luculenter declarant. Omnium instar unum sisto *Prodicum Chium in Sexto Empirico, comment. de Diis cap.* 8. Solem, *inquit, Prodicus Chius*, & lunam, fluvios item & fontes, ac universim omnia, quæ vitæ nostræ prosunt, Veteres pro Diis habuere, juxta quod ab iis perceperunt commodum, quomodo Ægyptii Nilum, & hac ratione Panem Cererem vocarunt, vinum Bacchum, aquam Neptunum, atque ignem Vulcanum, & consimiliter benefacientium unumquemque.

§. IX. Antiquitas hujus cultus facile ex divino Mose historicorum omnium primicerio colligitur. Ut alia scripturæ loca hic intacta relinquam, interdictum repetitæ legis *Deuteronom. c.*4. *v.*19. disertè dicit: Ne fortè eleves oculos tuos in cœlos, & videas solem & lunam atque stellas, cum universo exercitu cœlorum, & impulsus adores atque colas ea. Nunc quàm latè patuerit explicandum venit. *Augustinus Lib.* VII. *de Civ. Dei, c.*16. Apollinem ipsum solem esse dixerunt, Dianamque germanam ejus. Similiter Lunam & viis præsidere, undè & virginem volunt, quod via nihil pateat. Et ideò ambos sagittas habere, quod ipsa duo sydera de cœlo radios terras usque pertendant. Vulcanum volunt ignem mundi, ignem & aquam coluerunt Ægyptii, ut testatur *Porphyrius* libro de abstinentia carnium. *Eusebius Lib.* III. *de præparatione Evangelica c.*2. Præcipuè Sol ab Assyriis & Phœnicibus sub nomine Adonidis pro Deo colebatur, quem Venus, id est, terra, absentem & vagantem per sex anni & cœli distantiora signa luget, veluti *Macrobius Lib.* I. *Saturnal. c.*21. scribit, simul innuens solem etiam à Phrygibus esse adoratum sub nomine Attinis cum fistula & virga. Fistula, inquit, ordinem spiritus inæqualem ostendit, quia venti, in quibus nulla æqualitas est, propriam sumunt de cœlo substantiam.

Virga Solis potestatem asserit, qui cuncta moderatur, & hoc signo Osirim monstrant Ægyptii. Insculpunt Sceptrum, in eoque speciem oculi exprimunt, significantes hunc Deum esse, regalique potestate sublimem cuncta adspicere, quia Solem Jovis oculum appellat antiquitas. *Diodorus Siculus*, qui primus intergræcos nugari desiit, juxta *Plinium in præfat. histor. nat. l.* 1. *c.* 2. de eadem re hæc habet: Primi illi homines olim in Ægypto geniti hunc mundi ornatum conspicientes admirantesque in universorum natura duos esse Deos, & eos æternos arbitrati sunt, Solem videlicet & Lunam. Et hunc quidem Osiridem, hanc Isidem certa nominis ratione appellârunt. Huc potissimum spectat *Ausonii* epigramma undetrigesimum, de Græco fonte magna sui parte expressum:

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Ægyptus putat.
Mysi * Phanacen nominant.
Dionyson Indi existimant.
Romana sacra Liberum
Arabica Gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

* Populi Thracibus contermini.

Sententiam hanc putat laudatissimus *Vossius l. c. c.* 4. *p.* 324. Bacchum Thebanum, Ægyptium Osirin, Phanacen, sive, ut apud Macrobium legitur Phanacem Thracum vel Mysorum, Indicum Dionyson, Romanum Liberum, Arabum & Phœnicum Adonea, eundem esse Deum, proptereaque Lucaniaci Dominum, *Ausonium*, (villa enim hæc Ausonii erat, bis mille circiter passibus distans, Burdigalâ) putare omnia in uno numina intelligi; haud secus ac Romæ Pantheon omniū erat Deorum templū: unde videre licet, quam multa Romana vel Græca numina, uno Oriens nomine complecteretur. *Aurelius Macrobius Lib.* I. *Saturnal. à cap.* 17. *ad* 23. omnes Ethnicorum Deos ad Solem referri longo & erudito sermone demonstrat ex Orpheo, Homero, Hesiodo, Platone aliisque doctrina præstantibus viris, qui numerosam illam Deorum conflugem ad unum Solem revocarunt, cujus varios effectus facilis & rudis antiquitas varia esse numina censuit, quæ variis quoque nomini-

minibus diſtinxit. In Arabia quotidiè thus Soli adolebant, ut autor eſt *Strabo Lib.* XVI. *Geographiæ.* Arabes Solem Dominum magnũ אלרב אלעטים & Dominum boni רב אלביד dicunt, juxta *Muhamed Ben Iſaac de ritibus Sabæorum p.*10. in Hiſt. Orient. Hottingeri l.1.c.8.p. 267. citatum: priſci Arabes κατ' ἐξοχὴν Deam vocant juxta Golium in Lexico Arabico p.144. Sabæi planetas ſeptem, Deos maſculos eſſe & fœmellas commemorabant, conjugio ſibi mutuo copulatos, ſed duo luminaria Solem ſcilicet & Lunam maximos Deos eſſe. *Theophraſtus Lib.*IX.*hiſtor.plant. c.*4. de iiſdem populis ita ſcribit: Convehi undique Myrrham ac thus ad delubrum Solis, hoc Sabæorum quidem eſſe, ſanctiſſimum verò locorum omnium circumjacentium, cuſtodeſque habere Arabes armatos. Peculiariter verò Perſæ Solem, Lunam Græci præſidem habebant, quemadmodum ex *Herodoti Lib.*I. *& Ciceronis Lib.*II. *de Natura Deorum* pateſcit. Perſis SOL MITHRAS dicitur. *Heſychius*: Μίθρας, ὁ ἥλιος ἐν Πέρσαις. Hinc in Veteribus Inſcriptionibus paſſim illud reperitur: V.C. inter Fuggerianas à Petro Appiano editas p.123.

OMNIPOTENTI. DEO. MITHRÆ. APPIUS.
CLAUDIUS. TARRONIUS. DEXTER. V.C. DICAT.

& pag. 253. DOMINO. SOLI. V. S. TI. CLAUDIUS.
AMERINUS. LICTOR. CURIATUS.

Romanis ſanctiſſimus dicebatur, juxta ſequentem Inſcriptionem in Fuggerianis p.245.

SOLI. SANCTISSIMO. SACRUM. TI.
CLAUDIUS. FELIX. ET. CLAUDIA.
HELPIS. ET. TI. CLAUDIUS. ALY-
PUS. FIL. EORUM. VOTUM. SOLVE-
RUNT. LIBENS. MERITO. CALBIEN-
SES. COH. III.

Sæpius invictus, pag.299.

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRE. FL.
SEPTIMUS. ZOSIMUS. V. P. SACERDUS.
DEI. BRONTONTIS. AECHATE. HOC.
SPELEUM. CONSTITUIT.

Alia

Alia Inſcriptio exſtat apud *Reineſium* in Epiſtol. p.334. ex *Piccarti* tranſmiſſis ad *Gruterum*, numero LXXX.

C. Julius Cæſar Deo Soli invicto altare, & alia p.644. in Reineſianis Epiſtolis:

SOLI. INVICTO.
MITHRÆ.
VESTALIS.
CÆS. N. SER.
ET. C. VESTIUS.
AUGUSTALIS.
D. D.

Ubi inter alia ſubnectit: Id ſingulare eſt, hominibus Romanis Mithræ tanquam extero à Perſis accepto, Solem veluti proprium & indigenam jungere ſolenne fuiſſe: ſic enim interpretari oportet, XII. p.22. Deo, Invicto, Mithræ, & Socio. SOLI. quaſi dicere vellet, σύνθρονον, σύνναον καὶ σύμβωμον. *Juſtinus Lib.*I. *Hiſtor*. Solem, *inquit*, unum Deum per ſe eſſe credunt, & equos eidem Deo ſacratos ferunt, ſupremum dicunt alii, ut *Heſychius*: Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. Et quidem rectè, quia extra dubium eſt, quod etiam Lunam, Venerem, atque elementa coluerit. Maſſagetas itidem Soli equum mactaſſe tradit *Herodotus Lib.*I. Aræ ſoli conſecrati fuere apud *Corinthios*, & una quidem liberatori ſervatori, apud Arcades ſtatua erecta, teſte *Pauſania lib.*II. *p. m.*112. & 140.174. & *lib.*IIX. *p.* 592. Celebratiſſima ſupra Syenem apud Æthiopes Solis menſa eſt, ibidem *lib.*VI. *p.*426. Conf. *Herodotus in Thalia & Philoſtratus in* VI. *de vitâ Apollonii c.*3. Nummi quoq; procuſi. Notiſſimi ſunt Rhodii, cujus commatis etiam fuiſſe pleriquePontificiorum volunt XXX. argenteos, pro quibus Salvatorem noſtrum Judas prodidit.

§. X. Inſuper & in ſacris paginis invenimus Solem Ægyptiis eſſe adoratum, nam Civitas illa Solis, quæ Eſaiæ c. XIX. v.18. prædicitur cum aliis quatuor præcipuis urbibus in Chriſtum croditura, & Græcis Heliopolis audit, non niſi à cultu ſolis nomen accepit. Illud inſinuat *Strabo lib.*XVII. *Geograph.* Regio Heliopolitana ubi civitas ſolis eſt in aggere ingenti poſita, quæ Solis templum habet.

Macro-

Macrobius Lib. I. *Saturnal. c.* 21. Assyrii Solem sub Jovis nomine, quem Dium Heliopoliten cognominant, maximis ceremoniis celebrant in civitate, quæ Heliopolis nuncupatur, regnante apud Ægyptios, sive Senemure, seu idem Senopos nomen fuit. Perlatumque est primum in eam, per Apiam Legatum, Deleboris Assyriorum Regis, Sacerdotesque Ægyptios, quorum Princeps fuit Parmetis, diuque habitum apud Assyrios, postea Heliopolin migravit. Porrò pergit; hunc eundem Deum solemque esse, cum ex ipso Sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulachrum enim aureum specie imberbi instat, dextra elevata cum flagro, in aurigæ modum: læva tenet fulmen, & spicas, quæ cuncta Jovis, Solisque consociatam potentiam monstrant. Vehitur simulachrum Dei Heliopolitani, uti vehuntur in Pompa ludorum Circensium Deorum simulachra. Memorat quoque *Plinius Lib.* XXXVI. *hist. nat. c.* 8. Reges Ægyptios Obeliscos referentes, figuram radiorum Solis literisque Ægyptiis inscriptos Soli consecrâsse, idque primùm Mithram fecisse, qui in Solis urbe regnavit. Viguit itaque in Regionibus illis Arabiæ conterminis adoratio Solis, quod iterum *Herodotus l.* 1. de Persis agens confirmat his verbis; Morem habent, editissimis quibusque conscensis montibus Jovi hostias immolare, omnem gyrum cœli Jovem appellantes, Soli, Lunæ, sacrificant, & telluri, igni, aquæ, atque ventis, hisque solis sacra faciunt jam inde ab initio. Uraniæ quoque sacrificant, sic nimirum ab Assyriis Arabibusque edocti. Æthiopes sub nomine Assabini Solem colunt, illique Cinnamomum consecrant, quod quo ritu legerint & deportârint, *Theophrastus Lib.* IX. *histor. plantar. c.* 5. edisserit: Toto in ternas partes diviso, ad Solem sortiuntur, quod Soli cesserit, id solum relinquere, atque abeuntes cernere, confestim illud sponte comburi. Sed hæc planè fabula est. Hinc suspicari licet, Sacerdotes dolosè simplicioribus imposuisse. *Solinus histor. c.* XXXI. Æthiopes legunt Cinnamomum, verum legitur per Sacerdotes, hostiis prius cæsis: quæ cum litaverunt, observatur ut messis, nec ortum Solis anticipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principatum tenet, Sacerdotum acervos hastâ dividit, quæ sacrata est in hoc ministerium,

rium, atque ita Portio manipulorum Soli dicatur, quæ si justè divisa est, spontè incenditur. Conf. *Plin. hist. nat. Lib.* XII. *c.* 19. Emeseni populi Phœniciæ Solem Alagabalum appellabant, Templum ipsi in urbe sua exstruxerant tantæ magnificentiæ & amplitudinis, ut fastigia ejus cum Cedris Libani certare scripserit *Ruffus Avienus Periegeseos Dionysiana* interpres, tradente *Thoma Reinesio* in Epilogo *variarum Lectionum p.* 680. In hoc cultu Romani & Græci alias nationes pari passu secuti sunt, quod vel *Macrobius Lib.* I. *Saturnal. c.* 17. indicat, nempe diversas virtutes Solis nomina Diis dedisse, appellationesque Deorum ad Solem certa & arcana ratione referri, quod ibidem prolixè exponit. *Cic. Lib.* III. *de natura Deorum* ait: Solem Deum esse Lunamque; quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant. Julianus hymno in Apollinem: Apollo ipse Sol, quod nomen est apud omnes commune & notum. De Gallis *Cæsar Commentar. de Bello Gallico Lib.* VIII. refert: quod Deum maximè Mercurium colant. Hunc, inquit, omnium inventorem artium ferunt. Hunc viarum & itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, Mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem & Martem & Jovem, & Minervam; De his eandem ferè habent quam reliquæ gentes opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Jovem imperium cœlestium tenere, Martem bella gerere. Idem maximus Imperator de Germanis paulum infra sic dicit: Germani Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, Vulcanum & Lunam, reliquos ne famâ quidem acceperunt. Hic autem paganorum ritus usque ad Priscillianistas, qui fatum Astrologicum statuerunt, juxta *Augustinum Libro de Hæresibus cap.* 8. duravit; ceu Leonis verba *sermone septimo de Nativitate Christi* declarant: De talibus, *inquit*, institutis, illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurna Lucis exsurgens, à quibusdam insipientibus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putant, ut prinsquam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vero & vivo est dedicata, perveniant, superatis

gradi-

gradibus, quibus ad suggestum aræ ascenditur, converso corpore ad nascentem Solem deflectant, & curvatis cervicibus in honorem splendidi orbis se inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multùm tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam Creatorem potiùs pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura venerantur, abstinendum tamen est ab hujusmodi specie officii.

§. XI. Sed recentiora & ætati nostræ propriora contemplemur. De Gronlandorum religione in hunc usque diem nihil quidem certi compertum est. Exploratum nihilominus, fœminas, novissima navigatione Anno MDCLIV. d. 28. Julii, à Danis inde abductas interdum Solem sudo cœlo orientem respexisse, & lacrumas emisisse; *Olear.* itinerarii *Persic. Lib.* II. *c.* 19. *p.* 167. 169. unde non incommodè colligitur, Populares earum Solis venerationi addictos esse: quod de multis etiam ex Septentrionalibus Sueciæ populis creditur. *Lucas de Lindâ in descriptione orbis p.* 976. De Lapponibus *Iohannes Schefferus* in Lapponiâ *suâ cap.* 10. *p.* 98. tradit, ipsos Solem quem Baive vocant honorare, quia lucem eis affert ac calorem. *Olaus Magnus Lib.* III. *c.* 2. Solem toto æstatis cursu eis lucentem adorant, gratias ei offerentes, quod lumen contra tenebras perpessas, & calorem contra immensa frigora adducit. Deinde quia generationis omnis credunt autorem, ipsiusque beneficio nasci omnia existimant. Ante alia verò curare putant Rangiferos, fovere eos calore, prolemque ipsorum, ut citò succrescat pulchris incrementis, viresque ac robur accipiat. Quia ergò tanta Solem credunt præstare beneficia, viventibus præsertim sibi in terris frigidioribus, ubi calor nativus facilè minuitur, & sæpè penitus exstinguitur, alimenta quoque sua præcipuè habentibus ex pecore Rangiferorum: idcirco putant æquum, ut & ipsum honore maximo prosequantur. Quo accedit, quod ipsius reditu recipiant diem, quem amiserant recessu, non per diem unum, alterumve, sed & hebdomadibus haud paucis, quibus elapsis, novo eos, ipsoque tanti temporis defectu gratiore quotannis afficere beneficio videtur. De *Scythis* Mosco subjectis consulatur *Matthias*

*de Michovv. Lib.*II. *tr.*2.*c.*2. Tartariæ desertæ pars sunt *Samojedi*, quibus Sol per novem septimanas nunquam occidit. Hunc illi cum aliis eodem tractu *Molgomsaus Badaisque* adorarunt. *Olear. itin. Pers. lib.*III.*c.*3.*p.*163. *Cluver. introduct. Geograph. lib.*V.*c.*4. *p.*284. Quod Cathaïni divinum cultum Soli exhibuerint, *Haithoni Armeni historia Orientalis c.*1. *& Linda lib. d. p.*1020. confirmat. Chinenses vel Sinenses credunt quod cœlum omnes res visibiles & invisibiles creavit. Hoc secundum Solem maximum adorant. Idem *Auctor p.*1091. *F. Alvares Semedo histor. Chin. part.* 1.*c.*19. narrat, Chinenses solennia in quatuor anni tempestatibus habere sacrificia, offerre autem cœlo, Soli, Lunæ, & planetarum stellarumque quamplurimis, terræ etiam montibus, & quatuor mundi partibus, Oceano, fluviis, in cujusmodi sacrificiis non ad brutos montes, sed ad spiritum aliquem eorum incolam, oblatio instituebatur. Confer *Francisci Caron descriptionem Iaponiæ p.m.* 522. Japonenses in Religione eandem cum Chinensibus fovent opinionem, nam præter alios Deos adorant Solem & stellas, adeò quidem, ut Faciandonus quidam Bonzius gloriatus fuerit, se cum collegis suis familiares esse Solis, Astrorum Deorumque cœlestium, quibus cum nocturnos sæpe sermones, sæpe etiam complexus jucundissimè misceant. *Varenius de Relig. Iappon. c.*1.*p* 15. *ex Xaverio p.*191. *& Almeida in Epist. Ind. p.*168. *Lind. p.*1103. *Kircher. Oedip. Aegyptii sect.* 5. *c.*3.*p.*407. *Varenius c.*1.*p.* 15. *& c.*2.*p.*52. *ex Tursellino in vita Xaverii p.*343. Nec Insularum æquior mens. Memorantur præ cæteris inter Indos, Java major, Moluccæ, Philippinæ, Zeilonenses Heliolatræ. Vid. *Ludovicus Vartomannus, Patricius Romanus*, in Itinerario Orientali, ab *Archangelo Madrignano* Latinitate donato, *lib.* VI. *cap.*28. *Mandelslo Itinerar. lib.* III. *p.*223. *Alexander Rossæus in Pansebiâ totius mundi, Sectione* II. *p.m.*154. De Ceilonensibus Judæus *Benjamin Tudelensis, Itinerarii p.*107. ex Interpretatione *Ariæ Montani*, scribit: in Haaulam (ita Zeilam Insulam vocat) colitur ab Incolis Sol, aris extra urbem frequentibus, in quibus simulachra sunt sacrata, ad similitudinem orbis Solaris magicis artibus constructa; exoriente autem Sole, orbes illi incendi videntur,

magno-

magnoque ſtrepitu ſonant. Summô itaque manè communiter excurritur, aditurque Sol à viris pariter & mulieribus, habentque ſuas ſinguli acervas in manibus, & pariter Soli thura adolent. Apud Perſas, quorum Rex Sapor in Epiſtolâ ad Conſtantium Imperatorem, olim Solis fratrem ſe appellabat, hodieque Solis cultores reperiri meminit *Voſſius de Idololatriâ Lib.*II.*Append.p.*9. In Africa multi Solem pro ſupremo Deo colunt, veluti Africæ torridæ habitatores, Conganorũ & Angolanorum aliqui. *Kircher. Oedip. Aegypt. S.Fc.*IV.*p.*416. *Lindap.*1151. Nigritæ maritimi idem cum aliis ad confinia Nubiæ ſedentibus facere perhibentur; ut proinde Æthiopum Imperator David, cognomento Athani Tingil, ad Emanuelem Portugalliæ Regem Anno MDXXI. Interprete *Paulo Iovio* apud *Damianum à Goes, de Moribus & Religione Aethiopum*, veriſſimè ſcripſerit: Hactenus circum me Mauri erant, filii Mahometis & gentiles, & reliqui ſunt ſervi, qui Deum non agnoſcunt, & alii, qui Solem adorant. Conf. *Roſſ. Sect.*III,*p.*167.

§.XII. Nunc ex novo quem vocant, Orbe, quædam producenda ſunt. De Americanis in genere aſſeritur, quod maximum Deum Solem agnoverint. Vicini Occidentales Virginienſium & Floridanorum eum adorant propter hanc cauſam, quod calore ſuo omnia producit, unde cibum aut potum ſumpturi & ſacra facturi, partem de eſca Solem verſus projiciunt. *Alex. Roſſ. in Panſebia totius mundi Sect.*III.*p.*181. *Iohan. de Laet. Indiæ Occidentalis Lib.* IV.*c.*16.*p.*218. Utinæ Reguli cujuſdam Floridani ſubditi ſingulis annis ſub finem Februarii, paulò ante, quam ver ipſorum occiperet, tergus cervinum cornibus inſtructum, optimis herbis indigenis confertum conſuebant, cornibus, collo, & vetri fructus ſelectiſſimos annulo aut tæniâ ſuſpendebant. Ornatam pellem cum tibiis & canticis in planitie amœniſſimâ proceræ arbori imponebant, capite & pectore Orienti obverſis. Preces ſuas battologiâ plurimâ erga Solem effutiebant, rogantes, ut talismodi, quos jam obtulerant, fructus iterum producere dignetur. Proximè arbori Rex cum incantatore conſiſtens, verba populo præibat, qui ipſi reſpondebat. Sacris peractis, ſuam ſinguli caſam repetentes,

tergus ad annum usque insequentem ibi relinquebant. Vid. America à *Meriani icone* XXXV. Alius Floridæ Regulus Saturiova nomine contra Holatam Utinam moturus, victoriam à Sole precabatur. *Gottfried. in Hist. Antipod. part.* II. *p.* 329. ex Navigatione *Renati de Laudonniere Galli.* MDLXIV. Freti Californiani accolæ Solem unicè venerantur. *Laet, p.* 305. Solenne id quoque erat Provinciæ Petatlan in nova Galitia Incolis anthropophagis, sacrificiis autem in ejus honorē abstinebant. *idem ib. c.* LXI. *p.* 285. Majori religione astrum isthoc novæ Mexicanæ incolæ prosequebantur. *id. c.* XXVI. *p.* 316. *Ioh. Gottfr. Hist. Antip. P.* 1. *p.* 31. Peruani secundum à Creatore Soli locum tribuebant, cum nullius syderis virtus se magis exerat. Imò ejus progenie gloriabantur; non tamen illum summum Deum, quem sua lingua VIRACOCHAM nuncupant, censuêre, sed PACHATAMAC, (hoc sonat animam mundi) hunc credebant universi factorem, majori religione prosequebantur, sed corde & opinione tenus. Nullum templum illi, dicebant invisibilem & ignotum sibi, nomen non ausi pronunciare. Si quando ad id compulsi, summâ reverentiâ OSCULATO sæpius aëre, & ferè tremuli id faciebant. Visibili ritu Sol ab iis adorabatur, cui victima agnus, cujus cor holocaustum. *Iohan. Eusebius Nierembergius historiæ naturæ lib.* VIII. *c.* 13. *p.* 138. *Hist. Antip. p.* 1. *p.* 34. *Archontologia Cosmica lib.* 1. *p.* 267. *Varen. de divers. relig. p.* 224. In Cuscano templo præter cæteras imagines PUNCHAO visebatur. Statua Solis erat ex auro solido, tanto artificio in Orientem conversa, ut quoties Sol oriens eam suis percuteret radiis, tantus inde ex reverberatione radiorum solarium exoriretur splendor, ut ipsius meridiei claritatem duplicaret. Eo ipso Ægyptiorum conferenda artificio, qui Heliopoli speculum in Solis templo posuerunt, quod Solis radiantem faciem integro die referret, totamque ædem lumine suo illustraret. Tertium apud Peruanos templum universale erat in Insula Lacus Ticicaquensis, quæ tota fuit dedicata Soli. Causa sequens fertur. Terræ illæ (si vera fides) aliquando multis diebus solari lumine ac diei beneficio caruerant, postremò Sol repentè in ea comparuit insulâ, unde lux & claritas provinciæ rediit:

hac

hac re motus Inga magnificum illud Syderi splendidissimo templum exstruxit. Isti etiam puellas, sub Mamacunis suis degentes consecrabant; quotidiè vervecem tonsum panno rubro involuto cremabant, detonsa supercilia sua offerebant. Isti dies festos instituebant, & solennitatem, inter quatuor annuas maximam, Yntip Raymi, id est Solis festum solenne, aut simpliciter Raymi dictam celebrabant. Isti in Metropoli Cusco, quod quidam referunt, liberos suos immolârunt, *Hist. Antip. P.* I. *p.* 30. Antequam sub unius imperium cogerentur, pro libitu quisque huic consecrabat plantas, animalia, flumina, montes, inprimis autem ferocia animalia, & omnia denique quæ aut impensè diligebant, aut horrebant. Quibusdam nihil erat præcipuâ aliqua veneratione. Incæ vagam superstitionem ad certam revocarunt, Solemq; adorare jusserunt, persuasi, Creatorem huic syderi inter cætera principem locũ assignasse, idque optimè de rebus humanis mereri. Autor præ reliquis laudatur Inga Capac Ypangui, qui incolas vallis Chincæ pro numine sibi peculiari, quod vocabant CHINCA CAMAC, Solem adorare docuit, condito ibi sumptuosissimo Solis templo, & Vestalibus illi adjunctis. *Hieronymus Benzo novæ novi orbis historiæ lib.* III. *c.* 20. ex Italico ab *Urbano Calvetone* latinè redditæ p. m. 395. Hæ gentes etsi cum Dæmonibus colloquia misceant, Solem tamen pro numine præcipuo habent. Ab eo beneficium aliquod petituri tum principes, tum sacerdotes, manè oriente eo suggestum quoddam editum lapideum conscendunt, ibique demisso capite stantes, complosis ac confricatis invicem manibus, mox in cœlum sublatis passisque, ut si Solem ipsum amplecti vellent, certas quasdam preces concipiunt, petentes ab eo quibus indigent. Ingentia ibi delubra Numinum, præsertim Solis, & immensæ opulentiæ erant, incrustati intus auro & argento parietes. Similiter incolæ Regni Congo Solem post alia idola adorant. *Linda lib. cit. p.* 1151.

§. XIII. Ita quidem diei Præsidem stulta mortalitas coluit, ut noctis tamen oculum, Lunam, in omnibus penè mundi plagis veneraretur: tales Selenolatræ in Sueciæ populis subpolaribus inveniri tradun-

traduntur. *Olaus Magnus lib.*III.*hist.Septentrional.c.*2. Irrlandi seu incolæ Hiberniæ novilunium conceptis verbis adorant dicentes: Ita nos salvos degere sinas sicuti nos invenisti. *Author Gallicus de statibus imperiorum,* in Hibernia *p.*44. *Cataini Tatari* ei sacra facere dicuntur. *Iohan.Boëmus de ritibus gentium lib.*II.*c.*10.*p.*105. *Linda p.*1020. Chinensium superstitionem arguit templum in Metropolitana Nenchiensi, Reginæ cœli, quæ ipsa Luna est, dicatum. *Kircher.Tom.*I. *Oedipi Aegypt. Sect.*5.*c.*2 *p.*401. Idem malum propter vicinos malos Japonios exagitat, idem *Kircher.l.c.p.*407. *Varen.c.*1. *de Religion.Iapon.p.*15. Accedunt in India Goënsium quidam, *Archont Cosmic.lib.*1.*p.*249. Et citra Indum Guzaratenses, *Michael Herz nov.orb.c.*140.*ex Petro Aliare Lusitano. M.P. Venet. l.*III.*hist. or.c.*35.36. Ex Insulis, Java major, *Vartoman.itin. l.*VI.*c.*28. Moluccæ, *Mandelslo itin.lib.*III.*p.*223. Philippinæ, *Ross.lib.cit.p.*154. Africa parum nobis nota, non ignota tamen torrida quæ vocatur, selenolatria, *Kirch.Tom.*I.*Oed.Aegypt.Sect.*5.*c.*4.*p.*416. Nigritæ quoque Maritimi Lunam alicubi adorant, *Caspar Barlæus de rebus gestis sub Mauritio p.*62. In pari veneratione quibusdam Conganis est, *Linda p.*1151. Et vicinis eorum Septentrionalibus Anzichis, *Ross. p.*176. De Americanis vulgò narratur quod unà cum Sole summum Deum Lunam censuerint, *Ross.p.*195. *Kirch.T.*I. *Oed. Aegypt. sect.*5.*c.*5.*p.*422. *Gottfr.hist.antip.P.*1.*p.*30. Floridani equidem nonnullum ei impenderunt cultum, *Laet.lib.*IV.*c.*16.*p.*218. *Ross.p.*181. Mexicanorum plerique cum pro Numine venerati sunt, *Laet.l.*V. *c.*26.*p.*316. Vitzliputzli Collega quidam colebatur Mexici; à latere ejus columnæ sequioris operis & decoris affixus erat: Nomen Idoli TIALOC sive TLALOC *hist.antip.P.*I.*p.*32. Mosemanno TLALOS *Lib.*I. *Amer.p.*31. æqualis cum Vitzliputzli potestatis. Dianæ veterum dignitate apud cultores suos fuisse tradit *Ross.p.* 184. Peruani etsi Lunare sydus, tanquam Solis conjugem venerati fuerint, ei tamen nullum, cultum divinum teste Inca Garzilasso impenderunt, *Laet.Lib.*X.*c.*1. Varæi verò in Brasilia Lunam novam quando adepta aliquid Luminis in cornu ibat, adorabant, horrendis cum ululatibus, & absurdo corporis motu, ut ab ipsa certam

tam

tam mittendi ad arcu Sagittas adipiscerentur scientiam quod unum eorum potissimum est exercitium. *Archont. Cosm. p. 275.* Contra ea Guianæ circa flumen Cajanæ incolæ Lunam quidem animatam arbitrantur, eamque venerantur, non tamen aut adorant eam, aut quicquam ei immolant. *Laet.* XVII, 11. *p.* 641. Hispaniolæ rursus incolæ & Canibales cœlũ & ejus lumina adorarunt. *Petrus Martyr Mediolanensis Lib.* I. *Oceanica decad.* 1. *p.* 7. Eo quoque Philtro Magellanica cum nova Zembla, (rectius Zemia, hoc enim vocabulo viam, illo panem Moscoviæ subditi populari lingua vocant, *Alsted. lib.* XII. *Encyclop. p.* 1429.) *Moseman. lib.* III. *Amer. p.* 86. *M. Gothard. Arthusius P.* XI. *navigat. p.* 22. *Ross. p.* 126. Peruani stellas quoque tam fixas quam erraticas venerantur, iis alii hujus, alii alius cujusdam animalis nomen & figuram affingentes, imò munus cuilibet singulare attribuẽtes, singuli singulas adorant: Nullum enim uspiam animal, seu quadrupes, seu volatile in terra esse credunt, cujus simulachrum in cœlo non splendeat, unde simile in terris procreetur, suumque accipiat incrementum; ita ut cum Platone, quoad doctrinam de Ideis apprime consentire videantur. Opiliones inprimis adorant stellam VIRCUCHILLAY, quem arietem fingunt diversicolorem, cujus unica sit cura, ut custodiret pecora. Id autem Sydus idem putatur esse ac Lyra. Alii invocant CHUQUICHINCHAI, hoc est Tigrem appellatam, quam Tigribus, ursis ac leonibus præfectam tradunt: Item stellam aliam MACHUACUAI dictam, Serpentibus ac colubris imperantem, à quibus hoc pacto se tutos fore persuasum habent. Præter has quoque venerantur CHACANA, CATUCHILLAY, URCUCHILLAY, MEQUIRAY, MIRCO, TOPATATCA, MAMMANA, COLCA quæ nobis est capella, & alias aliter dictas. *Vossius de Idol. lib.* II. *c.* 36. *ex Iosepho Acosta lib.* V. *rerum Occidentalis Indiæ, c.* 2. *hist. antip. P.* I. *p.* 31. Ideò verò eas divinis honoribus prosequebantur, ut, si animal mansuetum esset & utile, astrum virtute sua id conservaret, si venenatum noxiumque, ab ejus vi nocendi homines præservaret. *Arch. Cosm. p.* 274. Chiani populi sunt vicini oppido S. Crucis in monte; hi dividunt

ut nos Annum in XII. menses, dicentes, unicuique certam præsidere stellam, quam adorabant, certisque colebant sacrificiis, præsertim iis mensibus quibus fruges colligebant. Tapuyæ, Brasiliæ natio, Plejades (Job. 38. c. 38. v. 31.) numinis loco honorant, canendo Choreasque ducendo, inprimis in loco ad id destinato, illac tendunt postquam fructus ferè ad maturitatem pervenerunt. *Linda p.* 1130. Polaris stella non magnetem saltem, sed hominum etiam mentes ad se convertit. A polari puncto hodie ad tres gradus remota nondum cultores suos à se removit. Samojedæ Scythæ sunt Septentrionales Europæi & Asiatici, olim (hodie enim Samojedi Christiani sunt à Sacerdotibus Græcis, quos Populus iste ultrò à Czare petierat, ante aliquot supra viginti annos conversi. *Olear. itin. Pers. lib.* III. *c.* 3. *p.* 163.) stellam modo dictam sive astrum mavis, Cynosuram illam parvulam, aut ipsam helicen & clarissimos Septemtriones, astrũ, inquam, istud Deastrum fecisse memorantur. *M. Gotthard. Arthus. P.* XI. *navig. Aquilon. p.* 22. *Ross. p.* 267. Tapujæ sanè Brasiliani Numinis loco ursam majorem venerantur, sive Septemtriones, quos à figura plaustrum cum vulgo vocamus. Hoc Sydus cum manè adspectant gestiunt læti, illi cantus suos & saltus aliaque nuncupant. *Caspar Barlæus de rebus gest. sub Maurit. p.* 255. Saturnum Philippinorum Secta adorat, sed MAGLENTE vocat, id est, fulmina vibrantem, à LENTE fulmen & MAG, vibrare. *Kircher. Tom.* I. *Oed. Aegypt. S. V. c.* 4. *p.* 413. Luciferum Americanos in deliciis, imò Deorum censu habuisse tradit *Historia antipodum P.* I. *p.* 30.

§. XIV. Hodierni Judæi novilunium singulari precatione salutant, quam illorum dementiam *Buxtorfius Synagoga Iudaica c.* 22. *p. m.* 475. his verbis manifestat: ubi Luna dies aliquot est orta noctu, cum Lunæ videndæ facultas datur, sub aperto cœlo conveniunt, & eam singulari benedictione consecrant, quæ à doctissimo & præstantissimo quodam Rabbino recitatur, cæteris verba ejus in hunc modum subsequentibus: Precatio autem illa ita habet: Be-„ nedictus esto tu Domine Deus noster, Domine mundi, qui ver-„ bo tuo & spiritu oris tui cœlum, & omnem exercitum ejus cre-

asti; statuta etiam tempora illis præscripsisti, ut, quod sibi injun- "
ctum est, exsequantur, nec immutent, sed hilariter & lætè ad Dei "
creatoris sui, qui verus est opifex, & cujus opera omnia vera sunt, "
voluntatem se conforment. Lunam renovari jussit, quæ renova- "
tio pulcherrima est corona & ornamentum omnibus iis qui u- "
tero materno gestantur, (hoc est, Israelitis qui ita à Propheta Je- "
saia c. 46. v. 3. appellantur) qui eodem quoq; modo innovabun- "
tur ac Luna, ut creatorem suum laudent, & magnificent, propter "
præpotentis & gloriosissimi Regni ejus nomē: Benedictus crea- "
tor tuus: Benedictus qui te fecit, Benedictus Dominus tuus, Be- "
nedictus Plastes tuus. (Hic ad lætitiam suam testandam ter cœ- "
lum versus exsiliunt, quo altiùs eò melius & ita Lunam compel- "
lant: Quemadmodum ad te exsilio, nec te tamen apprehende- "
re possum, ita quoque nullus inimicorum meorum possit me in "
malum tangere, mihiq; nocere; hic iterum subsistunt & ter hæc "
repetunt: irruat super eos formido & pavor, (hæc Christianis o- "
ptant) in magnitudine Brachii tui fiant immobiles quasi lapis, cō- "
ticescant sicut lapis in magnitudine Brachii tui, irruat super eos "
formido & pavor.) Post hoc addunt. Faustum sit omē nobis & to- "
to Israeli: alter deinde ad alterum se convertit & ait, PAX VO- "
BIS, alii respondent, PAX quoq; VOBIS & Toti Israeli, Amen. "
Consecratio hæc Lunæ præ reliquis stellis est peculiaris, qua "
eam etiam præ Sole prosequuntur: Quia in Lunæ motu opera "
Dei ejusque potentia luculentiùs conspiciuntur, quam in reli "
quis planetis & stellis, quorū motus non ita ad oculum est con "
spicuus ut motus Lunæ, quam omnes vident moveri & singulis "
mensibus totum cœli expansum circumire. Itaque esse ipsis ex- "
cipiendam ceu visibile signum præsentiæ divinæ, singulis men- "
sibus de novo apparens, in quo magnitudinem operum Dei in- "
tueantur. Hac de causa debet fieri, stando, oculis in eam defixis "
& intentis, quia perindè est, ac si ipsi Majestati divinæ in occur- "
sum irent. Et quia hæc consecratio fit propter splendorem ejus,
non est facienda, nisi donec illustris, cōspicua & grata sit ejus lux; id
definiunt post exactū septiduū: undè & nō nisi noctu est faciēda, dū
splēdore suo terrā illuminat, Indè & ulteriùs fieri potest usq; ad diē

decimumquartum, cum octodecim horis à Nativitate ejus. Die decimoquinto non amplius nova censetur, & cum incipit jam lux illius decrescere. Quidam tamen etiam ante septimum diem eam consecrant: neque enim semper vesperâ Sabbathi consecrant, quia incidere possent dies nubilosi, quibus ea videri non posset. Hactenus Synagoga.

§. XV. Ad hanc familiam referendum est Jobi dictum c. XXXI. v. 26. *si adspexi* (אור) *lucem* (id est, ut septuaginta reddiderunt, ἥλιον) *Solem*, qui κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, *cum splendesceret, aut Lunam nobiliter incedentem, & seductum est in abscondito cor meum*, *& applicata est manus mea ori meo*: vel per Hypallagen, apud *Glassium Grammat. S. p. 742. h. e. si osculatum est manum meam os meum*, ut sit sensus; si Lunam & Solem adoravi pro more illius temporis, manu videlicet ori admota, & ad osculum relata, juxta interpretationem LXX. virorum εἰ δὲ καὶ χεῖρά μου ἐπιθεὶς ἐπὶ στόματί μου ἐφίλησα. Si manum meam ori admotam exosculatus sum. *Symmachus* vertit: Καὶ προσεκύνησεν ἡ χείρ μου περὶ τὸ στόμα μου. Et adoravit manus mea circa os meum. Hanc explicationem roborat *Hieronymus in caput* VIII. *Ezechielis*, ad illa verba, Ecce applicant ramos ad nares suas, sic scribens: Denique & Job inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit, quod nunquam adspiciens cœlum, Solem & Lunam & astra fulgentia, osculatus sit manum suam, id est, adoraverit creaturas. Potest interim non incommodè ad inanem felicitatis lætitiam, operumque propriorum jactationem versiculus Jobi referri. Eò tendit *Olympiodorus in cap.* XX. *catena Græcorum Patrum*, *super Iob p. m.* 475. *edition.* Patricii Junii; Sæpenumero nonnulli cum sua facta efferunt, manus osculantur suas. *Bernhardus Sermon. 3. in Cantic.* Sanè accipiendo donum, oscul are manum, hoc est non tibi, sed nomini ejus da gloriam: & *Sermone* IV. Largitoris, ut assolet manum osculaturi, si tamen de accepto munere, non nostram sed authoris gloriam quærimus, eique sua dona non nobis adscribimus. Alioquin si in te, & non magis in Domino gloriaris, propriam profectò & non Domini manum osculari convinceris, quod juxta B. Jobi sententiam est iniquitas maxima, & negatio in Deum. Si

ergò

ergò ad Scripturæ testimonium propriam gloriam quærere, propriam est osculari manum, profectò qui dat gloriam Deo, Deo dicitur non incongruè manum osculari. Idem *Sermone* XXIIX. illud signatè explicat, cum quis in Sapientiâ gloriam sibi tribuit, non autem Deo, Sapientiæ omnis fonti & origini: Non, *inquit*, in tactu manus invenitur Sapientia, cum Sanctus dicat; Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima & negatio in Deum, quod tunc fieri arbitror, cum donum Dei, quod est Sapientia, non Deo, sed meritis adscribitur actionum. Concordant cum his elegantissima *Gregorii* verba ad *Iobi* XXXI. *Tomo* II. *Operum Libro* XXII. *Moral. c.* 5. *p. m.* 805. Habent proprium Sancti viri, ut bona quidem quæ agunt, videant, ea tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos avertant. Unde rectè per B. Job dicitur, *Si vidi Solem cum fulgeret.* Ac si apertè diceret: opus meum, etiam cum aliis exemplorum Lucem tribueret, ad præsumtionis gratiam non attendi, quia cum de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti. Sequitur, *& Lunam incedentem clarè:* post præmissum Solem, aptè quoque incedentem clarè Lunam subdidit, quia videlicet post opus bonum fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vitæ nocte possidetur. Si enim verum est, quod quidam putant, illustrationem Lunam per occultum Circulum à radio Solis accipere, ut possit Lucem nocturnis cursibus exhibere, ab hujus significationis ordine hæc quoque suspicio non abhorret. Fama quippe à bono opere vires accipit, & favoris gratiam quasi claritatem Luminis adspergit. Est & aliud in Luna, quod per similitudinem bonam spargenti famæ conveniat. Lux namque ejus etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus ostendit, quia & dum de alienâ vitâ lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illustrat. Cumque illius opinio clara cognoscitur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. Et lætatum est in abscondito cor meum. Qua videlicet attestatione quid nobis innuitur, nisi quod nobis magno metu & circumspectione opus est, ne mens nostra unquam de suis laudibus vel tacita lætetur. Quisquis enim claritatem Lunæ, famæ

ſuæ magnitudinem conſpicit, ſibi in occulto mentis gaudium facit. Cui iſte niſi autori ſe prætulit, cujus dono, ut bene operaretur, percepit; & tamen in ejus munere de gratiâ ſuæ laudis hilareſcit. Deſpecto enim honore conditoris, ſemetipſum plus amare convincitur, cujus præconiis lætatur. Quamvis nonnunquam etiam ſancti viri de bonâ ſua opinione gaudeant, ſed cum per hanc ad meliora proficere audientes penſant, nec jam de opinione ſua, ſed de proximorum gaudent utilitate: quia aliud eſt favores quærere, & aliud de profectibus exultare. Quâ in re neceſſe eſt, ut cum audientium utilitati proficit, mentem noſtram fama laudabilis non elevet ſed fatiget. Electorum animus magno laudum ſuarum igne cruciatur, atque ab omni corporis ſui rubigine mœrore cogitationis excoquitur. *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Per manum operatio, per os autem locutio deſignatur. Manum ſuam oſculatur ore ſuo, qui laudat, quod facit, & teſtimonio proprio locutionis ſibi virtutem tribuit operationis.

§.XVI. Alter locus ex Ezechiele c.VIII.v.17. ſupra citatus: *Replentes terram iniquitate, converſi ſunt ad irritandum me, & ecce applicant ramum ad nares ſuas*, ſubobſcurus eſt, multiſque magnis ingeniis crucem fixit. Megalander noſter Lutherus reddidit: Sie halten die Weinreben an die Naſen/ nempe in honorem Idoli, ceu gloſſa marginalis inſinuat. *Iohan. Baptiſta Villapandus Tom.*I. *Operis in Ezechiel, Romæ in fol. Anno* MDXCVI. *p.*121. exiſtimat his verbis ſignificari actum eorum, qui ſubſannant & irrident numen. Septuaginta vertunt: καὶ ἰδοὺ αὐτοὶ ἐκτείνουσι τὸ κλῆμα ὡς μυκτηρίζοντες. Et ecce mittunt fœtorem ad nares ſuas velut irridentes; *Vatablus* cui plane contrariatur *Villalpandus*, ait, docti inter Hebræos dicunt, ad nares ſuas ſive ad naſum ſuum poſitum eſſe, pro, ad naſum meum, & ita ſcriptum fuiſſe, ſed immutatum pronomen ob Dei reverentiam, quaſi dicatur, videntur mihi oppedere in faciem. *Symmachus* apud *Villalpandum* interpretatur, quaſi emittentes ſonitum in ſimilitudinem Cantici per nares ſuas, rauco fœdoque ſonitu de naribus procedente, in contemptum Dei. Origo diſ-

sensus hujus provenit à voce זמורה Zemorah, de verbo זמר varia significata obtinente. Aliquando enim significat palmitem ab arbore amputatum. Sed qualem? palmæ ramum intellexit *Hieronymus*. *Cornelius à Lapide* in h. l. mavult Lauri. Lutheri & Saxonicorum Bibliorum glossæ innuunt, Ceremoniam fuisse, qua palmites primò Idolis attactis consecrarentur, & deinde referrentur ad nares in honorem Deorum. Radix Zamar propriè de vitibus usurpatur, & putare notat. *Tremellius* & *Iunius* initiò de Idolis ex Vite factis accipiebant, deinde mutata sententia, ecce, præmittunt plantarum surculos, hoc est, ramos omni fructu ὀπώρας onustos ante faciem suam, eosque quasi primitias Soli offerunt. Inde tamen nihil certi adhuc eruitur. Porrò Zemorah significat nomen animalis Camelopardum, sive Alcein, aut cervum ramiferum, vulgò rangiferum, de quo videnda Apollinis Menebeni Medici Insubris historia ad Rudolphum II. Imperatorem; & Arnoldus Bootius Miscellan. lib. III. c. 1. Item falcem qua vites inciduntur, juxta *Esaiæ caput* II. v. 4. Conflabunt lanceas in falces. Zemorah vocatur quoque instrumentum Musicum, rei extremitatem nec non fœtorem cum sonitu è postica parte emissum, forte quia Zimra & Zemira ac Mizmor, cantilenam denotant, certis numeris & cæsuris quasi incisam. Vid. *Forsterus, Buxtorfius & Marinus in Lexicis*. Quonam modo ultimum significatum huc quadret, *Munsterus* edisserit, qui vexatum locum sic transtulit: Ecce ipsi adhibent nari suæ odorem malum: *Kimchi* post *Ionathan* putat suffitum hunc fuisse crepitum inferiorem, quasi diceret Propheta: *Nudatis naribus pepederunt in honorem Deorum suorum*, aut certè per hunc pedorem intelligit detestabilem odorem sacrificiorum &c. Crepitus enim Ventris non modò Mercurio sacer, & bonæ fortunæ nuncius, ut est apud Homerum in Hymnô Mercurii; verum etiam inter Ægyptiorum numina fuit, teste Clemente Romano in recognition. Formidolosum & horribile cæpe & crepitus ventris inflati, Pelusiaca religio fuit. *Hieronymus in Esaiæ c.* XLVI. Confer *Minutii Felicis Octavium p.* 32. *& ibidem Elmenhorstii ac Rigaltii notas.*

Ritus

Ritus τῦ ἀνλαποπορδεῖν πρὸς τὰς βροντὰς, oppedendi contra tonitrua, *Socrates* apud *Aristophanem* in nubibus, p.m. 752. meminit. Sin autem loci difficilis genuinus & simplicissimus sensus producendus est, non possum non iis applaudere, qui cum elegantiùs doctis autumant, illic ad istum ritum respici, quo in pompis Deorum, Thallos, Verbenas & Corollas gaudio delibuti populares ferre consueverant, ut *Appulejus lib.* XI. *Metamorph.* tradit. Propterea Hieronymus per ramos Palmarum τὰ βαΐα intelligit, quæ ab Hebræis Olannoth dicuntur, à priscis Græcis αἴσαοι voce Syriaca, frondes Palmarum quas in manibus gestantes psallebant Diis suis, ut est apud *Hesychium.* Iisdem quoque ramis gentiles idola sua in eminenti posita, quando non poterant illuc pertingere manu, tangebant, eaque osculabantur. Hac de re apud celeberrimum Anglum *D. Gatakerum in Adversariis Miscellan. cap.* XLVIII. *p. m.* 471. notabilis ex *Hugone Barchinone* observatio occurrit. Per hoc, *inquit*, Propheta notat idololatriam quia sacrificantes idolis superponebant capitibus suis coronas de palmarum ramis, ita ut rami descenderent ad nares. Vel de Lauro potest intelligi, cujus ramum postquam sacrificaverant, superponebant capitibus suis, qui descendebant usque ad nares, ut sic somnia vera viderent: vel poterat esse, quod cum idola sua in eminenti posita, quia manu non poterant illuc pertingere, ramis tangebant, & tunc OSCULABANTUR ramos. Item, consuetudo fuit gentilium, quod quando remoti erant à loco Idolorum suorum, manus extendebant versus locum illum, & ea quæ tenebant, & tunc in veneratione Idolorum manus OSCULABANTUR, & ea quæ tenebant. Alii inter doctissimos viros speciatim hic per ramum vel palmitem censent intelligi εἰρεσιώνην, id est, oleæ ramum lemniscatum lanaque coronatum, in signum supplicationis, qualem appensis omnis generis primitiis manibus ferebant accinentes:

> Ficus & pingues panes ferat εἰρεσιώνη,
> Atque in vasa favos, olei fundatque liquorem
> In calicesque merax, ut dormiat ebria vinum!

Apud *Plutarchum in Theseo*, juxta interpretationem *Xylandri*, quæ ſanè lucem loco obſcuro non exiguam fœnerantur. Vide *Hieron. Gotofredum* ICtumGenev. *in prior. Timoth.* 3. *v.* 16. *Cauſſinus in obſervation. Hieroglyph. ad Clement. Alexandrinum*, dicit ejusmodi ramos in fanis à gentilibus fuiſſe naribus admotos, non odorandi ſed adorandi gratia, tanquam pro talium creatione & munere mortalibus conceſſo gratias acturis. *Proclus* denique *in Chreſtomathia Poëticâ* nervosè has impias Cerimonias illuſtrat his verbis: Daphnephorica, *ait*, carmina fuiſse in Daphnephoriis cantata, quæ à Boetiis & Thebanis nono quoque anno celebrata fuerunt in honorem Apollinis. Ritus hic erat: Lignum ex olea, lauru & variis floribus ornabant, cujus in ſumo æneus ſtabat globus & inferius alius ſed minor. Utrinq; dependebant globuli minores, ille Solē, iſte Lunam, hic ſtellarū vulgus ſignificabāt. Hos inter in medio tot purpurea aptabantur ſtemata, quot in anno Solis diuturni circuitus ſunt, ſcilicet CCCLXV. ultimā geſtaminis partem circumdabat crocotula, tunicula colore croceo: (lucem, puto, ſignificans, qua Sol omnia convertit.) Hoc qui geſtabat Daphnophorus dictus; pompā ducebat puer ἀμφιθαλὴς i.e. cujus uterque parens ſuperſtes, fluentibus per collum capillis, coronâ redimitus aurea, veſteque indutus ſplendida, & calceis quales ἰφικρατίδας vocabant Græci, planè efformata in imaginem Apollinis. Sequebatur denique chorus virginum, ramos quoque geſtantium & prætendentium, velut ante faciem, πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων. Hanc Daphnephoriam mittere ſolebant ad Apollinis Iſmenii aut Galaxii templum. H. J. non multum diſcrepabant Oſchophoria Athenienſium, quibus pompâ è Liberi fano in Palladis Siriadis ductâ geſtare ſolebant palmites vitis, maturis uvis plenos, hanc illi ὄσχην dicebant, hymnosque ſuccinebant, quibus nomen erat ὀσχοφορικά. Idem *Proclus* apud *Photium*, & Pauſanias in Bœoticis.

§. XVII. Quomodo arborem procerum extra mœnia Cambajæ Indi colant, *Petrus della Valle in Itinerario Orientali Parte IV. Epiſt. I. p.* 14. hoc tenore verborum enarrat: Auff der andern Seiten der Stadt / auſſer deß Bezircks der Häuſer / ſtehet an ei-

an einem breiten Platz / ein grosser und schöner Baum / alhier Bek genannt. Die Heiden in diesem Lande haben ihn / wegen seiner Grösse / und Alter thuns in hohen Ehren / und besuchen denselben mit ihren abergläubischen Ceremonien sehr offt / weil er / wie sie sagen / ihrer Göttinnen einer / die sie Parueti nennen / und welche sie für des Mahadeù, eines von ihren vornehmsten Göttern / Gemahlin halten / sehr lieb und derselben geweyhet ist. Sie haben auff der Seiten / an dem Stamm dieses Baumes ein wenig ober der Erden / einen runden Zirckel schlechter Dinges gegraben / welcher nicht die geringste Gestallt eines Menschen hat; nach ihrer groben Einbildung aber / das Angesicht ihres Abgotts abbildet. Sie verwahren dieses Angesicht / so sie über und über mit Hochleibfarb angestrichen / sehr fleissig / welches ein Stück von ihrem Gottesdienst ist / eben wie es vor Alters die Römer gemacht / in dem sie / wie Plinius Lib. XXXIII. c. 7. schreibt / das Angesicht ihres Jupiters roth gefärbt haben. Ferner ist dieses Angesicht allzeit außwendig mit Blumen und vielen Blättern / so die Gestallt eines Hertzens haben / bestreuet. Diese lassen sie nicht welck werden / sondern wechseln damit offt ab / und nehmen allezeit frische / die jenige aber / so sie von Zeit zu Zeit hinwegnehmen / geben sie den Leuten / so auß Andacht dahin wallfahrten. Sie haben auch diesem grobgeschnittenen menschlichen Angesicht Augen von Silber und Gold gemacht / und dasselbe mit etlichen Kleinodien gezieret / welche die jenige Personen dahin gesant / denen durch Krafft dieses Götzenbildes / wie sie thörichter weise glauben / an ihren Augen-Schmertzen geholffen worden. Vor dem Bilde / bey welchem man ein kleines Hüttlein / ein wenig von der Erden erhöhet / auffgebauet / stehet allezeit einer von ihren Gioghi oder Götzen-Pfaffen / welche bey den Indianern eine gewisse Gattung der Einsidler ist. Sie haben auch ein Glöcklein dabey auffgehangen / welches die Pilgram / so dahin kommen / ihre abergläubische Andacht zuverrichten / erstlich leuten / ihrem Abgott zuruffen / und zubitten / daß er sie erhören wolle. Hernach verrichten sie vor demselben ihr Gebet / welches gemeiniglich darinnen bestehet / daß sie die Hände / gleich wie man zubeten pflegt / zusammen legen / und so tieff / als sie können sincken lassen /

sen/ folgends aber nach und nach an den Mund bringen/ als ob sie dieselben küssen wolten: und also zusammen gefallten endlich in die Höhe über den Kopff heben. Wenn sie diese Ceremoni verrichtet/ thun alsdenn etliche ihr Gebett nur stehend; etliche fallen mit dem gantzen Leib auff die Erde nider/ welche sie gleichsam küssen/ und hernach wider auffstehn. Nach diesem gehen sie/ etliche nur einmahl/ etliche vielmahl um den Baum herum/ hernach werffen etliche für dem Abgott Reiß auß/ etliche aber giessen Oel/ Milch und dergleichen auß/ welches jhre Geschencke und unblutige Opffer-Gaben seyn. Dann sie pflegen kein Blut/ auch nicht zu jhren Opffern zuvergiessen/ und halten es für ein grosse Sünde/ einiges Thier/ was es auch seyn mag/ zu tödten. Uber diß geben die jenige/ so es im Vermögen haben/ dem jenigen/ so für dem Abgott auffwartet/ ein Allmosen/ und empfangen hingegen Blumen und Zweige/ womit derselbe geschmückt gewesen/ welche sie mit grosser Andacht annehmen/ küssen und mit grosser Ehrerbietung auff jhr Haupt legen.

§. XVIII. Aliud insuper dictum scripturæ occurrit 1. *Reg. XIX. v. 18. Omne os quod non adoravit Baal, osculando manum,* in quo adorationi expresse manûs osculatio jungitur. Breviter hic notandum, Ebræum nomen Baal, Chaldaicè Bel, Dominum denotans commune variis gentium Diis esse, modo enim Marti, modo Soli, vel Saturno, aliisve tributum legas apud antiquos Scriptores, ab ingeniosissimo *Seldeno, Syntagmate II. de Diis Syris, c.* 1. curiosè expensos. Cæterùm *Hoseæ locus cap. XIII. v. 2.* pariter de prædicto cultu idololatrico accipiendus venit. Quando enim Propheta dicit: *Idola fecerunt, ut opus artificum totum, propter eos ipsi Sacerdotes dicunt sacrificantibus homines,* (ut Glassius in Gramatica S. p. 120. vult) *vel sacrificia offerentibus hominum vitulos quisque osculetur*; Aquila verbum ישקון reddidit καταφιλοῦντες, EXOSCULANTES, quia idolo adorantes manus solebant deosculari, seque incurvare ac caput submittere; hinc *Theodotio* vertit: προσκυνοῦντες & *Symmachus* μόσχοις προσκυνήσατε vitulos adorent, id est, ut *Hieronymus* interpretatur, *in Apologia adversus Ruffinum,* venerentur. Qui Hebræi juxta pro-

prietatem linguæ ſuæ ponunt deoſculationem pro veneratione, & oſculari ferè ad Deum vel Deaſtrum relatum, ſignificat omnem cultum. Alludit verò Propheta hic ad oſculationem Molochi, quod idolum juxta *Adrichomium* in Jeruſalem, numero CLXXVI. æneum erat, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma, regiis inſignibus ac Regio in throno conſidens, protendens manus quibus pueros in ſacrificium ſibi oblatos exciperet; intus pyra accensâ (erat enim concavum) ubi totum igne incanduerat, pueros, quos brachiis excipiebat, vel etiam adſtringebat & amplexabatur, *αὐτομάτων* more, concrémabat. Explicatiùs rem declarat *Buxtorfius in Lexico*, radice נבא *ex libro* Jalkut, *commentario myſtico ſuper universa Biblia in caput VII.* Jeremiæ. Etſi omnes fuerant domus Idololatricæ in ipſa Urbe Jeruſalem, Molochi tamen fuit extra urbem in loco ſeparato ſitum. Quomodo Moloch erat factus? Imago erat, habens faciem Vituli, manus expanſas inſtar hominis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat, intus excavatus. Septē in ejus honorem erant exſtructa ſacella, ante quæ imago ejus erat collocata. Avem, ſive pullum columbinum offerens primum ſacellum ingrediebatur: ovem aut agnum, ſecundum: arietem tertium: vitulum quartum: juvencum quintum: bovem ſextum: qui denique filium proprium offerret ſeptimum occupabat ſacellum. Hic Molochum exoſculabatur, juxta illud: Sacrificatores hominum vitulum exoſculabantur. *Hoſ. XIII. v. 2.* Molocuus igne ſuppoſito ſuccendebatur, donec ignitus fieret inſtar lucis, tunc ſacrificuli arreptum infantem candentibus Molochi manibus indebant, ac ne parens ejulatum ac clamorem pueri audiret, tympana pulſabant. Inde locus ille dictus fuit תֹּפֶת à תֻּפִּים tympanis. Vallis verò גיהנם (unde Gehenna pro inferno ab ipſo noſtro Salvatore *Matth. V. v. 22.* uſurpatur. Vid. *Lightfoot in Chorographiâ S. cap.* XXXIX. *p. 77. Daniel Heinſius in Ariſtarcho Exercitat. XXI. p. 85.*) quia vox pueruli erat נֹהֵם rugiens, aut quod aſtantes ſacrificuli clamitabant, יֶהֱנֶה לָךְ Utile erit tibi. Doctiſſimus *Paulus Fagius Paraphr.* in Levitic. in eo diſſentit, quod (1) ſacella ſimilia

illata

illata (2) Turtur (3) Ovis (4) Aries, (5) Vitulus (6) Bos (7) puer inferuntur. Paulò aliter rem pertractat *Ludovicus Vives in Lib. VII. Augustini de Civ. D. c. 19.* Sed cur ſeptem conclavia? Pro numero ſeptẽ planetarum, ex quibus ſeptimum ſacellum Solis ut excellentiſſimi reliquorum moderatoris erat: ut ſummo numini, ſi cœlo collubeſcit, ſumma immolaretur victima. Objicit *Jacobus Gaffarellus c. I. curioſitez inouyes p. m. 35. edit. Hamburg. in* 8. anno 1676. Hebræos Molocho libros antiquitùs non imolâſſe, ſed per ignes transmiſiſſe. Ita quidem ſtatuunt nonnulli melioris monetæ ſcriptores, pueros duabus pyris exſtructis per illarum medium ſolummodo traductos, & ad eum modum velut februatos eſſe, Sacerdotibus Molochi ſive Camarim nigris veſtibus indui ſolitis 2. *Reg.* XXIII. *v.* 5. *Zephan. I. v. 4. Hoſ. X. v.* 5. Traductos eſſe per ignem aſſeverare audet *Rabbi Moſes Maimonides de Idol. c. VI.* §. 5. *p.* 78. ex interpretatione *Dionyſii Voſſii.* Quomodo id fiebat? quærit: accenſo igne, ait, magno partem ſui ſeminis accipiebant, quam deinde Sacerdotibus igni ſervientibus tradebant: At ſacerdotes ubi filium accepiſſent, eum Patri reſtituebant, quo ipſe ex ſententia ſua per ignem traduceret. Pater igitur filium permiſſu Sacerdotum per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire, donec flammæ quidquid erat immerſus foret. Non autem Molocho eum comburebant, quomodo liberos ſuos aliis exurebant Dîs, ſed cultus ille Molochi tantum in tranſitu conſiſtebat. Utut autem Maimonides traductionem per ignem perſuadere conetur, habet tamen tàm *Moſen Gerundinenſem, ac Iſaacum Abarbanelem* ſibi adverſantes, quam ipſam S. Scripturarum teſtem omni exceptione majorem, Levit. XVIII. verſ. 21. *De ſemine tuo non dabis, ut conſecretur idolo Moloch, ne polluas nomen Domini DEI tui.* Regius Pſaltes *Pſalm. CVI. verſ.* 37. *ſacrificavit filios ſuos & filias Dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocuum.* LXX. Interpretes, immolaverunt, ſcilicet contra expreſſam modo allegatam Dei legem, quia vel igni conſumebant vivos, vel in holocauſtum offerebant cœlos. Juvat audire celeberrimum *Frantzium*: ſicut, inquit, *in oratione de Oraculis*

ethnicis, Gentiles ad capita fontium & in locis amœnissimis solebât victimas suas Dîs offerre; ita impii Israelitæ veri Dei cultu posthabito, falsis Dîs sacella construebant Baalumque venerabantur, atque adeo suos liberos Molocho igne crematos immolabant, persuasi se non minus gratam rem facere Deo, quam ipse Abrahâm, cum filium esset mactaturus. Plura desiderant; suppeditabit M. Gregorius Michael in eruditissimis ad Gaffarelli curiositates notis N. XVIII. p. 95. seqq.

§. XIX. Non possum silentio præterire, & adhuc hodiè inter Mahomedanos quotannis circa tempus Paschæ Camelum in sacrificium adhiberi, ceremoniis quas supra Dissertatione IV. §. 7. ex *Dousa* attulimus, ferè consonis, ut relatio *Petri Della Valle Itinerar. orient. P. II. p. 61.* his verbis concinnata edocebit: Der erste Tag deß kleinen Bairâm oder Ostern der Mahometaner / welche sie Bairâm del Curbân, das ist / der Opfferung nennen / und zum Gedächtniß deß Opffers Abrahams begehen / fiel anno 1617. auff den 9. Decembris. Es pflegen alle Mahometaner an diesem Tage / viel Opffer nach ihrer Meinung zu thun / indem sie in jedwedern Hause ein oder mehr Lämmer schlachten / von welchem sie ein theil essen / und das andere um Gottes Willen weggeben. In Persien aber haben sie ein gantz andere und von den Ländern der Mahometischen Türcken und Araber verschiedene Gewonheit / denn es wird in allen vornehmen Städten / wie auch wo der König ist / es sey gleich in der Stadt / oder auff dem Lande / mit grossem Gepräng ein Cameel geopffert / weil sie vorgeben daß Abraham an statt seines Sohnes / der ihrer Meinung nach Ismael und nicht Isaac gewest / ein Cameel / nicht aber wie die H. Schrifft saget / ein Lamm geschlachtet habe. Die Opfferung dieses Cameels geschihet in Persien auff diese Weise. Sie führen das Cameel / oder besser zu sagen / das Weiblein / so geopffert werden soll / 3. Tag zuvor in der gantzen Stadt umher / und krönen dieses arme zum Schlachtopffer gewidmete Thier mit Blumen-Kräntzen von Violen und andern Blumen / so sie um dieselbe Zeit finden / wie auch mit Kräutern / unter welchen ich einen Ast von einem Fichtenbaum

baum angemercket. Sie begleiten dasselbe mit Schalmeyen / und Pfeiffen / auff welchen sie blasen; ein Mullà, oder wie man: Jhn bey uns nennen würde / ein Priester / singet von Zeit zu Zeit die Bekäntnüß ihres falschen Glaubens / nebenst andern Gebethen. Das Volck reisset diesem Thier allenthalben wo es hingehet die Haare auß / welche sie auß Andacht / als ein Heiligthum verwahren / und ist ein so grosses Gedräng darum / daß dieses arme Thier / wenn keine Leute mit Prügeln in der Hand zugegen wären / welche Platz machten und verwehrten / daß man demselben nicht zuviel Haare außrauffte / sonder Zweiffel unter jhren Händen vor der Zeit sterben würde / ehe es einmal auff den Platz kähme / da es solt geopffert werden. Am Tage deß Bairàm aber / welcher von Morgen früh mit allerhand musicalischen Instrumenten absonderlich in Gebethen / und wenn es die Gelegenheit gibt (mit Lösung deß Geschützes) gefeyret wird / begeben sich / nach verrichtetem Morgengebett / alle Grosse bey Hofe / und der König selbst / wenn er zur Stelle ist / mit der gantzen Menge deß Volcks / allerley Standes / etliche zu Fuß / etliche zu Pferd / vor die Stadt hinauß / an den Orth / wo die Opfferung geschihet. Daselbst wird ein grosser Kreiß gemachet / in welchem die Vornehmste alle zu Pferd und auffs köstlichste gekleidet und auffgeputzt / in der Mitten / die andern / und geringere zu Fuß jhren Platz / so gut ein jeder kan / nehmẽ / und warten biß das Thier kömt / welches dann in gewöhnlicher Volckreicher Begleitung durch die Stadt / und die längste vornehmste Gasse gefühxet wird. Man trägt vor dem Cameel eine Lanze oder scharff beschlagenes Wurffspieß / mit welchem es durchstochen werden soll / und wenn es an den bestimmten Ort kommen ist / lässet mans in den Kreyß hinein gehen. Die Umstehende / so viel jhrer darzu kommen können / rauffen hierauff diesem Opfferthier die Haare mehr als zuvor jemahls auß / hernach legen sie dasselbe nach jhrer Weise wie es seyn soll zurecht / da es von der ansehnlichsten Person unter dem gantzen Hauffen mit dem Speer durch die Brust zu tod gestochen wird. Hierauff wird es von Stund an / in tausend Stücke zerschnittẽ und zerhauen / ein jeder schätzet sich für glückseelig / der das beste und gröste Stück davon gebracht. Dieses Fleisch wird zum theil gekocht / und auß Andacht gegessen /

zum theil aber eingesaltzen und das gantze Jahr über auffbehalten/ auch in Kranckheiten als ein Heiligthum gebrauchet. Der Kopff wird nach dem Königlichen Hof geschicket/ die Stück aber in die Viertel der Stadt und herum gelegene Dörffer außgetheilet / das übrige rieß das gemeine Volck mit solcher Wuth hinweg/ daß man in einer halben viertel Stunde auff dem Platz wo das Thier getödtet worden / nichts als ein wenig Blut gesehen/ welches ihrer viel gleichfalls sampt dem Gedärm / und dem gantzen Ingeweid hinweg genommen haben.

§. XX. Porrò neque elementorum quadriga suis cultoribus destituitur, quos tamen inpræsentiarum paucis saltem lineis perstringere, & ne susceptus labor nimiùm excrescat, indice quasi digito monstrare animo sedet. Referuntur autem ad hanc classem Tatari Cataini, Maroccenses & Feslani; *Boëmus lib. II. c.* 10. *p.*105. *Linda p.*1920. 1154. Siamenses & Peguenses præter magnũ Idolorum numerum quatuor adorant elementa, & quilibet sibi moriens unum eligit elementum, in quo sepeliatur. Ita qui terram adorant, humantur, qui ignem, comburuntur, qui aërem, suspenduntur, qui aquam, ipsi immerguntur. *Linda p. 1140. Ross. p. 140.* Principem & arbitrum elementorum ignem pro Deo habere Lapporum religio fuit. *Johan. Schefferus in descriptione Lapponiæ c. IX. p. 91. seqq.* Inde præ reliquis Pyrolatræ audiunt. Brachmanes enim & Gymnosophistæ ignem solaribus radiis conceptum summo studio fovent. *Kircher. Tom. I. Oed. Aegypt. S.* 5. *cap.* 4. *p.*414. Eum pleriq; tanquam sacrum animal adorant, huic filios imolant, in hunc seipsos conjicientes concremant, hoc facto venerationem erga eum declaraturi. *Kirch. l. c. p.* 412. 415. *Schickard. in Tarich. p. 126. seqq. Ioh. Henr.* Ursinus *in Acerra p.* 429. Idem faciunt Persarum populi *Schickard. proœm. in Tarich. p.* 25. *Georg. Gentius in notis ad Rosetum Persicum Schich Saadi p.* 533. Regibus sanè olim prælatus. Curt. l. III. c. 3. in aris argenteis, castris quocunque moverint pro more Regibus Asiaticis recepto, quo ignem sacrum præ se ferri consuetum erat. *Ammian. Marcellin. lib.* XXIII. *hist.* derivato ad Romanos Imperatores, ostendentibus eũdem in numismatis vete-

veteribus, in quibus, ante faciem Regis vel Imperatoris flamma ardens conspicitur. De Chersonnesi aureæ incolis disputatur & dubitatur; hinc *Constantinus l' Empereur in Benjaminis Tudelensis Itinerarium* sic commentatur: Quæ de iis narrantur, qui se igni stulto & insano ritu devoventes in ignem, quem Deum arbitrantur, insiliunt, reliquis à Benjamine temerè affirmatis accenseo. Legimus quidem apud Brachmannos cum uxores maritorum morti inhiarent, tandem publico ritu receptum, ut se præcipitarent in mariti rogum: ne quæ mulierum mariti mortem acceleraret, utpote cui simile exitium immineret. De altero autem, quod Noster pluribus describit, hactenus mihi nihil innotuit: itaque auctori aliàs non satis fide digno fidem habere nequeo. Aeri divinitatis honos à quibusdam gentibus attributus est. *Vossius de Idolol. l. II. c. 48. p.* Nostro tempore Chilensium quidam Aerem credunt spiritum, quem appellāt PILLAN & illum in Symposiis suis venerantur. *Linda p.* 1134. *ex Georg. Marggravio.* Aquæ imperiosissimo elemento, &, ut Thaleti placuit, omnium rerum primo, juxta Senecam L. III. quæst. natural. c. 13. & *Rogerum in janua Gentilismi reseratâ p.* 222. Ægyptii cultum detulerunt non tantum in Canopo, *Gyrald. Syntagm.* 1. *de Diis gent.* imago ejus ex Ægyptio silice facta gemina, altera in Palatio Farnesiorum, altera in ædibus Jacobi & Anton. de Bosiis ostenditur, testante *Casalio lib. de Vet. Ægypt. ritu c.* 14. & depicta in Cl. *Christophori Arnoldi appendice ad Rogerum p.* 899. prostat: Sed & in Nilo & aliàs superstitiosissime culto, perhibente *Plutarcho de Is. & Os. Et* Julio *Firmico* de error. profan. relig. scribente: Ægyptii incolæ aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa contentione venerantur; Fontibus quoque & aquis hostiæ datæ, *Athanasius* oratione contra Gent. ἄλλοι ποταμοὺς, καὶ κρήνας, καὶ πάντων μάλιστα Αἰγύπτιοι τὸ ὕδωρ προτετιμήκασι, καὶ θεοὺς ἀναγορεύουσι. Vilibaldus de Cattis: Alii etiam lignis & fontibus clancularió; alii autem apertè sacrificabant c. 8. *Horatius lib. III. od. XIII.*

O Fons Blandusiæ candidior vitro
Dulci digne mero; non sine floribus
Cras donaberis hædo.

Quia, ut ejus rei causam *Lipsius in notis ad cap.* XXVI. *Panegyr. Plinii* non inepṭam profert, opinio prisca erat, fluvios & fontes minores esse. Deos, sive Genios unde in Inscriptione Velcamæ in Hisp. Fonti divino apud Grut. p. 94 & Petr. Appian. in Fugg. p. 175. in hâc egregia;

LIMPHÆ. MARI SACRUM.
SI. HUMANO. INGENIO. PERPETUO.
VIATORIBUS. PARARI. VINA.
POTUISSENT. NON. AMOENUM.
QUEM. CERNITIS. FONTEM.
QUARUM. FONTEM. C. LEPIDUS.
MAGNA. IMPENSA. ADAUXISSET.
POTA. FELIX.

ut videtur circa ultima verba minùs dextrè expressa legitur. Poetæ quoque fluvios appellant sacros. vid. *Horat. lib. I. od. I. Juvenal. Sat. III. Senec. ep.* 41. Magnorum fluviorum capita veneramur, subita ex abdito Vasti amnis eruptio aras habet: Coluntur aquarum calentium fontes & quædam stagna, vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit. Et in quibusdam navigare vetitum. *Plin. l. VIII.* nulla in hoc navis, (Sacer enim est) sed innatant insulæ. vid. *Tacit. LXIV. annal. & Joha . Saubert. de Sacrificiis Vet. c. 5. p.* 118. ubi propter Nymphas fontium præsides fontes sacros salutat. Bengalenses flumen Gangem, quod sacrum esse existimant, tanquam ex Paridiso scaturiens non adorant tantùm, sed & picturam ejus venerantur. *Mandelslo Itin. LIII. p. 198. Ross. p. 143.* Visunt ad flumen multi mortales beati opiniône sua, si eo ablui contigerit. Aquæ hujus haustus in agone mortis assumptus vim habere creditur, eodem momento ad cœlum perducendi. Fons ibidem scaturit, in quem simili impietate pii sunt. Arenam ex eo, reliquiarum instar, exportant, donariique loco florum manipulos ibi reliquunt. *Ross.* ibid. Virginienses timore perculsi ipsorum atque Floridanorum

norum confines occidentem versus emolumētis illecti aquam adorant. *Laet Lib. III. 18. p. 84. Lindap.* 1120. *Roß. p. 182.* Non minus Mexicanorum mentes commodis suis detinuit. Cum Auzol Rex ipsorum octavus fluentum quoddam ab oppido Cuyoacan fossâ in urbem derivaret, cives amnem defluentem solenni apparatu comitabantur. Sacerdotes in littore ipsi Thymiamata accendebant. Alii hostiis cæsis ripæ sanguinem invergebant. Alii lituis fidibusque canentes aquam excipiebant. Ipse Rex habitu Nereidum incedebat. *hist. antip. P. I. p. 63.* Mare Peruani Mammacocha nominabant atq; hoc nomine colebant. *ibid. p. 30.* Flumina item & fontes hoc honore afficiebant; Joseph. a Costa l. V. c. 2. & 4. hist. antip. p. 31. Et littorales quidem Peruani inde à Truxillo ad Tarapacam, antequam ab Yngis subjugarentur. *Lact. lib. X. c. 19. p. 426.*

§. XXI. Superest deniq; terra, cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum DEI: quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissimè complexa gremio, jam à reliquâ naturâ abdicatos, tum maximè ut mater operiens &c. juxta *Plinium Histor. Nat. lib. 2. cap. 63.* Confer. *Syrach cap. XL. v. 1.* Cur non & terram, inquit *Plotinus*, apud *Rhodiginum lib. I. Lect. Antiqu. cap. 19. p. m. 44. Edit. Francof. in fol. An. MDCLXVI.* sentire dicamus? Omninò sciendum, terræ animam non censeri abjecti cujusdam esse corporis animam, proindeque intelligere, atq; insuper esse DEAM. Principes Dei, ait Varro, cœlum & terra, *Rhodigin. L. A. lib. I. cap. IV. p. 14.* Terra & cœlum, ut Samothracum initia docent, Dei sunt magni. Quid verò ibi asserendum, cum Plato terram vocat Deam antiquissimam Deorum omnium, qui cœli ambitu concludantur? Alio nomine appellatur Vesta prisca. Idem *L. A. lib.* XV. *cap.* XIII. *p.* 798. item magna mater, in pluribus inscriptionibus Gruteriani voluminis, p. 27, 28, 29, 30, 31. Alma Parens, Virgilio, & summa Parens, *Reinesio* in Inscriptione, quam exhibet & exponit Epistola DCXXX.

MATRI. DEUM. MAGNÆ. IDÆÆ.
SUMMÆ. PARENTI. HERMÆ.
ET. ATTIDI. MENOTURANNO.
INVICTO. CLODIUS.
HERMOGENIANUS. CÆSARIUS.
V. C.

Cl. Salmasius in Commentar. ad *Lampridii Heliogabalum cap. VII. p. m.* 805. eandem adduxit, non tamen additâ epicrisi, num fortè pro HERMÆ, HERTÆ legendum sit. Hertham enim vel Herthum nomen Telluris esse, in vulgus notum est. Vid. *Tacitus Libello de Moribus Germanorum. Olaus Wormius Lib. I. Monument. Daniæ cap. V.* Ross. p. 246. Sacelli cujusdam Terræ consecrati inter Spartanos ex *Pausania* meminit *Rhodiginus, lib.* XVIII. *cap. V. p.* 970. De ejus in Urbe Româ æde *lege Plin. lib.* XXXIX. *cap. 9. H. N. Valer. Max. lib.* VI. *cap. 3. Lactant. Institut. lib. I. cap.* XXII. *p. 77.* Eam Persas coluisse memorat *Herodotus in Clio*, nec non Scythas, id in *Melpomene*, penes quos magnum jacet Idolum ZLOTA BABA, id est, aurea anus, sive vetula. *Michov. lib.* II. *Tr.* II. *cap.* I. *Olaus Magnus de Gentibus Septentrion. lib.* III. *cap.* I. Boterus Relat. Univers. Part. III. lib. II. parum ab initio, p. 101. Cl. Arnold. in additonib. select. ad Abrahami Rogeri Januam Gentilismi apertam, p. 543. Evane sit, an Tellus, dubitat *Vossius, de Idololatr. lib.* I. *cap.* XXXIX. *p.* 283. Gentes vicinæ illud venerantur. *Adam Clemens* in Anglor. Navigat. ad Philippum Angliæ tum temporis Regem & Hispaniæ Principem. *Ross. p. 263. Paul. Oderbornius* in vitâ Johann. Basilidis lib. 1. p. 13. De Nigritarum maritimorum cultu erga terram, *Barlæus de rebus Gestis Mauritii, p. 62.* De Conganis & Peruanis, *Linda p. 1151. Acosta Occident. Ind. lib. V. c. 4. Gottfrid. Histor. Antipod. Part. I. p.* 30. Redeuntes ex oris peregrinis φίλην μητέρα, charissimam matrem tellurem complecti solebant, ut ingeniorum miraculum Homerus edocet, Odyss. N. versu 354. χαίρων ᾗ γαίῃ; κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν. Gaudens sua terra osculatus verò est almam tellurem. Odyss. Δ vers. 522. χαίρων ἐπεβήσετο πατρίδος γαίης, καὶ κύνει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα. Gaudens con-

conſcendit in patriam terram, & oſculabatur attingens ſuam patriam. *Ovid. l.* III. *Metamorph. v.* 24.

> Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ
> Figit, & ignotos montes agrosque ſalutat.

Plutarchus in M. Antonio Tom. I. *operum p. m.* 995. *edit Francof. in fol. anno* 1620. De Antonii militibus: poſtquam tuto traducti Armeniam iniêre, ut ſi tunc terram illam ex pelago conſpexiſſent, adoraverunt eam, (*προσκυνοῦμεν* in Græco habetur) atque in lachrymas ſe & mutuos complexus præ gaudio effudêre. *Dionyſius Halicarnaſſenſis antiquit. Roman. l.* IV. *c.* 57. de Bruto cum filiis Tarquinii Oraculum Delphicum ſciſcitante ſcribit: Privatim deinde rogaverunt Deum, quemnam fata deſtinarent Romanis futurum Principem? reſponſum eſt, eum, qui primus matrem OSCULATUS eſſet. Adoleſcentibus non percipientibus ſenſum Oraculi, pacti ſunt inter ſe, ut ſimul matrem oſcularentur, communibus auſpiciis regnum adminiſtraturi. At Brutus intelligens, quid Deus vellet ſignificare, cùm primùm Italiam contigit prolapſus TERRAM oſculatus eſt, quod hæc ſit COMMUNIS MATER OMNIUM. *Valerius Maximus lib.* VII. *c.* 3. *exempl. Rom.* 2. poſt narrationem addit: quod tàm favrè telluri impreſſum oſculum, urbi libertatem, Bruto primum in faſciis locum tribuit. *Conf. Plin. hiſt. nat. lib.* XV. *c.* 30. Quod in Regno Damute & ad flumen Zaire ſiti in cultu Solis terram oſculo Devotionis honorent *le Blanc celebrium Itinerum cap.* 21. *narrat. Arnold l. c. p.* 943. Imperator longè glorioſiſſimus Carolus quintus, in Hiſpaniam trajiciens cum Lareduni in Callaicis portis appuliſſet, ubi primum terram tetigit, proſtratus ei OSCULUM fixit, & ſalve, ajebat, mihi OPTATISSIMA MATER! nudus ex utero matris exivi, nudus ad te, tanquam alteram matrem redeo, & quod unum poſſum, pro tam multis in me meritis, corpuſculum hoc & oſſa mea do dedicoque, *Thuanus hiſt. lib.* XVII.

§. XXII. Eundem ferè honorem arboribus apud Veteres præsertim Indos, delatum monstrat *Rhodiginus L. A. lib. XII. c. 1. Barthius ad Statii lib. V.* Thebaidos v. 512. *Sedulius l. I. Mirabilium,*

Arboreis alius ponit radicibus aras,
Instituitque dapes, & ramos flebilis orat,
Ut natos caramque domum dilectaque rura,
Conjugiique fidem, famulos, censusq; gubernent.

Alozza Arabum adeoque Koreischitarum Medinæ idolum arbor erat Gatiphæorum, quam Chalidus ben Walid à propheta scilicet Muhammede missus, confregit. *Hottinger. histor. orient. lib. I. c. 7. p. 231.* Hujus stupiditatis vestigium in Mancipiis Livonum, circa annum M DC XXX V. observavit adhuc *Olearius itin. Pers. l. II. c. 9. p. 109.* Diversis in locis, in collibus præsertim. certas arbores seligunt, quas ramis ad cacumen usque spoliant & tæniis rubris circumligant; Sub his vota sua superstitiosa & preces peragunt, quibus facultatum suarum conservationem & augmentum, suamque & suorum Salutem temporariam exposcunt. In Guineâ arborum cultus durare dicitur. Maximam ibi homines in iis fiduciam collocant, ad eas sese tanquam ad fatidicas Dodonæ quercus futurorum anxii conferunt. Respondet Dæmon invisibilis, aut etiam canis nigri forma assumptâ, *Levinus Hulsius P. VII. navigat. c. 20. Arnold in select. Addit. ad Rogeri Januam, p. 937.* Memorabile est, quod emporii Mourre cives anno M D XC VIII. Batavos cum pridie Calendas Maji arbores ornandis navibus cæderent, lapidibus & jaculis tanto impetu incessserint, ut Belga quoque in conflictu periret, *Hüls. ibid. c.* XXIII. *Ross. p. 170.* De quibusdam Guineæ & Meridionalis in Africa lateris Angolæ & Congi populis vid. *Bernhardus Varenius de divers. Religion. p. 1051. apud Ross.* Quod Peruviani arbores adorarint Acosta testatur l. V. c. 2. In civitate Regum annosam quandam arborem, radices, terræque fructus colebant. Gottfr. hist. Antip. P. I. p. 3. Rabbi Moses Maimonides Lib. de Idololatriâ cap. VIII. §. 1. הגוים העובדים את ההרים ואת הגבעות ואת האילנות הנטועין מתחלתן לפרות ואת המעינות הנובעין לרבי id est, ex Interpretatione *Dionysii Vossii*: Gentiles venerantur montes,

tes, colles, arbores primò fructuum causa plantatas, fontes in publicum fluentes. Brasilianis, qui Tubbin Iubæ vocantur, Dei loco erat fructus Cucurbitæ similis, magnitudine struthionis ovum æquans. Excavatum baculo transfigunt, foramine parvo instar osculi insigniunt, & lapillos indunt, qui sonitum ut in crepitaculo excitant. Nomen ei TAMMARAKA; quisque virûm peculiarem possidet. Ex Relatione *Johann. staden. c.* XXII.

§. XXIII. Non minori cultu rebus præsertim in arctis afficiebantur fana, limina, postes, januæ, lapides effigiati, aræ & reliqua omnia, quæ Numini consecrata erant, aut quibus genios tutelares præesse, cœca sibi persuaserat gentilitas, voce leni obsecrans, UT FAVERENT, UT SERVARENT, UT IUVARENT. Inde *Tibullus lib. I. eleg. 5. canit*:

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Elegia I. lib. I.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in Trivio florea serta lapis.

Ovidius l. VI. *metamorph. v. 640.*

Ecce lacu medio sacrorum nigra favilla
Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis
Restitit, & pavido faveas mihi, murmure dixit,
Dux meus, & simili faveas mihi murmure dixit.

Virgilius Æneid. II.

Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt

Iterum Æneid. III

--- Sceæque amplector limina portæ.

Theocritus in Eraste: Κύσε τὰν φλιάν osculatus est limen (descendens amator.) *Medea apud Apollonium l.* IV. patriam, patremq; relictum; Καὶ δ' ἔοντι λέχος, καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν σταθμούς. *Valerius Maximus l.* II. *c.* 10. *exempl.* 2. *Roman.* Prædonum duces Scipionem Africanum in Linternina Villa se tenentem spectaturi, postes januæ tanquam aliquam religiosissimam aram sanctumque templum venerabantur. Prusias Rex, cum Romam venisset, ingressurus curiam, summisit se, & osculo limẽ curiæ contigit, adstipulãte *Livio lib.* XLV. in ex-

in extremo. *Plautus in Rudente act. II. scen. 7.* hic in Fano Veneris signum flentes amplexæ tenent. Quibus suavissimè illud apud *Arnobium lib. I. contra gentes* consonat: Cum per omnia supplices irent templa, cum Deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis. Huc & sequentia scriptorum testimonia pertinent: *Statius lib. IV. Thebaidos.*

Te sine sat dubium cœtu solante timorem
Fallere, & incultos aris adverrere crines.

Livius lib. III. Stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium exposcunt. Et *lib.* XXVI. Matronæ circa Deûm delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes. *Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum*: Matres Italæ pensa manibus abjecerunt, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat. *Apulejus lib. V. metamorph.* Tunc Psyche uberi fletu rogans, Deæ vestigia humumque verrens crinibus suis. Urbis etiam portas discedentes non minus amoris, quam honoris gratiâ osculati leguntur, ceu *Rutilius lib. I. Itinerarii* hoc versu confirmat:

Crebra relinquendis infigimus oscula portis.

§. XXIV. Lapidum cultores diversis in regionibus reperiuntur. Manta Peruviæ oppidum est; Reguli ejus loci Smaragdum pulcherrimum & nobilissimum habebant, ovi Gallinæ magnitudine, quem inter præcipua Numina coluerunt. *Benzo hist. novi orbis l. III. c. 18. p. m.* 386. In oppido S. Jago de Guiaquil (flumen est hujus nominis, quod insulam Punam efficit,) Hispani ingentes invenerunt Smaragdos, quos Indi adoraverant. *Hulsius P. VI. p. 46.* præcipua insania est, quod viles lapides in veneratione sint. In Cuihung propè Nangan civitatem, lapidem quendam ingentem auro quotannis rotum obtegunt, eumque superstitiose adorant. Est autem lapis supra decem perticas altus, Xinxe dictus, id est, Spiritualis lapis, cultus à Regum de prosapia Mung temporibus cœpit. Sub Cioking ad Kienchuen mons est Xepao, in quo lapidea columna est & idoli Fe statua, elephas, leo, campana ac tympanum, omnia ex solido lapide; qualibet statua diversi coloris,

loris, sed à quo posita, incertum. *Artificia hominum miranda naturæ in Sina & Europa c.* XIII. *p. 267. seqq. Johan. Neuhof. in descript. Sinæ c.* VIII. *p.* 317. Cassamalcani in Deorum suorum numero habebant rotundos quosdam lapides, ovali forma, aliosque multo majores *Archontol. Cosmica.* De Idolo lapideo Indorum in forma Cylindri culto vid. *Petrus Della Valle Itin. P. 3. epist. 17. p.* 228. Ejusdem Superstitionis Mahomedani arguuntur in ipso Alkorano, ex quo nonnulla huc transferri argumenti ratio suadet. Ita autem nominatus liber cum censuris perpetuis Norimbergæ in 4. anno MDCLXIV. Stylo germanico impressus *cap. XX. lib. I. p. 129. seqq.* habet: Scharestanius, ein berühmter Scribent unter den Arabern meldet/ Ismaels Nachkommen hätten am allerersten die Steine verehret/ und mag derselbe Götzendienst hievon entstanden seyn/ daß/ als sie sich gemehret/ daß auch das Land um Mecha ihnen nit groß genug gewesen/ sie genöthiget anderwerts sich zusetzen/ keiner unter ihnen von dannen zog/ daß er nicht etliche Steine/ von diesem Orth mit sich getragen/ die er/ wo er sich nur niderschlagen würde/ hinsetzen/ und mit dem Umgang/ wie die Caabah (dadurch die Araber nicht nur den Tempel/ sondern auch die Stadt und das gantze Land Mecha verstehen/) verehren möchte. Es ist aber endlich so weit kom̃en/ daß derselben Nachkömlinge/ einen jeden schönen Stein verehret/ und darnach der Religion/ so sie von Ismael empfangen/ vergessen/ in einen abscheulichen Götzendienst gefallen sind. Darumb hat Mahomet seine Araber von den Alihahal oder vielen Gesellen-Götzen/ zu dem Dienst deß einigen Motali, welcher nicht ist iener Bacchus, sondern Gott über alle Ding erhaben/ der alles erschaffen/ wieder gewendet/ ob er schon die Götzen-Ceremonien behalten. Wer nach Mecha auß Andacht komt/ der küßt den Stein/ und gehet um die Caabah, welche zwey Stück nicht den geringsten Gottesdienst machen. Der Stein ist schwartz/ ob er schon weisser/ denn der Schnee/ und gläntzend wie die Sonne gewesen. Dieser Stein ist jederzeit in grossen Ehren gelegen/ beydes vor Mahomets Zeiten/ und nachdem er die Männer deß Gottesdienstes verändert gehabt/ zumahl die Leute einen Seegen bey ihme suchten. pag. 131. Sie dichten/ der obige schwartze Stein sey einer

auß den köstlichsten Steinen im Paradeiß/mit Adam auf die Erde herunter gelassen/und hernach zur zeit der Sündflut wider in dē Hiñel genom̃en / oder anderwerts wie es Gott beliebt/auff dem Berg Abukobais abgelegt/ und endlich dem Abraham zum Bau deß Tempels vom Engel Gabriel geliefert worden. p. 132. Es soll aber dieser schwartzer Stein anfangs schneeweiß gewesen seyn / und von einem Blutflüssigem Weib vor zeiten berührt / die schwartze Farbe/ oder wie andere wollen/ von Mahomets eigenem Mund überkommen haben/ mit diesem Bericht von der veränderten Farbe: als er auß dem Paradeiß weisser denn Milch herunter kommen/ hätten der Menschen Sünden ihn schwartz gemacht/ doch nur nur den eusserstẽn Theil überzogen/ also/ daß die übrigen Theil die uralte weisse Farbe noch erhielten/ welches offenbar worden / als ihn die Carmatianer von seinem Orth genommen: also/ daß wol zu glauben / das Anhauchen und Berühren im Küssen/ habe ihn solcher gestalt beflecket. p. 138. in Censura: Maximus Tyrius sagt; das Bild das ich gesehen / war ein viereckichter Stein/ den die Araber göttlich ehren. Suidas spricht/ der Stein wäre schwartz/ 4. Schuhe hoch/ und 2. Schuhe breit / auff einem güldenen Fuß. Damascenus saget/ sie grüssen und küssen ihn / und Euthymius, wann man ihn scharff beschaue/ zeige er ein Menschenhaupt mit einem Eysen gegraben. p. 132. Noch einen andern Stein haben sie/ auff welchem Abrahams Fußstapffen eingedruckt/ da entweder er mit Füssen gestanden/ als man die Caabah gebauet / oder da ihm Ismaels Weib/ als er zum Besuch kommen/ den Kopff gezwaget. Jetziger Zeit ist dieser Stein an dem Orth wo Abraham/ in einen eysern Kasten geschlossen/ den hab ich gesehen/sagt der Saracenische Autor, und hab ihn geküsset/ und scheinet/ dieses sey eben derselbe Stein/ von welchem die Mahomedaner beständig vorgeben/sie halten ihn deßwegen so hoch/ weil Abraham auff demselben die Agar erkannt/ oder doch das Cameel angebunden habe/ als er den Isaac opffern wollen; denn er ligt mitten in dem heyligen Hause / welches von diesem Stein / wo nicht von der Caabah, doch wegen der Galerie kan mit Bestand gesagt werden/ dieweil der schwartze Stein in die Mauer eingeschlagen ist.

Judæis incurvatio ſupra lapidem figuratum ſeriò prohibita eſt, quod perſpicuum evadit ex *Maimonidis lib. de Idol. c.* VI. §. 8. Similiter, *inquit*, qui ſe incurvat ſuper lapide figurato, de quo lex loquitur, etſi vero Deo id præſtet, vapulat: quia dictum: Neque figuratum lapidem ponite in terra veſtra, ut vos incurvetis ſuper eo. Id enim in Idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur, ſuper quo ſeſe proſternerent. Ac propterea nefas id agere in veri Dei cultu. Nec tamen vapulabit, niſi manibus pedibusque ſuper lapide proſtratus jacuerit. Hujusmodi enim incurvationem lex deſignat. *Dionyſius Voſſius in notis ex Rabbi Bahye* ſubdit; mos idololatricus erat, figurare lapidem pulchræ effigi ei, eumque ponere coram idolo, & ſuper illo ſe coram hoc proſternere. Pergit Rabbi *Maimon.* §. 10. hanc ob cauſam ſolebat omnis Iſrael in Synagogis quæ lapide eſſent ſubſtratæ ſtoreas ſternere, aut ſtraminis genus, quo inter ipſos & lapides aliquid intermedium foret. Quodſi deeſſet, quo lapides contegerent, alium in locum ibant, atque ibi ſe proſternebant, vel in latus inclinabant, ne facie lapides contingerent. De mineralibus res paucis expedienda reſtat. In civitate Regum æs deveneratantur *hiſt. Antip. P. I. p. 31.* Ad ſalutis ſuæ perniciem aurum colligunt Cerabaroi (portûs magni Cerabaro in America meridionali) quique jacent medii ad Hiebram usque Beraguam. Non niſi certis anni temporibus ipſi quæritando intendunt. Numen ineſſe auro credunt, idcirco ex priſcorum religione ad id negotii minimè tendunt inexpiati. A Venere & omni oblectamento abſtinent, cibisque ac potu parciſſimè utuntur, univerſo legendi tempore. *Petrus Martyr. decad.* III. *lib.* 4. *p.* 250. Incolæ inſulæ Madagaſcar poſt Diabolum cui ſacrificant, & Deum Cœli ac Terræ creatorem, tertiam quandam potentiam ſub nomine Dian Mananc, id eſt Deum divitiarum, ſive aurum adorant. Sæpiùs enim illud ſuper caput levant, quotiescunque manibus attingunt oſculum inſuper addentes. *D. Otto Dapper in deſcript. Afric. p.* 49.

§. XXV. Ex his quæ hucusque attulimus, quiſpiam fortè non ſine omni doctorum hominum applauſu ſuſpicari queat,

adorandi verbum ab illa manuum ad os relatione in cultu idolorum, aut alterius cujusdam objecti, formatum esse, in qua sententia viros certe non proletariæ doctrinæ fuisse video. *Matthias Flacius in Clave scripturæ S. Part. I. p. m 23.* dicit, adorare significat incurvationem corporis, quâ alii solent alios dignitate præcellentes honorare. Hic mos reverentiæ aut honoris exhibendi fuit Orientalibus illis populis, teste *Livio, lib. 30.* cum narrat, legatos Carthaginenses cernuos aut adorabundos pacem à Romanis petiisse. *Hugo Grotius in explicat. Decalogi p. 35.* non aliud significat latinum adorare, non ab orare id est precari factum, ut imperiti homines existimant, sed ab eo quod manus admoveatur ori. *Heraldus ad Arnobium p. 33.* censet, adorare idem esse quod orare ad, sicut dicimus adire Deos. Confer. *Jani Gruteri Thesaurus Criticus Tom II. p. 1049. & Tom. IV. p. 781. In Spicilegio Melleri Palmerii. Adrianus Turnebus adversar. l. 1. c. 17. Lipsius l. II. Elect. c. 6. Caspar Scioppius l. 1. Verisimil. c. 8. Leonhardus Lessius de justitia & jure l. II. c. 38. Scipio Gentilis Comment. ad Apuleji Apologiam. Johann. Seldenus de Dis Syris, Prolegomen. c. III. p. m. 26. edit. Lipsiens. Anno 1668. Cunradus Dietericus antiquitat. Biblic. in Job. c. 31. v. 26. p. m. 408. Buchner. in Thesauro Fabri p. 668. Petrus Pithœus in Adversar. subcisiv. l. 1. c. 7. p. 151.* part. 2. *Brissonius de formulis lib. I. p. 35. Ludovicus Cresollius Armoricus Mystagogi lib. IV. Sect. 2. c. 6. p. 892. Franciscus Bernhardinus Ferrarius lib. II. c. 26. p. 137. de Veterum acclamationibus & Plausu.* Verum contra hos Varro Belgii *Gerhardus Johannes Vossius* tum in Institutionibus oratoriis lib. IV. c. 7. p. 115. tum Lexico Etymologico in voce adoro, calamum strinxit, ab oro verbo ex nomine quidem ore facto, illud derivans cum Ludovico *de la Cerda in Apolog. Tertulliani c. XVI. & Laurentio Valla lib. V. eleg. c. II.* viris citra dubium in politiori literaturâ versatissimis; ut idem origine sit quàm ore precor, apprecor vel alloquor, juxta *Servium ad Æneidos l. X. v. 677.* In has partes propendere videtur librorum helluo *Caspar Barthius Adversar. lib.* XXXII. *c. 13. p. m. 1487.* ita differens: adorare apud Afranium elegantissimè video deosculari significare, apud Nonium in voce suaviter, quod NB. ut alia non

pauca

pauca perperam aliò traxit Palmerius. Nec nos ejus significationis exempla habemus, nisi quod in Sacris adorare inde videtur ductum, quod velut ore admoto colloqui aut salutare denotat. *Apulejus libro II, metamorph.* Suscipit ille de lectulo, & uno congestu populum sic adorat; Malis novæ nuptæ peremptus artibus & addictus noxio poculo thorum repentè adulterio mancipavi. Sed & alibi apud eundem Scriptorem adorare significat alloqui. *ut lib.* III. ad dicendum spatium vasculo quodam graciliter invicem colli fistulato, ac per hoc guttatim deflua infusa aqua, populum sic adorat. *lib.* VIII. Visisque nobis cum fletu maximo, singulorum juvenum genua contingens sic adorat. Ubi tamen ad supplicum habitum respicitur, ut & apud *Juvenalem*: Pugnis concisus adorat, Quatuor ut liceat cum dentibus inde reverti. H.J. Porrò pro Numinis alloquio usurpatur, ita ut adorare idem sit, atq; precib' venerari. *Plautus in Rudente Act. I. sc.* 4. Veneror pro adoro usurpat; Nunc quisquis es Deus veneror, quod & salutare dicebāt: Salutare enim Veteribus idem erat, quod adorare, *Plautus in Sticho act. IV. sc. I.* Deos salutatum atque uxorem modo intro devertor domum. Qui etiam alloquor in eodem sensu adhibet, *Amphitruone Act. I. sc. I.* unde *Taubmannus in Commentario ad h. l.* id est, salutare Deos, ut peregrè adveniens, quæ *Arnobius lib. VI.* affari Deos & cum Deo venerationum (item supplicationum & orationum) colloquia miscere; Græci προσαγορεύειν vocant. *Euripides in Herc. furent.* θεοὺς προσειπεῖν, Deos alloqui dixit. Nonnunquam adoro pro valdè vel enixè oro sumi videtur, ut in illo *Propertiano libro I. eleg. 4.* Maneat sic semper adoro, id est vehementer oro. Plura videantur in *Guilielmi Turneri vulpeculæ venatu Part. I.*

DISSERTATIO VIII.

De OSCULIS SACRIS VETERUM CHRISTIANORUM.

SUMMARIA.

I. Sacra mundè tractanda. Christus puritatis autor omnia munda cupit. Præparatoria ad dignam Eucharistiæ S. participationem. II. Osculum charitativum cur in precum clausula adhibitum. III. Tam in templis, quàm domi. Fraternitas spiritualis Veterum Christianorum. Abstentus. Pœnitentium quinq; gradus certis locis circumscripti. Conciliationis tempus. IV. Oscula ante S. Cœnæ usum accepta. Lucilla fœmina Carthaginensis schisma excitat. V. Osculum post usum S. Eucharistiæ quare aulicis & quibusdam Laicis negatum? Græcorum ritus in administratione Cœnæ. Lætitia ex perceptione ejusdem. Pœnitentia profunda. VI. Agapæ primitivæ Ecclesiæ quomodo & quandò institutæ. VII. Agapæ triplices, nuptiales, natalitiæ & funebres. Item in Dedicationibus templorum. Earundem usus multis constitutionibus sublatus. Ab iis Catechumeni & publicè pœnitentes exclusi. VIII. Agapæ hodiernorũ Christianorum in Ecclesiâ Orientali sub dio vel in privatis ædibus institutæ. Maronitæ Monachi abstinent carnibus. Distributio fructuum in agapis Melitensibus. Græcorum Placentæ & Coliphia. Origo Coliphiorum in Quadragesima inter Constantinopolitanos. Cothia Moschorum. Agapæ Gallorum & Hispanorum. IX. Osculum in Baptismo adultorum & infantum adhibitum, antiquissimis autem Patribus ignotum. Vice-Comes notatus. Ritus osculandi in imo pede baptisati. Cyprianus vindicatus. Infantibus baptisatis olim Eucharistia oblata. X. Osculum compatris & commatris in susceptione infantis de Sacro fonte vix Antiquitati notum. Judicium Dallæi de Vice-Comite. *XI. Osculum charitatis olim certis temporibus omissum non sine causâ. Ambrosius explicatus.* XII. *Missa pro defunctis & Monachorum sacra osculis caruerunt. Albaspinæi censura contra Durandum aliosq;. Monachi raro ad Eucharistiam admissi.* XIII. *Virorum cœtus à mulieribus in Ecclesia olim separatus. Semneion Ægyptiacum.* XIV. *Perfidia & Impudicitia*

citia in osculis veterum Christianorum castigata. Osculatoria. XV. *Catechumeni & excommunicati ab osculo pacis exemti. Illo omnis benedictio absoluta. Benedictionis Ceremonia externa & Politica. Osculum in Promotionibus Academicis.* XVI. *Discrimen inter osculum charitatis apud veteres Christianos, & osculum Pacis Latinorum contra Bellarminum assertum.*

§.I. NOtanter *Franciscus Villana lib. Symb.* linguâ Hispanica conscripto depingit porcum hærentem in limine templi hoc lemate adjecto: NON MIHI SANCTA LICENT. Nempe nefas est animalia immunda inducere in templa piis duntaxat pervia Christianis. Itaq; Christiane, memor hujus picturæ, cave, ne referas animâ fœdâ & spurcâ suem, namque tibi tunc obscœno sicut porco nihil est commune cum singulis quibusq; rebus sanctis. Igitur siste gradum, ô immunde; NON TIBI SANCTA LICENT. Abluere lavacrò pœnitentiæ, de porco fias agnus, gratiæ divinæ candicantis obsequio, sic tutè sacra omnia frequentabis. Vis aliud ad scopum præsentem emblema? habeto, quod sequitur. *Gregorius XIII.* Papa Romanus cudit Iconem, templi fores apertas præferentem superliminari inscripto hoc titulo mystico: NIHIL COINQUINATUM. Quasi diceret, templum non patere nisi his, qui mente defæcata ex prævia confessione & seria pœnitentia sacris epulis pasci desiderarent. Vide Lukii numismata. *S. Thomas de Villa Nova* Salvatorem nostrum, summam semper puritatis curam habuisse, his verbis *concione tertia de Sacram.* considerat: Omnia munda vult author puritatis, mundam matrem elegit, mundum discipulũ dilexit; munda sindone involutus est, mũdo in tumulo, in quo nõdum quisquam positus fuerat tumulatus est; ab his qui sunt mundo corde videtur, & ab his qui sunt mundo corpore possidetur. Quapropter *Augustinus* in eorum confusionem, qui ad communionem accessuri suam negligunt præviè purificare conscientiam, Hipponensem populum, cui Episcopus præerat, *sermone* CCLII. *de tempore*, ita legitur exhortatus fuisse: Hoc dico, quod vos frequenter facere aspicio; Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibẽt linteamina, ubi corpus Christi excipiant. Quibus in verbis Sanctus Præsul ad antiquũ alludit

alludit morem, qui penes Christianos vigebat, quod scilicet, Eucharistiam ad ædes proprias deferre solerent, qui postmodum usus propter diversos abusus esse desiit. His præmissis porrò sic pergit: Non est grave, quod dico, fratres, quomodo viri aqua lavant manus suas, si eleemosynis lavent conscientias suas; Similiter & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant, si corpus castum & cor mundum exhibeant, ut cum bonâ conscientia, Christi Sacramenta accipiant. *Bernhardus* animæ prudentiam serpentinam moraliter hujusmodi verbis inculcare *sermone* XXVIII. *de modo benè vivendi* nititur: Rogo, ut audias prudentiam serpentis; Serpens enim cum cœperit ire ad bibendum, antequam veniat ad fontem, evomit omne venenum: Imitare ergò & ut Charissima, hunc serpentē in hâc parte, ut, antequam venias ad fontem, id est, cōmunionem corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem malam, & noxias cogitationes ex corde tuo. Rursus illos qui sine debitâ conscientiæ suæ emendatione ad communionem accedunt, sermone citato alloquitur his verbis: Rogo, vos fratres, inquit, nunquid est aliquis, qui in arcâ sordibus plena velit mittere vestem suam? & si in arcam sordibus plenā vestis non mittitur pretiosa, quâ fronte in anima, quæ peccatorū sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? Similem ferè considerationem *Chrysostomus hom.* XXIV. *in prior. Corinth.* adducit: Si quis Regem non temerè, nec incònsideratè exceperit, quid dico Regem, ne vestem quidem Regiam temerè & inconsideratè imūndis manibus contrectaverit quisquam, etiamsi sit in solitudine, etiā si nemo adsit; atq; nihil est aliud vestis quam stamen vermium: Sin autem tincturam admiraris, ipsa quoq; est sanguis piscis morte affecti; sed tamen nemo eam voluerit aususq; fuerit imūndis cōtrectare manibus. Si autem vestem hominis ne ausus fuerit quisquā solùm tangere, quomodo Dei corpus, qui est super omnia, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli, propter quod sumus & vivimus, accipiemus cum probro & contumeliâ.

§. II. Hæc quâ intentione præmissa sint ex sequentibus planè elucescet. Multa scilicet piæ antiquitatis oscula sacra, charitati-

vum,

vum, quod vocant, osculum, ultima quasi illorum species suo gyro complectitur. Hoc primitivæ EcclesiæChristiani sibi invicem in sinceræ pacis & ἀνυποκρίτου charitatis tesseram tempore sacrorum publicorum offerebant. Illi autem sedem in classe osculi sacri assigno, quia non solum communi nomine audit φίλημα ἅγιον, osculum sanctum, sed etiam quia expresse in Sacris paginis ab Apostolo Roman. XVI. v. 16. I. Corinth. XVI. v. 20. II. Cor. XIII. v. 12. I. Thessal. V. v. 26. mandatū fuit, quin & à sacris personis in sacro loco sanctoque fine susceptum. Usurpabatur primò in precum solennium, cumprimis Orationis Dominicæ clausula, unde *Tertullianus Libro de Oratione*, appellat signaculum orationis, *& Dillherrus in Electis* Amen reale. *Justinus Martyr* sub finem Apologiæ secundæ inquit: ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. Hoc est, osculo nos invicem salutamus, quando à precibus cessamus. Ratio hujus instituti non tantum dari potest ea, quam *Hieronymus hom. I. in Canticum* his verbis effert: Veri Christiani se invicem osculantur, ut recordentur, Deum nos in verbo suo & Spiritu sancto suaviter osculari; verum etiam & vel præcipuè ista, quæ apud Præsulem *Hipponensem de amicitia cap. 6.* legitur, ut nimirum exteriori osculo pacem interiorem demonstrent. Sive ut testentur, se preces ex pectore odiis & simultatibus minus onusto fudisse. Qua de causa *Origenes* quoque *in Epist. ad Romanos cap. XVI.* Christianos ita adhortatus est: ex sermone Pauli (scilicet cum dicit, salutate vos invicem osculo sancto) mos in Ecclesia traditus est, ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres; hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus, quo nomine illud docet primùm, ut casta sint oscula quæ in Ecclesiis dantur, deinde ut simulata non sint sicut fuerunt Judæ. Osculum verò fidele primò castum sit, deinde pacem in se simplicitatemque habeat in charitate non fictâ. *Chrysostomus hom.* XVII. & XXX. *in 2. Epist. ad Corinthios*, hoc osculum ideò institutum tradit, ne vel major contemneret minorem, vel minor invideret majori: sed pellerentur & contemptus & invidentiæ, osculo isto omnia mitigante & adæquante.

§. III. Impertiebant autem sibi invicem illud, non modò

tempore Missæ constituto in templis, sed & intra privatos parietes & in vicis, ut colligitur ex *Tertulliani libro de oratione*: potes domi differre pacem, cui officio negat gentilem, ut Christiana satisfaciat. Hoc fiebat ad fraternitatem sinceram contestandam. Nihil enim est fidelibus inter se magis unitum, qui spirituali quadam cogitatione omnes connectuntur. Cognationem verò osculo olim probatam fuisse, ostendit *Petrus Ærodius Decretorum lib. V. Tit. 12. §. 1.* Hæc consanguinitas spiritualis & amicitia religionis societate tam fortiter erat conjuncta, inquit *Gabriel Albaspinæus* de veteribus Ecclesiæ ritibus, *Observatione XIX. lib. 1.* ut gentilibus suspecta esset, eamque magno aliquo Sacramento aut mysterio contractam, & conjuratam esse crederent, ut pro alterutro mori sint parati. Ab hac societate non solùm arcebantur hæretici, schismatici, Abstenti, (a) sed etiam pœnitentes, (b) & Catechumeni, qui omnes à cæteris fidelibus fratres non appellabantur, quod scilicet, neque sui hæredes, neque jus ad hæreditatem Christi habere censerentur. Hoc jus fraternitatis in quadam bonorum, precum, meritorum, voluntatis denique ac animæ conjunctione, societate, & communione consistebat, unusquisque pro facultate & modo fortunæ cæteros libenter juvabat, neque erat quisquam inter Christianos ea tempestate, qui ostiatim mendicaret, in ægrotis curandis, in viduis, captivis, & iis qui ad metalla, aut arenarias damnati essent, alendis, quantam diligentiam, quamtam curam adhiberent? Puellis quæ tempestivæ viro ad ætatem nubendi pervenerant, ex publica pecunia dos assignabatur, nullum prorsus officii genus prætermittebatur, omnia præter uxores, ut ait *Tertullianus*, illis erant communia. Si quispiam fratrum obviam fieret, si è longinquo rediret, si peregrè proficisceretur, continuò ad amplexum, & ad osculum currebant, mutua sibi fratrum appellatione & salutatione congratulabantur. *(a) Abstentus*, vox *D. Cypriano* familiaris, quæ juxta Pamelii expositionem, excommunicatum significat, sed verisimilius *Latino Latinio* ab ecclesiasticis functionibus suspensum intelligendum videtur: *Abstineo* enim & *abstineor* pro suspendere, & suspendi à sacris, & *abstensio* ipsamet suspensionis censuram sæpè apud eundem Autorem denotat. Ac in Regulis Patrum cap. V. §. 2. ha-

2. habetur: dignè correptus tamdiu abstineatur, quamdiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit. In Codicibus Floriacensi & Corbensi correctis, eodẽ significatu abstinere pro suspendere legitur. Macer in Hierolexico. p. 4. (b)Pœnitentes dicebantur olim, qui pro homicidio, vel pro diversis gravibusq; criminibus & peccatis publicam pœnitentiam agẽtes sub cilicio ad altare erant reconciliati. Can. placuit, distinct. 50. Fuerunt autẽ in primitiva Ecclesia quinq; gradus publicè pœnitentium, de quib⁹ S. Gregorius Thaumaturgus mentionem facit: Primi *Flentes*, seu *Lugentes*, & à Latinis *Hyemantes* nuncupabantur; hi cilicio induti, & extra Ecclesiam humi prostrati fidelibus Ecclesiam intrantibus veniam de cõmissis scandalis poscebant, de quibus *Tertullianus de pudicitiâ cap. III.* ait: Conciliciatos, (id est, cilicio indutos) concineratos, cum dedecore & horrore compositos, prostratos in mediũ ante viduas, ante Presbyteros, omniũ lachrymas suadentes, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes. Secundus pœnitentium ordo eorum erat, qui *Audientes* vocabantur. Hi namq; in Narthececum Catechumenis admissi erant, quibus audire verbum Dei permittebatur, expulsi tamen erant tẽpore consecrationis. Tertii dicebantur *Substrati vel Subjecti*; quia aliquantò diutius cum illis Catechumenis permanebant, ac substrati recipiebant ab Episcopo manuũ impositionẽ, qui super eos aliquas preces recitabat. Quarti gradus erant *Consistentes*, qui consistebant cum cæteris fidelibus in Ecclesia, sed in oblationibus minimè admittebantur. Consistentes sunt, inquit Matthæus Blastarius, in Syntagmate Juris Canonici Græorum, qui fidelib⁹ comprecantur & simul psallunt, mysteriorũ verò participatione abstinent. Tandẽ quintus & ultimus ordo erat illorum, qui peractâ jam pœnitẽtiâ participes fiebãt sacramentorũ, sed à cæteris fidelib⁹ aliquatenus distinguebãtur, non enim omnib⁹ Privilegiis cæteris Christianis concessis fruebantur, & ideò sedebãt in humiliori loco. Verba Thaumaturgi *in Concil. Ancyr. can. XVII. apud Balsamonẽ* hæc sunt; Flet⁹ seu luct⁹ est extra portã Oratorii, ubi peccatorẽ stantẽ oportet fideles ingrediẽtes orare, ut pro se precẽtur. Auditio est juxta portã in porticu, ubi oportet eũ, qui peccavit, stare usq; ad Catechũenos & illinc egredi. Audiẽs enim, inquit Scripturas, & doctrinã, ejiciatur & precatione indign⁹ censeatur. Subje-

ctio autem, seu subtractio est, ut intra templi portam stans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio, seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio Sacramentorum. Conciliabantur vero publici pœnitentes in Hebdomada majori, undè etiam illa Hebdomada Indulgentiæ dicitur. Confer nostram Bibliothecam Anglorum *Lib. III. cap. V.* §. *4. p. 317.*

§. IV. Ordinariè osculum illud adhibebatur ante & post usum S. Eucharistiæ. Ante usum Eucharistiæ se amplexabantur Christiani mutuò, has addentes salutationibus acclamationes: PAX TECUM, MI FRATER! veluti *Justinus Martyr in Oratione ad Antoninū* perhibet; Ut nempe ante Christianorum inter se concordia, aut reconciliatio gratiæ iniretur, quàm Deo, illi, suo pascerentur, quo si non reficiebantur, reconciliationis ejus omninò nulla componendæ memoria refricabatur. De osculis ante usum Cœnæ S. datis & acceptis sequentia Patrum testimonia accipio. *Origenes* vel quicunque autor est quatuor homiliarum in Canticum *Tom. I. Oper.* Hoc est verius propriusque & sanctius osculum, quod à Sponso Dei verbo, porrigi dicitur sponsæ, puræ scilicet animæ & perfectæ. Cujus rei imago est illud osculum quod in Ecclesia sub tempore Mysteriorum nobis invicem damus. *Hieronymus in Epistola ad Theophilum*, adversus Johannem Hierosolymitanum: Ignoramus absq; charitate pacem, sine pace communionem. Si munera nostra absque pace afferre non possumus, quanto magis est & Christi corpus accipere. Qua conscientiâ ad Eucharistiam accedam & respondebo Amen, cum de charitate dubitem porrigentis? Quisquam ne tibi invitus communicat? Quisquamne extentâ manu vertit faciem, & inter sacras epulas Judæ osculum porrigit. Omnium vitiorum fæces deponendas esse, eorumque loco virtutum habitus induendos esse egregiè monet. *Ambrosius serm. V. de Sacramentis* ad Neophytos, ne indignè S. Eucharistiam sumant: Venisti ad altare, vocat te Dominus Jesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui. Vis ad Christum aptare? nihil gratiùs. Vis ad animam tuam? nihil jucundiùs osculetur me. Vides te mundum esse ab omni peccato, quia delicta de-

tersa

tersa sunt: ideò te sacramentis cœlestibus dignum judicat,& ideò invitat ad cœleste convivium. Osculetur me ab osculis oris sui. Tamen propter sequentia anima tua vel humana conditio, vel Ecclesia videt, se ab omnibus mundatam esse peccatis, & dignam quæ ad altare Christi possit accedere. *Augustinus lib. II. contra literas Petiliani cap.* XXXII. Cui pacis osculum inter Sacramenta copulabitis? Et Metaphrastes, sancta matrona, quæ virum simulaverat, sic arguitur à Prisciano: quomodo cum sis mulier ad divina sacramenta accessisti, nudo capite & in pacis salutatione os tuum securè exhibuisti fratribus; respondet illa & se ita purgat: Quod ad divina quidem dona attinet, simulans imbecillitatem non omninò auferens tegmen, quod erat in capite, ita accedebam ad Sacramentorum communionem, charitatis autem nunquam signum apud fratres recusabam, neque enim hominum cultibus, sed hominibus angelicam imitantibus impassibilitatem, me ipsam offerre existimabam. *Chrysostomus hom. XXX. 2. in Corinth.* Non vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Domini excipit, eaque præsertim de causa, tum mutua oscula jungimus. Audiant qui obscœna loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohorrescant, cogitantes, quale os turpent ac dedecorent. Audiant qui obscœnè osculantur. Audi quæ oracula Christus per os tuum ediderit, atq; illud ab omni macula purum conserva. De hoc osculo sancto aliud quoque afferri potest. Quid tandem? templum Christi sumus. Itaque templi vestibula, & aditum osculamur cum alii alios osculantur. At non cernitis, quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu terrentes. At per has portas & januas ingressus est Christus, & ad nos ingreditur cum communicamus. Idem *lib. I. de Compunctione.* Osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in usu est, sed vereor, ne forte plures ex vobis labiis hoc tantùm modò faciant, cum Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret. Anastasius Synaita oratione de sancta Synaxi: Propter hoc ipsum nos mutuò in osculo pacis amplexamur, ut omni colligatione impietatis & cordis duritie abjectâ, puro corde ad Dominum accedamus.

Haymo Halberstadiensis in Epist. ad Rom. c. XVI. Mos traditus est Ecclesiæ, ut convenientes fideles ad audiendum verbum divinum, Missarumque celebrationem, post orationes osculo dilectionis suscipiant se invicem. Confer *Jacobi Pamelii Notas ad Tertullian. de Orat. p.* 176. *Optatus Milevitanus narrat lib. I.* Lucillam fœminam potentem & factiosam, quæ schismati Donatistarum occasionem præbuit, solitam fuisse ante communionem os cujusdam Martyris, si tamen Martyris, aut si Martyris, necdum vindicati, osculari, qua de re à Cœliciano tunc Archidiacono, postea Episcopo Carthaginensi correpta, ipsi Cœciliano irata, schisma adversus illum suscitavit. Hæc autem mulier ideò reprehensa putatur, quod fraternum osculum, quale sibi mutuò ante susceptionem corporis Christi præbebant fideles, vel dedignata, vel eo non contenta, incertas insuper reliquias osculari præsumeret. Add. *D. Henricus Rixner lib. de veter. Christianor.* circa S. Eucharistiam institutis & ritibus cap. 7. Et *D. Joachim Hildebrandus libello* de priscæ Ecclesiæ sacris public. templ. & fest. diebus Cap. I.

§. V. Post usum S. cœnæ adhibitum esse osculum ex Loco *Clementis Alexandrini*, qui simul ejusdem formam describit, colligo. Ita verò ille *lib. III. Pædagog. cap. 2.* Regno dignè gustato, ore modesto & clauso benevolentiam animi ostendamus, per quod maximè se exercet mansuetudo morum. Illud autem aulicis quandoque negabatur propter contentiones. Scholiastes *Tertulliani lib. de Oratione*, osculum pacis inter Missarum solennia dari consuetum attingens, ait: Circumferatur patena pacis inter fideles, prætérquam tamen inter aulicos, quos unanimes esse & pacificos non sinit ambitio. In aulico solo ægrè pax coalescit, in quo ambitio adolescit, juxta *Novarinum lib. V. Electorum c. 62. p. 187.* Hoc enim osculum animos mutuò conciliat, & omnem malorum oblivionem illis spondet, signum igitur est hoc osculum reconciliationis, universæque injuriarum memoriæ deletæ, verba sunt *Cyrilli Catechef. Mystagog. V.* In eandem sententiam quoque *Augustinus sermon. LXXXIII. de diversis*, eleganter scribit: Post orationem

Do-

Dominicam, quam accepistis & reddidistis, dicitur Pax vobiscum, & osculantur se invicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde illius non recedat. Deinde clamat Diaconus: Complectimini & osculamini vos invicem; atque hinc mutuò nos osculo salutamus. Non hoc ita accipias quasi osculum illud sit ejusmodi, quale in foro inter communes amicos esse consuevit. Neque enim tale est. *Metrophanes Critopolus confession. Cathol. & Apostolicæ Ecclesiæ in Orient. c. IX. p. m. 101.* Edit. Helmstadiens. Participes facti S. Eucharistiæ mutuo se osculo salutant, altero quidem dicente, Christus est in medio nostrûm; altero respondente, & est, & erit. A festo autem Paschatos usque ad Assumtionem Domini inter salutandum hic quidē dicit, *Christus resurrexit*, ille autem, *revera resurrexit*. Posteà verò per totum annum priora repetunt. Cæterùm salutatio Paschatos non tantùm fit inter sumtionem, (S. Eucharistiæ) sed & in plateis, in vicis sibi invicem occurrentes salutant sese mutò, altero dicente, *Christus surrexit*, altero respondente, *Reverà surrexit*. Hoc ipsum fit usq; ad Assumptionem Domini Similiter mulieres inter se faciunt. Quantam lætitiam ex perceptione Eucharistiæ primi Christiani hauserint, *Gabriel Albaspinæus lib. I. observat. c. 12.* docet his verbis: Reperti in Ecclesia sunt, qui eâ (Eucharistiâ) sumtâ mox ad Martyrium, quasi impotentes lætitiæ, ultrò sese offerrent. Antequam autem aris admoverentur, ut hoc tàm divinum & immortale munus haurirent, vidisses mutuos inter se complexus, quò tanta sibi invicem gaudiorum oblectamenta OSCULO impertirent. Hi Dies, quibus Eucharistiam sumsissent, vocabantur antiquis dies lætitiæ, dies remissionis, dies immunitatis, dies solennitatis, dies festivi. *Hæc ille*. Tale osculum in quibusdam Ecclesiis etiamnum frequentare Canonicos ante S. Synaxin *Cornelius à Lapide* Commentar. in II. ad Corinth. XIII. v. 12. *Henricus Pintus* in Christo crucifixo lib. V. Tit. 3. loco 6. p. 735. Et *Johan. Ludovicus de Lacerda* Adversar. Sacror. cap. 81. num. 22. p. 113. tradunt. Quemadmodum verò aulicis quan-

quandoque osculum denegabatur, sic etiam Laicis profundam pœnitentiam agentibus nulli osculum impertire licebat. Ἀρχαιονομία Anglorum, de priscis hujus gentis legibus, Cantabrigiæ edit. Anno MDCXLIII. illud pos. 82. 83. fusè insinuat; pauca saltem inde excerpimus: Profunda illa pœnitentia est, cum Laicus deponat arma, & peregrinetur longè latèque nudus pedes, qui bis non pernoctatur loco uno, qui jejunat multum & vigilat, qui dies & noctes ardenter orat, & non invitus semet conterit, & qui adeò est incultus, ut nec crines nec ungues ferro tetigerit; (al. tangat) qui nec balneum intrat calidum, nec cubile molle, nec carnem gustat, nec quid è potibus, quod faciat ebrium, qui Ecclesiam non ingreditur, sed tamen loca sacra quærit fervidus, & peccata confessus intercessionem rogat; qui neminem OSCULATUR, semper autem reatus suos acerrimè deplorat. Vide *Seldenum de Synedriis Hebr. lib. I. cap. XIII. p. 516. 517.*

§. VI. Porrò si ad Praxin veteris Ecclesiæ curatè respicimus, Agapatum fruitioni procul dubio oscula isthæc fraterna admixta fuerunt. Agapæ vocabantur convivia sacra primitivæ Ecclesiæ, à fine sibi præfixo; quia ad mutuam charitatem fovendam, & ad pauperes refocillandos post Sacram Synaxin in Ecclesia celebrabantur. ἀγάπη penes Græcos est amor, dilectio, charitas. *Hieronymus*, vel quisquis autor sit Commentariorum vulgo Hieronymo adscriptorum *in Epist. I. ad Corinthios*, *cap.* XI. In Ecclesia convenientes oblationes suas separatim offerebant, & post communionem, quæcunque eis de sacrificiis (de his nimirum, quæ quisque obtulerat) superfuissent; illic in Ecclesia communem cœnam comedentes, pariter consumebant. Et *Chrysostomus* in eandem Epistolam *hom.* XXVII. Statis diebus menses faciebant communes, & peracta Synaxi, post Sacramentorum communionem omnes commune inibant convivium; divitibus quidem cibum adferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus. *Zonaras in Can.* LXXIV. *Trullan.* Antiquitùs, *inquit*, mos erat post communionem divinorum mysteriorum coëpulationes & compotationes fieri, divitibus epulas suppeditanti-

bus, ac præterea pauperiores invitantibus. Meminit quoque Agaparum Judas Apostolus vers. XII. quorundam impietatem his verbis arguens: Hi sunt ἐν ταῖς Ἀγάπαις, vel (juxta veteris Interpretis versionem,) In epulis vestris maculæ, dum vobiscum epulantur, sine timore seipsos pascentes. *Oecumenius in h. l.* Erant, *inquit*, eo tempore mensæ, quæ parabantur, de quibus & Paulus in Epist. ad Corinthios loquitur, quas etiam Ἀγάπας appellabant. Idem in ipsam Pauli epistolam: Præcipuis diebus festis post Sacrorum Mysteriorum participationem, agebantur communes cœnæ, præparantibus illas divitibus, ac pauperes invitantibus. Publicum istud Ecclesiæ convivium eleganter describit *Tertullianus in Apologetico cap.* XXIV. his verbis: Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est, quantiscunque sumtibus constet: Lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque refrigerio isto juvantur. Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt: Bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Æque oratio convivium dirimit, inde disceditur, non in catervas cæsionum, neque in Classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint quam disciplinam. De Agapis etiam puto intelligenda esse, quæ *Plinius junior* de Christianis ad Trajanum Imperatorem scribens *Lib.* X. *Epist.* 97. exhibet: Affirmabant, hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die, ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegareut. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, & rursus coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. Promiscuum vocat Plinius, quia omnes in illis conviviis promiscuè accumbebant,

bant, ſine ullo diſcrimine perſonarum aut qualitatis, ut neq; dives prior neque pauper poſterior accumberet.

§. VII. Inveniuntur autem Agapæ apud antiquos Scriptores potiſſimum triplici de causâ celebratæ. Quædam fiebant occaſione nuptiarum, in quibus invitabatur ipſemet Epiſcopus, dicebanturque Agapæ connubiales. Aliæ inſtituebantur in ſanctorum Martyrum feſtivitatibus, hinc Agapæ natalitiæ dictæ. Alia tandem convivia in exequiis præbebantur, Agapæ funerales appellatæ. Nazianzenus in Carmine de diverſis vitæ generibus:

Non epulum natale adiens cum pluribus, aut quod
Funereum eſt, vel quod connubiale petens.

De funeribus admonuit Clericos *S. Clemens Lib. III. Conſtitut. Apoſtolic. cap. XLV.* inquiens: Qui in exequiis mortuorum ad convivium funebre invitati eſtis, ordine & in timore Dei epulamini, ut poſſitis preces pro defunctis exhibere Deo. Mos erat invitandi præter Clericos, etiam pauperes, amicos & affines, ut obſervavit *Origenes in Jobum lib. X.* Ex Concilio Gangrenſi in Gratiani decreto diſtinct. XLII. c. 1. habetur; Si quis deſpicit eos, qui fideliter Agapas, id eſt, convivia pauperum exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare, hujuſcemodi convocationibus, parvipendés quod geritur, anathema ſit. *S. Paulinus Epiſt. LXXXI.* Aletio ſcribens, ejus magnificentiam in funeralibus Agapis pro Rufinâ uxore in Baſilicâ Vaticanâ celebratis valdè commendat his verbis: Patronos animarum noſtrarum pauperes, qui tota Roma ſtipem meritant, multitudinem in aulam Apoſtoli congregaſti. Pulchro equidem tanto operis tui ſpectaculo paſcor. Videre enim mihi videor tota illa religioſa miſeranda plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos, tantis influere penitùs agminibus in ampliſſimam glorioſi Petri Baſilicam, ut pro januis atrii, & pro gradibus campi ſpatia coarctentur. De Agapis Solennibus pro Eccleſiarum dedicationibus *D. Gregorius* loquitur *lib. I. Epiſt. 54.* ubi Petro Subdiacono neceſſaria pro ſimilibus conviviis ad dedicationem cujuſdam Oratorii committit. Conf. *lib. IX.*

lib. IX. *Ep.* 71. ad Mellitum Abbatem. Tandem hæc antiquissima in Ecclesia convivandi ratio, cum paulatim ambitione Divitum, partim etiam multitudinis insolentiâ & luxu in desuetudinem veniret, multosque post se abusus traheret, ab Ecclesiarum præsulibus severè prohibita est; unde tot in Conciliis contra illa convivia monita, decreta, & Constitutiones occurrunt. In *Decret. Gratiani distinct.* XLII. *c.* III. habetur: Non oportet ministros altaris, vel quoslibet Clericos ad Agapem vocatos partes tollere propter injuriam, quæ ex hac occasione Ecclesiastico ordini poterit deputari. Laodic. Concil. In eodem Decreto Gratiani notatur ex *Carthaginensi Concil. IV.* quod nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesiâ conviventur nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi ab hujusmodi conviviis quantum fieri potest, prohibeantur. *Distinct.* XLII. *c. V. Concil. Constantinop. VI.* c. LXXIV. ubi Charitates appellantur, & penitus suppressæ à S. Ambrosio, ejusque exemplo à D. Augustino, qui ab Ecclesia Africana eas expelli curavit, cum deperdita jam prospiceretur cana illa Christianorum simplicitas. Cui reformatori, ut suaviùs tales abusus cohiberet, Aurelius Carthaginensis Episcopus scripserat in hunc modum: Magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quàm minando, Epist. LXIV. Eundem scopum tangunt Augustini verba Confession. lib. IV. cap. II. Cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa fieri solebat, (Monica) pultes & panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur: Ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam piè atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quàm disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Sed illa cum attulisset canistrum cum solennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. Etsi multæ essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat, quod jam non solùm aquatissimum, sed etiam tepidissimum cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur:

 quia

quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem. Itaque ubi comperit à præclaro prædicatore atque antistite pietatis, præceptum esse, ita non fieri, nec ab eis qui sobriè facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia, superstitioni gentilium essent simillima abstinuit se libentissimè, & pro Canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat, ut & quòd posset daret egentibus. Hæ immoderata convivia propter nimiam licentiosamque celebrationem mutuamque dissensionem, suo quoque tempore reprehendit *Tertullianus, lib. de Jejun. adversus Psychicos cap. XVII.* Apud te, *inquiens*, Agape in cacabis fervet, Fides in culinis calet, Spes in ferculis jacet. Non oportet in Basilicis seu in Ecclesiis Agapem facere, & intus manducare, vel accubitus sternere non licet; sunt verba Canonis *IV. distinct. 43.* Catechumeni verò ad hæc convivia non admittebantur, quia nondum habiles erant ad communionem, sicut nec pœnitentes publici, qui eam recipere nequibant. Plura exhibet *Jacobus Bosius lib. VI. Romæ subterraneæ. cap. XXVII*

§. VIII. In Ecclesia Orientali ad præsens usque tempus hæ Agapæ perdurant. Hodierni enim Græci post sacram Mysteriorum communionem in Festo Paschatos, allaris in Ecclesiam epulis communiter convivantur, solenne quod sequitur carmen concinentes: Χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, θανάτῳ θάνατον πατήσας, καὶ τοῖς ἐν τοῖς μνήμασι ζωὴν χαρισάμενος, uti *Georgius Cassander* in Liturgicis adducit. Quin *Dominicus Macer* se occasione festivitatum & funeralium Agapis sæpe interfuisse memorat *Hierolexici p. 15.* quamvis illæ non intra Ecclesias sed penes ipsas sub dio, vel in privatis domibus institutæ sint, juxta id, quod D. Gregorius lib. IX. epist. LXXI. Anglicis noviter ad fidem conversis præscripserat, permittendo eis scilicet, ut non longè ab Ecclesiis, in tuguriis virentibus frondibus fabricatis talia convivia recolerentur. Itaque inter alia convivia, pergit *Macer*, in quibus ibi præsens fueram, sumtuosissimum illud erat, non minùs ac devotissimum montis Libani, quando de Anno M DCXXIV. pro sanctæ sedis Apostolicæ negotiis ad

Patri-

Patriarcham accesseram, ibi enim in festivitate Patriarchalis Ecclesiæ, quæ sub Titulo Deiparæ assumtionis est, conviviu m celebratum fuit, in quo interfuerunt Episcopi non pauci, magna Clericorũ caterva, & innumerabilis populorum concursus, non enim in hoc venerabili cænobio, excepto hoc solùm die, carnes mãducare, nec unquam animalia mactare licet, quod pro hac die extra clausuram permittitur. At Patriarcha cum cæteris Monachis, & Episcopis ejusdem ordinis seorsim comederunt, eorum enim Regula, quæ est D. Antonii Abbatis, nunquam carnes manducare permittit: Unde Maronitæ monachi, licet ad Prælatitias dignitates ascendant, observant nihilominùs hanc carnium abstinentiam, sicut & reliquas Antonianas constitutiones, in ruralibus Insulæ Melitensis Ecclesiis, cum aliquod festum celebratur, solent post Vesperarum solennitatem, buccellas una cum fructibus populo distribuere, Græci verò placentas, & subcinericios panes distribuunt, & in exequiis dant granum frumenti coctum, & benedictum, quod condimentis ut bellariorum, & id generis, adulcare solent, quæ κόλυβα, id est, coliva, latinè Bellaria vocamus. Græcè tamen κωλίφιον & Coliphium latinè ipsum panem subcinericium significat. *Plautus in Persa act. I. Scen. III.* Coliphia mihi ne incocta detis: *& Juvenalis Sat. II. v. 53.*

Luctantur paucæ, comedunt Coliphia paucæ.

Taubmannus ad Plauti verba allegata ait: Coliphia erant panes cum recenti caseo commixta. Esculentum hoc frumenti cocti originem duxit ex capitali in Christianos Juliani Apostatæ odio, dum ipsi Constantinopoli Quadragesimam observabant, jusserat ille, ut publicè comestabilia vendentes, non nisi contaminata & idolis immolata exponerent, ad cogendos scilicet Christianos, ut aut illa comederent, aut fame perirent, verùm in visione à Sancto Theodoro admoniti, ut loco panis coquerent frumentum, quod actum fuit per integram hebdomadam, solicitè egenis ditiores subveniendo, & hoc pacto imperialis intentio frustrata, edictum revocavit: Ob hanc igitur tanti facti memoriam continuarunt deinde

inde Constantinopolitani fideles in gratiarum actione illius S. Martyris, ad anniversarium ejusdem, ea coquere, atque amygdalis, uvis passis, nucibus à corticibus dimembratis, granis mali Punici, foliisque apii breviter tritis: hoc granum commiscere solebant, quæ compositio Symbolicè varias sanctorum virtutes denotat, & pauperibus distribui solet, docente Nectario Episcopo, apud *Baronium* ad annum Domini CCCLXII. Qui ritus à Græcis in Melita introductus observatur ibi solùm in funeralibus, & *Coccià* etiam vocatur; Moschi tamen appellant *Cothià* panem illum benedictum, quem in Ecclesia pro mortuorum suffragio dispensant. Casalius in aliquibus Galliæ & Hispaniæ locis Agapas adhuc in usu esse tradit, & colligitur ex Lapide S. Ildephonsi altaris in Ecclesia Hispanorum S. Jacobi Romæ.

§. IX. Post exsufflationem in Baptismo antiquitùs dabat Sacerdos pacem cum osculo, hoc est, Sacerdos osculabatur baptizandum, sive esset infans sive adultus, dicens: Pax tibi, teste *Johanne Stephano Durando* de ritibus Ecclesiæ Catholicæ Lib. I. c. 19. p. 105. & *D. Matthia Zimmermanno* Superintendente Misnensi, Dissertat. Historico-Theolog. ad illud Tertulliani, *Fiunt, non nascuntur Christiani*. §. 74. *Josephus Vice-Comes Observation. Ecclesiast. Volum. I. de Antiquis baptismi ritibus & Ceremoniis lib. V cap. I. p.* 305. singulare quidpiam in medium producit scribens: Absoluto baptismo statim minister baptisatis oscula figebat, quod manifestè quidem *S. Cyprianus* significavit epistolâ LIX. ad Fidum Episcopû, ubi simul cum cæteris collegis, qui Synodo interfuerant, redarguens opinionem ejus qui asserebat, ante octavum diem sacro Lavacro admovendos non esse, quod eo tempore propter contractas in utero sordes, nemo illos amplecti & osculari sine stomachi fastidio posset, sic, inquit, Deus personã non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate libratâ præbeat patrem. Nam & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, mundũ non esse dixisti, quod unusquisq; nostrûm horreat adhuc exosculari, nec hoc putamus ad cœlestem gratiam dandam

dam impedimento esse oportere. Scriptũ est enim: omnia munda mundis: nec aliquis nostrûm id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat, quando in osculo infantis unusquisq; nostrûm pro suâ religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare; quas in homine modo formato & recens nato quodam modo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur. Quæ nisi osculandi consuetudinem receptissimam fuisse ostenderent, vanum esset puerorum sordes in medium afferre. Intelligere quoque ex his potest Lector, oscula non modo Infantibus, verùm etiam adultis atque adeò ipsis fœminis impingi consuevisse, propterea quod naturali infantum sordi opponit peccatorum saniem, qua grandiores utriusque sexus miserè inficiuntur: Et ea cum amplexu in imo pede figi solita, quorum primum verbo amplectimur, alterum vestigio expressum est: ac demum ejus moris rationem fuisse, ut innueretur pax & gratia, quam qui aqua lustrali tingebatur cum Christo & Ecclesia inibat. Huc usq; *Vice-Comes*. Eadem ferè reperiuntur in *Bellarmino, de Baptismo cap. 27. Vasquezio in 3. Thomæ. quæst. 71. disp. 166. cap. 6. §. 72. 73. & Johanne Baptista Casalio, de Veterum Christianorum sacris ritibus. c. V. p. 44.* Qui omnes hanc osculi ceremoniam post baptismum longè antiquam esse contendunt. Imò *Vice-Comes* eandem diu ante Augustini tempora viguisse statuit. Verùm fallit & fallitur. Ecquis enim credet, ritum adeò singularem, si unquam apud Veteres in usu fuisset, non memoratum aliquem ex tot illorum seculorum scriptoribus, qui totum Baptismi ordinem anxiè descriptum, in suis monumentis posteritati reliquerunt: ex vetustissimis quidem Tertullianus, ex quarto quinto & sexto seculo Pseudo-Clemens, Pseudo-Ambrosius & Pseudo-Dionysius, in iis operibus, quæ vel propriè de Baptismo, ut Tertullianus, vel etiam de universis Sacramentis eorumque legitima administratione, ut tres illi posteriores laboriosè concinnarunt. Sed nullum hujus ritus vestigium, vel in his vel in aliis, sive antiquissimorum, sive iis paulò recentiorum monumentis ex-

tis exstat. De osculo post Eucharistiam dato & accepto omnes ferè memoranti osculi baptismalis nemo mentionem facit, multo minus peregrinum illum & Ecclesiæ ignotum osculandi in imo pede baptisati modum verbulo tangit. Propterea *Vice-Comes & Bellarminus* à Doctissimo *Dallæo de cultibus Latinorum Religiosis lib. I. cap. 2.* meritò vapulat. Locus *Cypriani* allegatus nihil aliud insinuat, quàm quod Fidus Cypriani Antagonista parvulis nondum octo dies natis, non baptismum modò, sed etiam Eucharistiam necessariò denegaverit, quippe quæ nemini nisi baptisato confertur. Perspicua sunt Cypriani de illo verba: Intra octavum diem, eum qui natus est, baptisandum & sacrificandum non putabat. Non solùm baptisandum, sed quoque sacrificandum negabat, id est, quod omnes concedunt, communicandum & Eucharistico sacro participandum. Cum enim mos obtinuerit, ut infantibus baptisatis statim Eucharistia communicaretur; Fidus non potuit eos Baptismo excludere, quin & Eucharistiá, unaque iis quæ illam consequebantur, quorum unum fuit osculum, privaret. Fidi ratiocinium tale est; Parvulus ante octavum diem Eucharistiæ particeps fieri nequit, eo quod recens nato, & à nativitatis sordibus immundo nemo osculum post communionem solenne daturus esset; Jam autem nemo Eucharistiam accipit, quin pacis osculum communicatus à fidelibus accipiat. Infantes à partu adhuc sordidos nemo ad osculum admiserit, Ergò neque parvulorum quisquam antequam eum octavus dies à partu mundaverit, ad Eucharistiam, neque adeò ad baptismum, quem illa tum temporis necessariò sequebatur, admittendus erit. Ex his quilibet capit, quàm infirmo illud Vice-Comitis de osculo baptismali figmentum fundamento innitatur. Locus Augustini Libro IV. contra Epistol. Pelagii cap. 8. à Vice-Comite adductus, nulla explicatione indiget, quod ipsissima saltem Cypriani verba proponat, nihilque novi indigitet.

§. X. Ulterius Vice-Comes l. d. cap. XXXVI. p. 100. meminit, moris fuisse apud Veteres, cum Vir & fœmina ad suscipiendum Baptisandum admittebatur, ut susceptor susceptrici osculum

luminingeret. Ex qua consuetudine scriptum est à *Gratiano III. parte Decreti de consecrat. dist. not. 4. c. 104.* Monachi sibi compatres commatresve non faciant, nec osculentur fœminas. Hoc est, nec una cum fœminis de sacro fonte infantes suscipiant. Proinde Glossa in eundem locum inquit; fortè tangit consuetudinem alicujus loci, ubi Compatres osculabantur Commatres. Cujus ego ut expositionem partim amplectar, dubitationem tamen & circumscriptionem non admitto. Nam credere fas est, ubique eam consuetudinem viguisse, ut signum esset susceptorem cum susceptrice spirituali affinitate devinciri. Cujus rei fundamentum à gentilium Hebræorumque moribus ductum est, qui propinquos & affines osculati sunt. Nunc autem ea consuetudo penitus abrogata est, tum quia spiritualis affinitas inter omnes constat, ut eam externis signis declarare necesse non sit, tum quia providere oportuit, ne hujusmodi ceremoniæ adhibeantur, quæ perditis & nefariis hominibus peccati, aut offensionis materiam afferre possint. Osculi post Baptismum disertè meminit *Justinus Apologia II.* Postquam, *inquit*, eum abluimus, qui credit, ducimus eum ad locum quo convenerunt comprecandi causâ, sub finem precum nos inter nos osculo salutamus. Quæ verba non simpliciter de osculo post baptismum dato vel accepto, sed juxta tenorem veteris disciplinæ Ecclesiasticæ, post communicationem Eucharistiæ actum baptismalem subsecutam accipienda arbitror. Antequam Vice Comitem planè dimittam, addo encomium ipsi à *Dallæo de Cult. Latin. religios. lib. I. cap. X.* haut frustra tributum, ne scilicet lectores sibi ab illo imponi patiantur. Ut semel dicam, quod res est, is est Vice-Comes qui nullo vel certè exiguo delectu in citandis auctoribus utitur, veros & falsos, certos & dubios, veteres & recentes promiscuè habet, veluti id sibi tantum negotii datum crederet, ut de antiquis baptismi ritibus crassum nobis, grande ac pingue volumen, multis nugis ac fabulis, multis in nostros, quoties occurrunt, conviciis, lædoriis ac maledictis refertum cuderet.

§. XI. Abſtinebant verò ab hac oſculandi conſuetudine diebus illis, quibus promulgatum erat integrum atque plenum jejunium, feriâ ſcilicet ſextâ majoris hebdomadæ, Sabbathoque Sancto, extraordinariis item jejuniis, quæ graviorem aliquam ob cauſam ab Eccleſiâ indicerentur. *Tertullianus lib. de Oratione cap.* 14. Sic & die Paſchæ, quo communis & quaſi publica jejunii religio eſt, meritò deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando. Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes habitâ oratione cum fratribus, ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum Orationis. Cauſa intermiſſi hujus oſculi communiter à Patribus affertur illa, quod nempe Eccleſia oſculum Judæ deteſtaretur, memoriamque ejus ex animis hominum radicitùs exſcindi vellet. Aliæ tamen adhuc rationes in medium duci poſſunt, quæ intimam conſuetudinis naturam & genuinam cauſam demonſtrant, qualis illa Tertulliani eſt in loco modò propoſito: ceſsâſſe oſculum propter publicum jejunium populo die Veneris celebrandum indictum. Cur jejuniorum integrorum temporibus, oſculum pacis excluderetur, omnium doctiſſimè ex antiquitate eruit *Albaſpinæus Obſervat. XVII. lib.* 3. dicens: Quo hujus antiquæ diſciplinæ ratio penitùs cognoſcatur, non ſatis fuerit dicere, Die Veneris ſancto oſculum quodammodo vetitum, quod jejunium eo die non interruptum, ſed integrum eſſet: ſed prætere a demonſtrandum eſt, cur diebus jejuniorum integrorum minus honeſtum decorumque oſculum putaretur, qua de re obſcurè neque ſatis planè & perſpicuè Patres loquuntur, neque quid ſentiendum ſit, niſi conjectura aſſequi potes, cujus quidem conjecturæ ratio ſola non ea eſt meo judicio, oſculum lætitiæ & gaudii publici teſtimonium quoddam, & indicium fuiſſe certiſſimum: quod animi lætantis, & geſtientis argumentum, die jejunii præſertim, in lucem quodammodo proferre nefas ducerent; Sed hoc unum VERE APPOSITE, ET PROPRIE dici poteſt, cum jejunia illa integra inducerentur primis illis temporibus, neque Sacrificii, neque communionis uſum ullum extitiſſe, ex eoque conſectarium illud, nullum ut oſculum multas ob cauſas libara-

libaretur: Primò, cum neque Sacrificii, neque communionis ulla fieret mentio, neque Missa, neque Sacrificium ullum solenne usurparetur, osculum ideò fuisse quasi neglectu m & omissum. Secundò, prætermisso Missæ sacrificio sacerdotem pacem Domini populo non impertiri consuevisse, propterea Christianos non mutuo inter se circumdato osculo usos fuisse. Tertiò verba illa sancti *Chrysostomi* afferri possunt, *Homilia de proditione Judæ*: Sanctum osculum teneamus, quod animas sociat, reconciliat mentes, & unum corpus videmur esse sortiti, & ideò misceamus nos in corpore uno, non in corporum mixtione, sed animorum charitate devincti, ut sic divinæ mensæ possimus fructibus satiari. Ad extremum *Tertullianus*, osculo pacis in partem meriti & gratiæ, quæ tempore Missæ Sacrificii comparabatur, unumquemq; à fratribus cooptari & adsci sci: cujus Sacrificii cessatione ejusquoq; fruendi causa nulla erat, ut ipsi de nostrâ operatione participent, quam auderent de sua pace transigere fratri: uno verbo, ut paucis perstringam, quid aliud his verbis innuit, quale Sacrificium est à quo sine pace receditur, quam osculum dare omnino consuevisse propter Sacrificium. Sed objicitur Divus *Ambrosius serm.* 34. Cujus expressa sunt verba, quæ confirment, etiam in quadragesimis jejuniis osculum datum esse, quemadmodum pacem Episcopo porrigentis, ne fortè ipso Spiritu osculi vestri vos reprobet: possunt & stationum dies proferri, quibus & si hora tantùm tertia pomeridiana jejunium solveretur, Pacis tamen osculum intercederet. Respondeo, vera esse illa, tantumque à nobis asseri, jejunioram integrorum diebus osculum vetitum: Jejuniis, inquam, iis, quæ sub Vesperam tantum solverentur: quibus quia nullū sacrum, nullumq; Sacrificium offerebatur, ita etiam nullum pacis osculum interponeretur: sicuti neq; feria sexta majoris hebdomadæ, Sabbathoque sancto, extraordinariisque jejuniis, quæ graviori aliqua de causa ab Ecclesia imperarentur. Sed quibus diebus ad nonam tantùm, aut etiam ad meridiem jejunium protrahebatur, cum in iis etiam sacrum fieret, osculum etiam porrigebatur. Quare cum in quadragesimæ stationumque diebus primùm hora tertia pomeridiana, & deinde remitten-

te se nonnihil severiore disciplina, meridiè sacrum procuraretur, osculi etiam erat concessa usurpatio, atque eam esse causam illius consuetudinis arbitor, non autem in Judæ osculum quasi detestandum referendam: sed enim tantum in feriam sextã sanctioris hebdomadæ, non item in Sabbathum sanctum cadere potest. Deinde constat ex Tertulliano, eos qui libenter & extraordinariè quoque anni die jejunarent, voluisse etiam osculo parcere, imitantes in eo quidẽ, sed malè Ecclesiã, quæ integris Jejuniis osculo interdiceret. H. J. Conf. Joh. Baptista Casalius de Sacr. rit. c. 59. p. 236.

§. XII. Cæterùm à Doctis observatur, Missas pro defunctis sine osculo pacis perfici, cujus variæ apud Scriptores rationes recensentur. *Magister Albinus Flaccus Alcuinus de divin. offic. cap. I.* circa finem, *p. m.* 1134. *Edit. Paris. in fol. Anno MDCXVII.* sed hoc notandum, quia quod Missæ mortuorum absque gloriâ & Allelujah, seu pacis osculo celebrantur, quod est indicium lætitiæ, ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. *Amalarius Fortunatus* Episcopus Trevirensis, *lib. III. de Offic. Eccles. cap.* 44. *Tomo IX. Bibliothecæ magnæ Patrum part. I. p. m.* 362. *col.* 2. repetit Alcuini initialia verba & addit: Nulli dubium, quin mos sit vindicta primi peccati, ac ideo sine gloriâ & Allelujah celebratur, quasi sine oleo & Thure. Notandum est etiam, quod officium pro mortuis ad imitationem agitur officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Jam prætulimus, quod novimus, quare in officiis passionis Domini, pacis osculum non debemus; hic nescimus aliud proferre, nisi quod ibi prælibavimus, quoniam ibi non agitur osculum pacis, nec hic agitur. *Durandus lib. IV. Divin. offic. cap. LIII.* §. 8. In Missa pro defunctis pax non datur, quia fideles animæ, jam non sunt, nec ulterius erunt in turbatione hujus mundi, sed quiescunt jam in Domino, unde non est eis necessarium pacis osculum, quod est pacis & concordiæ signum. Hinc est quod etiam inter Monachos pax non datur, quoniam mundo mortui reputantur *de Consecrat. Dist.* 2. *Pacem. Rursus lib. VII. cap.* 35. §. 30. Pax etiam triplici ratione non datur, primò quia hoc officium triduanum Christi sepulturam vestigio sequitur, ubi pax non datur propter Judæ osculũ

dete-

detestandum. Secundò, quia non communicamus mortuis, quia non nobis respondent. Nos enim sumus in sextâ ætate, illi in septimâ. Tertò, quia de mortuo homine nescimus adhuc, utrum sit ipse de conformitate Ecclesiæ, & pacem habeat cum suo creatore & reconciliationem, ideo pacem admissam non damus. Addo *initium* Albaspinæi l.c. Quando causâ omissi osculi in osculum Judæ transfertur, non video quî convenire mortuorum sacris possit. Existimo itaque, probabilius esse ideò in mortuorum sacris osculum non persolutum esse, quod olim privata essent illa sacra, non autem solennia, hoc est, non essent instituta, ut in eis publicè fideles omnes communicarent, perinde atq; Dominicis festisq; diebus fieret. Nam in Canone 4. *Concilii secundi Vasensis* discrimen expresse ponitur inter solennia mortuorumq; Sacra. Itaq; cum in iis sacris non communicaretur, nullum etiam osculum dabatur. Eadem ratio facit pro Monachorũ sacris, in quibus pariter osculo parcebatur, non quidem, ut nonnulli autores de divinis officiis volunt, "quod mortui mundo cẽserentur, quasi mortuos inter & vivos nulla intercederet communio, & cum iis cõmunicandum non esset, "qui uno eodemq; cum vivis Ecclesiæ corpore comprehenduntur." Quare si cum mortuis communicandum est, non est in eorum "sacris prohibendum osculum? quandoquidem cõmunionis signũ "est, coarguitq; Christianos, ut simul osculo conjungũtur, ita & eo- "dem Ecclesiæ corpore simul omnes consociari. Vera igitur ac germana ratio inde desumenda est, quod Monachorum missæ sacrificia privata essent, & in iis nulla generalis communio fieret, quare osculum, quod ad solas pertinebat generales communiones, omittebatur. Huc accedit, rarò admodum Monachos Eucharistiam percepisse, quod Laici essent, perpetuòq; pœnitentiæ vitæq; asperitatibus conficerentur, quo in statu seu tempore, vix ad Eucharistiam participãdam, ac ne vix quidẽ accedere solerent. Videatur *Andreas Piscara Castaldo in Praxi Ceremoniarum. lib. II. Sect. VI. c. 5. §. 12. p. 242. Gabriel Biel, lectione LXXXI. super canone Missæ. Johan. à Turrecremata in Decreta Gratiani Tomo IV. de Consec. dist. II. Can. pacem. §. 2. p. m. 67. Joh. Baptista de Rubeis, lib. IV. Div. Offic. c. 45. fol. 435. Julius Lavorius de Laurino, Tom. I. Variarũ Elucubrationũ Tit. II. c. 3. §. 56. pag. 84.*

§. XIII. Nemo tamen existimet oscula quondam in Ecclesia promiscuè impertita esse, ut illa viri cum fœminis, fœminæ contra cum viris indistinctè miscerent. Viri enim seorsim agere à fœminis in Ecclesia solebant, quod vel ex *Josepho* colligere est, quippe qui *libro VI. de bello* Judaico *cap. 6.* templum Hierosolymitanum describens, inter alia necessariò, *inquit*, proprius locus, qui religionis causâ mulieribus destinatus muro discernebatur; altera quoque porta opus habere videbatur. Contra primam verò secreta erat, ex aliis regionibus una porta Meridiana, & una Septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur, per alias enim transire ad mulieres non licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis & hospitibus fœminis, Religionis causa venientibus. Idem declarat *Philo Judæus, libro de vitâ contemplativâ:* Commune σεμνεῖον, (i. e. monasterium religiosorum) in quo septimo die conveniunt (Esseni in Ægypto apud Alexandriam versantes) septo clauditur duplici separatis virorum & mulierum cœtibus: Nam mulieres quoque simul auscultabant, ex more, duntaxat, quæ institutum idem sectantur, medius autem paries à solo surgit tribus quatuorve cubitis, in modum loriculæ, superiora usque ad tectum patent: unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei sexus consulitur, & quod verba Doctoris exaudiunt, facilè absque ullis obstaculis, quæ vocem ejus intercipiant. *Clemens Romanus in constitut. lib. II. cap. 61.* ait: Ecclesiam construi solitam longo situ instar navis, in cujus medio, quod gremium dicimus, Episcopus unà cum Clero, ad utrumque latus posito sedeat, ex altera Ecclesiæ parte viri, ex alterâ verò manerent mulieres: & sicut loca ab invicem distincta erat, eodem quoque modo portæ, ut quâ viri ingrederentur, discreta esset ab eâ, quæ fœminis tantùm pateret. Et sicut virorum portæ ostiarius præerat, ita Diaconissæ demandata erat cura portæ mulierum. Adolescentulæ rursum, si sit locus, seorsum maneant cæteræ, & post stent, nuptæ & quæ jam liberos habent, seorsum maneant, Virgines & viduæ & anus, primæ omnium vel stent, vel sedeant. Idem ferè *Origenes tract. XXVI. in Matth.* docet, scribens: Venit ad nos traditio talis, quasi sit aliquis locus in tem-

in templo, ubi Virginibus quidem consistere licet & orare Deum; expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere. Inde *Ambrosius ad virginem lapsam* his verbis invehitur: Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant? Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse inscriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Divisa est mulier & virgo. Quæ non est nupta, cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit, sancta corpore & Spiritu. *Procopius* etiam *de ædific. Just. lib. I.* hæc habet: Sunt duæ utrinque porticus; quas fastigiata testudo & aurum venustant, harum una viros orantes, altera mulieres admittit. In Ecclesia quoque Romana distincta fuisse in Basilicis loca virorum & mulierum ex Symmachi & Gregorii III. Paparum vitis liquet. Alicubi invenio datum locum mulieribus in sublimi specula propè testudinem; clathris interpositis ut à virorum consortio, & colloquio subducerentur. Narrat Amphilochius præcepisse Basilium, ut vela è speculis suspenderentur, & si quæ mulier deprehensa esset caput emittere, ad respiciendum dum sacra agebantur, extra communionem fieret. Dicitur quoque idem Basilius apud Amphilochium, sive Chrysostomus, ut alii scribunt, Diaconum sibi ministrantem ab altari submovisse, eo quod mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset. Favet *Gregorius Nazianzenus* in somnio de templo Anastasiæ his versibus de seipso concionante:

Denique virginei cœtus, matronæ & honestæ
Erectis aures ad mea verba dabant.

Nec solùm dum starent in Ecclesia, sed etiam dum irent, hæc virorum & mulierum distinctio servabatur. Confluunt populi ad Ecclesias, *ait Augustinus lib. II. de Civ. Dei, cap.* 28. casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione. Erat enim in illis, ut sapienter scribit *Tertullianus de præscript. cap. XLIII.* gravitas honesta, apparitio devota, & processio modesta. *Amalarius Fortunatus lib. III. de Eccl. offic.*

Eccl. offic. c.32.p.453. Interrogatus sum, *inquit*, ab aliquibus, quare non invicem porrigant sibi oscula, viri & fœminæ in officio Missæ? quibus quamvis tunc non responderem, respondendum nunc fore arbitror. Carnales amplexus, quibus junguntur sæpissimè viri & fœminæ, vitandi sunt in Ecclesiæ conventu. Ac ideò sequestrantur viri & fœminæ in Ecclesia, non solum ab osculo carnali, sed etiam situ locali. Ab his personis dantur oscula mutua in Ecclesia, quæ nullam titillationem libidinosæ suggestionis cogunt suscitare. *Durantes Mimatensis*, scriptor seculi tertii decimi jam præcipitis *in Rationali div. offic. lib. IV. cap. 53.* Viri, *ait* & mulieres, non invicem osculum in Ecclesia porrigunt, ne forte aliquid lasciviæ surrepat.

§. XIV. Quamvis verò olim ad removendam concupiscentiarum pravarum ansam amoliendamque omnem suspicionem, viri à fœminis in S. Synaxi seorsim sederint, nihilominus tamen Ethnici Christianos eo nomine traducebant, ac si in congregationibus non tam Dei sui, quam Cotyttus sacra peragerent, convenientes quippe noctu, & osculis (quæ ipsi perperam incentiva libidinum interpretabantur,) conventus & inciperent & clauderent, imò nonnulli iisdem Ecclesias turbarent, perfidiâ & impudicitiâ inquinati. Idpropter duo illa exstantiora vitia Sanctis Patribus quotidianas easque gravissimas querelas extorserunt. *Athenagoras Atheniensis Philosophus, in legatione pro Christianis* hæc tela evibrat: Rursum cum religio nostra nos doceat, (sicut quidam vir sanctus scripsit) si quis osculum suæ cupiditatis causa repetierit &c. Summâ igitur cautione communicandum est osculum, ut non aliter quam pia salutatio, vel potiùs adoratio quædam habeatur; quæ si vel parum impurâ cogitatione inquinata fuerit, à vita æternâ nos alienet. Ergò spe vitæ æternæ freti, præsentem hanc, ejusque delicias, & sensuum etiam, animæque (non puras) voluptates contemnimus. *Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. III.* Dilectio non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo quàm Ecclesias conturbant, cum ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim in hoc utique turpem movit suspicionem & maledicentiam,

quod

quod imprudenter osculo uterentur, quod esse oportebat Mysticum, id sanctum vocavit Apostolus. Quis est, *inquit Augustinus*, qui non irascatur, videns fratres insidiantes fratribus, fidem non servantes osculo, quod insigunt Sacramentis Dei? Qui etiam doctissimus Pater alibi fœdam hominum luxuriem in eâ re ita notat: Ipsum osculum tantâ turpitudine fœdant, ut sic osculari, nihil aliud sit, quam adulterari. Et tamen non deerant admonita frequentia, de retinenda osculi sanctitate & improbi animi simulatione. Imò in Sacrosanctis ceremoniis & Liturgiæ Mysterio, Diaconus altâ voce denunciabat: μή τις κατά τινος. μή τις ἐν ὑποκρίσει. Nemo contra aliquem, nemo cum simulatione, ut Apostoli decreverant. *Clemens Romanus Constitut. Apostolic. lib. II. cap. 54. & 57.* Sed cum latè grassaretur vitium, cœpére quidam modestiores & retinentissimi honestatis se paulum ab osculandi consuetudine subducere, ut haud obscurè innuit *Tertullianus in extremo Lib. de Orat.* Præsides item Religionis, hierarchæ, ne impiorum hominum nequitiâ macula sanctis rebus adspergeretur, sensim eum ritum sustulerunt. Sed ne penitùs Mysticum illud inventum exolesceret, inductæ sunt tabellæ cum crucis vel Christi imagine, quas sequioris seculi Scriptores *osculatoria* vocant, & per templum osculandæ etiamnum circumferuntur, vulgus dare pacem nominat, *Ludovico Cresollio teste, Lib. IV. Mystagogi cap. VI. sect. 2. p. 894. Conf. Cardinalis Bona Rer. Liturgic. Lib. II. c. 16.* Sed tabella & imagunculâ subrogatâ minimè opus est, sufficit ut omnes osculentur vivam Patris imaginem, veræ charitatis non tàm symbolum, quàm scaturiginem, in quod osculum nulla cadere potest turpis suspicio, juxta *Rivet. Commentar. in Psalm. II. Tomo II. Operum pag. 29.*

§. XV. Non silentio hîc prætereundum est, Baptisatos quondam Catechumenis (ita S. Patres hos vocant, quibus fidei Mysteria vivæ vocis Ministerio tradebantur) osculum exhibere non potuisse, nec ave illis dicere. Ita enim *Karolus M. capitular. lib. VI. num. 92.* præcepit: Non liceat Baptisatis cum Catechumenis manducare, nec osculum eis dare, vel ave illis dicere, quan-

Rr tò magis

tò magis cum excommunicatis ab Episcopo, aut cum Gentilibus. Insuper sine tali osculo nulla benedictio perficiebatur. Isaac enim filium suum Jacob benedicturus, prius osculum ei porrigit. Hinc *Franco Abbas Tomo III. de gratia Dei:* Senex suavitate condimenti Rebeccæ delectatus, & haustu vini lætior redditus filium benedicturus osculum petit, osculum porrigit, quia nulla est benedictio sine charitatis osculo. *B. Lutherus in cap. XXVII. Genesis*, quinque, *ait*, sensus, & totum corpus habent suos gestus & ritus, sub quibus corpus quasi sub quibusdam larvis oportet vivere. Ideò non tantùm in corde benedixit, sed etiam sensibus & ceremoniis externis. Oportuit filios benedicendos adferre patri cibum delicatiorem & vinum; postea accesserunt, & osculati sunt patrem. Hæ ceremoniæ verè politicæ sunt & hodie inter Reges & principes, quando feuda offeruntur, retinentur. Nos etiam in scholis eas observamus, quando promovemus Doctores Theologiæ. *Augustinus Marloratus in expositione Ecclesiastica Genesis cap. XXVII. p. m. 205. ex Musculo:* Osculo accipiebant venientes & dimittebant abeuntes. Sic Sancti quoq; hoc amicitiæ Symbolo usi sunt. Et Jacob iste cum benedicere vellet filios Joseph, primum illos ad se applicuit & osculatus est, *cap. 48.* Sic fecit etiam hic pater ejus Isaac petens osculum ab eo, priusquam illi benediceret -- Filius osculatus est Patrem, sicuti jussus erat, quo Symbolo testari volebat pater singularem affectum & favorem, quo benedicendum filium prosequebatur. *Ludovic. Cresollius Mystagogi libri IV. cap. 6. sect. 2. p. m. 891.* Hinc factum est, ut quæ adjuncta sunt animi & intima illius ornamenta, cum volumus communicare cum aliis, per osculum id fiat, in quo præsens animus non se modò, verùm & sua cupiat in alios effundere. Bona animi sunt dominatus, autoritas, potentia & dignitatis quædam præstantia, & alia hujusmodi quæ de numero sunt eorum, quæ derivari in alios possunt. Videmus ergò factum Isaaci in Theatro illo innocentiæ & humanitatis, ubi naturæ vis & gratiæ virtus se magnificè explicabat. Qui propè cæcus in beatissima senectute, sed clarissimè divina contuens, dum mysterium grande meditabatur, filium compellat suum; Accede ad me, *inquit*

quit, & da mihi osculum, fili mi, accessit & osculatus est eum. Tum secuta est illa benedictio, quæ Jacobum filium inexplicabilibus donis cumulavit. Quid igitur opus fuit osculo? *Abulensis* vir magnus, & in divinis Oraculis interpretandis judicio excellenti, vidit & explicuit hoc arcanum, aitque fuisse primogenituræ communicationem & delati principatus signum. Patriarcha ille sanctissimus qui animum post paulò erat Creatori redditurus, prius illum evocavit in os, ut quam vim & dominatum in populo Dei & prærogativam habuisset, eam per osculum in Jacobum filium suum transfunderet. Ita in conferenda laurea Magistrali & Doctorum inauguratione, osculum tribui consuevisse, notat idem eruditus Pontifex: ut opinor, illi principes Academiarum Magistri, quem habent in docendo auctoritatem per osculum velut aperto animi introitu in alios transmittant. Vide etiam *Benedictum Ferrandium, Commentar. ad Genesis cap. XXVII. p. m.* 503. *Antonium Honcalam Iangvensem, in Genesin pag.* 179. *Edit. Complutens. in fol. Anno* MDLV. *Aloysium Lippomann. in Catena Græcorum & Latinorum auctorum ad Genesin fol.* 292. *facie* 2. *Johann. Mercerum in Prælection. super cap. Genesis* 27. *p.* 478.

§. XVI. Porrò ne quis in scriptoribus de variis veteris Ecclesiæ ritibus hallucinetur, aut sibi glaucoma fieri sinat ab impostoribus, probè observandum venit osculum illud Ecclesiæ Apostolicæ antiquissimum, cui hunc locum assignavimus, minimè unum idemq; esse, cum osculo Latini sacerdotis missificantis, quo ille juxta *Bellarm. lib. II. de Missa c.* 14. osculatur altare frequenter, deinde librum Evangelii & ministrum suum & per eum in universum Clerum & populum pacem diffundit. Uti quidem *Bellarminus* aliis persuadere voluit, nonnullis rationibus ad fucum suum velandum in medium propositis. Primariam ab antiquitate arcessens scribit: At hæc Ceremonia habetur in Liturgiis omnibus tum Græcis, tum Latinis; & ejusdem meminit Justinus in fine secundæ Apologiæ, Tertullianus de Oratione Cap. ultimo, Cyrillus homilia quinta Mystagogica, & Chrysostomus homilia 77. in Johan. Verba Patrum in hâc dissertatione §. 2. 5. 11. adduximus, ex illis

Rr 2 autem

autem nullus cordatorum hominum toties frigido saxo à sacerdote fixa oscula, multò minùs unum unius Sacerdotis, quod is suo ministro impertit, osculum elicuerit. Patres mutua adstantium fidelium oscula insinuant, de aliis Latinorum ne γρῦ reperias apud Veteres, neque offendas Sacerdotem super Clerum & populum pacem diffundere. Significationem horum verborum pete ex initio dissertationis quintæ de osculis Ecclesiasticis. Tabulæ istius quam Latini pacem nominant allegorica oscula nemo Patrum meminit, indeque facile colligitur istam Latinorum ceremoniam planè novum esse inventum, illaque saxi & tabulæ oscula Christianis pro sanctis Majorum osculis subdolè propinari. Liturgiarum fides & authoritas propter temporis incertitudinem, quo eæ vel fictæ, vel interpolatæ sunt, nimium vacillat. Profectò in Græcis & Latinis Antiquis nullibi fideles pro fratre lignum pacis nomine infucatam osculari jubentur. Debuisset Cardinalis Liturgiam, cui potissimum voluit inniti, apertè indicare, sed causæ suæ diffisus reticere maluit, quod nuspiam poterat invenire. Constitutiones Pseudo-Apostolicæ L. 8. c. 15. hæc in Eucharistiæ Liturgiâ in apparatu ad consecrationem donorum, postquam Episcopus pacem toti Ecclesiæ est imprecatus, tradunt. Et Diaconus dicat, salutate vos invicem in osculo sancto, & salutent Clerici Episcopum & viri Laici Laicos, & mulieres salutent mulieres. Et alibi: Salutent inter se mulieres osculo in Domino, sed caveant, ne quis dolose id faciat, quemadmodum Judas in osculo Dominum tradidit. Sic in Liturgiâ Jacobi Tomo I. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ p. 8. legitur. Diaconus, osculemur inter nos sancto osculo. Liturgia Marci, ibid. p. 31. habet: Salutate vos invicem, conf. Basilii & Chrysostomi Liturgiam p. 48. & 77. & Goar. in Euchologio Græcorum p. 134. & 117. Ubi Græcorum à Latinis discrimen de hujus osculi tempore annotat. Græci enim atque Armenii hanc per osculum pacis salutationem longè ante consecrationem præmiserunt: Latini verò quondam id officii ad horam communionis instantem remittebant, exceptis Hispanis consecrationi illud osculum præmittentibus. Hic

nihil

nihil de tabula quadam picta osculanda audio. *Gabriel Biel* ævo suo, seculo nempe quinto decimo circa finem, aliud quoddam, non tamen ubique obtinuisse refert. *lect.* 81. *in Can. Missæ. fol.* 175. Licet olim (inquit) & hodie in plerisque locis fideles sibi mutuò pacis osculum à sacerdote per ministrum sibi porrectum imprimat, ne tamen sub specie boni aliquid carnalitatis diabolico afflatu subintret, honestiore cautela, tabula Christi imaginem aut Sanctorum reliquias continens offertur singulis osculanda. Ex his sole meridiano clarius apparet, quàm vafrè Bellarminus, ad omnes Liturgias provocans, lectoribus imponat, ut hodiernæ sacerdotalis sive pacis, sive osculi ceremoniæ antiquitatem conciliet, cum tamen illa in nullis ad Bielem usque libris, id est, Annum Domini M CCCC XC. inveniatur. Fusius hæc Ballæus, de religiosis Latinorum cultibus l. 8. c. 33. persequitur, cujus vestigia legere hic placuit.

DISSERTATIO IX.

De

OSCULO HOMAGII, SUBJECTIONIS ET REVERENTIÆ REGNANTIBUS OBLATO.

SUMMARIA.

I. *Origo Apotheosis Ethnica. Græcis & Ægyptiis usitata. Alexandro M. inter deos locum non concedunt Athenienses.* II. *Apotheosis Romanorum duplex privata & publica. Romulus publicè consecratus. Apotheosis inter Romanos diu neglecta ab Augusto Imperatore revocatur. Kirchmanni observatio circa illam. Ritus publicæ Apotheoseos-*

scos. III. *Imperatores veterum Romanorum deorum rivales. Canonizatio Papalis ab Apotheosi Gentilium deducta. Denudatio capitis olim cultûs signum.* IV. *Osculum subjectionis indicium. Archiepiscopus Regem Romanorum coronans osculatur. Hispanorum Reges osculo manus ab Episcopis honorati.* V. *Inaugurationis Regis Gallorum descriptio. Pares Franciæ* XII. *Eorum vestitus, dignitas & ministerium in Regum coronatione. Sponsalia inter Regem & Subditos. Parium Privilegia.* VI. *Osculum vasalli in Gallia quando homagium præstat. Hominium duplex. Ignobilis vasallus in Gallia à Rege ad osculum non admittitur. Osculum gladii porrecti. Nemo olim feudi capax, nisi miles. Ritus investituræ per gladium, virgam & vexillum.* VII. *Osculum Pollicum Neapolitanis investituris adhibitum. Ligii quinam? Iuramentum Ligium Regi Galliæ ab Anglo præstitum. Solennia quibus Legati Principum Imperatori fidelitatem spondent. Ritus circa Investituram simultaneam.* VIII. *Osculum Magnitudinis. Femori Potentiorum figitur. Genesis* XLI. *v.* 40. *explicatus.* IX. 1. *Samuel.* X. *v.* 1. *sensus. Subditi in India Regem osculantur. Mos deosculandi Regem recens-creatum antiquissimus.* X. *Christus à militibus sputis osculi vice in contemptum fœdatur.* XI. *Osculum oris in Principis inauguratione nobilioribus tantùm concessum; uti viliores manum osculabantur. Oscula manuum hodiè usitatissima. Ferdinandus* II. *Imp. osculum manus à sacro ordine recusat. Legatus Turcicus Imperatoris pectus osculatur. Subsequentia coronationem Regis in Congo. Triballi Principem reverenter accedunt.* XII. *Osculum humeris figunt Turci & Peguani. Turcorum Patientia admiranda in castigatione. Melindenses pro verberibus gratias agunt, Dominorumq́ pedes osculantur.* XIII. *Pedes osculari Persis est frequens. Pedem ad frontem elevare singularis observantiæ in Oriente signum. Votum Persarum notabile.* XIV. *Romanis ethnicis oscula capitis, genuum & pedum consueta. Diocletianus affectator divini cultûs. Seneca illustratus. Absoluti à pœna Regum sinistrum pedem olim osculati. Imp. Romani pedem utrumq́ Comites cum certo discrimine osculantur.* XV. *Exempla eorum qui servilem hunc cultum generosè detrectârunt.* XVI. *Antiquus*

tiquus mos inter Græcos pedes Imperatorum *osculandi observatus.* Idem *honor Theodoræ Justiniani* Imper. *uxori primùm habitus. Juramentum* Imp. Justiniano *ejusq; conjugi à ministris præstitum.* XVII. *Solennitas magna Dominicæ Paschalis in Aula Constantinopolitanâ. Genuensium ibidem Prærogativa præ Venetis. Maronitarum. observantia erga Patriarcham.* XVIII. *Osculum pedibus Principum utriusq;* Indiæ *offertur. Certamen hominis cum Tigride ejusq; insigne præmium. Americani* Reges *Belgicos Capitaneos humillimè excipiunt. Persæ & Tartari suos Sacerdotes maximè honorant.* XIX. *Purpura* Imperii *insigne. Porphyrogenneti undè dicti.* Jus *venerandi Purpuram honorabile.* Imperatoris *æternitas.* XX. *Controversia inter Lipsium & Salmasium de modo adorandi Purpuram. Oscula jacere, basia jactare, manu venerari quid? Labratum* Imago Imperatoria, *quodvis simulachrum.* Item *Hermula.* XXI. *Toga* Imperatoris *Turcici & Tartarici à Legatis honoratur osculo. Quod qui perficit, singulari veste donatur.* XXII. *Lararia veterum Principum.* Imagines Imperatorum *gentilium adoratæ & pectoretenus expressæ; Christianorum non item. Boleslai Poloniæ Regis in Patris effigiem Pietas. Peruanorum* Regum *statuæ æquali cum* Regibus *honore afficitur. Tabula Chinensium deaurata* Imperatoris *nomine signata summo in pretio.* XXIII. *Epistola Principum, Præsulum & familiarium osculis exceptæ. Ministrissimi.* XXIV. *Prætorio-Præfectus seu Curopalata. Ejus dignitas ab Augusto* Imp. *introducta. Ornatus & Potentia* Barangi. XXV. *Pavimentum* Regium Parthi *aliique Asiatici populi, sicut gladios proprios* Persæ *in signum Subjectionis &* Reverentiæ *osculantur.* XXVI. *Osculum Crucis* Juratorium Germanis *&* Ruthenis *usitatum.* XXVII. *In Pactorum, diplomatum & desponsationum illustrissimarum* Personarum *confirmatione adhibitum. Stauropata. Cruce veritas investigata. Crux magnæ fidei & authoritatis. Africani juraturi Sanctis suis oscula imprimunt.*

§. I.

§. I.

QUid osculum profanum notet, supra dissertatione secunda expositum est, indè iterandâ ejus enodatione hic supersedeo, ne actum agere crambemque bis coctam adferre videar. De ortu solummodo ejus me solicitum esse decet, qui ab ipso osculo sacro arcessendus videtur. *Lactantius* de Diis Veterum *lib. I. institut.* " *divin. cap.* 15. patheticè perorans ait: Non est dubium, quin " (priscis) temporibus homines Regem ipsum totamque gentem " summis laudibus ac novis honoribus jactare cœperint, ut etiam " Deos appellarent, sive ob miraculum virtutis (hoc verè puta- " bant rudes adhuc & simplices) sive, (ut fieri solet) in adulatio- " nem præsentis potentiæ: sive ob beneficia, quibus erant ad hu- " manitatem compositi. Deinde ipsi Reges, cum chari fuissent " iis, quorum vitam composuerant: magnum sui desiderium " mortui reliquerunt. Itaque homines eorum simulachra finxe- " runt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solati- " um, progressique longiùs per amorem meriti, memoriam De- " functorum colere cœperunt; Ut & gratiam referre bene me- " ritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene impe- " randi cupiditatem. Quod *Cicero de nat. Deor. lib. II.* docet di- cens? Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber & alio loco atque alio in plerisque civitatibus intelligi potest acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius Reipublicæ causa periculum adiret optimus quisq; virorum fortium memoriam, honore Deorum immortalium consecratam. Hac scilicet ratione Romani Cæsares suos consecraverunt & Mauri Reges suos. Eandem consecrationem sive ἀποθέωσιν affectavit *Cicero lib. XII. Epist.* 35. *ad Atticum*; Fanum, *inquit*, fieri volo, neque hoc mihi erui potest. Sepulchri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam ut maximè assequar ἀποθέωσιν. Illam autem θεοποιΐαν vel relationem in numerum Deorum non quidem primò

primò excogitavit Latium, ſed à Græcia aliisque gentibus accepit; unde enim tot Ægyptiorum & Græcorum Dii niſi ex tali Apotheoſi? Sic Jovem, Neptunum, Apollinem, Vulcanum, Mercurium, Junonem, Cererem, Palladem, Dianam, Theſei edictô ſuam divinitatem accepiſſe teſtatur *Athanaſius* citante illum *Marco Antonio de Dominis lib. VII. de Rep. Eccleſ. c. 5.* Sic ἐκκλησίας οὔσης Ἀθηναίοις παρελθὼν ὁ δημάδης ἐψηφίσατο, θεὸν τὸν Ἀλέξανδρον τρεισκαιδέκατον, id eſt: Convocata Athenienſium concione Demades ſurgens decreto juſſit, ut Alexander ſcriberetur Deus XIII. inquit *Ælianus var. hiſt. lib. V. c. 12.* At populus Athenienſis impietatis magnitudine non ferendam ducens Demadi irrogavit mulctam centum Talentorum, quod Alexandrum mortalem & hominem adſcripſiſſet Olympicis. Nam cùm ab antiquiſſimis temporibus mos fuiſſet optimè de Republica meritis, in virtutis mercedem à morte honores, quos ἡρωικὰς τιμὰς vocabant, decernendi; adulatio deinde humanos illos honores in divinos convertit, & ſera poſteritas imagines, quarum intuitu ſuperſtites de tantorum Heroum jacturâ ſe ſolari voluerant, primò admirari, dein ſuorum Penatum Deorumque ſtatuis inſerere, poſtremò colere cœpit. Conf. *Polyd. Virgil. lib. I. de rer. invent. c. 5.* & quomodo pedetentim ex amore hominum erga ſuos maturiùs defunctos ex admiratione peregrè abſentium, & artificum æmulatione primò imagines & hinc Idolomaniæ invectæ ſint, docet nos liber Sapientiæ c. XIV. à commate 13. ad 21.

§. II. Erat autem apud Romanos Apotheoſis duplex; Privata altera, altera publica. Illâ privatus quisque ſuum vel parentem, vel filium, vel conjugem, quive erat chariſſimus conſecrabat & privata religione colebat, de qua videndus *Kirchman. de funeribus Romanorum lib. IV. c. 13.* Hâc Divis adſcribebatur, publicaque veneratione honorabatur is, cui Senatus populusque R. ſummos honores decreverat. Et primus quidem omnium fuit Romulus fratricida, quem publica hac conſecratione mactavit populus R. à ſubornato quodam Proculo perſuaſus, Regem

Ss non

non ut plebs rectè auspicabatur manibus Patrum discerptum esse, sed ad Deos abiisse Quirinum novo acceptum nomine vocari, & mandare, ut delubrum sibi fieret, quemadmodum videre est apud *Lactantium lib. I. c 15 & Livium lib. I c. 16.* Abhinc ultra DCC. annos nemo Romanorum solenni Apotheosi decoratus legitur usque ad tempora Augusti, qui eam rursus instituit & quidem, ut *Herodianus* sub initium *lib. IV.* vult pro illis tantum Imperatoribus qui superstitibus filiis aut successoribus moriebantur; Quod tamen non observatum fuisse, exemplis Imperatorum, qui vivi regno axuti post mortem in Catalogum Divorum relati sunt & imperatricum Liviæ Augustæ & Faustinæ Antoninæ conjugis probat *Kirchman. loc. cit.* Ritus hujus ἀποθεώσεως breviſſimè talis erat, sepeliebatur sumptuoso funere defunctum corpus lugente omni Roma: Cerea Imperatoris imago in Regiæ vestibulo, eburneo & sublimi lecto, cui aureæ vestes instratæ erant, imposita à Læva Senatoribus pullatis, à dextra matronis candidatis cincta per septiduum à Medicis, ac si adhuc ægroto animæ esset, visitabatur. A Medicis ubi conclamatum erat, à senatorii & equestris ordinis juvenibus per viam sacram inter choros Patriciorum puerorum & fœminarum illustrium, Hymnos, Pæanas, Nænias viciſſim canentium ad Forum Vetus; Et hinc in campum Martium magna omnium ordinum comitante caterva deferebatur, secundoque tabulato quadruplicis, quod super rogum erat exstructum tabernaculi, Pharum ferè repræsentantis, imponebatur lectus. Hæc ubi peracta certatim spectatores qui ex omnibus provinciis innumeri ibi confluxerant, ingentem omnis generis aromatum congerebant acervum, & post ultima à cognatis imagini data OSCULA, post varia equestria certamina & curulia spectacula, postque multorum captivorum servorumque mactationes Imperator successor facem primus admovebat cæterique adstantes ordine ignem subjiciebant, quo surgente expyræ apice aquila (apud fœminas interdum pavo) in Ætherem dimittebatur, quæ in cœlum animam Defuncti de-

deferre credita est. Actutum novum colebatur Numen, templa erigebantur, sacerdotia instituebantur saliare, carmen ipsis decantabatur, perque illorum nomen sanctissimum jurabatur juramentum. Vide *Herodianum Histor. Lib. IV. cap. II.* Hinc formula qua Principem dicunt ὡς ἱερὸν καὶ θεῶν ἀνακεχωρηκέναι, cum diis agere ævum, eodem Scriptore teste *Lib. VIII. cap. 6.* Conferatur *Alexander ab Alexandro, genial. dier. Lib. VI. cap IV. Guido Pancirollus & Salmuth Rer. Deperditarum. Tit. II. p. m. II. Kirchmannus de Funeribus Romanor. Lib. IV. cap. 13. & 14. Johann. Baptista Casalius de Veter. Sacr. Christian. Ritib. cap. LXIX.*

§. III. Et hunc morem, quo Roma olim Imperatores suos, deorum illos, ut à Juvenale vocantur, Rivales, ex Senatusconsulto religioso cultu donabat, imitatos fuisse Romanos Præsules in sua sanctorum consecratione, patet tum ex nomine *Divus*, & ἀποθέωσις, & phrasi illâ *inter Divos referre*, quam exinde retinuerunt, & suæ Canonizationi applicârunt Pontificii Scriptores, quemadmodum ostendit *B. D. Gerhardus Confession. Catholic. Lib. II. Part. II. Artic. X. cap. I. & B. Dannhauerus Hodomoria Papalis Phantasmate VI. p.* 1091. Tum ex ceremoniis ἀποθεώσεως, quarum plurimas in Canonizationes Papales quadrare asserit *M. A. de Dominis Lib. VII. cap. 5. Reipubl. Ecclesiast.* Quapropter & ipse *Casalius* loco allegato non obscurè innuit, ab eadem ducere originem Sanctorum catalogum, quando dicit: Quod Christiani illam Ethnicorum superstitionem in religiosiorem cultum mutaverint. Ex his simul constare existimo, quare Veteres Principes suos non tantum in numerum Deorum post fata retulerint, sed etiam adhuc superstites cultu à divino non multum discrepante fuerint prosecuti, uti magnus *Casaubonus in Suetonio cap. 2. vitæ Vitellii* de adoratione civili in genere agens notat. Quæ quo minus ad osculum in specie applicem, nihil prorsus vetat, & videtur omninò ita;

initio enim osculum pars cultûs divini erat, hinc ad demortuos principes inque numerum Deorum relatos transferebatur: Ulteriùs principibus vivis, hinc illis, quos quilibet Principum loco habebat, exhibebatur. Denique amorum indicium evadebat, & extremo degenerabat in libidinis præludium & hypocriseos nefandæ symbolum. Similiter nisi me planè fallit conjectura, res se habuit cum denudatione capitis. Hanc novimus olim fuisse solùm in honorem Deorum factam, postea verò Magnatibus exhiberi cœpit, ab his ad honoratiores quosvis migravit, hodiè salutationis signum est. Ita ante secula non adeò multa solus Jupiter OPTIMUS MAXIMUS audiebat, mox & cum mortalibus Principibus tamen, titulum hunc communem habuit, hodiè autem nihil frequentius est quàm legere & audire PATRONO OPTUMO PROMOTORI MAXUMO. Tantoperè scilicet effrænis adulandi pruritus, qui hoc ævum gravissimè vexat, nullum cultus signum illibatum reliquit. Sed è diverticulo in viam sub osculo profano osculum subjectionis, honoris & clementiæ, sponsalitium, Academicum, Salutatorium, Valedictorium, Reconciliatorium, libidinosum, proditorium & quæ cum his affinitatem habent, comprehendam.

§. IV. Nunc totum negotium ἐκ τῶν ποδῶν εἰς τὴν κεφαλὴν, ut Aristophanes habet, expediendum est. Agmen ducat osculum subjectionis, quo nomine id significatur, quod inferior superiori libat, ut se in potestate illius esse testetur, insimulque fidem & observantiam offerat. Non alio modo, inquit, *Cresollius Mystag. lib. IV. p. 891.* id melius atque præstantius significare potest. Ut Civis qui Principi authoritate & potentia maximo, in urbem venienti it obviam, tantùm non exclamat se minorem, se deferre meritam servitutem & justos honores: sic per osculum veluti fores procedit animus & omne officii genus publico illo symbolo humanissimoque pollicetur. Qui summum religionis Hierarcham, Pontificem Maximum, qui magnos potentissimosque Reges & Dominatores imperiorum alloquuntur, flectunt genua

& humi ſtrati vocem mittunt, quæ teſtificatio eſt magnæ & inuſitatæ reverentiæ. Animus enim corpus contrahit, abjecitque ad terram, pariterq; ſe premit & minimum confitetur, ut extollat alium ſublimius & honoret. Quod ipſum nobiliori quodam modo facit oſculum, in quo, ut ajebam, animi vis ſe prodit magis, & veluti in Theatro conſpectus intimam ſuam affectionem eloquitur. Sic qui veſtem alterius oſculatur, ut prælatis Majoribus fieri ſolet, non modò corporis inclinatione demiſſionem humilitatemque teſtantur, ſed ipſum animum veſti quodammodo affigunt & mancipant alienæ voluntati, ut oſculum videatur profeſſio quædam Excellentiæ & authoramentum ſervitutis. H. J. Hoc oſculum uti olim frequentiſſimo in uſu fuit, ita nondum planè exolevit. Siquidem Archiepiſcopus qui coronationis munere defungitur, Regem Romanorum oſculatur, Proceribus idem facientibus, teſte *Sleidano de ſtatu Religionis lib. XIX. p. m.* 348. Conſuetudo etiam eſt, ut Epiſcopi Hiſpanis Regibus manus oſculentur, & hoc pro quadam ſingulari atque optima prærogativa tribuunt illis, ut dixerunt *Gvido à Bajiſo*, Archidiaconus Bononienſis, *Commentar. part. I. in Decretorum volumen cap. duo. diſtinct. 96. p. m.* 110. *edit. Venetæ in fol. Anno* MDCI. *& Laurentius in cap. Duo ſunt.* & referunt *Alvarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ lib. II. c.* 18. *&* 30. Quæ conſuetudo introducta videtur ex eo, quod cum Rex ſit atque Epiſcopatuum Patronus, videntur Prælati eo caſu oſculari manum Patrono, exhibendo illi hoc ſtudium & modeſtiam honoris gratia. Videſis *Camilli Borelli Commentarios de Regis Catholici Præſtantia cap. LIV. num. 1. ſeqq. p.* 374. *edit. Mediolanenſis in fol. Anno* MDCXI.

§. V. Inauguratione factâ Regem Galliæ Archiepiſcopus & Regni ejusdem Pares oſculantur. Quia antiquus & paucis extra Galliam notus ritus eſt, quo per divinum chriſma inaugurantur Reges & fiunt ſacri; non erit abs re, formulam rei attingere: Rem debitam externis, quibus mores Gallorum paſſim ignorantur; Ita autem *Gabriel Bartholomæus Gramondus* inaugura-

tionem Ludovici XIII. Gallorum Regis describit *hist. Galliæ lib. I. ad annum* M DCX. *p. 15. edit. Francof. in* 8. *anno* 1674. Postridie Idus Octobr. recurrente in Dominicam die Ecclesia Rhemensis matrix; ubi inaugurari Reges invaluit, lecta suppellectile ornatur. Dispositis in utramque partem theatris distribuuntur fœminæ: Augusta Regens primam occupat sedem: alteram à prima Margaretha Valesia, regina. Proximè instabant Condæa, Contia, Mompenseria, conjuges, aut Viduæ Principum è stirpe Regia. Subsequebantur pars Ducissæ, pars è primaria nobilitate cultissima fœminarum corona, sedibus stratis bysso & purpura. Primo diei crepusculo Cardinalis Ioüsa ad Ecclesiæ altare accedit, Pontificalibus induitur, sedetque in habitu: aderant huic sacro debiti duodecim Pares Franciæ, nempe Ecclesiastici sex, totidem Laici. Ecclesiasticorum, quibus nihil immutatum est ab instituto, hic ordo fuit. Franciscus Ioüsa, pro Archiepiscopo Rhemensi agens, Godofredus Billius Episcopus, & Dux Laudunensis: Carolus Carsius Episcopus, & Dux Lingonensis. Renatus Poterius Episcopus & Comes Bellovacensis: Cosmus Clossius Episcopus, & Comes Noviolaunensis. Sex eo ordine Ecclesiæ Parium dignitate illustres sunt ab omni ævo. Illustres item eo titulo, & pene nascenti regno coævi sex laici Principes, regni Vasalli, quorum evanuit nomen, ex quo feuda ipsorum ex variis eventis veteri Galliæ unita. Hi olim, Burgundiæ, Normanniæ & Aquitaniæ Duces; Tolosatum, Flandriæ, & Campaniæ Comites. Etenim postquam Galliæ adscripta feuda, quia nemo sibi debere potest, Rege eodem Domino, & Vasallo, invaluit debitorum loco substitui, qui subeant vices. Suffecti sex, quos Duces, eosdemque Patres Franciæ dixêre, qui quidem æquales antiquis, si nomen, si rem spectas multum infra sunt. Quippe illis olim, vi feudi sui, merum imperium & jura regni erant: his feudi nomen inane est, Ducatus: vacuus autoritate Titulus. Primùm sex lecti, exin numerus auctior, donec tandem dignitas venit in contemptum. Hodiè inaugurandis Regibus invaluit, ex immenso Ducum numero, pro regum arbitris legi sex, qui

qui subeant vices. In id muneris vocati Condæus Contius, Suesfio Principes è sanguine Regio: Nivernus Ellebovius, & Espernonius. Ea cura paribus, id, ex veteri formula muneris est, ut præstò sint Regi & societate manuum pares exhibeant se sustinendæ coronæ, unde dicti, Pares. Is fermè habitus erat; decidua in Poplites serico filis argenteis intertexto tunica operuerat humeros? superinductum tunicæ pallium ex murice violaceum, auro distinguebatur: capiti imminebat corona, lapillis pretiosis aut unionibus distincta: ut quisque pro Duce, aut pro Comite primævis agebat: his ad altaris cornu sinistrum, sedes. Non multò post Episcopi Laudunensis, & Bellovacensis Regem in Ecclesiam ducunt. Stipabant ducem equites lecta manus. Regi proximus anteibat Marescallus Castræus, Comestabilem repræsentans, nempe per senectam invalido Mommorancio; instabat Brulardus Cancellarius: permissa Bellegardo Galliæ Scutifero læva; sequebatur promiscua nobilitas. Claudebat præsidiaria Scotorum cohors, donec acclamante populo ad fores ventum: hic brevis mora. Post exactas in limine de more preces, aperiuntur valvæ, introducitur Princeps, altari procumbit, solio reclinatur. Comestabilis & Cancellarius proximè assidebant. His circumfusi Gallicæ coronæ ministri: sacramento exordium est, quod Ioüsa Cardinalis tactis Evangeliis à Rege solenniter exigit. -- Hæc Sacramenti formula ex ritu antiquo. Promitto futurum me posthac Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ protectorem: abacturum ditione mea hæreticos; privilegia Ecclesiæ conservaturum: leges populis daturum ex æquo. Juratus in hæc verba altari advolvitur. Humilis in genua Clerus, prona in terram nobilitas Regem votis inaugurant. Circumfunditur effusa latè plebs, & supplex orat. Interea exuitur tunicâ Rex, levioribus induitur ocreis è serico violaceis, auro temere sparso liliatis. Actum id Henrico Acullonio Lotharingo Principe, per officium ministro. Calcaria apta Condæus Princeps Burgundo Duci suffectus. Ensem lateri accingit Cardinalis Ioüsa, distringit & præbet nudum.

Rex

Rex acceptum, Deo exercituum dicat; infertur altari mucro factus per oblationem sacer. Mox restituitur tuendæ Ecclesiæ, quod Primogeniti munus est, qualem agnoscit Regem Christianissimum, Ecclesia mater. Restitutum Rex Castræo Commestabilis vices gerenti committit, (ejus officium est præire Regi, ense nudo) Neque omitti debent contracta statim sponsalia Regem inter & subditos, traditione annuli, quem Rex digito inseruit amoris monumentum, & acceptæ fidei pignus. Deinsequitur unctio more Majorum. Uncto Rege, Cancellarius non procul altari stans in vestigio, Duces & Patres Franciæ ciet, monetque officii in hæc verba:

Princeps Condæe, qui Ducis Burgundiæ partes subis, ades in officium Regi.
Princeps Conti, qui Normanniæ Ducem exprimis, ades in officium Regi.
Princeps Svessio, qui Ducem Aquitaniæ repræsentas, ades in officium Regi.
Princeps Niverne, qui Tolosani Comitis personam sustines, ades in officium Regi.
Princeps Ellebovi, in Flandriæ Comitis locum suffecte, ades in officium Regi.
Dux Espernoni Campaniæ Comiti substitute, ades in officium Regi.

Eadem formula Ecclesiastici Pares compellantur, eo discrimine, quod horum nemo vicarium agebat. Iis Regi adstantibus; Iousa Cardinalis coronam imperii Gallici regio capiti aptat: Circumstant Pares, collatisque unà manibus immane pondus sustinent. Paulo post posita corona, quam Caroli Magni fuisse tradunt, coronatur Rex Diademate Indico, cujus pretium inæstimabile: Castræus primus ibat districto ense: sequebatur Cancellarius: instabat Regi, manuque Paludamenti extrema tenebat Prior Vindocinensis, Henrici Magni nothus. Regio avorum

rum solio reclinatum salutat, primùm Cardinalis, votumque nuncupat in hæc verba: In hoc Regni solio confirmet te Deus. Conf. *historia univers. Christiani Adolphi Thuldeni* ad annum MDCLIV. p. m. 121. Inter alia Pares his gaudent Privilegiis: Primò, ubi in jus vocantur, quod non nisi in Parliamento Parisiensi fieri potest, duplici opus est citatione, una, qua ut Pares Franciæ citantur, altera, qua de ea diploma Regium mittitur, sed ad Consiliarium Parliamenti, seu Magistrum libellorum, Seneschallum, Præfectum, aut Vicarios eorum. Secundò, Pari cum Regibus suis jure à Papa excommunicari non possunt. Tertiò, pauperes ad imitationem Veterum Decurialium, *de L. 8. de Curionibus*, à Rege ali debent: Quartò, possunt conventus celebrare ad quos à præfectis ipsorum & à provocato demùm appellatur ad Parliamentum. *Sprenger. in Perspicil. Christiani orbis, Tit. de supremis Regnorum Titulis p.* 45. Iidem juramentum & Regi & Parliamento præstant, de litibus bona fide dirimendis, arcanis non revelandis, & debito honore habendo Regi. Vide plura de his in autore *de l'Estat de la France, de Anno* MDCLXI. *Lib. II. part. II. c.* 4. *&* 5. *Du Haillan, de l'Estat & succez des Affaires de France, Lib. III. pag.* 369. *Limnaeo in Notitia Regni Franciæ, Lib. II. cap.* XXV. *D. Johan. Christoph. Becmann. in Notitia dignitat. illustr. Dissertat. VII. cap.* 1. *v.* 5. Addatur *Anton. Dadinus Alteserra de Ducibus & Comitibus Provinc. Gallic. Lib. III. cap.* IX. *Johann. Tilius. Comment. de Rebus Gallicis Lib. II. Vincentius Lupanus de Magistr. Franc. Lib. I. Robert. Cœnalis de re Gallicâ Lib. I. Periocha* X. *Johann. Jacob. Hoffmannus in Lexico Universali, Tomo II. pag.* 99. *Johann Ludovic. Gotofredus Archontologia Cosmica Lib.* I. *de Regno Franciæ cap.* XXVI. *Conringius Thesaur. Rerumpubl. part.* II. *Lucas de Linda descript. Orbis, Lib.* IV. *p.* 233.

§. VI. Inter ceremonias quibus Vasallus in Gallia Domino suo præstat homagium, osculum quoque adhiberi testatur *Pet. Gregor. Tholosanus, lib.* VI. *c.* 15. *n.* 7. *syntagmat. juris universi.* Ex consuetudine Galliæ duplex est forma hominii, una pro feudo

simplici, altera pro Ligio, in simplici feudo cliens seu Vasallus auctoramentum accipit, seu hominium facit Domino, capite aperto junctis manibus, eumque osculatur. Qui autem hominium Ligium debet, manibus junctis sacrosanctis Evangeliis impositis, capite aperto exarmatus & discinctus Dominum osculatur, juramento fidelitatis in utroque interposito. Notat tamen *Durand. Speculator Tit. de feud. §. Quoniam verò, versiculo forma n. 66.* In Gallia ad osculum à Rege non admitti ignobilem Vasallum, licet habeat feudum nobile. Osculum gladii porrecti est signum, quod quis jurisdictionem superioris reverenter agnoscere velit, justitiamque sanctè sit administraturus, juxta JCtum consummatissimum *Carpzovium, ad leg. Reg. c. 10. sect. 9. num. 25.* Ritus desumptus videtur à militibus gladio Martiali cinctis, quia olim nemo feudum accipere poterat, nisi foret militiæ capax, secus ac hodie obtinet, ubi etiam fœminæ feudis gaudent. *Reusner. disp. 3. thes. 92.* Imperator Romano-Germanicus Vasallos seculares æque ac Ecclesiasticos gladio investit. *D. Tabor doctrina feudalis ichnographia part. I. num. 3.* Qui ensis evaginatus Principi, Comiti, Baroni, vel ejus Subdelegato in investituris ab Imperatore porrigitur, ut capulo apprehenso extremum ejus conum osculetur, quod in Archiopiscopi Trevirensis investitura anno MDXXII. in comitiis Augustanis observatum esse refert *Pet. Fleischman. in descript. comit. August.* Idem & hodiè obtinet, non enim amplius Episcopi per sceptrum principesque seculares per vexillum investiuntur, Henricus V. Imperator remissa in Episcopatuum investiturâ per virgam & annulum, ex pacto sibi quidem excepit Regalium investituram per sceptrum: quod si secularia erant feuda & quidem principatus, per vexillum Vasalli olim investiebantur, si autem Regna, gladio solennitas peragenda erat. Est enim consuetudo curiæ, inquit *Otto Frisingensis lib. II. de reb. gest. Friderici c. 5.* Ut regna per gladium, provinciæ per vexillum à Principe tradantur vel recipiantur. Sed hodiè uti dictum indistinctè gladius adhiberi solet, ita ut Vasallus præstito jurejurando fidelitatis capulum ensis apprehendat ejusque co-

num

num extremum deosculetur. Ita etiam anno MDCXIII. in Comitiis Ratisbonensibus Johannem Sviccardum Moguntinum, Lotharium Trevirensem, Ferdinandum Coloniensem Archiepiscopos, Ludovicum Hassiæ Landgrafium, Regem Hispaniarum ratione ducatus Mediolanensis & Maximilianum Bavariæ Ducem ab Imperatore Matthia investitos iisdem solennitatibus fuisse, ocularis testis asseverat *Christophorus Winzlerus in tractatu de jurisdict. Episcop. German. Tit. 25 in fine. Lundorpius Actorum publicorum lib. VI. c. 159. p. 1065.* Eadem ceremonia investitura Electoralium & Ducalium Saxonicorum feudorum Viennæ d. XIII. (III.) Augusti Anno MDCXXI. absolvebatur, ceu Relatio *D. Carpzovii ad L. R. cap. X. sect. 9.* his verbis innuit: **Nach diesem hat der Oberste Hof-Marschall / Herr von Herberstein / das blosse Schwerdt / welches er bey der Belehnung zu Ihrer Käyserl. Majestät Rechten gehalten / derselben zugestellet / die mit Ihrer rechten Hand einem jeden Gesandten den Knopff / denselben mit dem Munde (weil es bißhero also jederzeit** observiret **worden) zu berühren und zu küssen dargereicht.** Cum Imperator Romano-Germanicus Ferdinandus devicto & exauctorato Palatino Electore, Maximiliano Bavariæ Duci Electoratum Palatinum Ratisbonæ Anno MDCXXIII. d. XXV. Februarii St. Vet. conferret, Investitura tali modo peracta legitur in *Theatro Europæo Tom. I. p. 725.* **Wie Anno** MDCXXIII. **Hertzog** Maximilian **in Bäyern von Käyser** Ferdinanden **zu Regensburg zu des Reichs Ertz-Truchsäßen / zum Chur-Fürsten der Pfaltz** investirt, **ist er neben dem Ertz-Bischof von Saltzburg und seinem Bruder Hertzog Albrechten dreymahl niederknyende vor Ihrer Käyserl. Majestät erschienen / und an den Bühnen zwischen dem Ertz-Bischoffen und seinem Bruder / als seinem** Assistenten **knyend verharret / und ihm vier** dignitäten **und** Prærogativas Electorales, **als der Chur-Pfaltz Recht /** Session, **Stimme und Wahl** conferiret. **Worauf die Leistung der gewöhnlichen Chur-Pflicht erfolgt / und er nächst zu Ihr. Majest. trettend / und vor derselben**

 knyend /

knyend / indem ihm einer zur Rechten den Chur Hut præsentiret, und der Lincken der Graf von Leiningen das Pallium umgethan/ mit Anrührung des H. Evangelii, auf Vorsprechung des Reichs Vice-Cantzlars/ die Chur-Fürstl. Pflicht auf Gott und das H. Evangelium geleistet / und das von Ihr. Käyserl. Maj. ihm vorgehaltene Schwerdt/ (so der Reichs Erb-Marschall wieder zu sich genommen gehabt/ und Ihr. Käys. Maj. zur rechten Hand gestanden) oder desselben Knopff geküsset. Notat tamen *Limnæus Tomo V. de Jure Publico pag.* 247. Electorem Moguntinum Anno MDCLIV. capulo aliquantisper in manu retento non fuisse deosculatum gladii conum.

§. VII. Apud Neapolitanos investituris osculum pollicum adhibetur, quod ex *Pontani Libro II. de rebus gestis Ferdinandi Alphonsi. Arnisæus Lib. I. de Jure Majest. cap. V. num.* 18. *p.* 148. *& Philippus Camerarius Horar. Subcisiv. Centur. I. cap.* 6. *p.* 56. his verbis describit: Sedet Rex medius, regia sella editiore loco constituta. Assident juxta eum Optimates ordinis ac Proceres, stant inde Purpuratorum ordines frequentes loco quisq; suo. Regis ad pedes genibus innitens à dextrâ procumbit parte Epistolarum Magister, qui nunc Secretarius dicitur, sinistrâ Antistes, Evangeliorum libros regio in sinu stratos tenens. Horum medius genibus & ille procumbit innisus, qui in verba jurat, utraque manu libris apertis imposita. Magister Epistolarum verba præit, quæ juraturus in verba sequitur. Igitur postquam Ursus regios ad pedes provolutus palmam in codice utramq; expansam statuit, tum Magister præire verba cœpit, Ursusq; ea est secutus. Ursus ego Ursinus Nolæ & Attripaldi Comes, Asculi, Lauri, & Fiorini Dominus, illorumque agrorum & finium, civium ac popularium, tibi Ferdinando Regi liberisque, successoribusque in Regno Neapol. tuis polliceor, promitto, spondeo pro liberis successoribusq; in hisce item urbibus, oppidis, agris, finibusq; meis ; fidelem meq; illosq; utiq; futuros, tuisq; illorumq; imperiis ubiq;, meq; illosq; parituros, atq; imperata facturos, cum hisce urbib9, oppidis, agris, finibus, popularibusq; perpetuâ cum constantiâ & fide. Si quid verò adversus te ve

illosve

illosve parari fraudis, dolive, insidiarumve audiero, sciverove, com-
pertumve significatumve habuero: indicaturum illud è vestigio,
ac facturum palam tibiq; illisque; officia demum obiturum meq;
illosq;, omnia domi forisq;, pace belloq;, adversum quoscunq; ac
pro imperio, quæ probi ac fidelis subjecti jure, lege, naturâ, obe-
unda ac præstanda sunt Regi; Deumque his Opt. Max. testem-
que invoco, perque sacro sancta hæc Evangelia sciens, volens, li-
bensque verbis conceptis juro. Atq; his dictis, manus ipse è libris
sustulit. Tum Rex Ursi manus utriusq; digitis pollicibus apprehen-
sis, suosq; intra pollices iis insertis, devinxit illos suis, statuitq; su-
per Evangelia. Hic rursum Ursus, Magistro præeunte verba, Ego
me, inquit, cum liberis successoribusque meis Ferdinandi Regis
mei, Domini mei, liberorum ac successorum ejus LIGIUM homi-
nem statuo, dedicoq;, eumq; me hic sisto. Hæc ubi ter dixit, regios
osculatus est pollices. Rexque ore suo illius os excepit, moxq; co-
miter appellatum dimisit. Hic est usitatus jurandi mos in verba
Regum Neapol. quique LIGIOS illorum se faciunt, ipsum hunc
servant. Dicti inde LIGII, quod ligatis Reges pollicibus, illos fidei
imperiisq; sic suis vinciant, atq; obnoxios statuant. Hactenus *Pon-
tanus*, quem quoad Ligii explicationem sequitur *Cælius Rhodiginus
Lect. Antiq. lib. XXV. c. XIX. Renatus Choppinus de Domanio Franciæ
lib. III. Tit. XII. n. 18. p. 540.* Similem formulam jurisjurandi Ligii,
quod Rex Anglorum Regi Galliæ, ob nonnulla beneficia & feuda:
quæ tunc temporis habebat in Galliâ, præstare consuevit ex fœ-
dere, quod anno MCCCXXXI. Inter Philippum Valesium &
Eduardum Tertium percussum est, refert ita *Bodinus de Republ. lib.
I. cap. 10.* Tu quidem evadis in hominem Ligium Regis Franco- "
rum, ut Dux Aquitanorum, Par Franciæ, Comes Pictonum & "
Monstruelensium, teque in ejus fide & obsequio semper futu- "
rum spondes: Responde, assentior. Hic Rex Anglorum assen- "
tiri se dicit, tum Rex Francorum ad fidem & osculum Regem "
Anglorum admittit. Quibus solennibus fidelitatis juramentum "
Imperatori à Principum Legatis soleat præstari ex relatione qua-
dam manuscriptâ de præstito juramento fidelitatis à Legatis illu-
strissimæ domus Saxonicæ Viennæ Anno MDCLX. d. XXXI.

 Maji.

Maji. Nobiliss. *D. Samuel Strykius ICtus Francofurtanus. Tract. de Jure Sensuum. Dissertat. VII. cap.* 1. §. 57. his verbis recenset: Determinata die prædicti Legati comparebant in Anticamerâ Imperatoriâ; Imperator nobilium ac procerum catervâ stipatus in conclave se conferebat, aulæ Mareschallo gladium anteferente, qui, cum Imperiale solium in editiori quodam loco positum adscendisset, Imp. exhibitâ debitâ reverentiâ, flexisque genibus, dextrum Imperatoris latus, sinistrum verò imperii Vice-Cancellarius aliique occupabant. Postmodum Legati accersebantur, qui, cum in conclave Imperatorium venissent, quatuor passûs progressi in genua procidebant. Surgebant iterum, ac post sex passuum intervalla in genua rursum procidebant, Imperatore interim caput paulisper aperiente. Inde se ad editiorem illum locum conferebant Legati, ac tertia vice in genua procidebant, animique desideria coram Imperatore explicabant; Quibus à Vice-Cancellario imperii altero genu flexo respondebatur, & ad juramenti fidelitatis præstationem admittebantur. Digitis itaque tangebant Evangelium, quod in gremio suo habebat Imperator, & id à dexteris tenebat Comes de Porzia, à sinistris Comes de Lambergk. Inter jurandum autem aperto capite sedebat Imperator, pileumque tenebat Comes de Heiberstein. Præstito juramento ab aulæ Mareschallo gladius vagina vacuus osculandus prębebatur, quo facto trinâ vice iterum flexis genibus, retrogrado passu abibant. Illi autem qui simultaneam petebant investituram, hanc solennitatem observabant, ut dum priores tactis Evangeliis, hi tactis priorum palliis jurarent. Alibi locorum illi, qui simultaneam habent investituram, inter jurandum pileum omnes simul tangere sueverunt.

§. VIII. Regibus Orientalibus nuper constitutis osculum à subditis oblatum fuisse, tam sacrę paginę, quam seculares Historici confirmant. Inde non ineptè, nec sine Antiquitatis fundamento quidam Psalmo II. osculandi verbo homagium præstandum judicari colligunt. Pariter quando *Genes.* XLI. v. 40. legitur; quod *super os Josephi omnis populus osculatus sit*, non tam benevolentiæ testandæ

ſtandæ (quomodo Darius Zorobabelem proſequutus eſt, *Eſdræ* III. v. 3. *Joſeph. Antiquit. Judaic. Lib. XI. cap.* 4.) quàm Subjectionis causâ id factum eſſe putandum eſt. Propterea etiam μεταληπτικῶς interpretari licet *obedire*; quemadmodum LXX. tranſtulerunt: ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός. Vulgatus Latinus horum veſtigiis inſiſtens reddidit: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Vid. *Doct. Georg. Calixtus in hiſtoriâ Joſephi ad d. c. Geneſ.* inter oſculorum genera eſt גדלה נשיקה של hoc eſt, *oſculum magnitudinis vel dignitatis* alio nomine panegyricum, quod in publico hominum cœtu adhiberetur. *Tanchuma* XXIII. 44. Ut cum Regem recens creatum oſculo recipimus atque admittimus, eique Homagium præſtamus. *Joh. Buxt. in lexico Chaldaico-Talmudico-Rabbinico* ſub Radice נשק. *Col.* 1404. obiter hic velim notari Hebræos præter manum etiam femur potentiorum oſculo honorâſſe. Cauſam reddit *Martinus de Roa lib.* 4. *Singular. part.* 1. *C.* 4. *pag.* 371. his verbis: Qui femur alterius deoſculatur, quid aliud facit, quam quod ejus vim atque potentiam, quæ in viro præcipua ac maxima eſt, agnoſcat. *Joh. Druſius Comment. ad difficil. loca Geneſ. cap.* CXVIII. *p. m.* 139. apertè negat oſculum, quo de Geneſis XLI. v. 40. agitur. Subjectionis Symbolum eſſe, eoque nomine *Tremellium* perſtringit. Curatè hunc locum examinat *Andreas Rivetus exercitat. in Geneſ.* CLVIII. *p.* 768. Cujus cenſuram ideò integram damus, dixerat, ait, אל פיך ישק כל עמי Al pica jiſſak col ammi: Ad verbum: *Super os tuum oſculabitur omnis populus.* Vulgata, *ad oris tui imperium omnis populus obediet.* Quem ſenſum probat Pareus. Univerſus populus juſſa tua & imperium ſpontè & peramanter accipiet, quaſi cum oſculo, quod eſt amoris ſignum. Tremellius & Junius: *Os tuum oſculator univerſus populus meus.* Id eſt, hoc ſubjectionis Symbolo, dominum *te agnoſcito atq; profiteor.* Negat Druſius hoc verum eſſe. Quod ſi univerſaliter intelligat, idem etiam agnoſcimus, non ſemper eſſe ſubjectionis Symbolum, nec id voluit *Tremellius.* Exiſtimo contrarium probari poſſe, non ſolum ex hoc loco, ſed etiam ex aliis tam ſacrorum, quam prophanorum locis. Non urgebo, quod Idololatræ manu ad os admota, idola ſua adorabant,

rabant. Solebant enim manum deosculari & capita submittere, quod se Beatus Job elementis & idolis fecisse negat, cap. XXXI. v.17. Qui huc, inquit *Drusius*, referunt locum ex Psalmo II. & osculamini interpretantur, adorare, injuriam faciunt Spiritui S. cum mos ille fuerit colentium idola: *Quem ad Christum referre ipsa absurditate absurdius est.* Non persuadet vir doctus, ut ejus verbis utar. Quid enim, si Idololatræ mores adhibitos in cultu divino erga Idola sua usurparint? Absurditas ergo tota est in objecto, quod sibi proponunt, non in modo, qui communis esse potest. Certè Idololatræ proni & genibus flexis adorabant, genua flectebant coram Baal. An igitur Deo faciet injuriam, qui coram ipso genu flectet? Redeamus ad osculum. Inter genera osculorum, inquit ipse Drusius, loco adducto, quæ recensent Ebræi *est osculum dignitatis, sive magnitudinis &c.* Et rectè. Mirum est igitur, cur assentiri noluerit *Tremellio* dicenti, osculum, quo Josepho populus Ægypti debuit dignitatem novam gratulari, fuisse subjectionis Symbolum. Nam cum fateatur esse osculum dignitatis & Homagii, id est, quo osculantes agnoscunt alicujus dignitatem & homagium præstant, non video, quomodo negari possit, tale osculum esse Subjectionis Symbolum. Quod certè verum est. Sed Subjectionis quam quis libenter profitetur, & ex affectu, quia non solent hostes e. si Subjecti ad osculum admitti, aut ad illud etiam accedere, quamdiu sunt hostes, quia talis admissio in Principe benevolentiam significat, & pignus est mutuæ inter Dominum & Vasallum obligationis. At, inquit Drusius, etiam qui superiores erant, inferiores osculabantur. Nam oscula olim adhibita in hominum cultu; sanè, ipsos Reges legimus & Principes osculo excipere solitos cives digniores. Ex hoc more Darius Rex Zorobabelem osculatur. III. Esdræ Cap. IV. v. 47. Non ergo signum & Symbolum est Subjectionis. Respondeo, non tum quidem & in tali casu fuisse Subjectionis Symbolum, sed tantum amicitiæ aut benevolentiæ. Sed nunquam fuisse non probat: præsertim in circumstantiis notatis, cum populus nempe Principem osculatur reverenter,

eique

eique homagium præstat, ut ipse Drusius agnovit, quam ego interpretationem hic amplector, ut simplicissimam, ut hic significetur, populum Ægypti ex Regis mandato honorem illum Josepho exhibiturum, qui à Vasallis reddi solet iis, quibus honorem dominii tribuunt, se eis subditos confitentes. Doctissimo *Mercero* alia expositio potissima visa est, quam affert in Radicibus Kimchi, ut ישק sit ex significatione נשק armorum, quomodo vertit *Pagninus*, ad Sermonem tuum armabitur totus populus. Quam etiam se expressisse dicit Drusius, quasi ei nominatim rei militaris principatum concederet, quod etiam pertinet ad summum honorem. Et sic intellexit Chaldæus paraphrastes, juxta verbum tuum armabitur, etsi alii vertant, nutrietur; sed exemplum non afferunt, in quo verbum accipiatur in armandi significatione, etsi inde deductum sit nomen נשק, quod bellum & armaturam significat: quia cum verbum נשק significet occursionem more osculantium, qui sibi invicem occurrunt, ita nomen Néschek usurpatum etiam fuit pro bello, ab eo, quod sibi mutuò occurrunt milites, ut manus conserant. Osculi subjectionis interpretationē confirmant LXX. Verterunt enim ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται. In ore tuo, obediet, id est subjicietur tibi omnis populus. Hactenus *Rivetus*. *Salomon Gesnerus in Genesis cap. XXXI. p. m. 740.* de verbo ישק ischak, inquit, contendunt Grammatici, nam LXX. reddiderunt ὑπακούσεται, in oro tuo obediet. Similiter Hieronymus ad oris tui imperium omnis populus obediet. Chaldæus, ad verbum tuum lithesan, omnis populus, est autem lithesan armabitur; Ad quæ ita quoque *D. Lutherus in Commentario fol. 556. facie 2.* Radix est Naschak, quod *primò osculari, postea obedire, tertiò arma sumere significat.* Subditi enim Magistratui reverentiam & obedientiam exhibent, quæ alias osculo, alias etiam armorum usurpatione declaratur. Ita de Christo dicitur: Osculamini filium, id est, obedite ei, & Osculum est subjectionis signum 1. Reg. IX. Oseæ XIII. 2. 1. Paral. Cap. XXIX. v. 23. Confer *Fortunatum Scacchum Arcanorum Sacræ Scripturæ Myrothecio* III. *c. 35. p. m. 416.*

§. IX. Hujusmodi subjectionis Osculum Samuel Prophe-

ta Sauli in Regem uncto fixit, juxta usitatum in Palæstina & tota Syria morem, 1. Sam. x. v. 1. Significabat scilicet hoc Symbolo Samuel se Saulem diligere & suspicere, ut Ministrum Domini, seque illi polliceri fidem & observantiam. Theodoretus in quæst. XIIX. super hunc locum pro ratione addit: ἵνα τῆς ἐνοικούσης αὐτῷ χάριτος μεταδῷ. Ut eum (Saulem) gratiâ quæ sibi inerat, imperti-ret. *Alphonsus Tostatus Abulensis*, *Comment. ad l. d.* scribit: Hoc esse potuit in signum amoris, quoniam amici, quando â se invicem recessuri sunt, osculantur se; sic quoque Samuel diligebat nimis Saulem, quia Deus elegerat eum, & erat vir bonus, ideo, cum dimissurus esset eum â se, fuso oleo in capite osculatus est illum. Quod autem diligeret nimis Samuel Saulem, apparet, quia non solum dum bonus fuit Saul, diligebat eum Samuel, sed etiam postquam peccavit, diligebat, undè quia Deus prædixit, quod auferret ei Regnum, lugebat semper Samuel pro illo, infra cap. XV. Potuit quoque esse istud Osculum tanquam quædam Ceremonia Regalis unctionis; sicut enim in Collatione gradus Magisterialis aut Doctoralis, qui confert insignia, osculatur ipsum, qui graduatur, & hoc est ei tanquam insignium inter cætera: Ita in unctione regali poterat esse hoc tanquam pertinens ad Ceremoniam unctionis. Sed minus sibi constat *Tostatus*, dum in sequenti tertia quæstione ad hunc textum, velut altera Penelope telam retexens, negat ad unctionis ritum pertinere potuisse Osculum. Recte contra Drusius illud honoris debiti fuisse indicium, & adhuc in Indiâ observari, ut subditi Regem deosculentur ex *Aben Esra* & Pagnini Lexico pag. 1720. lib. 2. observationum inter Criticos Sacros Tomo IX. p. 1346. asserit: pro firmanda hac sententia locus Samuelis allegatus egregiè militat. Igitur Samuel acceptâ Olei lenticula effudit eam super caput ejus, deosculatusque est eum, & dixit; *Nonne unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem?* Ecce ait osculatus est. Et quanquam hoc ibi dicatur de Samuele, nec de Populo ipso, callidè scio, tamen facio conjecturam, ex loco quodam Mosis ubi Pharao ad Josephum: *Et os tuum osculabitur omnis populus*

meus

meus. Apparet enim ex iis verbis in conſuetudine fuiſſe,ut populus ipſe Dynaſtæ Oſculum daret, quod tamen accipiendum non de ſingulis, ſed de principibus populi tantum, ut Danielis III. v. 7. *Quo tempore audierunt omnes populi, & cadent omnes populi.* Ad quem locum *Hieronymus*, omnes populos, inquit, intelligimus in principibus, neque enim adeſſe poterant univerſæ ſimul nationes, Mos deoſculandi Regem recens creatum firmari poterit Authoritate *Nicolai Lyrani ad Pſalmum* II. ita ſcribentis: In translatione Hieronymi juxta Hebraicum habetur, *adorate purè*, Hebræi dicunt hic *Oſculamini filium*, id eſt, facite Chriſto debitum Homagium. Nam facientes Homagium fidelitatis alicui, ipſum oſculabantur. Hucuſq; *Nicolaus*, quod ſi quis malit ex ſigno denotari ſimplicem honorem &obedientiam, ejus me ſententiæ approbatorem libenter profiteor. Hæc *Druſius*. Confer ejuſdem *quæſtionum Hebraicarum lib.* 1. *Quæſt. LXXII.p.* 1521 *Tom. VIII. Criticorum. Wilhelm. Schickard. in jure regio Hebræorum cap.*1.*Theoremate IV.* p. m. 76. edit. noviſ. in 4. Lipſiæ Anno MDCLXXIV.

§. X. Ad eundem Oſculandi morem reſpiciunt, quæ ad ignominiam Salvatoris noſtri in Pilati Palatio impia militum manus adhibuit, Spineâ namq; Coronâ ab ipſis coronatum in contemptum Regiæ ipſius inaugurationis legimus, & quia Judæorum Regem Romani milites Chriſtum coronabant, oſculumq; apud Romanos atq; Iſraelitas in aſſumptione Principis ad Imperium, dari ſolitum ſciebant, nec ab hac inauguratione Chriſti ad ejus Vilipendium ſuſceptâ deeſſe voluerunt. Non enim milites illi tum primum & quaſi in arena ex proprio Cerebello hos Regiæ inaugurationis ritus, Ceremoniaſvè fabricârunt: Verum quæ Principibus in auſpicando Imperio gloriæ cedebant,ad eluſionem Domini noſtri Servatoris converterunt, Hos ritus inter ſputa, quibus ſceleſtiſſimi Mortalium divinam faciem conſpurcarunt, oſculum inaugurationis aperiunt. Verba Matthæi Evangeliſtæ ſic ſonant cap. XXVII. Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in Prætorio congregaverunt ad eum univerſam co-

 hortem,

hortem, & exuentes eum, Chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes Coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextra ejus, & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum! & exſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Nec Marcus hoc idem ſilentio prætermiſit cap. XV. ſed ad Ritus Regiæ inaugurationis irriſionem hanc referens, ait: cæperunt ſalutare eum: Ave Rex Judæorum, & percutiebant ſuper caput ejus arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum; ſed oſculum irridendum eidem infligendo, non eum oſculabantur, ſed in eum exſpuebant.

§. XI. Hoc verò oſculum non uno more, nec membro corporis uni impreſſum fuit, ubique tamen cautè circumſtantiarum adhibito diſcrimine. Quemlibet enim de populo abſq; ullo perſonarum aut dignitatis reſpectu ad os Principis accedere non permittebat Reipublicæ Ordo, nec Procerum dignitas, neq; Principis auctoritas. Nobilioribus ſaltem in Principis inauguratione id conceſſum eſſe tradit *Plinius Junior in Panegyrico Trajano dicto*; Gratum erat cunctis, quod Senatum Oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras. Idem quoq; conjectari poteſt non immeritò ex complexu Bruti, quo à Pompejo exceptus ſcribitur, cum ad illius partes in pugna Pharſalica tranſiret, eo nimirum tempore, quo de Reipublicæ Imperio inter Cæſarem & Pompejum acerrimè decertabatur, apud *Plutarchum in Bruto, Operum Tomo 1. p. m. 985.* ſtatim poſt initium: ὅτι καὶ φάσι Πομπήιον ἡσθέντα καὶ θαυμάσαντα προσιόντος αὐτοῦ καθεζόμενον ἐξαναστῆναι καὶ περιβαλεῖν ὡς κρείττονα, πάντων ὁρώντων. Id eſt, *Memorantq; lætum tum Pompejum & obſtupeſcentem ejus adventu omnibus adſpicientibus aſſurrexiſſe ei ex ſellâ, ac ſicut unum ex Principibus fuiſſe complexum.* Ex quo ſane loco ad complexum Principis venire ſolitos non omnes, ſed nobiliores tantùm atq; illuſtriores viros manifeſtum. Hinc Scriptores Cajum graviſſimè reprehendunt, quod Hiſtrionibus palam, nonnullisq; de populo oſcula daret, pleriſque autem ex Senatoribus, ac viris illuſtrioribus manum tantùm, aut pedem porrigere

minimè

minimè vereretur. Nec enim Autores præposterè eum id fecisse dicerent, nisi Senatoribus tantum, non verò plebejis osculum â Principe ex institutis illius ævi, deberetur. Hinc colligere pronum est, Præfectos Prætorio aliquandò primùm â Principibus ad Osculum recipi solere, deinde alios illustriores viros, fortasse tunc, cum Princeps ad Imperium assumebatur, nimirum in die inaugurationis. Minoris autem ordinis homines, qui extitissent in Republicâ, genu flexi ad manus tantum Principis consueverunt accedere, atq; Osculo easdem venerari, ceu ex *Tacito* liquet, *lib.* 1. *de* Othone loquente: ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis MANUM, quantoq; magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plus facere. Vid. *Polidor. Virgilius de rer. Inventor. lib. IV. cap.* 13. Hodie oscula manuum omnibus solennibus Actibus communia observantur. Ex infinitis exemplis recentissima saltem adducemus. Post initam *inter Regem* Poloniæ Johannem Casimirum, & Suecos pacem prope Thorunium, Ann. MDCLVIII. Comes Oxenstirna Benedictus, & Bulavius præsidio Suecico præfectus, cum triginta passus ab Rege abessent, ex equis delapsi ad eum pedibus pervenerunt, manumq; osculati sunt magnâ cum reverentiâ, totiusq; corporis & capitis demisso inflexu. *Thuldenus Histor. Europ. part. III. bli. IX. p.* 363. Cum *Legati Anglicani* Regem Carolum II. Hagæ Comitis Anno MDCLX. commorantem flexo poplite humillimè obsecrarent, ut in patriam reverti, & Solium hæreditarium occupare dignaretur, ad manus Osculum admissi recesserunt. *Diar. Europæum; continuat. IV. p.* 92. Post beatissimum Hispaniæ Regis Philippi Quarti obitum, statim Proceres Regni, quotquot aderant, filii Superstitis Caroli Secundi, qui nunc gubernat, manum osculari susceperunt, quos etiam quamvis quartum ætatis annum ageret, decenti tantum Principem gravitate cum stupore præsentium admisisse fertur: Er hat den Hand-Kuß von allen / mit einer so grossen und Herrlichen Majestät angenommen / als ein Printz / so sein Volkommen Alter erreicht / immer hätte

 thun.

thun können; und auff welche Weise Ihm eine jede Persohn/ die für ihm nieder gekniect/ benahmet worden/ eben solcher Massen hat Er mit Darreichung und Zurückziehung seiner Hand gegen denselben sich verhalten. Autor *Germano-Gallicus* von Kranckheit/ Testament und Tode Philippi Quarti Königs in Hispanien/ pag. ultimâ. Longè dissimilibus à parente moribus, qui cum tertio ætatis anno Rex Castiliæ designaretur, ejulatu & somno Ceremonias hasce transire passus fuit. *Continuator Thuani lib.* 1. *ad Ann.* MDCIIX. In Suecia cum novo Regi Carolo Gustavo fides data esset, Nobilitas & Clerus, Urbaniatq; Rustici singuli Regis Manum osculati fuêre. *Christian. Adolphus Histor. Universſ. part. I. lib. III, pag.* 145. Ferdinandum Secundum Imperatorem tamen hunc honorem à Sacro Ordine sibi deferri non passum fuisse, testatur *Lemmermannus in vita ejus, Cap. IX.* Uti manum dextram omnibus Sacerdotibus dedit, ita nulli Osculum permisit, *illud Benevolentiæ*, hoc Reverentiæ debere professus. Anno MDCLXV, in Aula Imperatoris Legatus Turcicus osculum manus prætendit, cum verò ipsi responsum esset, Antecessoribus ejus tantummodo pallium osculandum fuisse concessum, acquievit, Pallium interim apprehensum, pectori firmissimè applicans, ut testatum fortè faceret, partem manibus longè Nobiliorem, pectus nempe & Cor Imperatoris sibi patuisse. Er dingete Ihm auß/ bey der Audientz/ nicht den gewöhnlichen Käyserlichen Mantel/ sondern die Käyserliche Hände zu küssen. Deme zur Antwort wurde/ ꝛc. Was anlanget die Küssung des Mantels/ da bestünde man auff dem alten Herkommen: T. V. Als die Käyserl. Majest. in der Audientz, dem Bottschaffter den Mantel zu küssen darreichte/ drückte Er denselben nieder/ und küssete die Brust. *Diarium Europæum Continuatione XII. pag.* 41. Quomodo populi inferioris Æthiopiæ in Regno Congo, post novi Regis Coronationem se gerant, D. *Otho Dapper in descriptione Africæ, pag.* 565. tradit: Nach vollendeter Wahl und Kröhnung deß neuen Königs/ bleibt der König acht Tage lang auff seinem Schlosse/ da Ihm mitlerweyle alle Edelleute

leut der Schwartzen mit allen Portugalliern besuchen/ und Glück wünschen. Dieses verrichten die Edelleute mit fallen auff beyde Knie/ mit klappen in die Hände und mit küssen der Königlichen Hand. Die Portugallier aber mit sitzen auff dem einem Knie/ Und die Priester und Geistlichen mit grosser Höffligkeit dem Königε zubegegnen. Wañ sie wieder auffstehen/ reichen Sie einander mit gleicher Höffligkeit die Hände. Triballorum in Epiro Mysiæ inferioris degentium morem in accessu ad Principem recenset *Iohannes Cantacuzenus, lib. IV. Hist. Cap. 43. p. 41. seq.* Inveterârat apud Triballos consuetudo, ut si quis nobilium, ac potentum longô intervallô temporis ad Principem veniret, ante primam salutationem ambo ab Equis descenderent; & primùm quidem inferior Principis pectus, post ejusdem os, sive labra deoscularetur: Altero congressu minor non descenderet amplius, sed & ipse in Equo Dominum salutaret: Mos cum ipso (Crale) quidem rursus servabatur. Triballos autem morem Romanum erga Imperatorem tenere volebat; (Cantacuzenus) & quoties eum convenirent, omnes ab Equis descendere, ac primò præsertim remotius descendere, & pedibus accedere, & sic ejus genu exosculari.

§. XII. Turci non saltem verbis salutem nunciant, sed etjam in congressu humeros, in digressu genua osculantur, *Zenobio* teste, *Centuria V. Proverb. XXV. Zvvingerus lib. III. voluminis I. Theatr. Vit. hum. p.* 352. enarrat, quod Gemes Ottomannus ad Alexand. VI. Pontificem Legatus Rhodiensium, humeros ejus osculatus sit. *Rabbi Salomon Iarchi* de humerorum osculis, in *Cantici cap.* 1. ad verba illa *Osculetur me*, ait: Utinam me Rex Salomon osculetur Osculis oris sui, hæc enim erat illius tempestatis consuetudo, cum plerisq; aliis locis osculum admoveatur manui aut humero, de posteriori apud Peguanos post inaugurationem novi Regis, *Vincentius le Blanc Massiliensis cap.* 20. 23. *primi itineris* mentionem facit, apud *Erasm. Francisci* im dritten theil des Ost- und West-Indianisch? / wie auch Sinesisch Lust- und Staat-Gartens pag. 1526. Wenn der neue König an den Pallast

last kommen / so reicht man dreyen Fürsten so dem König am nechsten gestanden / und die Obersten sind / güldne Weyrauchs-Gefässe an drey bleyerne Ketten festgemacht / mit köstlichen Rauchwerck. Der Falcada geht vor dem Printzen her / in einem weissen Kleide / und güldnen Beil in der Hand / überlaut ruffend: Gott und nicht das Volck hat Ihn erwehlt. Wer ihn vorbey sihet gehn / fält zur Erden; Sie küssen einander die Achseln / ihre von wegen des Königs habende Freude dadurch zubezeugen.

Iidem Turci suam observantiam & subjectionem eò usq; declarant, ut quando ad mandatum dominorum dirè verberibus excepti sunt, manum illorum osculentur, imò mercedem pro ictibus exsolvant. *Augerius Gislenius Busbequius Epistola III. Legationis Turcicæ.* Est verò cumprimis admirabilis Turcarum in accipiendâ castigatione patientia, in suris, in soleis, in natibus sæpè ultra centum plagas excipiunt, ut plures cornei fustes nonnunquam confringantur, & illo indentidem sit opus. Cedò alterum, ac tametsi in promtu sint remedia, fit tamen aliquando, ut plures libræ vitiatæ carnis, è locis illis contusis ferrô circumcidendæ sint. Nihilominus adire eum, cujus jussu cæsi sunt, & MANUM DEOSCULARI, & gratias agere coguntur, & lictori pro singulis verberibus certam mercedem solvere. Non fustem quidem illi, quo castigantur sacrum habent, nec dubitant primùm delapsum cœlo credere, non minus, quam Romani sua ancilia. Hæc ille. Simile quidpiam in Regno Melinde, inferioris Æthiopiæ obtinet. Weñ ein grosser Herr allein einen Fähler begangen / dañ wird Er durch den König selbst / in ein Königliches Zimmer gebracht / da muß er sich nackt auff die Erde legen / und umb Verzeihung flehen / und der König gibt ihm einige Stockschläge / viel oder wenig / nach der grösse seiner missethat / und dienste / die Er dem König gethan hat. Hierauff niñt Er sein Kleider auff / küsset des Königs Füße / und bedanckt Sich in aller Unterthänigkeit vor die erwiesene Gnade. *D. Otto Dapper in descript. Africa, p. 694.*

§. XIII. Persarum mos erat, ut si pares essent, osculo impertirent,

pertirent, quos honorabant, inferiores verò salutando potentiorum genua manu tangerent. *Herodotus lib.* 1. *& Xenophon Oratione de laudibus Agesilai* : Apud Persas, Medos & Indos Reges adorari, & in salutando homines toto corpore procidere invenimus, *ait Alexander ab Alexandro, Genial. dier. lib.* 11. *cap.* 19. *pag. m.* 202. *Ex editione Tiraquelli.* Tandem ut & ipsis pedibus hunc honorem tribuerent, introduci cœpit, uti cuivis notum, qui limis saltem oculis, aut quasi per transennam veterum monumenta inspexit. Ita Cyrum Persarum Regem eumque tunc victorem adoratione quæ diis immortalibus fiebat, peractâ, libenter permisisse, ut Gadatas & Gobryas manus suas ac pedes observanter sint exosculati, Xenophon de Pædia Cyri lib. VII. attestatur. *Olear. lib.* 1. *Itinerarii cap.* X. Der König von Persien gibt frembden Gesandten nicht die Hände/sondern die Knie zu küssē/ den Unterthanē die Füsse. *Petrus Della Valle Itinerar. part.* 11. *pag.* 117. Alle Vasallen des Persischen Königes/ sie seyen Sultanen/ Chanen/ oder was für Vornehmen Standes sie auch wollen/ müssen ihm den Fuß küssen. Diese Ceremoni aber geschiehet nicht jedesmahls/ so offt sie ihn sehen/ und mit Ihm reden; sondern allein/ wann sie von einer weit entlegenen Landschafft vor ihm erscheinen/ oder von ihm Abscheid nehmen/ wann sie in ihre Landvogtheyen wieder verreisen wollen.

Der König blieb stehen/ und wartete auff den Saltan/ gegen welchen Er/ als derselbe/ wie gebräuchlich/ mit beyden Knien vor ihm nieder gekniet/ seinen rechten Fuß/ denselben zuküssen/ außgestreckt: Der Sultan aber/ nach dem Er selbigen geküsset/ und an seine Stirn gedrucket (welches gleichfals ein Zeichen der Ehrerbietung/ und in Orient ein zu dem Fuß-Kuß gehöriges Stück ist) verfügte sich hinter den König/ umb seinen anderen Reiß-gefährten Platz zumachen/ dergleichen zuthun.

Nach dem sie solches verrichtet/ wiederholete der Sultan/ und so fort alle die andern diesen Fuß-Kuß; und solches geschahe zum drittenmahl. Dieser dreymahl wiederholte Fuß-Kuß/ und daß sie dreymahl umb den König gehen/ bedeutet/ daß der jenige/ der es thut/ alles Unglück/ so dem Könige begegnen möchte/ auff sich

nehmen wolle. Welches eine Ceremoni einer sehr grosser Liebe und Ehrerbietung/ und allein gegen Fürsten/ oder andern/ so man hertzlich liebet/ gebräuchlich ist. Sie pflegen auch absonderlich nur bloß mit der Hand umb der jenigen Persohn / die sie Ehren wollen/ ihren Kopff zufahren und diese Wort dabey zu sprechen: **Alles übel/und alle deine Wiederwertigkeit/ kome über meinen Kopff:** Uñ sind der gäntzlichē Meinung/daß dieser wunsch die krafft habe/ das es also geschehen werde; dannenhero es/ weme solche Ehre wiederfähret/ für ein Kennzeichen einer überauß grossen Lieb gehalten wird. Familiarem huncce cultum Judæis fuisse, facile ex Lucæ cap. VII. v. 28. apparet.

§. XIIII. Transilivit ille deinceps ab Orientalibus ad Romanos. *Cresconius Corippus. lib. 1. v. 160.*

Consensusq; sui manifestans vota Senatus
Crebet adorabat Dommos & poplite flexo
Plurima divinis supplex dabat oscula plantis.

Alii legunt *creverat*, *orabat*, sed malim cum *C. Barthio Adversar. lib. xxxiv. cap. 21.* planiorem renioremq; lectionem sequi, quam novo sensui eruendo frustra operam impendere. *Ammianus Marcellinus Histor. lib. xxviii.* quorundam Nobiliorum hominum arrogantiam perstringens scribit: Cum debuissent ad osculum oris ac pectoris salutantes admittere, pedes tantùm, vel genua exosculanda his porrigebant. Ex his quidam cum salutari pectoribus appositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda, vel manus. Superbissimus Imperator Diocletianus Speciali Edicto osculationem pedum instituit, quemadmodum *Pomponius Lætus, in Compendio Romanæ Historiæ Tomo 11. Scriptorum Histor. Augustæ, edit. Sylburgianæ in fol. Francoforti, Anno 1588. pag. 528. testatur* his verbis: Diocletianus Romanorum Principum victoriosissimus, divinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepit. Nam cum priores ut Consules salutarentur, primus ipse voluit adorari, velut in eo esset cœlestis Majestas. Persarum iste mos, quorum Princeps Rex

Regum

Regum appellatur & adoratur, fratrem Solis & Lunæ se nuncupans. Imperatores anteà manus exosculandas nobilibus præbebant, post suis manibus sublevabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati, pedes exoscularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro gemmis & margaritis, quod fecisse ante Cajum Caligulam memorant. Confer *Eutropii Histor. Rom. lib IX. in in fine, Tomo. I. scriptorum. A. H. pag.* 586. Idem indicat Romanæ Philosophiæ Siren, *Seneca libro II. de beneficiis cap.* 12. Cæsar dedit vitam Penno, si dat, qui non aufert. Deinde absoluto & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant eum, negant id insolentiæ causa factum: ajunt Socculum auratum, imò aureum margaritis distinctum ostendere voluisse. Ita prorsùs: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est, & alioquin nullam partem in corpore ejus electurus, quam prius oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberæ Civitatis Persicâ servitute mutaret, parum judicavit, si Senator senex summis usus honoribus, in conspectu Principum sibi supplex eô more jacuisset, quo victi hostes victoribus jacuêre. Invenit aliquid infra genua, quò libertatem detruderet. Non hoc est Rempublicam calcare? Et quidem dicet aliquis, (nam potest ad rem pertinere,) sinistro pede. Parùm enim fœde furioseq; insolens fuerat, qui de capite Consularis viri soccatus audiebat, nisi in os ingessisset Imperator pigros suos. Hactenus ille, subintellige pedes, quando Seneca *pigros* dicit, sic enim juxta *Turnebum Tomo I. Adversariorum, lib. IX. cap. 30. p. m.* 283. joculari vocabulo *pedes* appellat: Cum enim illi quocunq; nos ferant, in desidibus & pigris officio videntur deesse suo, quadam ignaviâ, & pigri pigros & segnes reddere; ut in strenuis & gnaris contra videntur gnari & strenui esse, & promti ac parati ad viam *Xiphilinus in Calig.* circa finem, de ejusdem ultimo ac ferali epulo. *Pomponius secundus cum Consule cibum capiebat ad pedes ejus, eosq; frequenter osculabatur.* Hic obiter observo, reos olim absolu-

tos finiſtrum Regum pedem oſculo excepiſſe. Eò quoq; tendunt *Bernhardi* verba *Sermone III. ſuper Canticum*: Hominibus quidem ita eſſe videmus, ſervos videlicet offenſores Dominorum oſculari pedes, cum ab eis veniam petunt, & pauperes divitum manus, cum ab eis munus accipiant. In coronatione Mediolanenſi obſervatum eſſe ſcribit *Alciatus*, ut qui ex Angleriæ Comitibus dignior ſit, pedem dextrum, & qui ex Cottarum familiâ, ſiniſtrum oſculo tangat, Imperatoremq; humeris ferat uterq; ſublatum in Prætorium. *Merula Antiq. Gall. Ciſalp. lib. III. c. IX.*

§. XV. Viliſſimam hanc oſculi ſpeciem ab Imp. Cajo introductam eſſe *Lipſius* ex *Dione* colligit, ubi legitur: ἐφίλει ὀλιγίστους, τοῖς δὲ πλείστοις, καὶ τῶν συμβυλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα, ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. *Pauciſſimos* (Cajus) *oſculatus eſt, pleriſq; autem etiam Senatorum, vel manum vel pedem præbuit adorandum.* Maximinum Juniorem tantæ inſolentiæ fuiſſe tradit *Julius Capitolinus*, *Hiſtor. Caſ. Aug. edit. Caſauboni, p. 268.* Ut manum porrigeret, genua ſibi oſculari pateretur, nonnunquam etiam pedes, quod nunquam paſſus eſſet Maximinus Senior, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat. Ideò etiam *Plinius in Panegyrico, pag. 26. edit. Buchneri*, in illum occultè tela vibrat, & contra ſummis Trajanum elogiis extollit, quod civium amplexus ad pedes non depreſſerit, nec oſculum manu reddiderit. Trajano Paulus Æmilius jungi meretur, de quo *Plutarchus in vita* ejuſdem poſt medium. *p. m. 269. Tomo 1. oper.* narrat, quod Perſeum devictum turpiter in terram procumbentem, & genua Pauli Æmilii amplectentem, voceſq; emittentem audire non ſuſtinuerit, ſed talibus eum verbis ſit allocutus? Quid miſer maximo crimine liberas fortunam, qui hæc admittis: quare non immerito oppreſſus videare calamitate, neq; hac, ſed priſtina indignus fortunâ fuiſſe. Quid verò non præbendo te generoſum, nec dignum populo Romano adverſarium, victoriam maculas meam & palmam elevas? Virtus magnam conciliat vel apud hoſtes reverentiam: Ignavia apud Romanos eſt etiam fauſtis rebus prorſus contẽpta. Suſtulit

ta-

tamen eum, dextramq; porrexit, & curam ejus mandavit Tu- „ beroni. Eandem generositatem Pompejus erga captum Tigranem Parthorum Regem laudabiliter declaravit, eodem *Plutarcho in vita Pompeji p. 367.* attestante, verba ita sonant: Ut „ denique ad Pompejum pervenit, detraxit capiti cidarin, quam „ instiit ad pedes deponere, & abjicens se omnium fœdissimè „ ad genua ejus procumbere. Cæterùm antevertit Pompejus, apprehēsaq; dextra sustulit eum, & sedere jussit ad latus suū. Servilis illa ceremonia parum arrisisse videtur Rolloneo Normannorum Duci, veluti ipso opere comprobavit, quando enim â Carolo Simplici, Gallorum Rege, Gillin uxorem & Neustriam acceperat, monitus â præsentibus, ut pro more gentis Gallicæ Regi pedem oscularetur, non dignatus in genua coram Rege procumbere, stans Regis pedem manu apprehensum in altum sustulit, oriq; suo, ut oscularetur, admovit, quo factum est, ut Rex ex tanta pedis sublatione retrorsum caderet in sedile. *Piccartus observat. Historico-Politic. narrat. ridic. 4. p. 330. Cranzius lib. 11. Norvegia cap. XXVI. Fulgosius lib. VI. Exemplorum, cap. 4. Pandolphus Collenucius lib. 1. Iohannes Baptista Caraffa lib. 1. Quos Borellus Comment. de Regis Catholici Præstantiâ cap. LIV. allegat* Eundem honorem Carolus V. Imperator â Provincialibus in Africâ sibi deferendum gloriosè recusavit, notabiliter dicens. *Caput imperat, non pedes.* Quod si alii quoq; qui sacri sunt ordinis imitarentur, nec aures haberent in pedibus, melius utiq; audirent, *Limnæus de jure publico, lib. II. cap. VII. num. 6.*

§ XVI. Quod autem satis diu ille pedes Imperatorum osculandi ritus etiam inter Græcos obtinuerit, omnium optimè ex historia Byzantina constare potest. Sic *Iohannes Cantacuzenus* post medium Seculi decimi quarti ex Imperatore Monachus factus, ac pro Johanne Josephus dictus, in *historia* sua sub nomine Christoduli *conditâ, lib. 1. cap. 34. p. m. 104. edition. Parisiens. Anno* MDCXLV. de Michaële Palæologo Imp. ejusq; nepote Andronico Juniore scribit: Cùm mutuò appropinquassent, nepos ab equo desiliit, ut humi stans tanquam servus Imperatorem

salutaret. Ille conversis habenis retrocedere. Qua ambage insinuabat, decere Imperatorem, (uti nepos erat) non humi stantem, sed in equo sublimem salutatione fungi. Vetus enim consuetudo apud Romanos Imperatores vigebat, ut cum alter alteri obviam fieret, qui utrumque sequerentur, â jumentis descendentes pedibus ambularent, ipsi in equis manentes congrederentur, & junior aperto prius capite, eoq; inclinato senioris dextram cum osculo arriperet, indeque suscipientem pater vicissim oscularetur. Tum itaq; non inscitia moris hujus, sed ut avo maximum & plusquam debitum obsequium, ac reverentiam tribueret, Nepos Imperator ab equo descendit, cumq; pedibus obfirmatus sequeretur, senior coactus substitit, & propè accedens junior pedem illius in omnium conspectu complexus osculo contigit. Idem *lib.* I. *pag.* 154. Legatum Andronici ad Michaëlem sic loquentem introducit: Cum potuisset (Andronicus) tunc partem Principatus Romani tibi oblatam possidere, tamen noluit, sed tibi se subjecit, idq; cum bello nihil ulciscendam peccavisset, quodque caput est, pace conciliatâ ad te veniens in equo, ut erat propius adequitare, ut Imperatores solent, pepercit: Pedester autem te adoravit, tuumq; pedem expresso subjectionis Indicio osculatus est. *lib. II. cap.* 5. *p.* 209. de Zamerchane Satrapa Persarum, cum Imperatore sene pacem ineunte: Cum propius abesset, ut jam ipsum videre, & ab ipso videri posset, cum Persis suis ab equis descendit, paulumq; progressi, cæteri quidem omnes Imperatorem, antequam appropinquarent, capitibus humi submissis adorabant, ipse ad eum pedibus accedens, & adorabat, & pedem illius osculabatur. *lib. III. cap.* 38. *p.* 477. Primus Protostrator adiens, Imperatoris pedem osculatus est. Idem cæteri ordine præstiterunt, Imperator & ipse prono capite Protostratorem ab equo resalutavit, alios autem dum prætervcherentur salute impertiit? *lib. III. cap.* 42. *p.* 490. Cæterùm Michaël & exercitum qui esset, & auctorem nôsse avens, propius ad castra ferens aditum, nonnullosq; ex familiaribus & amicis procul conspiciens, nominatim

tim eos appellat, & de Duce percontatur. Audit Imperatorem Cantacuzenum esse; nec mora, illicò accedit, pedem osculatus, se ipsum indicat. *lib. IV. cap.* 10. *pag.* 739. Vocāte autē eo (Cantacuzeno Imperatore) hortanteq; (Persas) uti confidentes, nihil secus, passuros, libentèr se traderent, statim accesserunt, & circumfusi, eum solum in medio habentes adorârunt, eiq; pedes osculati sunt. De Imperatorum uxoribus eodem cultus genere affectis, apud *Procopium* notabile Exemplum legas, narrat enim in *historia Arcana pag.* 68. quosdam ex Patriciis THEODORAM JUSTINIANI uxorem προσκυνήσασθαι, καὶ ταρσοῦ ἑκατέρου ποδὸς ἄκρῳ χείλει ἅψασθαι, adorasse, summisque labiis utriusque pedis plantam osculatos fuisse. *pag. sequenti* dicit, quendam ex patriciis προσκυνῆσαι τὴν Θεοδώραν ὥσπερ αὐτὴν προσκυνεῖν εἴθισε, Theodoram adorasse, quo pacto eam adorare moris est. Ante Theodoram hunc morem non fuisse usitatum, idem *Procopius* confirmat *pag.* 133. Βασιλίδα μὲν τὴν προσκυνεῖν οὐδαμῇ εἴθιστο. Παρὰ δὲ Ἰουστινιανόν τε καὶ Θεοδώραν τὰς εἰσόδους ποιούμενοι, οἵτε ἄλλοι ἅπαντες καὶ ὅσοι τὸ Πατρικίων ἀξίωμα εἶχον, ἔπιπτον μὲν εἰς τὸ ἔδαφος, εὐθὺς ἐπὶ στόμα, χειρῶν, καὶ ποδῶν ἐς ἄγαν τετανυσμένων, τῷ χείλει ποδὸς ἑκατέρου ἁψάμενοι, ἐξανίσταντο. Augustæ nullus adorandæ modus fuit. Verùm cum in conspectum Justiniani, Theodoræque venirent tum alii, cum qui Patriciæ dignitatis essent, statim in faciem procumbebant, pedibusque ac manibus tensis utrumq; Principis pedem osculo prosequebantur, ac tum abscedebant. Hoc minus mirum vel peregrinum reputabunt illi, qui noverunt Magistratus & Præsides Provinciarum, Theodoræ æque ac Justiniano fidem solemnis Juramenti Religione publicè professos, suam utrisque acceptam retulisse dignitatem, & utriusque servos sese appellasse. Inde ipse Imperator *Novella VIII.* cap. 1. pronunciat: Hæc omnia apud nos cogitantes, & hic quoque participem consilii sumentes, eam, quæ â Deo data est nobis, reverendissimam conjugem & tuæ Celsitudini caussam communicantes, & quædam etiam à tuo sumentes consilio, ad hanc sacram invenimus legam, &c. Et *Tit. III.* ejusdem *Novell.* de jurejurando, quod præstatur ab his, qui

qui administrationes accipiunt. Juro ego per Deum omnipotentem, & filium ejus unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum S. & per sanctam gloriosam Dei genitricem & semper-Virginem Mariam, & per quatuor Evangelia, quæ in manib⁹ meis teneo, & per sanctos Archangelos, Michaëlem & Gabriëlem, puram conscientiam germanumque servitium me servaturum Sacratissimis nostris Dominis JUSTINIANO ET THEODORÆ CONJUGI EJUS, &c.

§. XVII. Unâ eademq; opera ἀξιομνημόνευτον de Imperatore Constantinopolitano notari velim, quod videlicet magna Dominica Paschali omnes Principes Imperatoris pedem osculo honorent: οἱ δὲ Ἄρχοντες πάντες εἰσερχόμενοι ἕκαστος μέχρι καὶ τοῦ ἐσχάτου, ἀσπάζονται πρῶτον μὲν τὸν δεξιὸν πόδα τοῦ Βασιλέως, εἶτα τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ μετ' αὐτὴν δεξιὰν τὴν αὐτοῦ Παρειάν. &c. Proceres verò omnes, etiam usque ad novissimum, ingressi, osculantur, primò quidem dextrum pedem Imperatoris, deinde dextram manum, posteâ dextram genam. Si verò eo loco, in quo versatur Imperator, sit quoque Genuensium in Galatâ potestatus seu præfectus, ingreditur, osculaturque & ipse cum comitatu suo Imperatorem, quemadmodum & proceres, ut expositum est, nempe pedem, manum & genam ejus: cumque adhuc matutinum decantatur, traduntur illis, sicuti & cæteris primoribus, cerei, post Osculum discedunt. Veneti verò neque ad multorum annorum comprecationem neque ad osculum veniunt, causa est ista: Imperator Michaël primus Palæologorum, perpetuum cum Genuensibus fœdus pepigit, in quo etiam de honore Imperatori habendo constitutum est, quando nimirum potestatus ex Genuâ appellit, initiò & tunc solum, ingressus ad venerationem Imperatoris, genua bis flectit, semel, simul ac triclinii januam intrat, & rursus in medio ejus, quo facto, accedit & osculatur Imperatoris in throno sedentis pedem & manum. Similiter & alii Genuensium

nuenſium primores peregrè reverſi, cum veneratione oſculantur Imperatoris pedem & manum. In quotidiano autem cultu deferendo, ablatis cappuciis, ſecundò genua flectunt, & quando triremes eorum veniunt, ſive multæ, ſive paucæ, ſive etiam unà Imperatorem fauſtis acclamationibus proſequuntur. Ad Venetos verò quod attinet, cum prædictus Imperator ſtatuiſſet, paulò poſt arma contra illos ſumere, non fecit cum illis perfectam pacem, ſed modici temporis inducias. Quapropter accuratè non ſunt eorum conſuetudines annotatæ, ſicut Genuenſium. Quandò igitur venit Bajulus, quo primùm die Imperatorem ſalutaturus & veneraturus eſt, genua ipſa & ſocii ſolummodo flectunt, pedem verò nequaquam oſculatur, cæteris diebus, quandò ad Palatium veniunt, cappucia ſua tantum deponunt, non flectunt verò genua. Eodem modo neque ad fauſtam multorum annorum apprecationem permanent, neque ad oſculum veniunt, ut ante dictum eſt. Neque iſtorum triremes, quandò recenter appellunt, Imperatorem benè nominatis verbis proſequuntur. Feria quinta Hebdomadis, quam à renovatione διακαινήσιμον vocitant, recipit ſe Patriarcha cum Epiſcopis & reliquis Primoribus Eccleſiæ, inſuper & cum Archimandritis & Monaſteriorum præfectis ad Palatium. Mutat igitur Patriarcha veſtes, & ad Imperatorem venit, ſtantem in throno ſuo. Proceres aulici tunc non adſunt, neque circumſtant, ſed eorum locum ſupplent Epiſcopi, ut diximus, & Eccleſiæ primores cum aliis, de quibus jam dictum. Incenſat, ſeu thuris ſuffitu honorat Patriarcha Imperatorem, deinde tradit thuribulum Archidiacono. Ipſe verò accedens benedicit, & oſculatur Imperatorem in ore; Eodemque modo fert ipſe oſculum ab Imperatore. Poſtea Patriarcha ſtat Vicinus Imperatori. Epiſcopi porrò ſimul duo accedentes oſculantur & ipſi Imperatorem, primùm quidem manum, deinde genam. Poſtea idem faciunt omnes Eccleſiæ Proceres, Ar-

chimandritæ etiam, & Monasteriorum Præfecti. Quibus peractis Patriarcha precationem sacram superaddens discedit, Imperator suum in conclave se confert. Quando Maronitæ Montis Libani habitatores in conspectum Patriarchæ veniunt ad ejus pedes, illos deosculandi causa devolvuntur. Ille autem protensâ manu eosdem tollit, quam ambabus manibus arreptam postquam osculati sint, capiti superponunt. *Monsr. de Rochefort* im 2. Buch der Historischen Beschreibung von den Antillen Inseln cap. XIX, p. m. 430.

§. XIIX. Idem ritus adhuc hodiè inter Principes utriusque Indiæ viget. Cum enim Vice-Rex Portugalliæ in Goa Dominum Johannem Fernandez Leyton ad Principem Provinciæ Canerà, cui nomen erat Venktapà Najeka, ablegasset, Legatus ad aulam Ikkerensem delatus, coram Principe gloriabatur, sibi jam ante hac id honoris contigisse, ut licuisset Celsitudinis suæ pedes osculari. *Petrus della Valle Itinerarii parte IV. Epist. 5. pag.* 88. Aliud exemplum *Mandelslo Itinerarii Indici lib. cap. 30.* de quodam cum immanissimâ Tigride in conspectu magni Mogolis decertante recenset: Er kam und sprang diesem Tiger entgegen als ein toller Mensch/ der Tiger vermeinte diesen gleich den Vorigen anzugreiffen/ in dem Er sich aber gegen ihn erhub/ hieb der Kämpffer ihm im ersten Anlauff die beyden fordern Pfoten ab/ daß er fiel/ und hernach den gantzen Leib in Stücken. Darauff rieff der König: Wie heist dein Nahm? Der Uberwinder antwortete/ Geily. Bald kam einer vom Könige geschickt/ brachte ihm ein güldens Lacken Cambay/ und sprach zu ihm/ Geily, Nimm' hin das gnadenkleid/ welches dir der Mogol schickt. Dieser empfing den Rock mit grosser Reverentz, und küssete denselben dreymahl/ druckte ihn allzeit dabey auff seine Augen und denn an die Brust. Hernach hielt Er den Rock empor/ that heimlich sein Gebett/ und rieff überlaut: Gött lasse den Mogol so groß werden als den Tamerlan/ von welchem Er entsprossen/ u. Hierauff ward Er von zuleyen Ver-

verschnittenen zum Könige gefodert / als Er hinauff kam / traten zween Chanen zu ihm / und führten ihn gleich als einen Bräutigam / zu des Königes Füssen / welche Er küssete. Und als Er seinen Abtritt wiedernehmen wolte / sprach der König / Gelobet seystu Geily Chan, von wegen deiner Rittertaht. Diesen Nahmen und Titul solstu behalten in Ewigkeit. Ich bin dein Freund/ und Du solt mein Diener seyn. Also wurde dieser zum Hertzog gemacht / von wegen seiner Kühnen That. Eundem tamen cultum vilioris quoque conditionis hominibus tam à peregrinis, quam ab indigenis exhibitum reperio. Ita Americani Reges Insularum Hornanarum Anno MDCXV. Sub Thalassiarchis Wilhelmo Cornelisono Schanten & Jacobo le Maire Belgicam navem intrantes, flexis genibus Capitaneorum pedes osculati sunt. Ut primùm navem conscenderat (Rex) procidens in genua, ac procumbens in faciem, preces suas effudit, Comites ipsius pedes nostros exosculabantur acceptosque eos manibus suis capiti imponebant, ad demissionem, subjectionemque demonstrandam. *Navigatio Australis le Maire, Arnhemii in Geldriâ*, Anno MDCXVIII. excusa. *Iacob Gretser. lib. III. observat. Cap. IX. in Codini cap. XIV. p. m. 244. D. Otho Dapper in Descriptione Americae, lib. I. cap. III. pag. 126. Edit Germanicâ Amstelodami in fol.* Anno MDCLXXIII. Peculiare de Sacerdote Indico Urbis Ikkeri *della Valle* loco nuper citato, *p. 93.* recitat, dignissimum sanè quod hîc inseratur: Ich habe auff dem Platz einen von ihren Geistlichen/ oder Giangami / welcher gantz weiß gekleidet gewest/ in einem schönen Palanchin, mit zweyen grossen Schirmen/ einen auff dieser/ den andern auff jener Seiten gesehn/ welches/ weil derselben zween gewesen/ ein höheres Ansehen bedeutet / deme man ein Hand-Pferd' nachgeführt / und ein grosser Hauffen andrer Giangami, so ihre gewöhnliche Kleider getragen / gefolgt. Vor dem Palanchin ging eine starcke Anzahl Soldaten / und andre Leute / welche viel Trommeln und Pfeiffen/

fen / ingleichen gerade und lange Trompeten / und solche Messinge Becken / die man aneinander schlägt / und auch in Persien gebräuchlich sind / bey sich hatten. Nachdem man nun das Palanchin auff den Platz nieder gestellet / machten die andren einen Kreyß herumb / die Täntzerinnen aber tantzten einen Tantz auff ihre Weise / und schlugen ihre Höltzlein / welche den Täntzen mit Castanieten in Italien nicht viel ungleich seyn/gegen einander / nur allein mit diesem Unterscheid / daß diese Täntzerinnen zugleich tantzten und sangen / welches denn viel schöner zu sehen ist. Endlich begab sich der Giangami mit seinem Palanchin und der obgemelten Gesellschafft zwischen etliche Garten / welche / wenn man zum Thor hinauß geht / zur lincken Hand lagen / alwo sein Hauß war / in welches er / nachdem man den letzten Tantz gethan / hineingegangen ist / und sich hierauff jedermann nach Hause begeben hat. Man berichtete mich / daß ihm diese Ehre deßwegen wiederfahren / alldieweil ihm etliche Wasser damahl auff sein Haupt gegossen / und mit Ihm eine neue Ceremonie vorgenommen / gleich als wenn man bey unß jemand zum Priester einweihet / oder einen zum Doctor machet. In dem ich nun diesem Geprang auff der Gassen zuschauete / sahe ich / daß viel Leute allen diesen Giangami, welche den Vornehmsten Giangami, der in dem Pailanchin getragen wurde / zu Fuß nachfolgeten / mit grosser Ehrerbietigkeit die Füsse küsseten / weil aber derselben sehr viel waren / und ihnen allen die Füsse zukussen viel Zeit darauff ging / so stunden sie / wenn jemand kame / und ihnen diese Ehre anthun wolte / ingesampt in einer Reihe still / demselben Zeit hierzu zugeben ; mittlerweilen mann aber auß Andacht also die Füße küssete / machten sie ein ernsthafftes saures Gesicht / und stelleten sich / als ob sie solches / die der Welt gäntzlich abgesagt / gar nicht achteten ; Eben auff diese Weise / wie es unsre Münche zumachen pflegen / wann etliche Anddächtige Leute ihre Kutten auß Ehrerbietigkeit küssen / jedoch mit diesem Unterscheid / daß es bey jenen / ihrer abergläubischen Religion

gemäß /

gemäß / eine purlautere Gleißnerey ist. Simile fermè obtinet apud Tartaros, apud quos summi Sacerdotis manus Rex tantum osculatur, nobiles ad oscula genuum ejus admittuntur, reliquis plebejis vix licit calceos osculari. *Wolffgang. Frantzius Hist. Animal. part. I. cap. XIV.*

§. XIX. Hactenus de membris corporis illustrium potissimum Personarum osculo honoratis actum, nunc age æqualem honorem vestimentis, palliis, eorumque fimbriis, imaginibus, quin & literis delatum fuisse, è ditissimo Antiquitatis penu solerter eruamus. Primo itaque Agmen hujus cohortis ducat chlamys purpurea, commune Imperii insigne, juxta *Eutropium Histor. Rom. lib. 9. in Diocletiano.* Hinc Maximinus assumpta Purpura, Imperator renunciatus est. *Herodianus lib VI. cap.* 8. post medium: Πορφύραν ἐπιβαλόντες βασιλικὴν, αὐτοκράτορα ἀναγορεύουσιν, id est, Purpuram circumdant, Imperatoremque salutant. Pariter Nigrum pro suggestu ad ipsum exstructo verba facientem, exercitus Imperatoriâ Purpurâ ornavit.

Idem *lib. II. cap.* 8. Nullus autem emunctioris naris suspicetur, Orientalium quorundam Imperatorum filios Porphyrogennetos dictos, quasi in Purpura essent nati, ideoque Imperio destinati. Quandoquidem nomen istud non à Purpurea veste Originem habet, sed potius ἀπὸ τῆς πορφύρας, loco, ubi Augustæ pariebant. Sic *Nicetas Acominatus Histor. lib. V.* Ὠκοδομήθη μὲν ἡ Πορφύρα καὶ ἐυτρεπίσθη πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τῆς γεννήσεως h. e. Exstructa est Porphyra ad excipiendum partum. *Anna Comnena in historia de rebus gestis Alexii Comneni* parentes sui *sub nomine Alexiados editâ Auguste Vindelicorum* Anno MDCX. *à Davide Hæschelio, lib. VI.* primum indigitat. τὸ ἀφορισμένον πάλαι ταῖς λοχευούσαις τῶν βασιλίδων οἴκημα, deinde subdidit: Πορφύραν τοῦτο οἱ ἀνέκαθεν ὀνομάζουσιν ἐξ οὗ καὶ τὸ τῶν πορφυρογεννήτων ὄνομα εἰς οἰκουμένην διέδραμε. porrò: τοιαῦτα τοίνυν τὰ τοῖς Πορφυρογεννήτοις ἡμῖν ἐξ αὐτῶν βασιλί-

δῶν τῆς ἡμῶν γεννήσεως ξύμβαντα. Adcò Porphyrogennetut & Porphyrogenneta perindefit ac ὁ ἐν Πορφύρᾳ γεννηθεὶς, in Porphyranatus. Loco Πορφυρογεννήτου habetur Πορφυρόφυτος in *Constantini Manassis Chronico* versibus Politicis concinnato *pag.* 120. *Corp. Histor. Bizantinæ Num. XV.*

Ἐξήνθησε Βασιλέως σὺν ἅμα Κωνσταντίνῳ
Οἱ Πορφυρόφυτοι βλαστοὶ τοῦ Ρωμανοῦ τοῦ Πρώκου.

Conferatur *Luithprandus* Episcopus Cremonensis seculo decimo *lib.* 1. *cap.* 2. *historia de rebus suo tempore in Europa gestis.* Interim planè negandum non est, quod etiam Purpura parienti Imperatrici substrata sit; illud enim ex *Fastis Consularibus Hydacii* Antiquissimi Scriptoris manifestè constat, dum ait: Ricomere & Clearcho Consulibus natus est Honorius Nob. in Purpuris die 5. J, d. Sept. *Claudianus* de eodem Honorio

Ardua privatos nescit fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit: Cognata Potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro.
Idem ominatur, sponso eidem Principi:
Sic natus in Ostro
Parvus Honoriades genibus confidat avitis.
in 3. consulatum.

Sed ad rem. Purpura Principum, si ulterius progredi non liceret, osculo salutabatur, quod vocabatur Labratum, Græci φίλημα Βασιλικὸν ἀσπαστικὸν Βασιλέως, id est, Veneratio Principis, adoratio Purpuræ, Imperii; *Guido Pancirollus rerum memorabilium primo, qui deperditarum titulum habet, Tit.* 46. *p. m.* 21. *Edit. in quarto Anno* 1660. *Francoforti,* scribit: Qui Imperatores salutabant, non exosculabantur illis genua ut hodiè usurpatur, nec etiam manus, sed congeniculati, aut genubus flexis purpuream ipsorum vestem tangebant. Atquè hi sacram dice-

dicebantur Purpuram adorare: post L. I. C. *de Apparitor. Praefect. Prator.* L.12. &C. *Si quis Servum*, 7. C. *qui milit. poss. eod. libro.* Quod quidem illi cui licebat, non exiguo honori erat. Nullis autem nisi nobilioribus & meritissimis Ministris purpuram tangere permittebatur. Ea propter Jus venerandi Purpuram, inter *Consulares Prarogativas* numeratur, Servisque non concessum fuit. *L. 7. Cod. qui milit. poss.* ceu hodienum etiam obtinet apud Magnates, ut non nisi digniores manus suae porrectione dignentur. Hunc favorem Veteres tanti fecerunt ut ex Privilegio concederetur. Sic legitur *in* L. *Sancimus. Cod. de Consulib. l.* 12. ubi dignitati alicujus adscribitur, Purpuram Imperatoris adorare posse. Itaque inter honores maximos Consulibus atque summis tantum viris concessum, *Dionysius Gothofridus in Annotat. ad L. Primicerium, observavit. De isthoc favore, Imperator sic pronunciat: Quod semel eis detulerat consularis Processio, iterasse beneficio videatur, & in adorandâ nostrâ Purpurâ, vel in consequendis cunctis Consulum honoribus & Privilegiis.* Quam Purpurae adorationem aeternitatis adorationem appellatam censet *Gothofridus in annotat. ad Leg. Primicer. C. de Fabricens. L. II.* dicentibus Theodosio & Arcadio: *Primicerium Fabricae* post biennium non solum vocatione, verum etiam honore donari praecipimus, ita ut inter Protectores ejusdem fabricae, per biennium adoraturus aeternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur. *Alciatus* tamen istum loquendi modum, quo Imperatoris aeternitatem adorare dicimur, hyperbolen appellat, *lib. IV. de verb. significat. Num.* 13. Ab *Ammiano Marcellino* irrisam. *Libro V.*

§. XX. *Quod ad modum &c. vid. p. 372.*

§. XXI. Legati externorum Principum togam Imperatoris Turcici in Palatio, juxta morem consuetum, hodiè osculari tenentur. Sic in Legatione Maximiliani II. Imper. Superiori seculo Legati in conspectum Sultani adducti vestem ejus de consuetudine osculati sunt, teste *Martino Crusio*,

libro

lib. VII, Turco-Græciæ p. m 455. Audiamus αὐτόπτην Petrum della Valle, Itinerarii part. 1. Epist. V. p. m. 52. In der Einführung eines Außländischen Abgesandten/ wird auch die Ceremonie in acht genommen/ den Saum an des Groß-Türcken Kleid zu küssen. Wobey vors erste anzumercken ist/ daß kein Gesandter Er sey so Vornehm/ als Er immer wolle/ denselben öffter als zweymahl zusehn bekomme; das erste mahl wann Er ankompt/ und das andermahl wann Er wieder verreisen wil. Und in diesen beyden mahlen legen sie/ mit Küssung seines Kleides/ ihre Complimenten in einer kurtzen Reden/ (fast eben wie bey den öffentlichen Consistorien zu Rom/ ab; Der Groß-Türck aber antwortet nie nichts darauff/ sondern ist nur da/ dieselbe anzuhören. Dienstag der 10. Martii ward bestimmet/ an welchem der Neue Bailo in dem Divan (den man den Grossen/ oder Offentlichen nennet/ als welches der Ort des grossen Rahtes ist/) erscheinen/und auff gewohnliche Weise des Groß-Türcken Kleid zuküssen geführt werden solte/ nachdem man zween oder drey Tage zuvor dem alten Bailo, welcher so lang biß der neue angenommen worden/ sein Ansehn behält/ eine Anzahl Kleider/ beydes für alle die jenige/ denen der Zutritt zu dieser Ceremoni gestattet werden solte/ zugeschickt: denn es wird niemand zugelassen/ dem Groß-Türcken Reverenrz zumachen/ der nicht auß seinem Befehl ein hierzu gemachtes Kleid bekommen. Dieses Kleid ist von einem sonderbahren/ aber schlechten Zeug auß Bursien gemacht/ und wird ein Ferrage, oder das erste Oberkleid genennen/ weil man dasselbe über das andere Ferrage, so man gewöhnlich trägt/ anzeucht/welches deñ meinem Bedünckẽ nach dem Käyserlichen Präsent zu Ehren geschicht/ vor welchem man also außgeputzt/ und in solcher Gestalt erscheinet/ die eben so seltzam ist/ als wenn einer zu Neapolis zwey Mäntel über einander tragen wolte. Wir kamen des Morgens in aller frühe/ alles auff Türckisch oder Griechisch gekleidet zusammen/ und waren unser/ die vor dem Groß-Türcken zuerscheinen/ und sein Kleid zuküssen erkoh-

ren und verordnet waren / in allem vier und zwantzig / über welche Zahl man nicht schreiten / noch ander als nach Landes gebrauch gekleidet gehn darff. Et p. 55. Die Bailen welche am ersten hinein gangen/bleiben so lang stehen/biß wir alle drinnen waren / welches so bald es geschehen / befanden wir uns zwischen zween Capigibasci, oder Häubtern der Thürhüter / die zu diesem ende / für der Thür auffwarten ; Diese nahmen uns / gemählich / der eine bey der einen / der andre bey der andren Hand / fast eben als wie unsere Doctorn, wann sie einem Patienten den Pulß fühlen / und führten uns mit grosser Anständig- und Ernstligkeit vor seine Majestät. Wie wir uns nun ihme zwar nicht allzuweit / jedoch so viel als es von nöhten / genähert / knieten wir mit einem Knie auff die Erden / streckten unsern Halß und Kopff / so weit wir konten / und küsten also den Saum seines Kleides/welches ein Capigibasci so hoch auffhube / daß wir dasselbe mit unsrem Mund erreichen kunten / nachdem solches geschehen / stunden wir geschwinde auff unsre Füsse / und giengen wieder / jedoch allzeit rücklings / nach der Thür des gemachs/ und von dannen Gliederweise eylends in den Hoff / woselbst wir der Wiederkunfft der Gesandten / die wir bey dem Groß-Türcken gelassen hatten / erwarteten. Hierbey ist zuwissen / daß wir zu dem Kleider-Kuß nur einer nach dem andern / und Wechselsweise gelassen worden / und durfften die nachfolgende nicht eher herbey gehen / als nachdeme man die Vorhingehende abtreten lassen. De Legato Belgarum D. Cornelio Haga ad Portam Othomannicam, Togam Sultani osculante vid. *Wilhelm. Baudartius lib. 4. p. 180.* Geistlicher und Weltlicher geschichte / ubi simul memorat, quod legati ejusdem Nobiles ad osculum manus Imratoriæ admissi sint. Simile quidpiam inter Tartaros observatur. Ita enim Princeps Persicus Regis Tartarici Legatus ad Mitaquerum, sive Campi-Mareschallum ; apud *Ferdinandum Mendozam, Pinto* in Erasmi Francisci Außländ. Kunst- und Sitten-Spiegel / *lib. 1. Histor. Select. XXII, pag.* 171. loquitur :

Der jenige/ welchem mein Mund den Hochschätzbahren Saum seines Kleides küsset ꝛc.

§. XX. Quod ad modum ipsum venerandi Purpuram attinet, Belgicus Seneca, *Lipsius Elect. lib. II. cap. 6.* jam superiùs citatô, asserit, adorantes prius manum porrigere, deinde ad os referre solitos, cui incomparabilis *Salmasius in notis ad Flavium Vopiscum* contrariatur, nec non *Martinius in Lexico Philologico*, voce *Labratum*, affirmando, quod adorantes prius manum labris admoverint, deinde versus Regem quem adoraturi erant, protenderint, undè phrases hæ: *Oscula jacere, basia jactare, manu venerari.* Quo ex ritu fortassis illa apud nos consuetudo ortum traxit, qua in honorandis aliis nostram dextram ori admovere solemus, *Baise les mains*, χαίρειν, Galli appellant. Sed audi ipsum *Salmasium l. d. p. 441.* edisserentem: *Male ab illo (Lipsio) scriptum est, adorantes manum prius porrigere, deindè statim ad os referre solitos.* Imò contra illi faciebant. Manum enim osculari, deinde eam versus illum, quem adorabant, protendere consueverant, & hoc erat, quod dicebant, *oscula jacere. Tacitus lib. 1. Histor. cap. XXXVI.* Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione. Jactare basia apud *Iuvenalem. Phædrus*, jactat basia tibicen, id est populum adorat. Jacere autem osculum is propriè dicitur, qui manum osculatur, deinde eam porrigit ad eos, quorum honori ac venerationi dat illud osculum, nam protensione manus, quam prius erant osculati, quodammodo osculum ipsum porrigere & jactare ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. Hoc ostendit *Iuvenalis* cum dicit;

A facie jactare manus, laudare paratus,
Sic benè ructavit.

Qui à facie jactat manus, is utique manu faciem prius tangit

tangit, quam eam jactet, & porrigit, postquam eam osculatus est: & sic quodammodo osculum jactare ac porrigere creditur. *Manu venerari & manu salutare* hoc dicebant. *Tacitus de Nerone* Cithara cantante: postremò genu flexus, & cœtum illum manu veneratus est. Idem Neronis factum innuere videtur *Dio libro LXI.* scribens: Nero in Theatrum prodiit, Gallionis voce nominatim citatus, ftetitq; Cæsar in scenâ habitu Citharœdi. Quin etiam ipse Imperator dixit; domini mei, audite me libenter. Quæ postrema verba, *inquit Franciscus Bernardinus Ferrarius, de Acclamationibus & plausu veterum lib. II. cap. 26. pag. 138.* crediderim à Nerone, tum maximè pronunciata, cum populum adorabat. Nec sanè mirum, si Spectatores veneratur Nero, dum histrionem agit, cum Imperatores ipsi aliquandò theatrum ingressi, populum adorarent. *Suetonius in Claudio*; eosdem spectacula edentes, surgens, & ipse cum cætera turba voce ac manu veneratus est. Et *Claudianus in sexto de Honorii consulatu carmine:*

O quantum populo secreti Numinis addit
Imperii præsens species? quantamq; rependit
Majestas æterna vicem? cum regia circi
Connexum gradibus veneratur Purpura vulgus,
Consensumq; cavæ sublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor.

Propterea eruditè *Iohannes Meursius in Auctario Philologico cap.* 18. observavit, Imperatores medii & infra cavi collisis labris, editoque molliculo quodam ac fracto sono, oscula verius jactâsse quam dedisse, atque hæc *labrata* fuisse nuncupata. Histrionem (Nero) pergit *Salmasius*, verum agebat. At Histrionum, Pantomimorum & Cantorum mos hic erat, ut populum scenam ingressi adorarent. Vetus Epigramma:

Ingressus scenam populum Saltator adorat.

Sic aurigæ flagello populum venerabantur. Cum enim manum

 dextram

dextram in adorando ad os referrent aurigæ, qui dextrâ flagellum tenebant, flagellum ipsum osculabantur, & sic adorabant. *Dio in Caracallo* de ejus aurigationibus loquens: Προσεκύνει δὲ αὐτὸς κάτωθεν τῇ μάστιγι, καὶ χρυσοῦς ὥσπερ τὶς τῶν ταπεινοτάτων ᾔτει, id est, aganothetas flagello venerabatur. Quo loco quid vocet Dio προσκυνεῖν τῇ χειρὶ *manu venerari*. Sic enim Aurigæ solebāt. Idem *in avito*: ἐθεῶντο δὲ αὐτὸν ἁρματηλατοῦντα καὶ χρυσοῦς ὥσπερ τινὰ τῶν ταπεινοτάτων αἰτοῦντα, τοὺς δὲ ἀγωνοθέτας καὶ στρατιώτας προσκυνοῦντα. Labrata autem oscula diximus ea dici quibus in adorando utebantur, & inde dici, quod manum labris admoverent, cum adorabant. At Imperatorum Imagines & sacri vultus qui populis inhiantibus, ut lex loquitur, inferebantur, quod ab omnibus adorarentur, & hujusmodi labratis osculis excipi solerent, labrata etiam, ut dicerentur invaluit. Labratum propriè est salutatio vel adoratio quâ Imperator vel Imperatoris Imago excipitur. Glossæ ἀσπαστικὸν Βασιλέως interpretantur. Verùm ipsa etiam imago Imperatoria, quæ labratis adorabatur, ita dicta est. Hinc passim Græci λάβρατα vocârunt imagines regias. *Gregorius Dialog. Epist.* 1. *ad Leonem Isaurum*: διὰ τοῦτο καὶ τὰ λάβρατά σου καλὰ δέξαντο καθὼς πρέπει βασιλεῦσι βασιλέας τιμᾶν. Et paulò post: τότε ῥίψαντες τὰ λάβρατά σου κατεπάτησαν, καὶ ἀνασκαφὴν τοῦ προσώπου σου ἐποιήσαντο. *Chronicon Alexandrinū*: τούτῳ τῷ ἔτει ἐβασίλευσεν Ἀνθέμιος, καὶ ἀπῆλθεν εἰς Ῥώμην, καὶ εἰσῆλθε τὰ λάβρατα αὐτοῦ ἐν Κωνσταντίνου πόλει, διὰ φερεντίου ἐπάρχου πόλεως. Iidem Græci λάβρατον non de Imperatoria tantum imagine, sed de quovis Simulachro & effigie usurpârunt. Hinc Hermulas, quæ pro terminis erant finiendis agris λάβρατα vocârunt. *Pediasimus Bulgariæ Chartophylax in libello manuscripto*, περὶ γεωδαισίας. Ἐν ταῖς τῶν χωραφίων ἀρχαῖς εἰώθαμεν πέτρας ὀξύας ἢ λάβρατα, τιθέναι ὡς ὅρους. *Glossa Basilicorum*, λάβρατον ἐκ τοῦ λαβόρατον, καὶ κατὰ συγκοπὴν, λάβρατον, τοῦτ' ἔστιν, εἰργασμένος καὶ χειροποίητος ὅρος. Vult labratum, cum terminum vel hermulam significat, dici quasi laboratum & manufactum. Falsâ quidem & ineptâ Etymologiâ, sed ex quâ constat Græcos semper λάβρατον scripsisse & pronunciasse, non λαύρατον, hoc est

est lauratum; quod satis sit confutandis illis, qui λαύρατα esse lauratas vel laureatas imagines, sibi Imaginati sunt. Hactenus Salmasius.

§. XXII. Secundò de Imaginibus Imperatorum & Regum adoratis eò minus dubium est, quo certiùs constat, veteres Principes sua domi habuisse Lararia & cubicula Larariis maximè confinia, in quorum altero Deos immortales Diis penatibus progenitos, in altero autem homines in Deorum censum relatos quos scilicet merita in cœlum usq; evexerant, salutaverunt. Sic *Lampridius de Alexandro Severo, cap. 29.* memoriæ prodit, quod in Larario suo divos Principes, sed optimos, electos, & animas sanctiores, in queîs & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, ejusmodi cæteros, ac majorum effigies *habuerit.* Utrisque Imaginibus thure ac flosculis, imo victimis interdum SACRA FACERE & SUPPLICARE solebant. Exinde apud *Minutium Felicem in Octavio* legimus: Quis dubitat horum imagines consecratas vulgus orare & publicè colere, dum opinio & Mens Imperatorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore perstringitur? subscribit *Gregorius Nazianzenus Orat. in Julianum*, Est enim hoc in more positum, ait, haud quidem scio, an apud alios quoque homines, qui Imperio subsunt, cæterùm apud Romanos studiosissimè observatum, ut publicis statuis Imperatores ornentur, parumq; habent ipsi adorari, nisi idem suis imaginibus picturisq; præstetur, quò cumulatior ipsis perfectiorq; veneratio reddatur. De isto etiam ritu notabilis locus in *Plinio lib. X. Epist. 97.* occurrit: Jusserat (Plinius) imaginem Trajani cum simulachris Numinis adferre, ut thure ac vino iis supplicarent, ac maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. *Herodianus lib. V. de Heliogabalo*: Quare imaginem propriam maximis lineamentis, qua ipse obire Sacerdotis munia videbatur, simulque figuram numinis cujus Sacerdotium gerebat, depi-

ctam in tabula præmisit Romam, jussis qui eam ferrent, in media curia loco edito supra victoriæ caput collocare, ut cum Senatus haberetur, Thura unusquisque adoleret, merumque libaret. Edixit item, ut omnes Romani Magistratus, quique publicè sacra facerent, ante alios Deos, quorum meminisse inter sacrificandum solent, novum illum Deum Heliogabalum nuncuparent. *Suetonius in Caligula cap. XV.* de Artabano Parthorũ Rege tradit, quod cum antea odium semper contemtumq; Tiberii præ se tulerit, ultro Caligulæ amicitiam petierit, veneritque ad Colloquium Legati consularis, & transgressus Euphratem, Aquilas, & signa Romana Cæsarumque Imagines ADORAVERIT. Ea simulachra, inquit *Lipsius*, nego aliud fuisse, quam Cæsarum ex auro argentovè imagines, ut quisq; imperabat. *Iulius Capitolin. in Marco Antonino Philosopho*: Sacrilegus judicatus qui Antonini imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere vel debuit. Inde cavit *Tacitus*, ut Aurelianum omnes pictum haberent. *Flav. Vopiscus in Tacito*, qui etiam addit: Eant & dignitatem Probo derogent, quem Imperatores nostri consecrandum vultibus indicârunt, *in vita Probi.* Unicum adhuc addo ex *Plutarcho in vita Themistoclis p. m.* 125. Cum Regem Persarum Græco more convenire vellet, Artabanus Tribunus militum illum ab editu depulit, nec rogationem ejus fieri ullam passus est, nisi adorato Rege, in hæc erumpens Verba? *Leges, Hospes, mortalibus discrepantes sunt, aliis alia honesta: Omnibus autem honestum est domestica ornare ac tueri. Ac libertatem vos præ cæteris & æqualitatem spectare fama est; nobis inter multas & præclaras leges hæc est, præclarissima, venerari Regem, & imaginem adorare omnia conservantis Dei.* Imagines autem illæ pectoretenus expressæ. Claudio enim Clypeus aureus, velut Grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus totius Judicio in Romana Curiâ collocatum est, & ut nunc videtur, expresso thorace vultus ejus. *Trbellius Pollio in vita ejus.* Christiani Imperatores quidem mul-

multas ipsis ad majestatem erectas imagines tolerarunt, sed ADORATIONEM ut impiam & æterni numinis Majestati adversam publicis constitutionibus prohibuerunt. Id innuunt Theodosius & Valentin. Cæsares *l. 2. C. de stat. & imagin.* Præfecto Prætorio: Si quando nostræ statuæ vel imagines eriguntur, sive diebus (ut assolet) festis sive communibus: adsit judex sine adorationis ambitioso fastidio; ut Ornamentum diei & loco & nostræ recordationi sui probet accessisse præsentiam, vel, ut Pacius vult, præsentiâ. Boleslaus quartus, Poloniæ Rex, Patris sui effigiem, in numismate aureo, è Collo suspensam circumferebat, & quoties Majoris momenti negotium aliquod decernendum occurreret, ori illam admovebat, & venerabundè DEOSCULANS solebat dicere: Avertat benignissimus Deus, ne quid ego indignum regio tuo nomine statuam, *Didacus Saavedra Faxardo Symbol. politic. XVII.* Hodiè Peruani Reges adhuc Ethnici in vivis sibi lapideam statuam parari curant, eique nomen fratris tribuunt, quæ æquali cum Regibus honore mactatur, juxta *Acostam lib. V. Histor. cap. 6.* De Sinensium Imperatoribus *Maffeus lib. VI. Histor. Indic. pag. 268.* apud *Erasm. Francisci lib. II. Histor. XII.* Des Ausländ. Sitten-Spiegels pag. 448. notanter scribit: In allen Sinesischen Provintzen / wird eine vergüldete und verdeckte Taffel verwahrt / darauff des Käysers Nahm geschrieben steht. Für selbige Taffel tretten / so offt der Neumond kompt / alle Sinesische Befehlhaber und hohe Beambten hin / heben den Fürhang auff / und knien davor so demühtig und Ehrerbietig / als ob der Käyser selber in Persohn zugegen wäre.

§. XXIII. Tertiò Regum literas osculabantur accipientes, nec non capiti atque oculis admovebant, ceu ex *Cosma Patriarcha lib. II. Historia Saracenica cap. II.* liquet. Quin & hoc, inquit, constat, literæ Regis cum afferuntur alicui à Præfectis,

fectis, ejus figillo confignatæ, eique dicitur: hoc à Rege eft, eum illas legere, *ofculari*, capitique fuo & oculis admovere, ut Regem honoret, quod nomen ejus & figilla eis impreffa fint. Gemina his habet *Eutychius Patriarcha Alexandrinus Tomo* II. *annalium*, ab infigniffimo Domino Eduardo Pocockio, quem ob favorem Oxoniæ mihi exhibitum reverenter nomino, *ex Arabico Latinitate donato*: Cum perlatæ fuerint à Rege literæ (*inquit translator celeberrimus pag.* 42.) ad præfectum illius aliquem, figillo Regio fignatæ, dictumque fuerit id fcienti, eft hoc figillum Regis: Hæ illius literæ, annon affurgens ftabit, donec literas manu acceptas OSCULATUS fuerit, eafdemque capiti & oculis fuis admoverit? Neque interim ideo affurgit, aut literas ofculatur, quod chartam veneretur, aut ceram chartæ obductam, aut atramentum intra chartam, aut quod literis affurgat, eafq; veneretur. Non per vitam meam, ob rerum iftarum aliquam, verum inde hoc eft, quod Regem veneretur ejufq; nomen, cum ipfius fint literæ. Bafilius Imperator Orientalis Hadriani II. Pontificis Romani literas fimili ofculo excepiffe à *Guilielmo Bibliothecario in Adriani vita apud Anaftafium de vitis Pontificum*, *p. m.* 229. perhibetur, Verba ejus hæc funt: Ante Imperatorem in Chryfotriclinio fibi continuò affurgentem falutabundi conveniunt, Apoftolicas Epiftolas Imperatori offerunt; quas Imperator per femet fufcipiens ofculatur; de ftatu Romanæ Ecclefiæ, falute D. Adriani fummi Pontificis, deq; omni Ecclefiafticorum, Senatoriorumq; ordine ordinabiliter perfcrutatur. *Alcuinus Epiftola LXII.* de ofculis aliorum etiam literis libatis fic loquitur: folutis Sigillis, avidis oculorum obtutibus per fingulas lineas iter aperui, defiderabilemque optatæ falutis fofpitatem patris agnofcens, in illis mox fingulis literarum apicibus ofcula libabam, totumque me Deo Chrifto effudi in gratiarum actiones. *Julianus Imperator Epiftola XL. ad Iamblichum* fcribit: Literas tuas ut accepi, ofculatus fum, & ad oculos admovi mordicufque tenui. Eodem

fpectat

spectabat *Epistola LX.* Quoties ad os meum Epistolam admovi, sicut matres filiolos suos exosculantur? quoties inscriptionem ipsam, quam velut manifesto sigillo tuaptemanu obsignaveras? &c. *Cicero lib. III. Epist. XI. ad familiares.* Complexus igitur sum cogitatione te absentem, epistolam verò osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. Quartò eodem pacto præcipui Principum Dignitarii, quos forte novo vocabulo, uti in aulis nova sæpè formantur Prædicata, non immeritò MINISTRISSIMOS vocaverim, ab aliis honorati sunt. Ita Præfectum Prætorio, cum Palatium esset ingressus debuisse consvetudine Imperatoria adorari, memorat *Cassiodorus Libro VI. Variar. Epist. 3.* Non tamen à vulgò, sed iis, quibus speciali indultum erat Privilegio. Inde enim est constitutio in *L. 1. C. de Domest. & Protector.* Ubi Valentinianus & Valens Augusti Eusignio P. P. mandant, ne à domesticis & protectoribus oscula recipere dedignetur; quippe Sacrilegium esse illis, quos Principes purpurâ suâ dignos æstiment, non deferre honorificentiam. Huc quidam locum ex *Ælii Spartiani cap. II. in vita Severi* trahunt, qui nempè *cum eum* in legatione quidam municipum suorum Leptitanus præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebejus amplexus esset, fustibus ipsum sub elogio Præconis cecîdit: Legatum P. R. homo plebejus temerè amplecti noli: ubi tamen de amplexu generaliter tantùm, non autem de osculo agitur.

§. XXIV. Clariùs ut cognoscatur quid nomen Prætorio-Præfecti importet, necessariam explicationem subjicio. *Martialis* de *Fusco*, qui tantum munus sub Domitiano administrabat, sic canit:

Ille sacri lateris custos Martisque togati,
Reddita cui summi castra fuere Ducis.

In *notitia Imperii Romani*, qui olim Præfectus Prætorio, Comes domesticorum inscribitur. Posterioribus temporibus Græcis ἀκόλουθος appellatus est, qui Barangis præerat, seu Regis stipatoribus. Id docet *Codinus de officiis aulæ Constantinopolitanæ cap. V.*

§. 71. ὁ Ἀκόλουθος ἐυρίσκεται μὲν ἔνοχος τῶν Βαράγγων, ἀκόλουθεῖ δὲ τῷ Βασιλεῖ ἔμπροσθεν αὐτῶν. Διὰ τοῦτο καὶ ἀκόλουθος λέγεται. Acoluthus addictus Barangorum sivè Regiorum satellitum præfectus est: sequitur autem Regem ante Barangos, ideoque Acoluthus, hoc est, Secutor, dicitur. Hæc *Codinus*. Barangi Officiales, qui custodiebant claves portarum civitatis, ubi morabatur Imperator. Cantacuzenus Lib. I. cap. I. Vocabulum Anglicum est illius ævi teste Curopalata: nam custodes illi Angli erant etiam Cameræ Imperialis custodes, ferentes securim, ideò Securigeri & Barangi dicebantur. Macer Hierolex. pag. 72. Francisc. Guoldman. Dictionar. Latino-Anglico. Unde verò Prætorio Præfectus appellatus sit, ex *Asconio* discitur, *Veteres*, inquit ille, omnem Magistratum, cui paret exercitus, Prætorem appellaverunt. Unde & Prætorium Tabernaculum ejus dicitur, & in castris porta Prætoria, & hodiè quoque *Præfectus Prætorio*. Quibus ex verbis innotescit Præfectum Prætorio dici eum, qui militibus iis præerat, quos Imperatores ad sui corporis custodiam adsciverant. Quod institutum primùm ab Augusto fluxisse *Svetonius* in vita ejus, & *Dio lib. LV.* testantur. Nam ab eo primùm missâ sub Jugum Republicâ, & expressâ libertate, exemplo Magistrorum equitum Præfectus Prætorio creari cœpit, eique dari plenior licentia ad disciplinæ publicæ emendationem. Quibus initiis adeò is Magistratus crevit, ut appellari à Præfectis Prætorio non posset. Credidit enim Princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & gravitate, ad hujus officii apicem eveherentur, non aliter judicaturos esse, pro sapientia ac luce suæ dignitatis, quàm ipse foret judicaturus. *L. 1. de offic. Præfecti Prætorio in Pandectis.* Potestati Præfecti Prætorio, inquit *Cassiodorus variar. lib. VI. Epist. 3.* nulla dignitas est æqualis, vice sacra judicat, nullus ei miles fori authoritate præscribit, excepto officiali Magistri Equitum. Ad regendas denique provincias sunt adhibiti. Augustus à principio duos creaverat, non raró tamen unus tanto muneri præfuit. Deinde post-

de postquam iidem provincias sortiti sunt, beneficio Principis binos oriens, totidem occidens ea potestate præditos accepit. Quintum postremò Justinianus Africæ imposuit, postquam ea Vandalis erepta est. Titus Vespasiani filius, si *Plinio* credimus in *Præfatione Histor. Naturalis*, apud patrem eâ Præfecturâ functus est. Pugio insigne potestatis fuit, ut refert *Aurelius* Victor de Cæsaribus, *in Trajano*, & *Dio lib. XLIV.* Constat autem ex plerisque omnibus solitum ab Imperatore cingulum unà cum gladio dari Prætorio Præfecto. Et memorabilis vox Trajani literis mandata est, qui cum Præfectum suum cingulo donaret, ita dixisse traditur: *Accipe hunc ensem, & siquidem rectè atque è Republicâ imperavero, pro me, sin secus, in me utere.* *Macrinus apud Herodianum libro V. cap. I.* Præfecti Prætorio dignitatem ita describit: ἡ πολλῆς ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδέουσα, ὅπου γε καὶ αὐτὸς ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐπάρχουσι τῶν στρατοπέδων πεπίστευται. *Non multùm abest à Principatu, siquidem ipse quoque Imperator fidei se præfecti cohortis credit.* *Evagrio lib. III. cap. 42.* Κορυφαία ἀρχὴ dicitur, summus Magistratus, & ab *Eunapio* in *Proæresio* βασιλεία ἀπόρφυρος, Imperium sine purpurâ appellatur. Tales Præfecti postmodum vocati sunt *Comites aulicorum* & tandem circa Justiniani tempora CUROPALATÆ, ceu Nobilissimus *Barclerus*, Sidus illud penitioris literaturæ, in *Notis ad Herodianum tradit libro I. cap. 9. & Lib. V. cap. I.* Hæc vox non est Græca sed Latina à Græcis corruptè prolata, & primùm inter Latinos scriptores à *Corippo*, ex Græcis autem ab *Evagrio* usurpata. Ita enim ille Ἰουστῖνος τὴν φυλακὴν τῆς αὐλῆς ἐμπεπιστευμένος ὃν Κουροπαλάτην ἡ ῥωμαίων λέγει φωνή. Justinus, cui credita erat aulæ cura, quem Romano sermone CUROPALATEM appellamus. *Corippus libro II.*

Dispositorque novus sacræ Badoarius aulæ,
Successor soceri, factus mox cura Palatî est.

Æstimationem hujus dignitatis *Cassiodorus Variar. lib. VII. cap. 5.* in fine exponit dum verba Imperatoris ad Curopalatam memorat: „ Illud quoque considera quâ gratificatione tracteris, „ ut aureâ virgâ decoratus, inter obsequia numerosa ante pedes „ regios primus videaris incedere, velut ipsô testimonio vicinitatis nostræ agnoscamus tibi palatia commisisse. Lege sis *Nicolaum Alemannum in notis historicis ad Procopii arcanam Historiam cap. VI. p. m. 101. cap. XXI. pag. 159. Editionis Parisinæ in medio fol.* Anno M DC LXIII. *Claudium Rangolium in Commentar. super 1. Reg. cap. 26. pag. 1397. Pancirollum in notitia utraque dignitatum. Cap. V. fol. 6. seq. Sertorium Vrsatum in monumentis Patavinis, libro I. Sectione I. paginâ 15. Andream Dominicum Floccum, Florentinum, de potestatibus Romanor. lib. II. Cap. XXIII.*

§. XXV. Ulteriùs pavimentum ipsum Regium apud Parthos osculo honorari solitum meminit *Martialis, lib. X. Epigramm. LXII.*

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque simplicesque
Pictorum sola basiate Regum.

Quibus *Domitius Calderinus in Commentar.* p. m. 570. subjicit, Parthi Regem suum superstitiosè venerabantur, adorabantque, osculô pedum & servilibus Supplicationibus. Imò & eum adituri terram ore tangebant, ut Autor est *Xenophon in Pædiâ VII.* Idem mos hoc ipso ævo diversas inter orientis nationes tenaciter servatur, uti ex subsequentibus Faculæ historicæ radiis ad oculum sufficienter patebit. *Iohannes de Mandeville*, postquam *in Itinerario* memorasset, Asiaticos in signum humillimæ subjectionis Terram osculari, pergit Cap. VII. Oportet, quod ubicunque primùm nuncius Soldanum aspiciat, sive ad fenestras, vel alibi, cadat ad genua, & terram protinùs osculetur. *Caspar Balby in navigatione ad Regnum Pegu, à M. Gotardo Dantiscano in fol. Francof. German. edita Anno* 1605. de Rege in Pegu. Demnach Balby ihn erblicket / gieng er und sein erster Dolmetsch

metsch zu der ersten Pforten / welche in den Hof führet / sie fielen beyde auff die Knie / richteten ihre Hände empor / gleich denen / die etwas bitten wollen / bückten sich vor ihrem auffstehn / dreymahl nieder / den Boden zu küssen / und wieder dreymahl biß sie zu seinem Thron kommen. Conf. *Francisci* 3. Theil deß Ost- und West-Indischen Lust- und Statt-Gartens / p. 1521. *Ferdinandus Cortesius de nova Maris Oceani Hispania, Narratione* 2. quid sibi apud Mexicanos contigerit, his verbis promit: Celebris civitas Temixtitan, (id est, Mexico) geminas tantum habet portas, una est, qua ingrediuntur, altera quâ egrediuntur. Huc processêre mei salutandi gratiâ ad mille proceres civitatis prædictæ omnes habitu consimili & decreto, secundum eorum morem & consuetudinem, & cum adpropinquabant, quilibet eorum patriâ utebatur ceremoniâ, quæ talis est; eorum quilibet prout erat in ordine, dum me salutatum accedebat, manu terram tangebat, & illam postea deosculabatur in signum maximæ reverentiæ, & horam ibi consumpsimus, antequam quilibet ceremoniam perfecisset. *Fernandus Mendoza, Pinto apud Erasmum Francisci* im Außländischen Kunst- und Sitten-Spiegel / *lib.* 1. *Histor. selecta XXII. pag.* 171. de Tartarorum reverentia erga superiores: Als der Mitaqver oder Feld-Hauptmann bey den Persianischen Fürsten / den der Tartarische König gesandt hatte / der seiner bey dem Stadt-Thor wartete / angelangt / stieg er ab vom Pferde / nahm seinen Sebel von der Seiten / und präsentirte jenem denselben auff den Knien / nachdem er vorher fünffmahl die Erde geküßt hatte; Mit welchen Geberden / diese Völcker gemeiniglich ihre demühtige und höffliche Ergebenheit bezeugen. Auß einem Gemach der Königlichen Tartarischen Lager-Hütten / kamen sie in ein anders / woselbst eine grosse Menge gewaffneter Männer / in fünff Reyhen / stund; die ihre mit Gold- eingelegte Sebel auff der Schulter hielten / und dem Mitaqver einen kurtzen Stillstand verursachten / um etliche Fragen an ihn zu thun / mit grossen Complementen.

Diese nahmen von ihm auff den Silbernen Kolben / so die Knaben trugen / den Eydt; Welchen er auch auff den Knyen ablegte / und dreymahl dabey die Erde küßte. add. pag. 175. 178. Similiter solent hæ gentes reverentiæ causâ proprios gladios osculari, quod obiter notare consultum videbatur. Modò nominatus *Francisci in opere citato lib. II. Histor. Selectæ XVI. pag. 493. Ex itinerario Arnoldi Browne* Angli: Als sie an den Königlichen Vorhof einander mit grosser Höfflichkeit gegrüßt / und bewillkommet; giengen sie nach der Schloß-Pforten zu Fuß / und begegneten einem Mann / der über achtzig Jahr alt / und deß Königs Oheimb war / auch viel grosse Herren bey sich hatte: Auff Erblickung dieses alten Herren / küßten die Gesandten (dann deß Königs von Cauchin Legat kam von dem Asiatischen Tarter-Cham wieder zurück / und brachte den Tartarischen mit sich) auß sonderbarer Ehrerbietung ihren Sebel / welches der alte gleichfals / zur Gegen-Reverentz / an dem Seinigen thät: angemercket / solches deß Orts / für eine grosse Ehre wird geachtet.

§. XXVI. Postremò huic dissertationi Juramentum, quod solenni crucis osculo absolvitur, & observantiæ superioribus à subditis debitæ locum non ultimum occupat, annecto. Olim sub Imperio Rudolphi Habsburgensis usurpatum esse, recenset Nobiliss. Dn. *Sigismundus à Birken* im Spiegel der Ehren / deß Ertz-Hauses Oesterreich lib. 1. cap. 9. pag. 82. Nach vollbrachter Krönung / begehrte Käyser Rudolphus von den Fürsten / ihme den gewöhnlichen Eydt abzulegen / auch hiermit anzuloben / daß sie ihm alles / was dem Reich entzogen worden / wieder ans Reich wolten bringen helffen. Als aber die Fürsten (vielleicht / wegen dieser seiner angehengten strengen Anforderung / etwas unentschlossen / und weil sie zum theil nicht gern wider sich schweren wolten) solchem nachzukommen Außflucht

flucht suchten / mit Vorwandt / wie daß kein Scepter / zu welchem Sie schweren könten / vorhanden wäre : Hat Käyser Rudolphus ein Crucifix vom Altar ergriessen / ihnen solches gezeiget / und gesagt : Sehet hier / diß Zeichen / an welchem die Welt erlöset worden / wil ich an statt eines Scepters / wider meine und deß Reichs Feinde / gebrauchen. Durch die Christ-tapffere Rede / wurden die Fürsten bewogen / daß sie das Crucifix andächtig küsseten / auch Käyser Rudolpho unverzüglich den Eydt leisteten / und ihm alle Hülff versprachen. Russis idem perquam familiare, imo juramenti religione penè sanctius est, juxta *Fehlavium in Enchiridio de statu hodiernorum Graecorum Christophori Angeli pag. 35. edit. Lips. in 4.* Et illo æque ac jurejurando fidem & subjectionem suo Regi obsignant, quemadmodum illustris *Thuanus* in operosâ sui temporis historia ad annum M. D. XCVIII. part. 5. libro 120. p. m. 516. tali verborum ambitu exponit : Apertis dein tabulis (Testamenti post obitum nempe Theodori Magni, Moscorum & Russorum Imperatoris.) cum de Theodori voluntate regni administrationem uxori viduæ (Gerniæ & Patriarchæ, qui summam in religionis rebus authoritatem habet,) commendantis publicè constitisset, Præfecti, Senatores, Proceres, aliique ministri Moscam conveniunt, & *osculo Cruci affixo* fidem obsequiosè Reginæ obligant; perinde id religiosum apud Russos, ac si sublatis tribus digitis Sacramentum dicerent. Idem laudatus Scriptor ad istud pag. 519. respicit, quando Borissy, qui Gerniæ Frater erat, inaugurationem, cum communi omnium Subditorum consensu, & continuis Reginæ sororis precibus exoratus, in universas Russiæ Provincias Principatum sumeret, prosequitur, scribens: Quibus peractis Senatores, Præfecti Provinciarum & arcium, aliique Imperii ordines à novo Principe ritu solemni in fidem adacti sunt. Apposite quoque *Olearius lib. III. Itinerarii Rutheno-Persici:* Der bey den Russen schweren soll / wird

wird vor den Bildern ihrer Heiligen befragt / ob er den Eydt auff seine Seel und Seligkeit nehmen will? Sagt er ja: So wird ihm ein Creutzlein / etwa einer Spannen lang vorgehalten / gegen denselben segnet er sich erst / und küßt es hernach / denn wird auch das Bild von der Wand genommen / und ihm zu küssen vorgehalten.

§. XXVII. Cæterùm osculum crucis in Pactorum confirmatione adhibitum, quin & diplomata illo roborata reperio. Ritum osculationis talis ab ipso magno Duce Federovvitz in confirmationem Articulorum Stolbovvensium peractæ habet Petrus Petrejus Chronici Rerum Moscovitic. Part. II. pag. 522. Nachdem die Gesandten ihre Reverentz gethan / und deß Groß-Fürsten Cantzler seine Oration vorbracht / und die Creutz-Küssungs-Schrifft offentlich gelesen / und dieselbe in einer güldenen Schüssel auff ein Bild unter einem Creutz / so von Gold und Edelgesteinen gemacht / geleget gehabt. Wie auch nachdem der Groß-Fürst selber kürtzlich seine Rede stehend beschlossen / nehmlich / daß laut dem auffgerichteten Friedens-Vertrag er alles auffrichtig / und sich deßgleichen von dem Könige versehen / da neigte er sein Haupt und ließ die zween vornehmsten Fürsten deß Reichs Fedro Ivvanovvitz Mstistlouski die Krohne von seinem Haupt / und Ivvan Michalovvitz Worotinski den Stab oder Scepter nehmen / der Cantzler aber ermahnte die Gesandten / daß sie mit fleiß darauff sehen solten / wie der Groß-Fürst das Creutz küssete / und trat der Groß-Fürst von seinem Stuhl einen Schritt fort / legte sein Angesicht auff das Creutz / und küssete hernach dasselbige / wie es sich ansehen ließ / mit sonderlicher Devotion. Nach Verrichtung dieses / sagte der Groß-Fürst selber zu den Gesandten: Nun habt ihr gesehen / daß wir das Creutz geküsset haben / umb alles zu halten / was zwischen uns grossen Herrn Zaarn und Groß-Fürsten Michael Federovvitz aller Reussen Samoderfitz und vieler Herrschafften Herren und Uberwinder / und

unſerm vielgeliebten Bruder / Eurem Herꝛn / dem Großmächtigen Könige Guſtavo Adolpho in Schweden / in dem auffgerichteten Contract beſchloſſen worden ; Und ließ ſich damit die Krohne wider auffſetzen / wie auch den Stab in die Hand geben. Sic Johannes Baſilius Magnus Ruſſorum Dux in reſponſione ad literas Johannis Svedorum Regis, cum quo lis illi intercedebat, promittit ; Se literas tuti commeatus Legatis Sveticis Novogardiam daturum, deinde etiam ſuos in Sveciam miſſurum, cum mandato, ut Rex Johannes coram illis oſculo crucis pacta pacis firmaret, & Regni Archi-Epiſcopi ſigillis ea ſtabiliret. *Johannes Loccenius Hiſtor. Svecana Lib. VII. p. m.* 384. Edition. ſecundæ in quarto, Anno M DC LXXVI. in ſequenti pagina pergit : Magnus Holſatiæ Dux mox propè Revaliam caſtra metatur, miſſis ad urbis cives literis, quibus ſe iſtuc acceſſiſſe jactabat, ut Livonos, juris Germanici populos, Svedorum ac Polonorum Jugo eriperet, & armis miſerè diſcerptas Provincias ſub unius Germani Principis, (quo ſeipſum innuebat) Imperium redigeret. Imperatorem enim Ruſſorum, cujus viribus adjutus venerit, ſolenni diplomate, CRUCIS OSCULO firmato, ſibi & ſuis hæredibus, aut iis deficientibus, Coronæ Danicæ, unive ex Holſatiæ Ducibus, Livoniam regio titulo ſemper poſſidendam conceſſiſſe ; nec quidquam ſibi juris in eam Provinciam præter Protectoris nomen, reſervâſſe, quod pro viribus tueri velit. Idcircò ſe cum juſtis copiis ab eo huc miſſum eſſe, ut Svedos Livoniâ, tanquam injuſtos poſſeſſores expellat. H. I. *Hiſtoria Americana ſive Antipodum* parte II. pag. 336. de duce Hiſpanico Anno M D LXV. tradit : Da er (der Spaniſche Oberſte) nun deß la Caille Rede an und außgehöret / habe er ihm nicht allein mit gewiſſen Worten / Treu und Glauben / (welchen er mit vielen widerholeten Zeichen deß heiligen Creutzes durch einen Kuß geweyhet / bekräfftiget/) verheiſſen. Sed fidem

 Punicam

Punicam adhibuisse ex relatione innotescit. Ita quoque in desponsationibus Regiarum Personarum crux desponsandis osculanda offertur, uti de Regis Hispaniæ Filia Maria Theresia Reginâ Galliæ, *Christianus Adolphus Thuldenus Histor. Europæ Enneados II. Lib. III.* pag. 439. ad Anno M DC LX. commemorat: Ab arâ principe haud longè, ea parte quod cornu Evangelii nominant, Uraniscus erat positus, aureis floribus acupictis instratus; & propè Uraniscum sedes aulæo circumjecto conspicua; in eam se Philippus Rex conferebat, cui ad lævam Maria Theresia Franco Regi in matrimonium collocanda adstabat. In templum venientes Pampelonensis Antistes exceperat, aquâ lustrali & signo crucis, quod reverenter exosculati sunt, præbitis. *Idem ibidem pag.* 447. In sancti Johannis Lugiensis oppido nuptiarum celebritas nona Junii luce perpetrata est. Cardinalis magni eleemosynarii munia implens Evangeliorum Codicem & pacis osculum conjugibus copulandis porrigebat. Et hic mos supra crucem jurandi valdè antiquus est, siquidem in Jure Canonico *Can. qui pejerat*, XXII. q. 5. legitur; qui pejerat se in manu Episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat. Ab hoc more perjuri omnes dicebantur STAUROPATÆ, id est, crucis conculcatores. Inde Perjurium σταυροπατία Græcis audit. Exstant & Principum sanctiones, quæ scrutinium veritatis in re dubia propositis crucibus investigant. In eo argumento Caroli Magni testamentum prostat, quo indicit schema componendi rixas emergentes ex themate controverso. Sic enim jubet Imperator ex Edit. *Pithœi*, Testam. Car. M. Si causa vel intentio controversiæ talis inter partes propter Terminos, aut confinia regnorum orta fuerit, quæ hominum testimonio declarari, vel definiri non possit, tunc volumus, ut ad declarationem rei dubiæ, Judicio crucis, DEI voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali causa cujuslibet generis pugna vel campus indicetur. Priscæ etiam Francorum Leges sectatæ sunt hanc

normam,

normam, ut liquet eâ lege: Stent ad crucem, & si jurator vicerit, lege suâ accusator emendetur. *Lib. IV. Leg. Franc. cap.* 40. Imo tanta olim fides adhibita fuit signo crucis, ut character ille sacer adhibitus publico rescripto, fecerit illud indubium. Hinc *Balsamonis in Can. XIII.* Synodi Carthaginens. observatio: Septuagesima secunda Imperatoris Domini Leonis sapientis novella statuit, ut, quodcunque scriptum in quo venerandæ & vivificæ crucis figura per manum ejus, qui ipsum composuit, scripta est, firmum & immutabile maneat. Conf. *Legem Scimus. Cod. de jure deliberandi: & Cujacium in Paratitl. ad Lib. I. Cod. Tit. VIII.* Ita *Sigebertus* ad Annum D LII. scribit: Pelagium insimulatum mortis Vigilii Papæ tenentem sancta Evangelia & Crucem publicè satisfecisse; & addit Anastasius in eodem, ipsum Evangelium & crucem supra caput extulisse & tenuisse, qui mos tamen sensim exolevit: Unde solorum quatuor sanctorum Evangeliorum mentio fit Novella 11x. circa finem. Hûc Nigritarum modus jurandi pertinet, quem *D. Dapper in descriptione Africæ, pag.* 465. ita explicat: Wann sie jemand / sonderlich den Weissen / einen Eydt oder Zusage thun wollen / so reiben sie erstlich ihr Angesicht an den Fußsohlen der Weissen / als auch an ihren Schultern und der Brust / ja über den gantzen Leib / und darbey sagen sie dreymahl Jau / Jau / Jau / in dem sie mit den Händen dreymahl klopffen / mit den Füssen auff die Erde stampffen / und ihre Heiligen küssen / welche sie an ihren Armen und Beinen tragen.

DISSERTATIO X.

De

OSCULIS PEDUM PONTIFICIS ROMANI.

Summaria.

I. *Canon de summâ Pontificis Romani autoritate. Quadruplex in osculando eodem differentia minus observata. Illius pedes omnes Clerici & Laici promiscuè osculari tenentur, juxta varia exempla. Servilis ille cultus ab aula Romanæ palponibus approbatur. Inauguratio Innocentii X. P. R.* II. *Origo hujus ritus frustra à Christo petita. Baronius & Polydorus Vergilius malè consequentias nectunt. Inclinatio ad Sacerdotis genua tempore pœnitentiæ. Gregorii M. encomium. Iustini I. Imp. erga Iohannem I. P. R. humilitas. Patriarchis ab Imperatoribus Græcis magnus honor delatus. Præsulum apud Maronitas existimatio. Observantia Patrum vocalium S. Dominici erga generalem suum Stallum.* III. *Exquisitum M. A. de Dominis Iudicium de Pedum osculis. Antoninus Pontificem Angelis superiorem facit.* IV. *Osculum pedum P. R. per aliquot Secula variis iisque recentissimis exemplis illustratum. Caroli V. Imper. effigies contumeliosâ inscriptione dehonestata.* V. *Osculum mortui Pontificis pedibus fixum. Vaticinium Sibyllinum de tali osculo. Pontifices Iurisdictionem in omnes Principes sibi tribuunt, sed sine fundamento. Ridicula Pontificis ad Imperatorem proportio.* VI. *Superbi imò in Deum blasphemi Pontificum Tituli. Saracenicus Princeps Alexandrum III. P. ut Deum adorat. Cardinalis Zabarella de Pontificum superbia intrepidè judicat. Bellarminus de potestate temporali Pontificis disputans odium Sixti V. incurrit.* VII. *Triumphus insignis P. adulator Papam Angelis longè superiorem facit; in quo alii eum sequuntur. Idem factis Pontificum approbatur. Iohannis Hussi de Clemente Sexto Iudicium.* VIII. *Potestas Papalis eversa*

primò mandato & exemplo Christi. IX. *Secundò Praxi Apostolicâ.* X. *Tertiò Constitutionibus Ecclesiasticis.* XI. *Quartò Imperatorum generosa erga Pontifices declaratione. Beneficium quasi benefactum. Contumeliosa in Cæsarem Scriptura. Fodrum.* XII. *Philippi Pulchri Galliæ Regis acre responsum ad Bonifacium octavum. Ingenua quorundam Pontificum de potestatis Regiæ & Sacerdotalis discrimine confessio. Philippus Valesius Galliæ Rex Prælatos administrationi politicæ præficere renuit. Friderici Imp. justa querela. Spigelii Iudicium de Dominatu Papæ. Solus Deus Reges & Imperatores constituit.* XIII. *Quintò* Politici *&* ICti Papæ *secularem potestatem abnegant.* XIV. *Quod ulteriùs confirmatur.* XV. *Regium solium* Papali *sublimius. Pontificum quorundam modestia & cultus erga Imperatores.* XVI. Pontifices *R. olim Imperatorum Vasalli. Iudicium* Parisinorum *Theologorum contra* Pontific. *potestatem secularem.* XVII. *Imperatores prisci* Pontifices *Maximi vocati.* XVIII. Pontifices *Romani ab Imperatoribus electi & confirmati.* XIX. *Licentia ordinandi electum* Pontificem *ab Imperatore Constantinopolitano petita. Adrianus* P. *Carolo M. ejusque successoribus confirmationem in electione & consecratione Rom.*Pontif. *concessit.* XX. *Consvetudo ista usque ad Hildebrandum quartum durat.* XXI. *Gregorius VII. Imperatori se exemplo antea inaudito opponit. Episcopi Regibus Iuramento fidelitatis obstricti.* XXII. *Gradus quibus* Pontificum *eminentia succrevit.* XXIII. *Donatio Constantini Imper.* Pontifici *facta nudum est figmentum. Consilium Caroli M. in ditandis Ecclesiis.* XXIV. Pontificiorum *Scriptorum de temporali* Pontificum *potestate libera Iudicia.* XXV. *Imperatorum sponsio de communione Ecclesiastica* Pontificibus *nunciata.* XXVI. *Episcopis de Iure Divino nulla potestas secularis competit.* XXVII. *Excommunicatio* Principum *à* Pontifice *ad civilem pœnam detorta.* Papa *per* Proditionem Princeps. *Ministerium Imperatorum in* Processionibus, *in missâ & mensâ* Pontif. XXVIII. *Alexander Tertius Friderici Imp. collo pedem apud Venetos imponit.* XXIX. Pontificiam *eminentiam ac arrogantiam gnathones Romani scripturæ dictis confirmare frustra laborant.*

 Papa.

Papa non vicarius Christi, sed Diaboli. Idolum Deumo in Calechut DEI vices administrare putatur. Christus unicum Ecclesiæ suæ caput est. XXX. *Aurea Crux in Sandaliis Pontificis pro osculo pedum frustra adducitur. Osculum illud merito inter Sacrilegia numerandum.* XXXI. *Ab Augustino rejicitur. Quandoque ab ipsis Cardinalibus postularunt Pontifices. Depressio sub pedibus summæ arrogantiæ argumentum.* XXXII. *Osculum pedum Paulo III. offerre quidam Principes & Legati Græci recusant.* XXXIII. *Imperatores absentes* Pontificibus *oscula Pedum in literis offerunt. Catulus* Pontificis *pedem ad osculum suscipiendum extensum arrodit.*

§. I.

QUandoquidem cordatioribus quibusdam Imperatoribus Ethnicis supradictus pedes osculandi cultus stomachum movit, ac heroica quadam magnanimitate ab iisdem explosus est, uti nuper præcedentis nonæ Dissertationis §. VII. IIX. IX. audivimus; multò certè magis intoleranda Romanorum Pontificum superbia hodienum perdurans censoriam virgulam meretur. Hi enim nescio quo œstro agitati sibi solis tantum honoris venerationisque arrogant, ut pedes ipsis DEI vicariis in gubernandis terris, Numinibus, Imperatoribus scilicet, Regibus, Principibus, adstantibus denique omnibus osculandos exhibeant. Hoc officium semper magni fecerunt, adeò ut inter Dictatûs Gregorii VII. vel Hildebrandinos etiam præceptum istud exstet de osculo Pedum Pontificis Romani, quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur. Lib. II. fol. 109. Registri apud Bibliothecam notante hoc *Andreâ Riveto in Iesuita vapulante*, edit. Lugdun. Batav. cap. XXVIII. *& D. Calixto in Dissertat. de verâ Relig.* §. 16. quibuscum conferri possunt *D. Hunnius de Apostasia Romanæ Ecclesiæ*, §. 107. *Iacobus Capellus Lib. I. de Romanæ sedis* Potestate, *sanctitate & fide Cap. XXIV. p. m.* 199. *Adam Contzen Lib. VI. Polit. cap. II. §. 9. Polydor. Vergilius Vrbinas Lib. IV. de Inventor. Rer. cap. XIII. & M. Fessel Lib. III. Adverf. Sacror. c. VII. §. 4. Lorinus Comment. ad c. X. Act. Apostol. v. 25.*

Canon

Canon de exosâ ifthac infolentia fingularis in *ceremoniali Romano libro III. Sectione I.* ita fonat: Nemini omnino mortalium Papa reverentiam facit, affurgendo manifeftè, aut caput inclinando, nedum detegendo; tantum Roman. Imperatori, poftquam illum fedens ad ofculum pedis & manus fufcepit, aliquantulum affurgit, adque ofculum mutuo charitatis amplexu illum benignè recipit. Item omnes homines cujuscunq; fint dignitatis & præeminentiæ, ut primùm in confpectum Papæ veniunt, diftantibus fpaciis ter debent ante illum genua flectere, ejusque pedes ofculari. *Thomas Lanfius Oratione pro Italia*, p.m.696.698. contra Ital.p.754. *Laurentius Banck Roma triumphantis append. puncto II. p.*269. *Christophorus Marcellus rituum Ecclefiaft. Eccleſ. Romana lib. III. Sect.* 4. *fol.* 136. Edit. Venetæ. an. 1516. In ofculando Papa quadruplicem differentiam obfervat, ita ut os folus Imper. ofculetur, manum Cardinales, Genu Epifcopi, pedes ofculentur gregarii & vulgares. Differentiam iftam minus attentam Regum Potentiffimi à pedum ofculo nequaquam exempti fuo Exemplo jam dudum demonftrarunt. Ipfo Pontificatus initio Cardinales ter manum, pedem, atque os electi Pontificis ofculantur, vid. *Thuldeni hift. Europ. Ennead. I. lib.* 4. de Electione Alexandri VII. ad an. MDCLV. p. 24. & 29. Ex eo deinceps ad totum facrum ordinem cæterosque Principes & Reges, imo ipfum Imperatorem fine difcrimine hic ritus extenfus adhuc hodiè ftrictè attenditur. Sacri ordinis Exemplum quondam præbuit Lanfrancus Archi-Epifc. Cantuarienfis à quo Alex. II. exegit, ut veftigiis fuis advolutus ofculum pedi figeret. *Baron. T. XI. Annal. pag.* 398. Idem de Ruthenorum Legatione narratur T. VII. Annal. p. 683. Ingreffi funt ad Clementem Octavum an. MDXCIV. Archi-Epifcopus & Epifcopi &c. Ruthenorum numero decem; ut à longe confpicati funt Romanum Pontificem, venerationis ergo proftraverunt fe in terram furgereque juffi, & accedere Thronum Pontificis ad ejusdem pedes rurfum eodem humillimo cultu & Reverentiâ eos funt deofculati. *Ceremoniale Roman. lib. I. n.* 120. hæc habet: Rex Romam veniens, dum medius inter duos Cardinales Diaconos ad Pontificem in fublimi folio fedentem ducitur,

tertiò ſive tribus vicibus genu flectit, in conſpectu Pontificis. Deinde aſcendit primus Diaconus, & poſt eum Rex, qui genu flexus oſculatur pedem Sanctiſſimi Domini noſtri; Inde deducitur Rex à Diaconis ad ſedendum, poſt primum Epiſcopum Cardinalem: Regina item Romam veniens, recipitur ad oſculum pedis & manus. *Ibidem num.* 122. Eadem etiam tenetur Imperator. *Ibid. num.* 46. *&* 116. Is enim egreſſus Baſilicam Principis Apoſtolorum, ut primum Pontificem videt, in eminenti ſede adventum ejus expectantem, detecto capite illum genu terram tangens veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus ſedis (Papalis) genu flectit, demùm ad Pontificis pedes pervenit, illos in terram pronus in reverentiam Salvatoris devotè oſculatur. Simili modo Pontifex Imperatricem recipit ad oſculum pedis & manus. *Ibid. num.* 47. *&* 60. Atque hoc eſt quod *Baptiſta Mantuanus Tom. II. operum* in Præcinio ad Julium II. de Pontifice cecinit:

> Enſe potens gemino cujus veſtigia adorant
> Cæſar, & aurato veſtiti murice Reges,

Et *in fine lib.* 1. *de Dionyſio Areopagitâ.*

> --- Reges ipſi quoque Sceptra Latini
> Submittunt, quorum acclives veſtigia adorant.

Idem teſtatur *Blondus Flavius lib. III. Romæ inſtauratæ*: Dictatorem nunc perpetuum, non Cæſaris, ſed Piſcatoris Petri Succeſſorem & Imperatoris (Chriſti) Vicarium Pontificem ſummum Principes Orbis adorant & colunt. Notabile aliquid in hiſtoria Concilii Florentini Græcè per *Sylveſtrum Sguropulum* Magnum Eccleſiarcham ſcripta, in Sermonem autem Latinum converſa & notis aucta à *Roberto Creygtono* occurrit: factum namque fuit, ut cum Legati Burgundici Synodum ingrediuntur, ille, qui Legatis viam præſtruebat, Papæ Miniſter, nullum reverentiæ Signum Imperatori Conſtantinopolitano exhibuerit, cujus exemplum imitabantur etiam Legati,

cum tamen appropinquantes Papæ ejus pedem, manum genamq; oscularentur. Obstupenda autem res visa est omnibus, & pro portento habebatur hæc Imperatoris despicientia: Imperator etiam ipse eam ægerrimo versavit animo, multumq; in Papam excanduit, uti legitur in *actis Concilii Florentini pag.* 176. Pro aliis Principibus sufficiat unum vel alterum nominâsse. Ita Carolum VIII. flexo genu Alexandri pedes osculatum introducit ex *Guicciardini lib.* 11. *Philippus Mornaeus in Mysterio iniquitatis p. m,* 546. *edit. Gorichem, in* 4. Ann. MDCLXII. pari modo Franciscus Valesius Paulo III. Pontificatum gerenti in primo congressu pedem dextrum osculatus est, teste *Sleidano lib.* XII. *histor.* Henrici Magni Legatus Dux Nivernius A. MDCIIX. cum ad Pontificem M. iret, ei nomine Regis obsequium promissurus pedes Pontificis osculabatur. *Continuator Thuani lib.* 1. *pag.* 26. Christianus Primus Rex Daniæ cum A. MCCCCLXXIV. Romam venisset, una cum comitibus suis simile fecit. *Iohan Petersen Chronici Holsat. p.* 153. *Hamelman Chron. Oldenburg. pag.* 207. De hoc servilis humanitatis ritu Doctores Romani valdè gloriantur. Sic *Franciscus Bencius oratione vigesima tertia* circa finem Sixto V. Pont. blan- „ ditur p. 490. scribens: Trajectos pedes (habes) ut ad te omni- „ um ordinum homines, flexo genu procumbentes, beatissimos „ tuos non venerentur solùm, sed etiam osculentur: Quod tamen decretum Purpuratos Patres in aula Romana ad pedis osculum non obligat, quippè qui valdè rarò illud offerunt, & illius loco Pontificis manum dextram sub auriphrigio pluviali, vel genam ore excipiunt. Quid quod nec Episcopi infra genu ad osculum admittantur? *Lansius L. D.* In electione Pontificis Innocentii X. Johannis Baptistæ Pamphilii Anno MDCXLIV. Mense septemb. Pontificem primò in throno Apostolico sedentem Cardinalis Lantius flexis genubus multisq; ritibus & Ceremoniis præmissis singulari cultu adoravit, ejusq; manum dextram & pedes osculatus est, interim mox surgere jussus erat, quem novus Papa vicissim bis OSCULO PACIS salutavit. Idem iisdem ritibus & Ceremoniis debito ordine ab omnibus reliquis Cardinalibus præstitũ est.

Laur. Banck Romæ triumph. cap. 4. *p.* 63. Et de ritibus ante coronationis actum usitatis *cap.* 8. *p.* 96. [Cum vero ipse (in Sacello Clementino seu Gregorii Magni) thronum ascendisset, ab omnibus Cardinalibus & Prælatis obedientia ipsi erat oblata, in cujus signũ, Cardinales ejus Manus, Prælati autem & Episcopi illius genua devotissimo cultu osculabantur. *cap.* 9. De actu Coronationis p. 107. Postea Cardinalis Antonius Barbarinus cum duobus Cardin. Diaconis Sanctissimi Patris sui sinistram oris partem & pectus osculatus est *pag.* 108, Cardinales omnes ad osculum pedis manus & oris admissi erant: Prælati, Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi, ipsi pedem unum & genu osculabantur: Abbates verò Pœnitentiarii & Canonici solius pedis osculo contenti esse cogebantur. c. 13. p. 215. Cardinalis Columna cùm toto Basilicæ Lateranæ Clero & assumpto malluvio, cui claves inerant, postquam genu dextrum Pontificis ter osculatus fuisset, genua sua flexit, idem toto Clero faciente. Et pag. 219. Cardinales omnes ordine inter se servato ipsius manus & dextram oris partem osculati sunt.]

§. II. Auctoritas ritui quo concilietur firma, Scriptores Romanenses Originem ejus tum ab ipso Christo, Servatore nostro, tum ab illius Apostolis communiter arcessere solent. [Christus summus Sacerdos, & Pontifex Maximus tulit, ut Mulier quæ erat in Civitate Peccatrix, sicut testis est Lucas, primum flens sibi pedes lachrymis rigaret, capillisq; tetegeret, ac deinde deoscularetur, velut apud Hebræos mos fuerat Christos domini venerari; ita usu venit, ut nos Pontificum nostrorum pedes exosculemur: Illudq; institutum â Romanis Pontificibus dixerim, quo mos ille osculandi antiquus â Deorum etiam cultoribus servatus, ad veram pietatem usurparetur. Perinde quandoq; expedit, ad illiciendos hominũ animos ad veram Religionem, ut quod apud illos honori antea fuerat, non tollatur penitus, sed sanctiore instituto ad consimilem adhibeatur cultum.] Hæc argumenti loco proponit *Polyd. Vergil. de Invent. rer. lib.* 4. *cap.* 13. *Lorinus in actorum caput* 4. *v.* 35. ex eo probat laudabilem hunc esse morem, quod venditores bonorum

suorum

ſuorum poſuerint pretia ad pedes Apoſtolorum. Idem *Lorinus in* 10. *cap. Act.* 26. *Suidam* citat qui de Leontio Epiſcopo Tripolis Lydiæ refert, eum, cum ab Euſebia Conſtantii uxore, accerſeretur, ita reſpondiſſe ipſi: Si me ad te venire volueris, debitâ Epiſcopis reverentiâ conſervatâ, ego quidem ingrediar, tu autem ſtatim ab iſto ſublimi Solio deſcendens reverenter mihi obviam procedas, & Caput meis Manibus ſupponas, benedictionem acceptura, ac deinde ego ſedeam, Tu verecundè adſtes, cum juſſero, Signo dato ſeſſura: Si hæ inquam tibi conditiones placuerint, veniam ad te; ſin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris ut non honore Epiſcopis conveniente, neglecto, divinum Sacerdotii inſtitutum violemus. *Baronius* Tomo VI. ad Ann. 512. allegat Epiſtolam Orientalium Epiſcoporum ad Symmachum P. M. qua optant Romam venire, *ut ſancta*, inquiunt, *adoremus tua veſtigia.* Sed hæc quidem honorem maximum ſacro miniſterio tum temporis exhibitum fuiſſe innuunt, non tamen pedum oſcula P. M. ſoli oblata, aut iſto tempore uſitata declarant. Idem de Leontii exemplo dictum eſto. Nec faceſſit nobis negotium locus *Polydori Vergilii.* Nulla enim conſequentia eſt, â Chriſto & cultu eidem exhibito ad ſacrum ordinem aut Papam R. ſpecialiter argumentari. Nihil certè de proſternatione ad pe-
„des, pedumq; oſcula. Nihil, *inquit, Michael Rouſſel in hiſtor. Iu-*
„*risdict. Pontificiæ lib.* 8. *cap.* 4. *pag.* 833. de proſternatione ad pe-
„des pedumq; oſcula proditum habemus de primis Epiſcopis, ac
„neq; Romanis, niſi quod *Genebrardus Chronic. lib. III.* refert, Phi-
„lippum I. *Imp. ſe reverenter* provolviſſe Fabiano (qui circa an-
„num CCXXXVIII. ſedit) licet, quos citat *Euſebius* & *Nicepho-*
„*rus*, quod ſe provolverit, non dicant expreſsè; at ſolummo-
„do cum inter pœnitentes â Fabiano ſtatueretur, non recusâſſe;
„num verò pœnitens Sacerdotis pedibus ſe abjicere debet,
„veniam accepturus; quæ cauſa erat, ut Valent. Imp. Epiſcopus admoneret Antiſtitem ſedi Mediolanenſi dare ita inſtructum doctrinâ & præclarâ vivendi ratione, ut ei verè & ex animo caput ſuum inclinaret, quaſi non inclinaturus niſi hujusmodi eſſet.

Atq; ea inclinatio non ubiq; fiebat, verum duntaxat ad pœnitentiæ locum & tempus, cujusmodi etiam nunc ad cujuscunq; Sacerdotis genua â quocunq; homine etiam Principe inclinatur. Quod autem insolitum fuerit extra illud tempus accidere pedibus Pontificis docuit Gregor. M. qui Monacho volenti eum hujusmodi prosternatione revereri, primus se inclinavit, nec ante surrexit „ quam illo prius erecto. Eximia in tanto Pontifice humilitas, „ sed ejus qui se servum servorum primus dixit, qui ut *Diaconus* re„ fert, Sacerdotes fratres appellare, Clericos filios, omnes autem „ Laicos dominos solebat. Refert tamen *Anastasius* Johanni I. qui anno DXXVI. Pontificatum tenuit, Constantinopolin advenienti jussu Theodorici Regis, ut â Justino I. Imp. revocationem Edicti impetraret, quo Arianos proscripserat emptisq; privaverat, ipsum Imp. se pronum in terram demisisse, illumq; adorâsse. Atq; id fortasse primum istius â Principe in Pontificem adorationis Exemplum. Sic deinde Justinianus II. Imp. Constantinum Pontificem ad se vocatum Nicomediæ anno DCCX. veneratus, quod deinde Græcis Imperatoribus usitatum fuit, ut Patriarchæ sui plantas deoscularentur, quemadmodum de Andronico refert *Nicetas in Alexio* filio. Atq; etiam nunc hodiè Maronitæ apud orientem Christiani procumbunt ad Patriarchæ & Episcoporum suorum pedes, quantumvis vilissimis pannis indutorum, nec non etiam Monachis id reverentiæ genus præstant. *Villamont. lib.* III. *cap.* 7. *peregrinat. Hierosolymit.* Simile quid â Patribus vocalibus Sancti Dominici devotè observatur, statim enim ac electus est eorum generalis, dum suam possessionem capit in sessione ejus stalli, (id est sedilis in choro) omnes pedes ejus osculantur. *Macer in Hierolexicop.* 10.

§. III. Paulo altius in hanc consuetudinem inquirens Archi-Episcopus Spalatensis *Marcus Antonius de Dominis* accuratû Judicium de illa formavit, uti ejus verba ex *libro IV. de Republica Ecclesiastica cap.* 7. *p.* 639. quæ idcircò hic nostra facimus, planissimè „ testantur: Pedum, *inquit*, oscula, similesq; humiles actiones so„ lere interdum quibusdam & â quibusdam exhiberi, & hoc ex „ variis affectibus. Imprimis solent homines ex humilitate & re-

veren-

verentia, magnæ personæ præsertim, ut tali actu humili magis, moveant illam ad id, quod ab eo petitur, concedendum, pedum,, oscula vel offerre, vel adhibere. Ita Mulier peccatrix Luc. VII.,, lachrymis rigabat pedes Christi, eosq; osculabatur. Ita *Epiphanius apud Hieronym. Epist.* LX. per literas advolutus pedibus Johannis Episcopi Hierosolymitani, ab eo petit, ut errores Origenis relinquat. Ita Episcopi Orientales opem â Papa Symmacho,, implorantes, offerunt sanctorum vestigiorum adorationem. Inter Epist. Symmachi, post Apologet. Deindè ex opinione sanctitatis moventur homines ad hos actus humilitatis, ac in specie, ut,, alicujus pedes osculentur. Ita sanctæ mulieres Christũ â mortuis,, jam excitatum videntes, tenuerunt pedes ejus & adoraverunt,,, Matth. XXII. Et David ait: *adorandum esse scabellum pedum ejus;*,, *quoniã, inquit, Sanctũ est*, Ps. 98. In turba Hierosolymitana Epiphanius, *Hieron. advers. error. Ioh. Hierosolym. ad Pammach.* & Anselmi,, Cantuariensis Romana, vidente Papa pedes osculabatur. *Malmesbur. de gestis Pontif. Anglic.* Et Plato Monachus, ac Theodorus,, Studita, ad Simeonem Monachum scribentes, ajunt: Ceterum,, oramus Bonitatẽ tuam, & tanquam sacris vestigiis advoluti ob-,, secramus. *Baronius Tomo* IX. *ann.* 809. *n.* 17. Qui Leonis quoq;,, Papæ III. ob ipsius reverentiã, sacris vestigiis advolvuntur. Ibid.,, *ann.* 809. *n.* 22. In recipiendis etiam sacramentalibus â ministris,, Ecclesiæ donis, corporis humilitatem, oscula & inclinationẽ ad-,, hibitam, â Regibus quoq; & Principibus, cerno: Undè illud *Ambrosii de dignitate Sacerdot. c.* 2. Vides Regum colla, & Principum,, submitti genubus Sacerdotũ, & exosculatis eorum dextris, ora-,, tionibus eorũ credunt se communiri. Ita ad pedes Stephani pri-,, mi Papæ Olympius cum uxore, flagitans baptismi Sacra-,, mentum, *Baron. Tom. II. ann. CCLIX. num.* 28. Ita ad Dionysii Papæ,, pedes alius pœnitentiã postulans, se dejecit, ibid. ad an. CCLX.,, nu. 10. Sic quoq; Episcopi Orientales, ex devotione ipsorum, &,, reverentia primi Patriarchæ, verbis officiosis adorationem Pa-,, pæ Symmacho offerunt ipsius vestigiorum, *inter Epist. Symmachi ante* 4. Sed hi actus omnes, hæc oscula, hæ humiliationes, ex,, voluntate pia, piaq; affectione, & devotione procedunt oscu-,,

DISSERTATIO X.

De

OSCULIS PEDUM PONTIFICIS ROMANI.

SUMMARIA.

I. *Canon de summâ Pontificis Romani autoritate. Quadruplex in osculando eodem differentia minus observata. Illius pedes omnes Clerici & Laici promiscuè osculari tenentur, juxta varia exempla. Servilis ille cultus ab aulæ Romanæ palponibus approbatur. Inauguratio Innocentii X. P. R.* II. *Origo hujus ritus frustra à Christo petita. Baronius & Polydorus Vergilius malè consequentias nectunt. Inclinatio ad Sacerdotis genua tempore pœnitentiæ. Gregorii M. encomium. Iustini I. Imp. erga Iohannem I. P. R. humilitas. Patriarchis ab Imperatoribus Græcis magnus honor delatus. Præsulum apud Maronitas existimatio. Observantia Patrum vocalium S. Dominici erga generalem suum Stallum.* III. *Exquisitum M. A. de Dominis Iudicium de Pedum osculis. Antoninus Pontificem Angelis superiorem facit.* IV. *Osculum pedum P. R. per aliquot Secula variis iisque recentissimis exemplis illustratum. Caroli V. Imper. effigies contumeliosâ inscriptione dehonestata.* V. *Osculum mortui Pontificis pedibus fixum. Vaticinium Sibyllinum de tali osculo. Pontifices Iurisdictionem in omnes Principes sibi tribuunt, sed sine fundamento. Ridicula Pontificis ad Imperatorem proportio.* VI. *Superbi imò in Deum blasphemi Pontificum Tituli. Saracenicus Princeps Alexandrum III. P. ut Deum adorat. Cardinalis Zabarella de Pontificum superbia intrepidè judicat. Bellarminus de potestate temporali Pontificis disputans odium Sixti V. incurrit.* VII. *Triumphus insignis P. adulator Papam Angelis longè superiorem facit; in quo alii eum sequuntur. Idem factis Pontificum approbatur. Iohannis Hussi de Clemente Sexto Iudicium.* VIII. *Potestas Papalis eversa primò,*

primò mandato & exemplo Christi. IX. *Secundò Praxi Apostolicâ.* X. *Tertiò Constitutionibus Ecclesiasticis.* XI. *Quartò Imperatorum generosa erga Pontifices declaratione. Beneficium quasi benefactum. Contumeliosa in Cæsarem Scriptura. Fodrum.* XII. *Philippi Pulchri Galliæ Regis acre responsum ad Bonifacium octavum. Ingenua quorundam Pontificum de potestatis Regiæ & Sacerdotalis discrimine confessio. Philippus Valesius Galliæ Rex Prælatos administrationi politicæ præficere renuit. Friderici Imp. justa querela. Spigelii Iudicium de Dominatu Papæ. Solus Deus Reges & Imperatores constituit.* XIII. *Quintò* P*olitici & ICti* P*apæ secularem potestatem abnegant.* XIV. *Quod ulteriùs confirmatur.* XV. *Regium solium* P*apali sublimius.* P*ontificum quorundam modestia & cultus erga Imperatores.* XVI. P*ontifices R. olim Imperatorum Vasalli. Iudicium* P*arisinorum Theologorum contra* P*ontific. potestatem secularem.* XVII. *Imperatores prisci* P*ontifices Maximi vocati.* XVIII. P*ontifices Romani ab Imperatoribus electi & confirmati.* XIX. *Licentia ordinandi electum* P*ontificem ab Imperatore Constantinopolitano petita. Adrianus* P. *Carolo M. ejusque successoribus confirmationem in electione & consecratione Rom.*P*ontif. concessit.* XX. *Consvetudo ista usque ad Hildebrandum quartum durat.* XXI. *Gregorius VII. Imperatori se exemplo antea inaudito opponit. Episcopi Regibus Iuramento fidelitatis obstricti.* XXII. *Gradus quibus* P*ontificum eminentia succrevit.* XXIII. *Donatio Constantini Imper.* P*ontifici facta nudum est figmentum. Consilium Caroli M. in ditandis Ecclesiis.* XXIV. P*ontificiorum Scriptorum de temporali* P*ontificum potestate libera Iudicia.* XXV. *Imperatorum sponsio de communione Ecclesiastica* P*ontificibus nunciata.* XXVI. *Episcopis de Iure Divino nulla potestas secularis competit.* XXVII. *Excommunicatio* P*rincipum à* P*ontifice ad civilem pœnam detorta.* P*apa per* P*roditionem.* P*rinceps. Ministerium Imperatorum in* P*rocessionibus, in missâ & mensâ* P*ontif.* XXVIII. *Alexander Tertius Friderici Imp. collo pedem apud Venetos imponit.* XXIX. P*ontificiam eminentiam ac arrogantiam gnathones Romani scripturæ dictis confirmare frustra laborant.*

Papa non vicarius Christi, sed Diaboli. Idolum Deumo in Calechut DEI vices administrare putatur. Christus unicum Ecclesiæ suæ caput est. XXX. *Aurea Crux in Sandaliis Pontificis pro osculo pedum frustra adducitur. Osculum illud merito inter Sacrilegia numerandum.* XXXI. *Ab Augustino rejicitur. Quandoque ab ipsis Cardinalibus postularunt Pontifices. Depressio sub pedibus summæ arrogantiæ argumentum.* XXXII. *Osculum pedum Paulo III. offerre quidam Principes & Legati Græci recusant.* XXXIII. *Imperatores absentes* Pontificibus *oscula Pedum in literis offerunt. Catulus* Pontificis *pedem ad osculum suscipiendum extensum arrodit.*

§. I.

QUandoquidem cordatioribus quibusdam Imperatoribus Ethnicis supradictus pedes osculandi cultus stomachum movit, ac heroica quadam magnanimitate ab iisdem explosus est, uti nuper præcedentis nonæ Dissertationis §. VII. IIX. IX. audivimus; multò certè magis intoleranda Romanorum Pontificum superbia hodienum perdurans censoriam virgulam meretur. Hi enim nescio quo œstro agitati sibi solis tantum honoris venerationisque arrogant, ut pedes ipsis DEI vicariis in gubernandis terris, Numinibus, Imperatoribus scilicet, Regibus, Principibus, adstantibus denique omnibus osculandos exhibeant. Hoc officium semper magni fecerunt, adeò ut inter Dictatûs Gregorii VII. vel Hildebrandinos etiam præceptum istud exstet de osculo Pedum Pontificis Romani, quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur. Lib. II. fol. 109. Registri apud Bibliothecam notante hoc *Andreâ Riveto in Iesuita vapulante*, edit. Lugdun. Batav. cap. XXVIII. & *D. Calixto in Dissertat. de verâ Relig.* §. 16. quibuscum conferri possunt *D. Hunnius de Apostasia Romanæ Ecclesiæ*, §. 107. *Iacobus Capellus Lib. I. de Romanæ sedis* Potestate, *sanctitate & fide Cap. XXIV. p. m.* 199. *Adam Contzen Lib. VI. Polit. cap. II. §. 9. Polydor. Vergilius Vrbinas Lib. IV. de Inventor. Rer. cap. XIII. & M. Feffel Lib. III. Adverſ. Sacror. c. VII. §. 4. Lorinus Comment. ad c. X. Act. Apostol. v.* 25.

Canon

Canon de exosâ isthac insolentia singularis in *ceremoniali Romano libro III. Sectione I.* ita sonat: Nemini omnino mortalium Papa reverentiam facit, assurgendo manifestè, aut caput inclinando, nedum detegendo; tantum Roman. Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis & manus suscepit, aliquantulum assurgit, adque osculum mutuo charitatis amplexu illum benignè recipit. Item omnes homines cujuscunq; sint dignitatis & praeminentiae, ut primùm in conspectum Papae veniunt, distantibus spaciis ter debent ante illum genua flectere, ejusque pedes osculari. *Thomas Lansius Oratione pro Italia*, p.m.696.698. contra Ital.p.754. *Laurentius Banck Roma triumphantis append. puncto II.p.*269. *Christophorus Marcellus rituum Ecclesiast. Eccles. Romanae lib.III.Sect.4.fol.*136. Edit. Venetae.an.1516. In osculando Papa quadruplicem differentiam observat, ita ut os solus Imper. osculetur, manum Cardinales, Genu Episcopi, pedes osculentur gregarii & vulgares. Differentiam istam minus attentam Regum Potentissimi à pedum osculo nequaquam exempti suo Exemplo jam dudum demonstrarunt. Ipso Pontificatus initio Cardinales ter manum, pedem, atque os electi Pontificis osculantur, vid. *Thuldeni hist. Europ. Ennead.I.lib.4.* de Electione Alexandri VII. ad an. MDCLV. p.24. & 29. Ex eo deinceps ad totum sacrum ordinem caeterosque Principes & Reges, imo ipsum Imperatorem sine discrimine hic ritus extensus adhuc hodiè strictè attenditur. Sacri ordinis Exemplum quondam praebuit Lanfrancus Archi-Episc. Cantuariensis à quo Alex.II. exegit, ut vestigiis suis advolutus osculum pedi figeret. *Baron.T.XI.Annal. pag.*398. Idem de Ruthenorum Legatione narratur T. VII. Annal. p.683. Ingressi sunt ad Clementem Octavum an. MDXCIV. Archi-Episcopus & Episcopi &c. Ruthenorum numero decem, ut à longe conspicati sunt Romanum Pontificem, venerationis ergo prostraverunt se in terram surgereque jussi, & accedere Thronum Pontificis ad ejusdem pedes rursum eodem humillimo cultu & Reverentiâ eos sunt deosculati. *Ceremoniale Roman. lib.I.n.*120. haec habet: Rex Romam veniens, dum medius inter duos Cardinales Diaconos ad Pontificem in sublimi solio sedentem ducitur,

tertiò five tribus vicibus genu flectit, in conspectu Pontificis. Deinde ascendit primus Diaconus, & post eum Rex, qui genu flexus osculatur pedem Sanctissimi Domini nostri; Inde deducitur Rex à Diaconis ad sedendum, post primum Episcopum Cardinalem: Regina item Romam veniens, recipitur ad osculum pedis & manus. *Ibidem num.* 122. Eadem etiam tenetur Imperator. *Ibid. num.* 46. *&* 116. Is enim egressus Basilicam Principis Apostolorum, ut primum Pontificem videt, in eminenti sede adventum ejus expectantem, detecto capite illum genu terram tangens veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus sedis (Papalis) genu flectit, demùm ad Pontificis pedes pervenit, illos in terram pronus in reverentiam Salvatoris devotè osculatur. Simili modo Pontifex Imperatricem recipit ad osculum pedis & manus. *Ibid. num.* 47. *&* 60. Atque hoc est quod *Baptista Mantuanus Tom. II. operum* in Præcinio ad Julium II. de Pontifice cecinit:

> Ense potens gemino cujus vestigia adorant
> Cæsar, & aurato vestiti murice Reges,

Et *in fine lib.* 1. *de Dionysio Areopagitâ.*

> --- Reges ipsi quoque Sceptra Latini
> Submittunt, quorum acclives vestigia adorant.

Idem testatur *Blondus Flavius lib. III. Romæ instauratæ*: Dictatorem nunc perpetuum, non Cæsaris, sed Piscatoris Petri Successorem & Imperatoris (Christi) Vicarium Pontificem summum Principes Orbis adorant & colunt. Notabile aliquid in historia Concilii Florentini Græcè per *Sylvestrum Sguropulum* Magnum Ecclesiarcham scripta, in Sermonem autem Latinum conversa & notis aucta à *Roberto Creygtono* occurrit: factum namque fuit, ut cum Legati Burgundici Synodum ingrediuntur, ille, qui Legatis viam præstruebat, Papæ Minister, nullum reverentiæ Signum Imperatori Constantinopolitano exhibuerit, cujus exemplum imitabantur etiam Legati,

cum

cum tamen appropinquantes Papæ ejus pedem, manum genamq; oscularentur. Obstupenda autem res visa est omnibus, & pro portento habebatur hæc Imperatoris despicientia: Imperator etiam ipse eam ægerrimo versavit animo, multumq; in Papam excanduit, uti legitur in *actis Concilii Florentini pag.* 176. Pro aliis Principibus sufficiat unum vel alterum nominâsse. Ita Carolum VIII. flexo genu Alexandri pedes osculatum introducit ex *Guicciardini lib.* 11. *Philippus Mornaeus in Mysterio iniquitatis p. m,* 546. *edit. Gorichem, in* 4. Ann. MDCLXII. pari modo Franciscus Valesius Paulo III. Pontificatum gerenti in primo congressu pedem dextrum osculatus est, teste *Sleidano lib.* XII. *histor.* Henrici Magni Legatus Dux Nivernius A. MDCIIX. cum ad Pontificem M. iret, ei nomine Regis obsequium promissurus pedes Pontificis osculabatur. *Continuator Thuani lib.* 1. *pag.* 26. Christianus Primus Rex Daniæ cum A. MCCCCLXXIV. Romam venisset, una cum comitibus suis simile fecit. *Iohan Petersen Chronici Holsat. p.* 153. *Hamelman Chron. Oldenburg. pag.* 207. De hoc servilis humanitatis ritu Doctores Romani valdè gloriantur. Sic *Franciscus Bencius oratione vigesima tertia* circa finem Sixto V. Pont. blan-
„ ditur p. 490. scribens: Trajectos pedes (habes) ut ad te omni-
„ um ordinum homines, flexo genu procumbentes, beatissimos
„ tuos non venerentur solùm, sed etiam osculentur: Quod tamen decretum Purpuratos Patres in aula Romana ad pedis osculum non obligat, quippè qui valdè rarò illud offerunt, & illius loco Pontificis manum dextram sub auriphrigio pluviali, vel genam ore excipiunt. Quid quod nec Episcopi infra genu ad osculum admittantur? *Lansius L. D.* In electione Pontificis Innocentii X. Johannis Baptistæ Pamphilii Anno MDCXLIV. Mense septemb. Pontificem primò in throno Apostolico sedentem Cardinalis Lantius flexis genubus multisq; ritibus & Ceremoniis præmissis singulari cultu adoravit, ejusq; manum dextram & pedes osculatus est, interim mox surgere jussus erat, quem novus Papa vicissim bis OSCULO PACIS salutavit. Idem iisdem ritibus & Ceremoniis debito ordine ab omnibus reliquis Cardinalibus præstitũ est.

*Laur. Banck Roma triumph. cap.*4.*p.*63. Et de ritibus ante coronationis actum usitatis *cap.*8.*p.*96. [Cum vero ipse (in Sacello Clementino seu Gregorii Magni) thronum ascendisset, ab omnibus Cardinalibus & Prælatis obedientia ipsi erat oblata, in cujus signũ, Cardinales ejus Manus, Prælati autem & Episcopi illius genua devotissimo cultu osculabantur. *cap.*9. De actu Coronationis p.107. Postea Cardinalis Antonius Barbarinus cum duobus Cardin. Diaconis Sanctissimi Patris sui sinistram oris partem & pectus osculatus est *pag.*108, Cardinales omnes ad osculum pedis manus & oris admissi erant: Prælati, Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi, ipsi pedem unum & genu osculabantur: Abbates verò Pœnitentiarii & Canonici solius pedis osculo contenti esse cogebantur. c.13.p.215. Cardinalis Columna cùm toto Basilicæ Lateranæ Clero & assumpto malluvio, cui claves inerant, postquam genu dextrum Pontificis ter osculatus fuisset, genua sua flexit, idem toto Clero faciente. Et pag. 219. Cardinales omnes ordine inter se servato ipsius manus & dextram oris partem osculati sunt.]

§. II. Auctoritas ritui quo concilietur firma, Scriptores Romanenses Originem ejus tum ab ipso Christo, Servatore nostro, tum ab illius Apostolis communiter arcessere solent. [Christus summus Sacerdos, & Pontifex Maximus tulit, ut Mulier quæ erat in Civitate Peccatrix, sicut testis est Lucas, primum flens sibi pedes lachrymis rigaret, capillisq; tetegeret, ac deinde deoscularetur, veluti apud Hebræos mos fuerat Christos domini venerari; ita usu venit, ut nos Pontificum nostrorum pedes exosculemur: Illudq; institutum â Romanis Pontificibus dixerim, quo mos ille osculandi antiquus â Deorum etiam cultoribus servatus, ad veram pietatem usurparetur. Perinde quandoq; expedit, ad illiciendos hominũ animos ad veram Religionem, ut quod apud illos honori antea fuerat, non tollatur penitus, sed sanctiore instituto ad consimilem adhibeatur cultum.] Hæc argumenti loco proponit *Polyd. Vergil. de Invent. rer. lib.*4. *cap.*13. *Lorinus in actorum caput* 4. *v.* 35. ex eo probat laudabilem hunc esse morem, quod venditores bonorum

suorum

suorum posuerint pretia ad pedes Apostolorum. Idem *Lorinus in* 10. *cap. Act.* 26. *Suidam* citat qui de Leontio Episcopo Tripolis Lydiæ refert, eum, cum ab Eusebia Constantii uxore, accerseretur, ita respondisse ipsi: Si me ad te venire volueris, debitâ Episcopis reverentiâ conservatâ, ego quidem ingrediar, tu autem statim ab isto sublimi Solio descendens reverenter mihi obviam procedas, & Caput meis Manibus supponas, benedictionem acceptura, ac deindè ego sedeam, Tu verecundè adstes, cum jussero, Signo dato sessura: Si hæ inquam tibi conditiones placuerint, veniam ad te; sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris ut non honore Episcopis conveniente, neglecto, divinum Sacerdòtii institutum violemus. *Baronius* Tomo VI. ad Ann. 512. allegat Epistolam Orientalium Episcoporum ad Symmachum P. M. qua optant Romam venire, *ut sancta*, inquiunt, *adoremus tua vestigia*. Sed hæc quidem honorem maximum sacro ministerio tum temporis exhibitum fuisse innuunt, non tamen pedum oscula P. M. soli oblata, aut isto tempore usitata declarant. Idem de Leontii exemplo dictum esto. Nec facessit nobis negotium locus *Polydori Vergilii*. Nulla enim consequentia est, â Christo & cultu eidem exhibito ad sacrum ordinem aut Papam R. specialiter argumentari. Nihil certè de prosternatione ad pe-
„des, pedumq; oscula. Nihil, *inquit*, *Michael Roussel in histor. Iu-*
„*risdict. Pontificiæ lib.* 8. *cap.* 4. *pag.* 833. de prosternatione ad pe-
„des pedumq; oscula proditum habemus de primis Episcopis, ac
„neq; Romanis, nisi quod *Genebrardus Chronic. lib. III.* refert, Phi-
„lippum I. *Imp. se reverenter* provolvisse Fabiano (qui circa an-
„num CCXXXVIII. sedit) licet, quos citat *Eusebius* & *Nicepho-*
„*rus*, quod se provolverit, non dicant expresse; at solummo-
„do cum inter pœnitentes â Fabiano statueretur, non recusâsse;
„num verò pœnitens Sacerdotis pedibus se abjicere debet,
„veniam accepturus; quæ causa erat, ut Valent. Imp. Episcopus admoneret Antistitem sedi Mediolanensi dare ita instructum doctrinâ & præclarâ vivendi ratione, ut ei verè & ex animo caput suum inclinaret, quasi non inclinaturus nisi hujusmodi esset.

Atq; ea inclinatio non ubiq; fiebat, verum duntaxat ad pœnitentiæ locum & tempus, cujusmodi etiam nunc ad cujuscunq; Sacerdotis genua â quocunq; homine etiam Principe inclinatur. Quod autem insolitum fuerit extra illud tempus accidere pedibus Pontificis docuit Gregor. M. qui Monacho volenti eum hujusmodi prosternatione revereri, primus se inclinavit, nec ante surrexit ,, quam illo prius erecto. Eximia in tanto Pontifice humilitas, ,, sed ejus qui se servum servorum primus dixit, qui ut *Diaconus* re- ,, fert, Sacerdotes fratres appellare, Clericos filios, omnes autem ,, Laicos dominos solebat. Refert tamen *Anastasius* Johanni I. qui anno DXXVI. Pontificatum tenuit, Constantinopolin advenienti jussu Theodorici Regis, ut â Justino I. Imp. revocationem Edicti impetraret, quo Arianos proscripserat emptisq; privaverat, ipsum Imp. se pronum in terram demisisse, illumq; adorâsse. Atq; id fortasse primum istius â Principe in Pontificem adorationis Exemplum. Sic deinde Justinianus II. Imp. Constantinum Pontificem ad se vocatum Nicomediæ anno DCCX. veneratus, quod deinde Græcis Imperatoribus usitatum fuit, ut Patriarchæ sui plantas deoscularentur, quemadmodum de Andronico refert *Nicetas in Alexio* filio. Atq; etiam nunc hodiè Maronitæ apud orientem Christiani procumbunt ad Patriarchæ & Episcoporum suorum pedes, quantumvis vilissimis pannis indutorum, nec non etiam Monachis id reverentiæ genus præstant. *Villamont. lib.* III. *cap.* 7. *peregrinat. Hierosolymit.* Simile quid â Patribus vocalibus Sancti Dominici devotè observatur, statim enim ac electus est eorum generalis, dum suam possessionem capit in sessione ejus stalli, (id est sedilis in choro) omnes pedes ejus osculantur. *Macer in Hierolexicop.* 10.

§. III. Paulo altius in hanc consuetudinem inquirens Archi-Episcopus Spalatensis *Marcus Antonius de Dominis* accuratū Judicium de illa formavit, uti ejus verba ex *libro IV. de Republica Ecclesiastica cap. 7. p. 639.* quæ idcircò hic nostra facimus, planissimè ,, testantur: Pedum, *inquit*, oscula, similesq; humiles actiones so- ,, lere interdum quibusdam & â quibusdam exhiberi, & hoc ex ,, variis affectibus. Imprimis solent homines ex humilitate & re-

veren-

verentia, magnæ personæ præsertim, ut tali actu humili magis, moveant illam ad id, quod ab eo petitur, concedendum, pedum,, oscula vel offerre, vel adhibere. Ita Mulier peccatrix Luc. VII.,, lachrymis rigabat pedes Christi, eosq; osculabatur. Ita *Epiphanius apud Hieronym. Epist.* LX. per literas advolutus pedibus Johannis Episcopi Hierosolymitani, ab eo petit, ut errores Origenis relinquat. Ita Episcopi Orientales opem â Papa Symmacho,, implorantes, offerunt sanctorum vestigiorum adorationem. Inter Epist. Symmachi, post Apologet. Deindè ex opinione sanctitatis moventur homines ad hos actus humilitatis, ac in specie, ut,, alicujus pedes osculentur. Ita sanctæ mulieres Christū â mortuis,, jam excitatum videntes, tenuerunt pedes ejus & adoraverunt,,, Matth. XXII. Et David ait: *adorandum esse scabellum pedum ejus;,, quoniā, inquit, Sanctū est*, Ps. 98. In turba Hierosolymitana Epiphanius, *Hieron. advers. error. Ioh. Hierosolym. ad Pammach.* & Anselmi,, Canturiensis Romana, vidente Papa pedes osculabatur. *Malmesbur. de gestis Pontif. Anglic.* Et Plato Monachus, ac Theodorus,, Studita, ad Simeonem Monachum scribentes, ajunt: Ceterum,, oramus Bonitatē tuam, & tanquam sacris vestigiis advoluti obsecramus. *Baronius Tomo* IX. *ann.* 809. *n.* 17. Qui Leonis quoq;,, Papæ III. ob ipsius reverentiā, sacris vestigiis advolvuntur. Ibid.,, *ann.* 809. *n.* 22. In recipiendis etiam sacramentalibus â ministris,, Ecclesiæ donis, corporis humilitatem, oscula & inclinationē adhibitam, â Regibus quoq; & Principibus, cerno: Undè illud *Ambrosii de dignitate Sacerdot. c.* 2. Vides Regum colla, & Principum,, submitti genubus Sacerdotū, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorū credunt se communiri. Ita ad pedes Stephani primi Papæ Olympius cum uxore, flagitans baptismi Sacramentum, *Baron. Tom. II. ann. CCLIX. num.* 28. Ita ad Dionysii Papæ,, pedes alius pœnitentiā postulans, se dejecit, ibid. ad an. CCLX.,, nu. 10. Sic quoq; Episcopi Orientales, ex devotione ipsorum, &,, reverentia primi Patriarchæ, verbis officiosis adorationem Papæ Symmacho offerunt ipsius vestigiorum, *inter Epist. Symmachi ante* 4. Sed hi actus omnes, hæc oscula, hæ humiliationes, ex,, voluntate pia, piaq; affectione, & devotione procedunt oscu-,,

 lantis;

„lantis;neque possunt à quoquam homine puro, quamvis sanctis-„simo & eminentissimo, ex debito peti; & qui hæc pedum oscula, „ut debita sibi prætenderet, hic plenus superbia stomachum face-„ret omnibus, & risum excitaret. Certe Petrus, quem primum „Papam faciunt nostri, ne adorationem quidem purè humanam, „ad ejus pedes à Centurione factam, voluit admittere: qui Cen-„turio optimè sciebat Petrum non esse Deum, sed purum homi-„nem, orationes enim & eleemosynas faciebat propter Deum, ut „optimè fide instructus circa verum Deum, & de hoc testimoniū „habebat ab universa gente Judæorum. Et Petrus ipse negavit sibi „deberi illam adorationem, licet non esset divina: quia inquit, „*Actor.X.& ego ipse homo sum,* etsi fuit Papa universalis, Christiq; „supremus vicarius; hanc tamen adorationem, & multo plus pe-„dum oscula devitavit. Imò & Angelus Johannem prohibuit, ne „ipsum adoraret, quem tamen cultu latriæ non erat adoraturus. „At vero *Antoninus summ.part.3.Tit.22.cap.5.* §.4. Parasitus stre-„nuus Papam honore ponit Angelis verbis quidem parem, ex „ipsius autem argumento superiorē; *Non minor*, inquit, *honor debetur Papæ, quàm Angelis. Unde Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes & oscula pedum, quod non permisit Angelus à Iohanne Evangelista sibi fieri.* Miram certe adulatoris audaciam! quæ risu & fastidio potiùs quàm argumentatione retundenda est. Quod si à superbo hujusmodi facto ad jus valeat ratio, quidni colligat & Nabuchodonosoris statuam, & ipsum Anti-Christum Angelis honore digniores?

§.IV. Quidquid verò tandem dubii hic hæreat, *Anastasius Bibliothecarius de vitis Pontificum p.m.176.edit. Parisiens. in folio,* Anno MDCXLIX. morem hunc antiquum appellat, simul ac enim novus Pontifex electus est, Romanus Senatus ad oscula ejus ruere solet. Tempus autem quo ille initium sumpsit, *Platina in vitis Pontificum ad* Constantinum Papam, qui Anno DCCVIII. post natum Christum floruit, collocat, hujus enim pedes, dummodo hæc relatio firma fide nititur, Justinianus 2. Imperator Nicomediæ populo aspectante Anno DCCX. osculatus est. Conf. *Anastasius pag. 65. Baron. Tom.* IX. *annal.p.659. Hospinian. de Origine templorum Lib.*

11.*p.*

31.*p.*154. Luitprandus Rex Longobardorum ad pedes Stephani 2. qui Anno Christi DCCLII. ledit, provolutus osculu exhibuit. *Blondus Flavius Forlivienſis Hiſtor. Decade* 1. *Lib.* X. *p.*145. Radis Longobardorum Rex Seculo 8. Zachariæ Pontif. M. pedibus osculum impressit, *Eryc. Putean. Hiſtor. Inſubric. Lib.*3.*cap.*11.& 13.*p.*230. 236. *Edit. Noviſſ. in* 4. *Lipſiæ An.* MDCLXXIIX. Carolus M. Adrianum P. circa Annum C. DCCLXXII. ad summas, quæ extant, B. Petri Basilicæ marmoreas scalas in atrio expectantem, non modo cernuus, sed omnibus scalæ gradibus primo, & postea Pontificis pedibus oscula figens, salutavit. *Blondus Decade* 2. *Lib.*1.*p.*157. Henricus IV. Imperator ad pedes Paschalis II. P. circa Ann. C. MXCIX. se prostravit, exsurgensq; in nomine S.S. Trinitatis in ORE FRONTE ET OCULIS pacis osculum ei fixit, stratorisq; explevit officium. *Chronicon Caſſinenſe Lib.*4.*cap.*41. Ludovicus Lotharii Filius sui Proavi Caroli exemplum imitatus, Sergio 2. circa An. C. DCCCXLIV. Florenti obviam procedens sancto ejus pedi osculum impressit. *De La-Cerda Adverſar. Sacrorum cap.* CLXXXIV. *p.*488. Siginolfus Beneventanorum Princeps Sergii 2. pretiosos pedes Romæ humiliter osculabatur. *Anaſtaſius p.*172. Ludovicus 7. Rex Francorum, & Henricus 2. Anglorum Rex Alexandrum 3. circa Ann. C. MCLIX. P. eximiis honoribus exceperunt, stratorum officio functi, pedites dextra lævaque equi frenum tenuerunt. Fridericus 1. Ahenobarbus Imp. Venetiis in Basilica S. Marci coram Cardinalibus & Episcopis, ubi ad Alexandrum 3. accessit, inclinatus ad terram, pium ei pedum osculum præbuit. Crescentius Romanus Consul Othonis Imp. qui circa finem Millesimi anni à N. C. imperavit, adventum formidans, Johannem 17. P. R. à se profligatum ex Hetruriâ revocavit, eique cum cæteris Senatorii Ordinis viris, ac ingenti plebis multitudine obviam processit, & ad pedes ejus abjectus, eos osculatus est, supplexq; veniam impetravit. *Platina in vita Iohannis.* vid. *Franc. à Cortolano in ſumma Concil. Annot. ad Concil. Florentin.* A. C. MCCCXLVIII. & MCCCXLIX. habitum. *p.m.*595. *à Lapide Comm. ad Eſaiæ* C. XLIX. 23. *p.*407. *Ioh. Lorin. Comm. in Acta Apoſt. ad cap.* X. *v.* 25. *Chokier fac. hiſt. ceut.*

cent. 2. cap. 49. In Cryptis Vaticanis reperitur antiqua Sculptura Benedicti XII. qui ante Mediū Seculi XIV. vixit,cum pede detecto & porrecto,quasi ad osculandū exhibito. *Macer in Hierolexico p. 542.* Porrò memorabile Paganæ hujus superbiæ Papalis, inter alia, monumentum Romæ in Castello S. Angeli observare licet, ubi gloriosissimi Imperatoris Caroli V. effigies,(qui Bononiæ post Inaugurationem Imperialem, Anno MDXXX. 24. Februarii exosculatione pedis Clementem VII. & cum ex Africa victor rediisset,Paulum III. adoravit)marmori incisa contumeliosam hanc epigraphen legendam proponit:

E Lybia advenit Romanas victor ad arces,
  Cæsar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphabat, sed tu plus, Paule, triumphas,
  Victor namque tuis oscula dat pedibus.

Platina in vita Pauli III. Paulus Jovius Histor. Lib. XXVII. *p.m.* 108. *Promptuarium Sturmii fol.* 115. Nec minori animi abjectione maximi Belgarum Principes Albertus & Isabella ex Hispania venientes Ferrariam,ad servile hoc ministerium se demiserunt,Clementis VII. qui adventum eo præstolabatur,pedes osculati. Idem Franciscus I. Rex Franciæ tribus annis post Carolum VIII. in nuptiis Henrici Filii cum Catharina Medicæa eidem Clementi; Legatus Japonicus Paulo V. Anno MDCXV. die tertio Novembr. nec non Sveciæ Regina Christina Clementi X. Anno MDCLXX. præstiterunt. *Jovius Histor. Lib.* XXXI. *p.* 224. *Erasmus Francisci Histor.* XVI. Des Außländischen Sitten-Spiegels/ *Lib.* II. *p.* 519. *Henricus Brevverus in Historicâ Enarratione rer. Notabil. ad Annum* MDCLXX. *cap. 4. pag.* 28. *Histor. Brachelio-Thuldenana continuat.*

§. V. Brutalis tandem additus est mos, ut in osculo pedum mortui Pontificis etiam collocaretur religio. Sixti namque V. corpus in Sacello Gregoriano ita repositum fuisse scribitur, ut pedes extra cancellos ferreos prominerent, & à populo qui spectatum accurrebat, osculum illis figi posset. Vid. conclave super Electione Urbani VII. p. 3. *D. Laurent. Banck Roma Triumphantis*. Cap. 1. p. 2. prodit Urbani VIII. corpus per quatriduum in Basilicâ Apostolorum expositum fuisse, ut unicuique illud invisere, & pedes expo-

expositi cadaveris deosculari concessum esset. Ineptam hanc servitutem Sibylla Erythrea prædixit his verbis, ἐν σοὶ (Ῥῶμα) καὶ Βασιλῆες στόμα δύσμορον ἐξεμίαναν; hoc est, *in te, O Romà, Reges miserum os commacularunt*, scilicet osculo pedum & Sandalii Papæ; ob quod eadem Sibylla Romam sive Papam Romanum vocat χρυσόθρονον & χρυσοπέδιλον, uti legere est in *Erasmi Schmidii Tractatu de Libr. Sibyll. Autorit. p. m.* 103. Ex eo autem potissimum capite talem cultum sibi de jure deberi Pontifices prætendunt, quia Christi se vicarios in mundo esse, atque jurisdictionem in omnes terræ Principes habere satis audacter, sed vane admodũ, aliis persuadere conantur ceu ex ipsorum insulsis decretis clarissime elucescit, vid. *Lucas Castellinus in Elucidario Theologico; de certitudine gloriæ Sanctorum Canonizatorum Cap. 3. puncto* 13. §. 1. *pag.* 177. *& puncto* 23. §. 2. *p.* 184. *Edit. Rom. in fol. An.* MDCXXIIX. In Jure Canonico *c. omnes. distinct.* 22. terreni & cœlestis Imperii jura Petro dicuntur commissa. *c. unam sanctam. extra. de majorit. & obed.* Ubi Bonifacius dicit: In potestate Pontificis Romani esse duos gladios, spiritualem videlicet & temporalem, & subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ omnino est de necessitate salutis, *c. Licet. extra. de foro compet. Innocentius 3.* statuitur, vacante Imperio summum Pontificem in administratione succedere, & Imperiali potestate uti, donec alius electus fuerit. *c. unam sanctam. extra. de major. & obed. Innocentius 3.* se Soli, Imperatorem Lunæ comparat; ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Igitur, *inquit glossa*, cum terra sit septies major Luna, Sol autem octies major terra, restat ergo ut Pontificalis dignitas quinquagesies septies, vel sexies potius, sit major regali dignitate. Minime quidem Astronomice; docent enim Astronomi Solem terra majorẽ esse CLXVIes. & nonnihil amplius, Terram verò majorem esse Luna XXXIXes. cum exiguo quodam; Solem itaq; excedere Lunã 6644es. cũ dimidio, vel ut *Copernicus* vult, 7000es. fere. *Mæstlinus Astronom. Lib.* IV. *p.* 482. *Laurentius* igitur huc addit dictum *Ptolomæi*: Manifestum est, quod magnitudo Solis continet
„magnitudinem terræ centies & quadragesies septies, & duas me-
„dietates ejus; item, palam est, quod magnitudo Solis continet

,,magnitudinem Lunæ septies millies,&septingesies,& quadrage-,, sies quater. Atq; hæc est,uti InnocentioPapæ placet, Pontificis ad Imperatoré proportio. IdemConstantinopolitanoImperatori in hæc verba rescribere non est veritus: [Sicut aurum excedit plumbum, sic dignitas Papæ excedit Imperialem. Et sicut Sol dicitur Pater omnium planetarum&dominus,ita Papa est Pater omnium dignitatum. Sicut lumen recipit Luna â Sole, ita Imperialis dignitas â Papa.] In Appendice *Catalogi Testiũ Veritatis, p. m.* 2078. *Gregorius VII.* in suis quos vocat Dictatibus(cur non Dicteriis?) *lib. II. post Epist. LV.* inter alia hæc proponit: [Quod solus Pontifex possit uti Imperialibus insigniis. Quod solius pedes omnes Principes deosculentur. Quod illi liceat Imperatores deponere.] Eandem crambem millies ad nauseam quidam Romanæ aulæ nepotuli recoquunt. *Alexander Carerius de potestate Papæ l. 2. c. 12.* optimè, inquit, explicat Summus Pontifex (Innocentius) hac decretali Pontificiæ dignitatis eminentiam. *Iohannes de Capistrano de Papæ & Concilii sive Ecclesiæ authoritate, fol.* 69. b. & 70. a. [Superna illa machina mundi ita regitur & gubernatur, quod imediatus motor post Deum movet ad motum & imperium summi Dei; undè movens primam Sphæram, scilicet orbem stellarum, respicit summam intelligentiam, quæ Deus est, ad cujus Dei nutum movet. Motor Saturni respicit ad motum motoris primæ Sphæræ, & sic motor Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii & Lunæ. Simili ergò modo omnes ordinati motus hominum respicere debent ad motũ summi Pontificis, qui post Deum primus motor est in terris. Imperator verò ad motum summi Pontificis & ejus nutum, tanquam ejus Minister, movebit inferiora corpora.] *Augustinus Triumphus de Ancona, in summa de Potestate Ecclesiastica qu. 36. artic.* 4. Nec in Spiritualibus solum Papa est major quocunq; Imperatore, vel Rege: sed etiam in temporalibus: quoniam scilicet vicarius est Dei, qui spiritualium & temporaliũ Dominus est universorum. Ac certè si Imperator esset major Papa in temporabilius, sicut *Hugo* docuit; pari ratione Imperator posset dici major Christo in temporalibus. *Dominicus Venetus Episcopus Torcellanus* apud *M. Anton. de Dominis l. VI. de Republ. Eccles. c. X. §. 3. p.* 762. Papa est verus Dominus mundi, &

di,& verus Monarcha,& apud ipſum eſt utraq; Monarchia; Et Papa poteſt tollere Imperium, præſertim,ſi videatur ſibi, quod aliter mundus melius gubernaretur: & quod nullus eſſet Monarcha, præter ipſum, & quod Reges immediatè ipſum recognoſcerent, & nullum alium ſuperiorem. Et Papa temporalem jurisdictionem habet univerſaliter in omni loco & poteſt eam exſequi. Et Papa non ſolum poteſt deponere Imperatores & Reges, verùm etiam Imperium & Regnum extinguere in Laicis, etiam ſine cauſa, & Principatus ſupprimere, & nova regna aut Principatus erigere. *Hostenſis in C.* Quod ſuper his de voto & voti redemptione ſtatuit, per Chriſti adventum, omne dominium Principum fidelium translatum eſſe ad Eccleſiam, & reſidere in ſummo Pontifice, ut Vicario ſummi Regis Chriſti, ideoq; poſſe Pontificem regna infidelium jure ſuo donare, quibus voluerit fidelibus.

§. VI. Imò ne quid tandem extremæ elationi deſit, ipſius Salvatoris noſtri Axioma ex *Apocal. cap.* XIX. *v.* 16. uſurpat Pontifex Romanus, Regem ſe appellans, & Dominum dominantium. Paulus IV. in Bulla ad Ducem Florentinum in *Bertachini Repertorio* ex *Baldo, in C. Eccleſ. S. Mariæ Col.* 3. Siquidem Papa quantum ad Poteſtatem, eſt Dominus Dominorum, *Baldus in Proœm. decret. n.* XVI. *& in cap. laudabile ut lite pendent. num.* 6. Majori enim in Eccleſia prælatione exornatur, ut merito Rex Regum, & Dominus dominantium cenſeatur, req; ipſa exiſtat. Sic Paulus V. immortalis, ſimulachrum Dei, aliisq; magnificis Titulis nuncupatus fuit, ut ex dedicatione libri *Dicerie Sacre*, quem *Cavalier Marino* Pontifici Maximo obtulit, apparet, *vid Beſoldus Diſſert. de Majeſt.* C. III. §. I. Eidem Pontifici hanc Inſcriptionem tributam legas: Paulo V. VICEDEO, CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ MONARCHÆ INVICTISSIMO, ET PONTIFICIÆ OMNIPOTENTIÆ CONSERVATORI ACERRIMO. Lib. *Benedicti de Benedictis* Bononiæ excuſ. An. MDCVIII. cit. *Morneo in Præfat. Myſterii Iniquitatis.* Confer. *Rodulphus Cupers* in Tractatu *de SS. Eccleſia univerſali, ſeu Commentar. ad C. oportebat. diſtinct* 79. *p.* 43. *n.* 39. *Iſidorus Moſconius de Majeſtate militantis Eccleſiæ pag.* 26. *Caſtellinus Elucidar. Theolog. de certitudine gloriæ Sanctor. Canonizat.* C. III. *puncto XVIII.* §. 3. *p.* 180. 2. *& puncto XXII.* §. 1. *p.* 183. Quin planè Deum in terris Pontificem vocant Pontificii Scriptores *Bertachin Repert.* voce Papa ex *Felino, in cap. Ego N. de jurejur. Albanus in lib. de poteſt. Papæ & Eccleſiæ, p. I. n.* 22. *Baldus in L.* 7. *C. Sent. reſcind. L.* 3. *n.* 2. *& D. elect. In honorem* Sixti IV. arcui triumphali inſcriptum erat.

Orando vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris crederis eſſe Deus.

Adoardus Gualandus Episcopus Cæsenas l. XIV. *c.* 3. *de morali & civili facultate hæc* habet: A Papa tanquam â capite in universum Ecclesiæ corpus, hoc est, in omnem Christianam Rempublicam Spiritus influunt, cælestium gratiarum sensum fructumq; præstantes & efficacem motum ad sempiternã beatitudinem. Meritò igitur *Sanctissimus* & *Beatissimus* appellatur, & ab omnibus Christianam fidem profitentibus quasi quidam *Deus* adoratur & colitur. *Augustinus Steuchus*, Papæ Bibliothecarius, postquam allegasset fabulam de Constantino appellante Pontificem Romanum *Deum*, hæc subjungit: Audis summum Pontificem â Constantinô Deum appellatum, & habitum pro Deo? hoc videlicet, factum est, cum illũ præclaro isto Edicto decoravit, advoravit uti Deum, uti Christi & Petri Successorẽ, divinos honores ei quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginẽ veneratus est. *Lib. de Donat. Constant. p.* 141. *edit. Lugdunens. an.* MDXLVII. *Spondanus* ad Annũ Christi MLXII. *Sect.* 1. *p.m.* 1058. ex *Baronio* tradit, ad pedes Alexandri III. accessisse Saracenorũ industrium Principem, & deosculatis pedibus ejus flexisse genua coram eo, & inclinato capite tanquam *Sanctum & pium Christianorum Deum* ipsum Pontificem adorâsse. Subjungitur autem ad approbandum hoc Principis Saracenici factũ: In his quæ dicta sunt de Principe Mahometanorum, videas Dei opera, dum non solum Christiani Reges, sed & Saraceni assurgunt, & Legatione honorificâ venerantur Romanum Pontificem. In Oratione *Christophori Marcelli* habita in Concilio Lateranensi coram Julio 2. hæc leguntur inter corporalia de translat. Episcop. Capistran. fol. 77. b. c. Sess. IV. Cura deniq; ut Salutem quam de-„disti nobis, & vitam, & Spiritũ non amittamus. Tu enim Pastor, „tu Medicus, tu Gubernator, tu Cultor, tu deniq; *alter Deus in teris.* In Glossâ juris Canonici extra. Johannis XXII. *de verborum significatione* C. inter sequentia extavit: Credere *dominum Deum* nostrum Papam non Conditorem dictæ decretalis, & istum sic nõ potuisse statuere, prout statuit hæreticum censeatur. Ne autem quis existimet, adjectionem vocis Deum erratum esse Typographicũ; sciat velim omissionem ejus vocis, ubi deest, potius fuisse σφάλμα typothetarum. Gregorius enim XIII. Cardinalibus quibusdam

aliisq

aliisq; deputatis curam demandavit revidendi corrigendiq; glossam juris Pontificii, ubi opus esset, cum ergo complures editiones vocem illam *Deum*, haberent, quæ in nonnullis omissa fuerat, novum & reformatum Exemplar per Correctores prædictos, jussu & Auspiciis Gregorii XIII. editum, vocem illam vitio Typographorum omissam restituit. Reformata igitur & emendata glossa, per summos viros Pontificios mandato ipsius Pontificis, vulgata, disertis verbis *dominum nostrum Deum* Papam appellat. Neq; in Censuris glossæ juris Canonici jussu Pii V. editis, quæ in indice Expurgatorio habentur, quidquam hic mutatur. *Iohannes de Turrecremata de fulgenti radio Ecclesiast. Hierarch. Parte* I. *lib.* V. *p* 298. Papam ut numē aliquod sistit his verbis: [Osculo submissis humi genubus dato non tantum benevolentiam significamus, sed etiam honorē, devotionem & observantiam, quâ adstricti sumus & tenemur Pontificem Christi Personam in Ecclesia sustinentem, ceu ipsius Ecclesiæ fundamentum & basin perpetuâ cum reverentiâ venerari, & SANCTISSIMUM VELUT NUMEN EXCOLERE.] *Franciscus Zabarella Cardinalis de Schismate Innocentii* VII. *& Benedicti p.* 20. *scribit:* eos qui voluerunt placere Pontificibus, per multa retrò tempora, & usq; ad hodierna suasisse iis, (ea fuit illorum superbia) quod omnia possent; Et sic quod facerent, quidquid liberet, etiam illicita, & sic plus quàm *Deus. Tiberius Decianus Volumine* III. *respons.* XIV. *n.* 59. dicit Papā esse omnia & super omnia: Idq; factum est ad plausum Pontificum, quoniam ipsi non rarò summæ Majestatis titulos sibi tribuerunt. Innocentius enim III. sexies ad minimū seriò rescripsit, publicis atq; solennibus literis suis, in corpus etiā Juris Canonici pro universali Ecclesiæ lege redactis apertissimè declaravit, Se *Dei* locum in terris tenere, & vinculum Matrimonii rati jam & consummati inter Episcopum & Ecclesiam suam, occasione mutationis, seu translationis ad aliā sedē dissolvere, non ut hominem, sed ut *Deum*, quia, quos *Deus* conjunxit, *homo non potest separare, sed Deus, vide ejus E. l.* 1. CCCXXVI. CCCXXXV. CCCCXLVII. CCCCXCI. DIII. DXXXII. & cap. II. III. IV. *de translat. Episcoporum.* Bonifacius VIII. Jubilæam solennitatem celebrans, habitu Cæsareo præferente quodā Aulico nudum gla-

dium præsentibus Imperatoris Alberti Legatis templum ingressus, & confidens altâ voce exclamabat: *Ecce duo gladii hic. Ego sum Papa & Cæsar, cælestis & terrestris imperii potestatem habeo. Albertus Crantzius Hist. Saxonic. lib. 8. c. 36.* Qua de causa cum *Robertus Bellarminus* scripsisset, Pontificem jure divino non habere directè potestatem temporalem *lib. V. de Pont. R. c. 1.* Sixto V. id minimè placuit, siquidem in Bulla contra Henricum 3. Franciæ Regem affirmat, se supremum in omnes Reges & Principes, universæ terræ, cunctosq; populos, & gentes, & nationes non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatē obtinere: ac parū abfuit, quin propter hanc assertionem omnia Bellarmini scripta censurâ suâ Pontificiâ aboleret, teste *Guilielmo Barclajo de potestate Papæ.*

§. VII. Longè gravius est, quod P. R. in ipsos quoq; Angelos Jurisdictionē suam extendere præsumit. Et ne quis incredibile hoc esse existimet, non solùm ipsorū Pontificiorum Scriptorum verbis, sed etiā Pontificum factis demonstratū ibo. Istiusmodi emblemata nemo rectius & penitius exponit, quam *Augustinus Triumphus Anconitanus*; Is enim *de Potestate Ecclesiasticâ Quæst. 18. Artic. 1. 2. 3. 4. 5. p. 113. seq.* quærit: 1. Utrum Papa sit major Angelo in Jurisdictione. 2. Utrum Angelus sit major Papa in Sacramentorum administratione. 3. Utrum Papa sit major Angelo in dominatione. 4. Utrum Papa sit minor Angelo in cognitione. 5. Utrum Papa sit minor in Præmiatione. In quarum quæstionum solutione primas Papæ præ Angelis decernit: *Dicendum, sonant verba Autoris, quod major est jurisdictio Papæ, quam cujuslibet Angeli. Item: nulli Angelo commissa est Iurisdictio & jura totius orbis, sed Papæ totius mundi Iurisdictio & cura commissa est, non solum ut nomine mundi importetur terra, sed etiam ut nomine mundi importetur cælum; quia super cælum & terram Iurisdictionem accepit: Item: Angelo custodienti committitur cura custoditi singulariter, sed Papæ committitur cura & custodia omnium universaliter; & hoc non solū dum vivunt, sicut committitur Angelis, sed etiam, mortē per communicationem suffragiorum Ecclesiæ. Item post minor à majore maledicitur; loquendo saltem de maledictione, quæ est excommunicatio & privatio à communione fidelium. Ex quo ergo Paulus, & multò fortius Petrus, qui fuit caput Ecclesiæ, potuit Angelum bonum*

num vel malum excommunicare, rectè concluditur, quod Papa sit major Angelo in dominatione. Paucis interjectis duos modos determinat, quibus P. R. potest excommunicare Angelos, scilicet 1. Conditionaliter, propter Evangelii firmam veritatem, 2. Ministerialiter, propter divinam autoritatem. *A Gregorio Heymburgensi* JCto ante Reformationem Lutheri scripta est confutatio Primatus Papæ (inter scripta veterum Autorum *à VVolfgango VVissenburgio Theologo Basilcensi*, in Antilogia Papæ Anno MDLV. collecta) ubi pag. „547. sequentia leguntur: Papa etiam (ut terminis utar suorum „adulatorum) Angelis habet imperare. De *Nicolao Egmundano Magistro Lovaniensi & Carmelita Iohannes Balæus Anglus in Clemente* VIII. *p.* 445. tradit, quod sub ipsa Evangelii Luce talpa cæcior crediderit, docuerit & scripserit, Pontificem Romanum esse omnium rerum Dominum, omnesq; Principes Christianos ab ejus nutu pendere, & habere Imperium in Angelos ac Dæmones. *Rodericus Episcopus Zamorensis & Calagaritanus Romanæ Ecclesiæ Castellanus & Referendarius in speculo omnium Statuum totius Orbis terrarum, Lib.* II. *c.* I. *p.* 122. 123. scribit: *Pontifex Rom. institutus & evectus est non ad humanum tantum Principatum, sed ad divinum, non ad principandum solum mortalibus, nec modo hominibus, sed ANGELIS: non ad judicandum vivos, sed mortuos; non in terrâ solùm, sed in cælo.* Et post nonnulla idem ex Canone quodam probat, Papam terreni simul & cœlestis Imperii jura suscepisse. Uti autem Parasitastri Papæ talem Jurisdictionem adjudicant, ita ipse Pontifex eandem exercere nunquam intermittit. Refert *Balæus in vitâ Clementis Sexti p.* 328. Bullam Clementis Sexti super anno Jubilæo, in quâ Angelis sanctis mandat, ut animas statim in Paradisi gloriam introducant: Prohibet etiam Angelis malis, ne inferni pœnam aliquatenus infligant Romam peregrinantibus & in viâ mortuis.
„ Verba Pontificis hoc tenore sequuntur: Et nihilominus, *inquit*, „prorsus mandamus Angelis Paradisi quatenus animam à Purga„torio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant. Item, „nolumus quod pœna inferni sibi aliquatenus infligatur. Quo „de affectato superbissimi mortalium in Potestates & Thronos „cœlestes Imperio notabile Judicium *Iohannis Hussi* apud

VVolfium

Wolfium Tomo I. Lection. Memorabil. Centenario XV. *p.* 751. legitur:
„Idolum illud meretricium Romæ Clemens Sextus Papa nimis
„potestatem suam laxaverat, mandans in sua Bulla Angelis Paradisi, quod animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & „decedentis, à purgatorio absolutam ad gaudia perpetua introducant. Iste enim volebat quod ad mandatum ejus genua Angelorum cœlestium flecterentur: Et cum adjecit: Nolumus, „quod pœna inferni sibi aliqua infligatur: & sic ibi imperavit, „quod potestas vel genu inferorum ad mandatum ejus flecteretur. Non sic præscripserunt Apostoli &c.

§. VIII. Verum enim vero imaginariam & phantasticam hanc Papæ potentiam esse, inde apparet, quia Christus explicite talem dominatum rejecit. Cum enim Apostoli Jacobus & Johannes filii Zebedæi prærogativam præ aliis quærerent, ac reliqui discipuli eas partes sibi præreptas ægre ferrent, Christus de regni sui qualitate eos melius informans sic alloquitur: *Scitis, quod Principes populorum dominatum in eos exercent, & Magnates eorum, in eos potestatem exercent*; Sed *non ita erit inter vos Apostolos*; (vestrosque in ministerio Successores) *sed quicunque inter vos voluerit fieri magnus, sit vester Minister, & quicunque voluerit inter vos esse primus, sit omnium servus*. Matth. XX. 25. Marci X. 42. Sic Lucæ XXII. 25. Inter Apostolos cum contentio de primatu oriretur, ecquisnam eorum videretur Major, idem ferunt responsum Domini: *Reges gentium dominantur in illas, & qui potestatem habent in eis, vocantur* εὐεργέται *benefici. Vos autem non ita, sed qui major inter vos, fiat sicut junior, & qui præcedit tanquam minister*. Neque Christus ipse terrestrem dominationem affectavit, multo minus suscepit, cum ipsi sponte offerre vellent Judæi, verum aufugit in montem Joh. VI. 15. Magistratui autem debitum tributum lubens persolvit, Matth. XVII. 27. Cæsarique dandum præcepit, quod est Cæsaris, Matth. XXII. 21. Et qui sodes in mundo Monarcham ageret, cujus regnum non erat de hoc mundo, Joh. XIIX. 36. Non habebat ubi caput suum reclinaret, Matth. VIII. 20. Luc. IX. 57. In mundum non venerat, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, Matth. XX.

28. Si

28. Si hoc magister sancivit & facto confirmavit, ministrum certè, vel vicarium, qualis Pontifex esse cupit, idem præstare decet. Quemcunq; enim quis diligit, illum sequi & imitari sedulò intendit. Quâ igitur tunc ratione, regnum Episcopus mundanum ad se rapere, quove jure supra Imperatores & Reges, (qui *Eleutherio in Epist. ad Lucium Regem Britann.* Vicarii Dei sunt in regnis suis, præter quem nullum in Dominiis suis cognoscunt superiorem:) tanquam Monarcha eminere poterit? Colebant veteres Christiani Imperatorem, ut hominem â Deo secundum, soloq; Deo minorem, uti *Tertullianus ad Scapulam*, meminit. Cum ergò super Imperatorem non sit, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem, ceu verissimè *Optatus Milevitanus lib.* III. *p. m.* 85. superbiam Donati perstringit, qui se super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserit metas, se, ut Deum, non ut hominem æstimat. Si Sacerdotes Dei & Christi sumus, non invenio, quem magis sequi, quam Deum & Christum debeamus, inquit *Cyprianus lib.* II. *Ep.* 3. Appositè quoq; *Bernhardus libro* II. *de consideratione ad Eugenium Papam cap.* VI. *p. m.* 1132. Non dominantes in Clero, sed forma „ facti gregis. Et ne dictum solâ humilitate putes, non etiam veri- „ tate, vox Domini est in Evangelio, *Reges gentium dominantur*: „ Vos autē non sic; planum est, quod Apostolis interdicitur domi- „ natus. Ergò tu, & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, „ aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, si u- „ trumq; similiter habere voles, perdes utrumq;: alioquin non te „ exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: „ Ipsi regnaverunt, & non ex me; *Principes extiterunt, & non cog-* „ *novi eos. Ose cap.* IIX. 4. Jam si regnare sine Deo juvat, habes glo- „ riam sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audia- „ mus edictum. Qui major est vestrûm, ait, fiat sicut junior, & „ qui præcessor est, sicut qui ministrat. Forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Quam autem bellè Pontifex Romanus cum Christo, scilicet, conveniat, ad oculum ex sequentibus graphicè â *Petro Asylo in Tyrannide Anti-Christi c.* 10. *p.* 300. *à Limnæo I. P. lib.* 2. *Cap.* XI. *n.* 22. adductis elucescit:

Christus regna fugit, sed vi Papa subjugat urbes.
Spinosam Christus, triplicem gerit ille coronam.
Abluit ille pedes, Reges huic oscula prabent.
Vectigal solvit, sed Clerum hic eximit omnem.
Pavit oves Christus, Luxum hic sectatur inertem.
Pauper erat Christus, petit hic regna omnia mundi.
Bajulat ille crucem, hic servis portatur avaris.
Spernit opes Christus, Auri hic candore tabescit.
Vendentes pepulit templo, quos suscipit ille.
Pace venit Christus, venit hic radiantibus armis.
Christus mansuetus venit, venit ille superbus.
Quas leges dedit, hic Præsul dissolvit iniquus.
Ascendit Christus, descendet ad infera Præsul.

§.IX. Si ad Apostolorum tempora respicimus, longe aliam illi suo Exemplo praxin Ecclesiæ commendârunt, Gubernationi Politicæ nunquam manus immiscentes; quinimò potius Ecclesiasticum munus obeuntes à dominatu mundano fideliter dehortati sunt. 1. Petri V. 1. 2. Apostolus dicit: Πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος. Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες, μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως. *Presbyteros inter vos obsecro ego compresbyter: pascite gregem Domini, prospicientes illi non coactè, sed spontè.* v. 3. μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. *Non dominantes in Cleris, sed fiatis typi gregis.* Exemplis igitur & informatione non Imperio præesse debent aliis presbyteri. *Bernhardus Lib.* I. *de consideratione ad Eugenium Tom.* I. *Oper. p. m.* 1123. Non monstrabunt, puto, qui hoc dicent, (ad Apostolicam dignitatem judicium de negotiis temporalibus pertinere;) ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum. Stetisse deniq; lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. *Act.* VI. 2. Et Paulus electum illud Dei Organum, exprêssè scribit: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus 2. *Timoth.* II. 4. ut ei placeat, cui se probavit, ceu versio vulgata habet; (in Græco enim exemplari non legitur τῷ Θεῷ, nec de solis tantùm Ecclesiæ ministris in spirituali militia occupatis, Apostolo sermo

est,

eſt,ſed in genere de militibus inBello corporali militantibus,quorum exemplum Timotheo, tanquam ſpirituali militi imitandum proponitur.) *Primaſius*,comparatione *inquit* militum utitur, ut oſtendat multò magis nos â negotiis ſecularibus liberos eſſe debere, ut Chriſto placeamus: Sic etiam ſeculi milites à reliquis ejus actionibus vacant, ut poſſintRegi ſuo perfectè placere. *Ambroſius*, nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Eccleſiaſticus autem idcircò ſe probat Deo, ut huic devotus officium impleat, quod ſpoſpondit in Dei rebus ſolicitus,â ſeculari negotio alienus. Non enim convenit unum duplicem habere profeſſionem. *Tomo* IV. *Oper.p.m.* 1005. 6. Hæc Ambroſii verba poſtquam citâſſet *Claudius Eſpenſæus* Theologus Pariſienſis *Comment.in* II.*Timoth.*2. Larvas perſonatis Epiſcopis detrahit, *pag.m.*19. *Edit.Lutet.in fol.* Anno MDLXI. hunc in modum diſſerens: [Utinam valeret in Republica Chriſti, quod in ſua Plato valere voluit, ne iidem homines in diverſis ſimul officiis occupentur, terram colant, pecunias cumulent,militent. *Lib.*IIX.*de Republ.*Nam & armatæ militiæ militibus negotiationes prohibentur, ut eis ſe totos expendant, multò magis Clero convenit, ut ſe totum Sacro Miniſterio dederet, alienum eſſe ab omni temporalium ſolicitudine, propriæ etiam vitæ, famæ,quæſtus &c. At nunc,quod hic poſt *Auguſtinum* queritur *Anſelmus*, nunc inquam, videmus & Clericos & Monachos, altarium ſtipendiis non contentos, mercimonia exercere, interceſſiones vendere,viduarum munera captare,quod hic quoque Bruno,ſecularium cauſarum diſcuſſionibus intendere, habere mundum, judices de temporalibus judicantes, Epiſcopos ſpiritualibus vacare debere. Quid dicturi boni Patres,qui hujus & ſimilium locorum occaſione, ſacris hominibus adeò profanis negotiis interdixerunt, ut & inde titulum fecerint; ne Clerici vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant, quid inquam, dicerent, ſi viderent hodiernos Reverendos & Sanctiſſimos in domibus Regum eſſe, ab aulis & Palatiis non diſcedere, Principum non pacificis modo Legationibus, verum etiam in Bellis eſſe Legatos; ſicorum promoſcondos, nec raro inter-

„ versores, nam & ad mandras & Episcopas, ne dicam galeros, „ nulla in hoc regno via hactenus expeditior, quàm litium secula- „ rium institoria, nedū judiciaria, ut quam hodiè nunquam magis „ querimoniæ illi locus fuerit, de qua Gregorius I. lib. VII. Epist. „ CXIV. & habetur I. q.ea. Fertur ad Theodoricum & Theober- „ tum nostros, hoc est, priscorum Reges, nihil sibi in honoribus „ ecclesiasticis gravitatem, nihil defendere industriam, dum vitia „ remunerantur honore, hinc sacerdotes non proficere, sed peri- „ re: perire autem, ut *ad Gaudentium* deplorat *Hieronymus*, & cum „ Pastoribus greges.

§. X. Ad eundem scopum veteres Canones & Scriptores Ecclesiastici collimant, ut ea nempe, quæ Deus ipse distincta esse voluit, nequaquam commisceantur. In *fragmentis Apostolorum à Prætorio* editis narratur, quod Petrus ad Clementem Successorem suum dixerit, impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis solicitudines suscipere seculares. Tu ad hoc solum vacatus, ut doceas verbum Dei. *Marianus Scotus in Chronico:* Petrus ut in gestis Pontificum habetur, Clementem Episcopum consecravit, atq; Cathedram & omnem Ecclesiam disponendam commisit, dicens: *sicut mihi gubernanda tradita est à Iesu Christo potestas ligandi ac solvendi, ita & ego tibi committo, ut ordinans dispensatores diversarum causarum, tu minimè in curis seculi, sed solummodo orationi ac prædicationi deditus reperiaris. Canon VII.* inter istos, qui Apostolorum nomen præferunt, de eadem re sic habet: Episcopus aut presbyter aut Diaconus nequaquam seculares curas assumat, sin aliter, dejiciatur. LXXXII. Canon ita sonat: Episcopus vel presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utraq; obtinere volens, Romanum scilicet Magistratum, & sacerdotalem administrationem, deponatur, quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Idem sub fulmine anathematis in *Concilio Chalcedonensi Canone* VII. *ad* XV. repetitum & confirmatum. At si secundum hos Canones hodienum Pontificiis agendum esset, quotusquisq; quæso, in sua statione persistere posset? *Tertullianus de Idololatria cap.* XIIX. de Christo regnum mundanum declinante, ideo, *inquit*, quæ

quæ noluit rejecit, quæ rejecit, damnavit, quæ damnavit, in pompâ Diaboli deputavit. Christus gloriam seculi â se & suis alienam esse judicavit. id. ib. *Origenes homilia* XII. *in Matth.* Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc, ne fictè qui viden-,, tur habere aliquem in Ecclesiâ Principatum, dominentur fra-,, tribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sic-,, ut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate,,, spiritualia autem in voluntate non in necessitate; sic & qui Prin-,, cipes spirituales, principatus eorum in dilectione subjectorum,, positus esse debet, non in timore corporali. *Hieronymus ad Ne-,, potianum.* Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit:,, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod,, si quispiam aliud habuerit, præter Dominum, pars ejus non erit,, Dominus. Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam,, supellectilem, cum istis partibus pars ejus fieri Dominus non,, dignabitur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus hære-,, ditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi,, Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari serviens, altaris,, oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus,, ero, & nudam crucem nudus sequar. Autor *oneris Ecclesiæ com-,, pilati Anno* 1519. *& postea edit. Landshut. Anno* MDXXIV. *cap.,, XX. §. 6.* qui â quibusdam vocatur *Ibertinus Episcopus Ch-,, mensis.* Jesus palam negavit regnum suum esse hujus mundi, quin imò ipse solus fugit in montem cum cognovisset, quia populi venturi essent, ut facerent eum Regem. Quomodò ergò convenit, ut Christi locum tenens, mundanam ditionem non solum admittat, verùm etiam ambiat, ut libidine, luxu, violentia, fastu, divitiis, rapacitate regnet, quem Christus docuit esse humilem & mitem. *Bernhardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium, cap.* VI. *p.* 1123. Disce Sarculo (Prophetæ) opus esse tibi, non sceptro, ut opus,, facias Prophetæ. Et ille quidem non regnaturus ascendit,,, sed extirpaturus. Idem *lib.* I. *consid. cap.* VI. *p.* 1123. Cum dicat,, Dominus ac Magister se non esse constitutum inter duos judi-,, cem, non debet servo ac discipulo indignum videri, nisi judi-,,

„ cet universos? Ergo in criminibus non in possessionibus pote-„ stas vestra, quoniam propter illa non propter has accepistis cla-„ ves regni cœlorum. Prævaricatores utique exclusuri, non possessores. Quænam tibi videtur major dignitas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena, judices suos Reges & Principes. Quid fines alios invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? *lib. IV. de consid. cap. III, p.* 1113. Quid denuò usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? Uterque ergò Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis & jussum Imperatoris. *Gregorius lib. IV. Epist. 44.* Si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere sive in rustico, sive in urbano prædio sua spontè præsumserit, anathema sit. Nicolaus I. circa annum Christi „ DCCCLX. Pontifex ad Imperatorem Michaelem sic scripsit: „ fuisse quidem ante Christi tempora eosdem Reges & Pontifi-„ ces, sed Christum verum Regem & Pontificem ista distincta „ esse voluisse; cum ad verum, inquit, ventum est, ultra sibi nec „ Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Im-„ peratoris usurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum, „ homo Christus Jesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis „ officia potestatis utriusq; discrevit, propriâ volens medicinali „ humilitate sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus in infer-„ num demergi, & ut Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pon-„ tificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tan-„ tummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, quatenus spi-„ ritualis actio â carnalibus distaret incursibus, & Deo militans „ minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille re-„ bus divinis præsidere videretur, qui esset secularibus negotiis „ implicatus. Quæ Epistola decretis inserta est, *C. cum ad verum.* „ *distinct. 69.*

§. XI. Exinde factum est, ut quidam Imperatores, & Reges Ponti-

Pontificibus superbis publicè resisterent, seq; ipsis minimè subjectos esse facto declararent. Hujus documentum in Friderico I. Imperatore, cui Pontifex Adrianus IV. Seculo XII. Romæ Coronam imposuerat, apparuit; Pontifex enim missis duobus ad illum Legatis, Rolando, & Bernhardo, Cardinalibus, cum literis, quæ de mandato ipsis negotio perscribebantur, commemorabat in iis, quam honorificè Imperatorem accepisset, & hoc illi dedisset beneficium, quod Imperialis Coronæ insigne ipsi contulisset. His literis lectis, Imperator & Principes mirum in modum offensi sunt, quod â Pontifice scriptum erat, se beneficii loco Imperatori insigne Regium contulisse. Itaq; verti ne id significaret, quod quidam etiam dictitabant, Reges Germaniæ Imperium Pontific. Rom. beneficio obtinere (siquidem idem etiam picturâ Lateranensi ac versibus in opprobrium Lotharii Imper. ab Innocentio II. qui illum coronaverat, haud ambiguè erat expressum:) dolorem suum continere non potuerunt, atq; Imperium haudquaquam Pontificis beneficium esse dixerunt. Quibus unus ex Legatis Rolandus, cujus ergo tandem erit, si Pontificis non erit? cum intulisset; Othonem Comitem Palatinum astantem adeo irâ incendit, ut stricto eum gladio appetierit, ac mortem intentârit. Sed Imperator prohibuit, & Legatis Romam properè redire præcepit, ac legationem Pontificis, dimissis per omnem Germaniam li-„ teris, significavit, adjiciens se solùm Deo & Principibus Impe-„ rium acceptum referre; proindè eos rogare, ne tanti Impe-„ rii Majestatem â Majoribus eorum, ingenti cum nominis glo-„ riâ partam, imminui suâ negligentiâ paterentur. Pontifex,„ reversis Legatis, cum & ipsorum periculum, & Imperatoris„ responsum cognovisset, ad Episcopos Germaniæ scripsit, ut„ Imperatorem ad officium redigerent. Episcopi ipsum allocu-„ ti sunt, & ab eo responsum tulere; se Pontifici Romano liben-„ ter obedientiam præstare; sed Imperii Coronam, Deo„ primum, deindè Principibus Germaniæ Electoribus debere;„

Regalem

„Regalem unctionem Coloniensi Antistiti, Imperialem Pontifi-
„ci acceptam referre. Cardinalibus à Pontifice missis ulterius
„progredi non permisisse, quod literas in detrimentum Imperii i-
„psos attulisse comperisset. Olim Imperium Ecclesiam extulit:
„Nunc autem, *inquit*, Ecclesia deprimit Imperium. Cœptum est
„à picturâ, indè ventum est ad Scripturam: nunc Scripturæ Au-
„thoritas comparatur. Non patiar, imò ante Coronam depo-
„nam, quàm de Imperii Autoritate detrahi ulla ratione permit-
„tam. Pictura deleatur, Scriptura revocetur, ne inter Regnum &
„Sacerdotium æterna simultatum monumenta supersint. Tum
„nemo erit, qui meum erga Ecclesiam Romanam desiderare pos-
„sit officium. Quæ Cæsaris responsio tam æqua visa est Germa-
„nis Episcopis, ut admonuerint Pontificem, ut iram Imperatoris
„mitiori Legatione permulceret. Quorum consilio morigerari
„coactus est. Duobus igitur prudentioribus & majoris consilii
„Legatis missis, scripsit: nihil causæ fuisse, cur prioribus ejus lite-
„ris Cæsar commoveretur. Licet enim hoc, *inquit*, [beneficii]
„nomen apud alios in alia significatione sumatur; tamen acci-
„piendum fuit in eam, in quam nos accepimus, & quam à prima
„institutione videtur habere. Est enim ex bono & facto jun-
„ctum, diciturque non feudum, sed bonum factum. Quomodo
„in universo Scripturæ sanctæ corpore invenitur: Ubi ex benefi-
„cio Dei, non tanquam ex feudo, sed tanquam ex benedictione,
„& bono facto ipsius, gubernari dicimur & nutriri. Nos autem,
„ut ipse optimè intelligere potes, bene adeò atque honorificè Im-
„perialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonum fa-
„ctum possit ab omnibus judicari. Atque ita etiam illa in aliam
„significationem detorta sunt; CONTULIMUS TIBI INSI-
„GNE IMPERIALIS Coronæ: Quia hoc verbo (contulimus)
„nihil aliud intelleximus, quam imposuimus. Postularat verò
„Cæsar, ut deleretur pictura, scriptura revocaretur. Verum ipsi
„acquiescendum erat; & quidem acquievit in ista Papali Scri-
„pturæ mitigatione, aliquantulum etiam à Legatis emollitæ:
„pictura autem majoris ponderis erat argumentum, quam ut de-
leretur.

leretur. Nec tamen, post tantopere mitigatam Scripturam,,, (quæ talis erat:

Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores,
Post, homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.)

[Cessabat Pontifex cum Cæsare litigare, & in ejus inferre se & intrudere possessiones. Cæsar ad fodrum (est munus consuetum, quod Imperatori vel Regi in Italiam venienti offertur, *Alciato*, vocatur aurum coronarium. *Gaudentius Merula lib.* II. *de Gallia antiqua Cisalpinâ cap.* 9. *Sigonio de Regno Ital.* est certa frumenti portio, Regi soluta.) in urbibus Pontifici subjectis exigendum misit: Pontifex remisit, non debere illum, nisi suscipiendæ coronæ tempore, fodrum exigere. Jussit Cæsar Episcopos Regalia renunciare, & Sacramentum apud se dicere ; Pontifex super ea re literas plenas acerbitatis scripsit, & Cæsarem reprehendit. Tenor illarum sic habet: Adrianus Episcopus, Servus Servorum Dei, Friderico Imperatori salutē & Apostolicam benedictionem. Lex divina sicut Parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri mortis sententiam intendit. Veritatis voce docemus, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, super Prudentiam tuam non mediocriter admiramur, quod B. Petro & S. R. E. non quantam deberes, reverentiam exhibere videris. In literis enim ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, nedum arrogantiæ notam incurris. Rescripsit Imperator his verbis: Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus Adriano R. E. Pontifici, omnibusq; adhærere volentibus iis, quæ cœpit JESUS facere & docere, salutem dicit. Lex Justitiæ unicuiq; quod suum est, restituit. Non enim Parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostrum debitum exhibemus honorē, à quibus & regni dignitatem suscepimus & coronam. Numquid tempore Constantini Sylvester regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed ejus pietatis cessione libertas data est Ecclesiæ, pax restituta, & quidquid regalis Papatus vester habere dignoscitur, largitione Principum donatur. Unde cum Romano Pontifici scribimus, jure ex

antiquo nomen nostrum præponimus,&ad justitiæ normam idem nobis scribendi concedimus. Revolvite annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenietur. *Carolus Sigonius de Regno Italiæ Lib.*XII.*Iacobus Spigelius in Guntheri Ligurinum,Lib.*VI.*p.m.* 373.*seq.ex Radevico. Catalogus Testium veritatis in Appendice p.m.* 2093.*seq. ubi Iohannes de Ananiâ in Proœm. decretal.in Princ.num.*1. *& Restaurus Castaldus Tractat.de Imperat.quæst.*LIX.*num.*1.2.3.adducitur,quod Imperatorium nomen Papali rectè præponatur.

§.XII. Bonifacio VIII. Inter Pontifices pessimos non postremo,cui nomen Malifacii meritò competit,Seculo XIII,in Philippum Galliæ Regem,cognomento PULCRUM, potestatem sibi sumentem,Rex ita respondit: [Philippus Dei gratiâ Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem sive modicam sive nullam: Sciat tua magna fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum & præbendarum collationem jure ad nos regio pertinere,&fructus earum vacatione durante nostros facere, collationes à nobis hactenus factas, & inposterum faciendas fore validas, illarum vigore possessores contra omnes viriliter nos tueri, secus autem credentes fatuos & dementes reputamus. Henricus IV.Imperat.circa medium Seculi XI,de Gregorio VII. qui Hildebrandus alias dicitur, in quadam ad illum Epistolâ hæc pronunciavit: Tu ad Sacerdotium his gradibus adscendisti,scilicet astutiâ & fraude, quodq; monachica professio abominatur, pecunia favorem, favore ferrum, ferro Sedem pacis adiisti, & de Sede Sedem pacis turbâsti,dum subditos in Prælatos armâsti, dum Episcopos nostros à Deo vocatos,tu non vocatus, spernendos docuisti. *Iohann.Wolffius Lection.memorabil.Tomo* I.*p.m.*648.Unus cum utrumque regimen (Politicum & Ecclesiasticum) sibi vendicavit, utrumq; dissipavit, nec in uno profuit, qui in neutro prodesse voluit,nec potuit.] *Cunradus de Lichtenau Abbas Vrspergensis in Chronico*,ex ejusdem Imperatoris Epistóla ad Episcopos. *Flacius in Catalogo Testium veritatis Lib.*XIII.*p.*1339. Ludovicus Bavarus Imperat.Rom.Sec.XIV.publico edicto contra Johann.XXII.Maxi-
„ mè diversa sunt,crucifixus & summa potestas,miles & Sacerdos,
„ Imperator & pastor: Regnum & patibulum, corporalia & spiritualia,

„ tualia, arma & ſacra, Bellum & pax, Cæſar & nuncius, Princeps „ & miniſter, Dominus & ſervus. *Aventinus Lib.* II. *annal. Bojor.* Carolus Calvus in Epiſtola apologeticâ contra Adrianum II. Seculo IX. Pontif. apud *Melchior. Goldaſt. Tomo* I. *Conſtitut. Imperial,* „ *p.m.* 204. §. 21. *ſeqq.* Leges, *inquit,* ab Imperatoribus & Re„gibus, noſtris videlicet prædeceſſoribus promulgatas & decre„tas nos immutilatè & irrefragabiliter convenit conſervare, ſicut „ Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ad Dominos & terræ Principes ſcri„pſerunt. Ait enim Leo ad Leonem Auguſtum, debes incunctan„ter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regi„men, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidiũ eſſe collatam, ut auſus ne„farios comprimendo, quæ bene ſunt ſtatuta, defendas, & veram „pacem his quæ ſunt turbata, reſtituas. Et *Gelaſius ad Anaſtaſium.* „ Etenim, Imperator Auguſte, ſi cõtra leges publicas (quod abſit) „ aliquid quiſpiam fortaſsè tentaret, nulla id ratione potuiſſet ad„mitti. Quas etiam leges principali autoritate promulgatas non „ ſolum aliquibus, neque Epiſcopis, ſed etiam ab ipſis Apoſtolicæ „ Sedis Pontificibus, ipſius primæ Sedis Antiſtites obſervari debe„re, ſcripſerunt. Sicut Leo ad Leonem Auguſtum ſcribens de„monſtrat, dicens non ſe refragari debere, edicta imperialia, vel „ ea, quæ ſui deceſſores ſecundũ tramitem Scripturarum prædica„tionemq; majorũ ſtatuerant. Si quæ inquiens deſtruxi, hæc ædi„fico, prævaricatorẽ me conſtituo, & eis me ultionũ cõditionibus „ ſubdo, quas non ſolũ autores beatæ memoriæ Principis Martia„ni, ſed etiã ego mea conſenſione firmavi. Et S. *Gelaſius ad Anaſtaſ.* „ *Imperat.* Si *inquit,* quantũ ad ordinẽ publicæ pertinet diſciplinæ, „ cognoſcentes Imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, „ legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites, ne vel in „ rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ, &c. „ Quod & nos juxta hortamentum B. Gelaſii incunctanter at„que libenter exequi cupimus, in his quæ ad ſuum miniſte„rium pertinent, cunctis generaliter ſacerdotibus divinitas „ ſumma voluit præeminere, & ſubſequens Eccleſiæ jugi„ter pietas celebravit: ſicut noſtri deceſſores & progenito„res, Orthodoxi Imperatores & Reges egerunt, ut &

,, Apostolicæ sedis Pontifex , & reliqui Domini Sacerdotes no-
,, bis, quæ à Deo sunt consecuta exhibeant: scientes sicut idem B.
,, Gelasius dicit, quoniam Christus memor fragilitatis humanæ,
,, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica tem-
,, peravit, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia
,, potestatis utriusque discrevit, ut & modestia utriusque ordinis
,, curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qua-
,, litatibus actionum specialiter professio aptaretur. Omnis Pon-
,, tifex inquit Apostolus, ex hominibus assumtus, pro hominibus
,, constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrifi-
,, cia pro peccatis, videlicet non solum pro populi, sed quia & ipse
,, circumdatus est infirmitate, pro suis, *Hebr.* V. Et Regis est Regni
,, negotia dispensare , sicut inculcant literæ divinitus inspiratæ.
,, Quia ergò Sanctarum Scripturarum tramite , & prædicatione
,, majorum ostenditur, Sanctô etiam attestante Gelasio, quia duo
,, sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, autoritas sacra Pō-
,, tificum, & regalis potestas per Regem Regum , ac summum
,, Pontificem cunctorum Pontificum, qui solus Rex & Sacerdos
,, fieri potuit, conditores legum justa decernunt. Philippus Vale-
sius Rex Galliæ Seculo XIV. suo tempore constituit, ut à parla-
mento , tanquam politicâ administratione Prælati & Episcopi o-
mninò arcerentur, negavit enim se bonâ conscientiâ pastores a-
nimarum curam gerentes à tam ardua cogitatione revocare pos-
se, teste *Georgio Obrecht* in disputat. de Bello. 1.100. *Guntherus Fri-
dericum* Imperatorem, cujus antea mentio facta, de Papæ Impe-
rio, *in Ligurino Lib.* VI. *p. m.* 369. sic loquentem introducit:

Ergò quid ad summum de regni jure, quid, oro,
Pontificem spectat? nullum caput ista super se
Adspicit, excepto cœlorum Rege potestas.
Ecclesiam regat ille suam, divinaque jura
Temperet, Imperium nobis fascesque relinquat.

Ad quos versus *Iacobus Spigelius* sic commentatur: An nescis, Fri-
,, derice Princeps Christianissime, dictum Christi, inter vos non
,, dominabimini sicut subditis dominantur Reges gentium, hoc

valere

„valere scilicet; Tu Petre, cum tuis Successoribus Romani Imperii hæres esto perpetuus. Item, ego veni ministrare & non ministrari, esse, Imperatores & Reges terrarum tua ac Successorum tuorum in solio plusquam venerabundi gemmata osculentur vestigia? tum illud, qui primus voluerit esse inter vos, erit vester servus, aliud significare nihil, quam quoad vos est præcipiendi potestas, reliquam Ecclesiam manet parendi necessitas. Hoc (scilicet ad Pontificem non pertinere Imperii Romani dispositionem) si quis hodiè constanter asseveraret, hæretici nomen apud Pontificios non effugeret. Contrariam tamen partem, ut veritati affinem magni nominis viri tutati sunt, licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui universam propè Scripturam divinam adulterinis interpretationibus subverterunt. Hæc olim mens fuit optimorum Imperatorum & Regum, non tantum Sacræ Scripturæ sed & antiquorum Patrum doctrinæ conformis, quippe qui constanter tenebant, Reges, Imperatores, Principes à solo Deo constitui & deturbari. Apprimè huc faciunt *Irenæi* verba ex *Lib. V. adv. Hæres. p. m.* 347. Cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur. A quibus non abludunt illa *Tertulliani Lib. adv. Scapulam, p. m.* 552. Colimus ergò & Imperatorem sic quomodo nobis licet & ipsi expedit, ut HOMINEM & DEO SECUNDUM, & quidquid est à DEO CONSECUTUM, SOLO DEO MINOREM. Itemq; in *Apologetico adversus Gentes, p.* 867. Sciunt Imperatores, quis illis dederit Imperium, sciunt quis homines, qui & animas, sentiunt Deum esse solum, in CUJUS SOLIUS potestate sunt, à quo sunt SECUNDI, post quem PRIMI, ante omnes & super omnes Deos, homines.

§. XIII. Porrò nec Politici & Jureconsulti Papis secularem potestatem concedunt. *Aristoteles Lib. IV. politic. c.* 15. Sacerdotes civilem Magistratum gerere non posse indicat. *Marsilius Patavinus* qui circa initium Sec. XIV. floruit, in libro contra potestatem Papæ pro Imperatore Ludovico Bavaro scripto, & Basileæ Anno MDXXII. edito sub rubrica Defensor pacis, *Lib.* II. *c.* 4. hunc proponit titulū: [De Canonicis Scripturis, Christi mandatis, vel consiliis & exemplis, & sanctorum & approbatorum Doctorum Evangeli-

cæ legis Expositorum, quibus demonstratur evidenter, Romanũ aut quemvis Episcopum, sive Presbyterum vel Clericum omnem, virtute verborum Scripturæ, nullum coactivum Principatum seu jurisdictionem contentiosam, nedum supremum omnium supra quenquam Clericum sibi vendicare vel adscribere posse, & quod Christi consilio & exemplo, præsertim in communitatibus fideliũ talem principatum, si eisdem offeratur aut conferatur per autoritatem ejus habentem debeant recusare; rursumq; quod omnes Episcopi & indifferenter vocati nunc Clerici subesse debeant coactivo judicio sivè Principatui dominantis autoritate Legislatoris humani præsertim fidelis. *cap. 5. hic est titulus:* De canonicis Apostolorum oraculis & expositionibus sanctorum atq; doctorum quibus apertè convincitur idẽ, quod ex capitulo præcedente. *cap. 29.* hanc habet inscriptionem: De solutione Instantiarum ex Scripturâ inductarũ tertio hujus libri capite, ad ostendendum jurisdictionem coactivam Episcopis, & suprematum Episcopo in quantũ hujusmodi convenire. Inter alia sic loquitur: Assumi ferunt titulum, quem de se prædicant, & hujus nequitiæ Instrumentum facere student, plenitudinem videlicet potestatis, quam â Christo in persona B. Petri, ajunt sibi, tanquam hujus Apostoli successoribus, singulariter fuisse concessam. Quo siquidem execrabili titulo & oratione sophistica secundum æquivocum, omnibusq; fidelibus nihilominus tanquam falsa, secundum omnem ejus sensum, semper & ubiq; neganda paralogizaverant hactenus, paralogizant adhuc, & amplius paralogizare nituntur, & in ipsorum servitutem redigere omnes mundi Principes & populos, collegia & singulares personas. In eo namq; sensu secundum quem plenitudo potestatis signare videtur universalem animarum curam, seu Pastoratus universalitatem, & rursus secundum quem sensum potestatem importat, omnes enim homines singulariter absolvendi â culpis & pœnis sub specie pietatis, charitatis & misericordiæ, dicto titulo plenæ potestatis per Romanos Episcopos sibi primùm assumpto, ex his paulatim atq; labenter ut deduximus XXIII. hujus, transiverunt & demum sibi sumpserunt hunc titulum in eam, & secundum eam significationem, qua potestatis plenitudo per ipsos

intel-

intelligitur, autoritas universalis, & suprema jurisdictio sive principatus coactivus omnium Principum, populorum & temporaliũ rerum. *Iohannes Petrus Ferrariensis*, qui Sec. XIV. vixit, *in form. libell.action. confess.glossa 7. ad verbum plenam in Principo.* Ipse Papa qui deberet, tanquam verus vicarius, JesuChristi vestigia sequi, possidere & manu armata nititur tenere jurisdictionem in terris, civitatibus & villis, & locis quæ sunt naturaliter & à mundi creatione & Christi ordinatione Imperii Romani, juxta illud: Quod est Dei, reddatur Deo, & quod Cæsaris, Cæsari. Imò ipse Papa in ipso, Imperatore nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere, & abominabile audire. Benè ergò & sanctè faceret Papa, si totam temporalem jurisdictionem in manus Imperatoris remitteret, nec aliter unquã Resp. quiesceret, & ex hoc status universus Clericorum magis redderetur Deo ac populo devotus, & ipse Papa cum Cardinalibus viverent quietius, ac Deo devotius & populo magis acceptius & gratius. Clericos, (dicit) olim fuisse sub potestate & jurisdictione Imperii, posteà eos benignitate Imperatorum Privilegiis donatos, quibus tanquam ingrati pessimè abusi sunt; Papam Provincias & civitates detinere non jure, sed merâ violentiâ; Papæ potestatem nimium ampliatam auctamq;, ideo necessariò restringendam esse; non concedendum esse Papæ merum & mixtum Imperium, imò potius penitus ei temporalem gladium extorquendum. Imperatores olim habuisse utrumq; gladiũ, contulisse non tantum politica feuda, sed etiam Episcopatus atq; adeò ipsos Papas creâsse; non quieturã prius Christianitatem, quã Papa & Clerici restituant temporarium dominium Imperatori, atq; ita reddita fuerint Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Non debere Papam & alios Ecclesiasticos gubernatores habere temporale dominiũ & potentiam, quia non conveniat Psalterium cum Citharâ, nec dictũ sit â Christo, vel â B. Petro, quod possidere debeant talia, sed quod est Cæsaris, reddendũ Cæsari. Stultos Cæsares multa Privilegia concessisse Clericis, quæ Laicorum statum consumant; Papam & Clericos multis modis illaqueare Laicos, usurpare jura Imperii, suamq; jurisdictionẽ per suos canonis ampliare explendæ avaritiæ suæ causa, fieriq; stultitiâ Principũ

& Im-

& Imperatorum, quod in Servitutẽ Clericorum redigantur. Hæc in *Practica, sua* passim inculcat. *Theodoricus à Niem* aliquot Pontific. intimus scriba Sec. XV. *in Tractatu de schismate Norinbergæ impresso Anno* MDXXXII. lib. III. cap. 7. sic scribit: Quod Imperium principaliter & immediate pendet à Deo, sicut Ecclesia seu Ecclesiastica potestas, patet per rationes evidentes, & sicut etiam firmatur & habetur in Decreto, ubi legitur, & scribit Papa Imperatori in hunc modum: Ecclesiæ meæ, cui Deus noster Sacerdotium meum, vobis res humanas regentibus, deputavit. Et hoc idem in plerisq; aliis locis patet in jure. Ex quo infertur, quod fatuè & adulatoriè loquuntur illi, qui dicunt, quod Papa seu Ecclesia duos habeat gladios, scilicet spiritualem & temporalem, cum in Evangelio Petro dictũ sit, converte gladium tuum in vaginam &c. Etenim si uterq; gladius apud Papam existeret, supervacuè vel fictè Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet. Sed isti adulatores seu assentatores, per talia scripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem. Conculcatur enim per hoc Imperialis Autoritas, & ensis potestas sub dubio collocatur in totius Reipubl. detrimentum.]

§. XIV. Cum Philippus Hispaniarum Rex Portugalliæ Regnum Henrico Rege defuncto ad se jure hæreditario pertinere contenderet, & Papa ultro & non invitatus Judicem agere vellet, Rex postulavit ea super re ab Universitate Alcalanâ consilium. Doctores re pensiculatiùs excussâ responderunt, Papam & Apostolicam sedem nequaquam in hac causâ vel posse, vel debere judicialiter cognoscere, quia SECULARIS & MUNDANA omninò esset, spiritualibus illum potiùs, omissis his, ut incumbat, decere. *Iohannes VVolffius Tomo* II. *Memorabil. Lection. p.* 937. *Apud Guntherum in Ligurino Lib.* VI. *pag.* 369. Fridericus Imp. de Epistola R. P. ad se perscripta hæc recenset:

Advenêre duo falsi de sede Prophetæ
Romanâ, qui se mandata salubria nobis
Ferre pacíscentes, & toti commoda Regno,
Dulcia miscuerant secreto mella veneno.

Nam

Nam cum cœpta legi nobis à Præsule missa
Prima parte sui sapuisset epistola pacem,
Protinus expressis ausa est subjungere verbis,
Illius nobis collatum munere Regnum,
Imperii fasces, & sceptri jura dedisse;
Et gaudere datis; & si majora dedisset,
Nunquam Pontificem facti donive pigere,
Quem cum Legati viva quoque voce furorem
Adstruerent, tantis exarsit curia flammis,
Ut nisi sedato tumidis præsentia motu
Nostra tulisset opem, miseranda clade periissent.
Ecce paterna fides, & magni Præsulis alma
Integritas, humilisque Petri vestigia sectans;
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult, quam Præsul haberi.
Ecclesiæ pacem, gladiis quæ ritè duobus
Utitur, alterutro nunquam benè firma remoto
Scindit, & in sese geminos exasperat enses;
Dumque Sacerdoti conatur jungere Regem,
Non uno tantum contentus lædit utrumque.

Sequitur, subjicit *Spigelius, Consiliarius Imperialis*, commentitiam Scholasticorum sententiam, qui Christi verba de duobus gladiis, & pleraque alia, quæ propriè ad Philosophiam cœlestem pertinebant, subvertunt, reclamantibus omnibus Christi præceptis, reclamante tota ipsius vita, reclamante Doctrina Apostolica, refragantibus tot martyrum millibus, repugnantibus vetustis interpretibus &c. *Michael Ulcurrunius Pampilonensis in tractatu de regimine mundi ad Carolum V. part.* 11. 2. *q. princ. num.* 47. Ex quibus concluditur, quod potestas temporalis est immediatè à Deo in Imperatore, nec Papa eam habet actu vel habitu, *parte* 11. *quæst.* 2. *n.* 61. Est etiam aliud inconveniens, quia Papa exercendo dictam temporalem potestatem supra Imperatorem vel aliquem Regem, vel Principem, venit contra prohibitionem Domini, qui præcipit, ne uteretur gladio temporali, dum dixit, mitte gladium, tuum in

vaginam, sine limitatione, & sic simpliciter debet intelligi dictum Christi. *Franciscus de Victoria Relectione* 1.*quæst.1.* Regimen animarum est ars artium, ergo non possit unus & idem utrumq; munus implere, administrando secularem & ecclesiasticam potestatem. *Iacobus Menochius consilio* 112.*num.6.* Pontifex non potest liberè & absolutè, nulla scilicet causa præcedente legitima, concedere, quæ Ecclesiæ sunt, cum non sit absolutè dominus, sed dispensator, sicut probat illud Apostoli *I.Cor.IV.* Sic nos existimet &c. dispensatores dixit Apostolus, non Dominos. Et idem *Tit.I.c. oportet Episcopum &c. sicut Dei dispensatorem &c. quod relatum est in c. Legimus distinct.93.* Et Pontificem esse beneficiorum dispensatorem, non autem Dominum, censuit *Thomas* 2. 2. *quæst.* 100.*art.1.in respons.ad ultimum.& in 4.sent.distinct.25.q.3. art.3.in Resp.ad 2.Cardinalis Zabarella in Clem.I.in 2.oppos.de summa Trinit. & fide Cathol.Cardinalis Cajetanus in 2.2.quæst.*44. *art.* 8. *& quæst.* 100.*art.1.& Thomas Campegius in tractatu, an Papa possit incurrere labem Simoniæ, in Resp.art.*8. Et hi quidem sancti eruditique patres scribunt, Pontificem non posse indigno conferre beneficia, quia non dispensator mysteriorum Christi, sed dissipator appellaretur. *Wilhelmus Barclajus ICtus lib.de potest.Papæ in Princip.. Christian. in Præfat.dedicat.ad Clementem VIII.* vide sanctissime Pater, quam non expediat Ecclesiæ istud Imperium vindicare, quod veluti Sejani Equus proprios Dominos pervertit. *Et cap.1. p. 6.* memorat, quod nobilis Concionator, si quis in Jesuitis est, cum ab eo, quid de *Thoma Bozii* opinione (*de temporali potestate Papæ*) sentiret, percontaretur, *papalem Parasitum eum vocitaverit.* Hujus itaque opinionis tuendæ fiduciâ erectus, multos excellentes Theologos (in quibus est Bellarminus) graviter incusat, & novos Theologos vocat, aitque eos apertissimè falsa, & adversus omnem veritatem pugnantia docere. *Petrus Gregorius Tholosanus lib.XXVI. de Republ. cap.V. ex Othone Frisingensi lib.VI. Chronic.cap.XXXV.* sic scribit: Lego & relego Regum & Imperatorum res gestas, & nusquam invenio, quenquam

quam eorum ante hunc Henricum Imperatorem, quem Hildebrandus depoſuit, à ſummo Pontifice eſſe regno privatum. *Lib. XIII. de Republ. cap.* 1. §. 29. Perſonæ Eccleſiaſticæ videntur reſilire à proprio munere, ſecularibus ſe immiſcendo.

§. XV. Et profectò ſi Hiſtoricos & annales veteres conſulimus, citra difficultatem cognoſcere licet, Papam non tantum Imperatoribus & Regibus non ſuperiorem eſſe, ſed potius iisdem obnoxium, ejusque confirmationem ad hos de jure pertinere. Principio quidem conſiderandum venit, tam veteris, quam novi Inſtrumenti ſacras tabulas Regiam dignitatem Sacerdotali paſſim anteponere, poſtponere nunquam. Et præclarè adnotatum eſt à Talmudiſtis, quanto major omnibus & Prophetis & Pontificibus Rex fuerit. *Rabbi Moſes Maimonides Ægyptius*, qui Scriptor maximus fato quodam & ſorte naſcendi primus, ſolusque in gente Talmudicâ rectè intellexit, *quid hoc ſit, non ineptire*, nos de eo apud *Petrum Cunæum de Republ. Hebræorum lib. 1. c. 14. pag.* 87. ex *Halacha Melachim cap.* 2. informat, ſancitum fuit, *inquit*, uti Pontifex maximus Regem veneraretur, & locum illi ſuum ad ſedendum cederet, atque ipſe ſtaret, ſi quando veniret ad eum Rex. At è contra, Rex non ſtat præſente Pontifice, niſi cum conſulit ſolenni ritu oraculum Urim. Præterea tanta Regis dignitas eſt, uti vel ipſe vates, quoties ei adeſt, in terram humiliter ſe ſubmittat. Quippe ſcriptum eſt, Nathanem Prophetam veniſſe coram Rege, & ſpecie honoris prono ore procubuiſſe in humum. Conf. *Wilhelm. Schickard. de Iure Reg. Hebr. Theorem. XIII. p.* 230. *ſeq.* Deinde verò quod ad Imperatores ſpectat, ad eorum nutum olim omnia fiebant, ab iis creabantur Pontifices, de iis judicare vel quidquam decernere non audebat Pontifex Romanus. Nam revera à B. Petro uſque ad S. Sylveſtrum tempore Conſtantini Magni de temporali dominio Papæ nulla fuit quæſtio, ſublimati ſiquidem Papæ primis trecentis ferè poſt Chriſtum annis, non ad temporale dominium trahebantur, ſed ad martyrium. Illius Eccleſiæ gloria non fuit purpura, non divitiæ, non equus albus,

cui Pontifices & Cardinales Romani inequitant, non fastus, non dominatus. Sed à tempore Sylvestri XXIV. Papæ à Petro, incepit Ecclesia mixta, S. enim Sylvester Constantini donationem pro usu notariorum, qui gesta Martyrum describerent, & pauperum, non in dominium, sed usum fructum acceptavit; teste *Georgio Heymburgensi in admonit. de injust. usurpat. R. P. fol.* 118. Imo invenimus in Chronicis, quod Pontifices post seculum tertium à N. C. Imperatores Christianos in suis literis summo respectu & obedientiâ, tanquam suos dominos coluerint. A. C. CCCLII. Li-
„ berius primus P. ad Constantium Imp. ita scripsit; opto, tran-
„ quillissime Imperator, ut benignas aures mihi Clementia tua tri-
„ buat, quod possim Mansuetudini tuæ mentis meæ propositum
„ aperire. In eo me laborare intelligo, quod repetita satisfactio-
„ ne, animam tuam in gratiam meam revocare non possum, ser-
„ mo enim tuus me quidem, quem patienter omnia ferre necesse
„ est, (NB) plurimum lacerat. Misi igitur ad exorandam Mansuetudinem vestram Luciferum. *Severinus Binius Concilior. Tomo I. p. 461. & in notis p. 466. A. CCCCXL.* Leo I. P. R. in Epistolis suis aliquoties se Imp. R. subjectum esse confitetur. *Epist. IX. ad Theo-*
„ *dosium:* Pietas vestra Supplicationi nostræ dignetur annuere,
„ ut intra Italiam jubeatis habere Episcopale Concilium. *Epist.*
„ XXIII. *ad Clerum & Plebem Constantinopol.* Quoniam oportet
„ vos post divinum auxilium, etiam Catholicorum Principum
„ gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, ut peti-
„ tioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, Cle-
„ mentissimus Imp. dignetur annuere. *Epist.* XXIV. *ad Imper.*
„ Omnes Sacerdotes cum lacrymis & gemitibus Mansuetudini
„ vestræ supplicant, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrare. Conf. *Epist.* XXV. XXVI. XXXV. *Epist.* XLVII. supplicat, ut Ephesinæ Synodi, cui *Cyrillus Episcopus* præfuit, statuta permaneant. *Epist.* LXV. ad Leonem Augustum: Literas Cle-
„ mentiæ tuæ veneranter accepi, quibus cuperem obedire; sed
„ magis id vobis arbitror placiturum. &c. Epist. LXXIII. suppli-
„ cat Leoni Augusto, ut Alexandrinæ ecclesiæ per Catholicos Sa-

cer-

„ cerdotes talem jubeat provideri Pontificem, in quo nihil repre-
„ hensibile reperiatur. Anno CCCCLXVII. *Simplicius I. P. R.*
„ *Epist. IV. ad Leonem Imp.* Ea devotione, qua Principes Christianos
„ jugi veneratione suscipio, cupio debita pietati vestræ officia de-
„ ferre. Clementiæ vestræ propensius Co-Episcopus meus Aca-
„ tius mea vice supplicabit. *Binius Tomo II. Concil. p.* 205. Anno
„ CCCCLXXXIII. *Felix III. P. R. Epist. II. ad eundem Imperato-*
„ *rem.* Honorificentiam tuam precor, ut supplicationem meam
„ Princeps Christianus benignis accipias auribus. *Binius loco jam*
„ *adducto.* Eodem modo decenter *Gelasius I. Epist. V. ad Anastasium*
„ *Imperat.* (ap. *Binium Tom. II. p.* 318.) se gessit, cujus verba in §. *XV.*
„ *Carolus Calvus in Epistola sua ad Adrianum* allegat. A. CCCCXCVI.
„ *Anastasius I. P. R. Epist.* LXXVIII. *ad Anastas. Imp.* ap. *Bin. Tom.*
„ *II.* 633. Humilis pietati tuæ precator occurro &c. Præcelsum
„ pietatis tuæ vocabulum per universas gentes toto orbe præful-
„ get. *Epist.* LXXVII. ad Justinum Imperat. Ipsam tibi Ecclesiam
„ Dei mecum supplicare. *Binius p.* 633. A. D L V. *Pelagius I. P. R.*
„ *Epist.* XVI. ad Childericum Francorum Regem, Regibus nos
„ (Episcopos) subditos esse, sacræ Scripturæ præcipiunt. A. DXC.
„ *Gregorius I. Cognomento Magnus lib.* II. *Epist.* L X I I. (in nonnullis
„ editionibus est L X V.) *Ad Mauritium Imp.* Omnipotenti Deo
„ reus est, qui Serenissimo Domino in omne quod agit & loqui-
„ tur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famu-
„ lus, in hac suggestione neque ut Episcopus, neque ut Servus jure
„ Reipublicæ, sed jure privato loquar, quia Serenissime Domine,
„ ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quãdo adhuc Domi-
„ nus omnium non eras. Longino viro Clarissimo stratore ve-
„ niente Dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc æ-
„ gritudine corporis respondere non valui; in qua Dominorum
„ pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit im-
„ plicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Ego
„ hæc Dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis? Ego
„ indignus famulus vester scio &c. Requirat Dominus meus pi-
„ issimus &c. Ego quidem jussioni vestræ subjectus, eandem le-

„ gem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia lex „ ipsa omnipotenti Deo minimè concordat,ecce per suggestio- „ nis meæ paginam Serenissimo Domino meo significavi. Utro- „ bique ergò quæ debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam „ præbui,& pro Deo, quod sensi,minimè tacui. *Libri ejusd. Ep:st.* „ *LXV.* dicit: Deum Imperatori omnia tribuisse, & dominari „ eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessisse. „ Confer. *lib. IV. Epist.* XXXI. *ad Mauritium August. Epist.* XXXII. „ XXXIV.XLIV.Lib.VII.Epist. I. *ad Sabinianum Diaconum.Lib.*VIII. „ *Epist.* XI.*ad Romanum. Anno* DCXLVII. *Martinus I.P.R. Epist.III.* „ ad Constantinum Imp. Domino piissimo & Serenissimo Mar- „ tinus Episcopus Servus Servorum Dei, & universa Synodus in „ hac urbe Romæ congregata. Nos ad pietatem vestram con- „ fugientes, orantes atque hortantes vestram Serenitatem, ut „ hæc diligenter legere dignetur. *Binius Tom.2.p.*1047.

§.XVI. Post paucos annos eodem seculo non dedignatus est Papa Vitalianus,quo inferioritatem & famulatum suum publicè declararet,cum Constans Augustus Romam pergeret, sexto „ ab urbe milliario,uti *Paulus Diaconus in Continuat.Eutropii Libro* „ XVIII.*cap.7.habet*,ipsi cum Sacerdotibus & Romano Clero oc- „ currere. Anno DCLXXIX. *Agatho I.P.R. ad Heraclium & Ti-* „ *berium* Impp. Domini Serenissimi, secundum piissimam mis- „ sionem vestram pro obedientia, quam debuimus, præsentes „ confamulos nostros curavimus demandare, pro quibus flexo „ mentis poplite suppliciter vestram mansuetudinem & clemen- „ tiam deprecamur. *Binius Tom.3.p.*12. Anno 772. *Hadrianus I.* „ *P.R. Epist. ad Constantinum & Irenen.* Domini piissimi depre- „ cantes clementiam vestram,tanquam præsentialiter homo stra- „ tus & vestris vestigiis provolutus quæso &c. *Binius ibid.p.*254.*&* „ 257.Anno 796.Leo III.P.R.Ex Adone Viennensi probat *Leon-* „ *hardus Hutterus in actione sua in Gretserum pro Nicolao de Cleman-* „ *gis pag.*38.peractâ coronatione Caroli Magni non modo popu- „ lum hunc in modum acclamasse, Carolo piissimo,Augusto,à „ Deo coronato,Magno,pacifico,Imperatori vita & victoria,sed

& post

„ & post has acclamationes Pontificem ipsum in terram procu-
„ buisse & Imperatorem jam creatum more antiquorum Princi-
„ pum adorasse. Si autem quærat quis, qualis ille sit mos antiquo-
„ rum Principum, ex *Salviano* apparet hunc esse: Servos Domi-
„ norum pedes osculari solitos. Quis autem in hoc ritu videtur
„ superior? num qui adoratur, qui pedum oscula sibi figi sinit à
„ Pontifice, vel qui adorat, qui oscula figit? puto illum qui admit-
„ tit adorationem, & oscula pedum: ut proinde Cæsarem Pon-
„ tifex Dominum hic agnoscat. Et Romanæ quidem urbis, de qua
„ *Paulus Diaconus* ad Carolum, Civitatis Romuleæ, viarum, por-
„ tarum Principum pontium, locorum tribuumque voca-
„ bula diserte repereris. Sic itaque Carolus Episcopos Roma-
„ nos ad officium revocabat, & in Italiâ quidem in ipsa adeo Ro-
„ mâ eorum licet sede: Et his propriè de causis ultro citroque
„ Romam commeabát: non ut crepidam exoscularetur, aut limi-
„ na Petri visitaret. *Mornæus Myster. iniquit. p.* 134. adde *Bozium de*
„ *signis Ecclesiæ Tomo* 2. *l.* 20. *p.* 709. Anno 847. *Leo IV. in Epist. ad*
„ *Imp. Ludovicum,* quæ citatur *in Corp. Canon. c. Nos si cauf.* 29. 7. Nos
„ si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tra-
„ mitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cun-
„ cta volumus emendare judicio. &c. inde magnitudinis vestræ
„ clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, per-
„ quirenda, missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia
„ timeant, & cuncta, quemadmodum si vestra præsens fuisset im-
„ perialis gloria, diligenter exquirant. &c. *Idem. c. de capitulis. di-*
„ *stinct. x.* ad Lotharium Augustum. De capitulis vel præceptis
„ vestris irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quanto
„ valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in ævum nos
„ conservaturos modis omnibus profitemur; & si forte quilibet
„ aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo
„ mendacem. A. 858. *Nicol. Pontifex R. ad Imp. Mich. (citatur c. cum*
„ *ad verum distinct. 69. & c. causam.* Quoniam. distinct. 10. sub no-
„ mine Cypriani) quid scripserit, antea §. X. adduximus. De
„ Ottone primo post medium seculi decimi testatur *Luitprandus*
„ *l. VI. c. 6.* eum Romã adiisse, & jusjurandũ à Papa Johan. accepisse,
se nun-

„ se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturum. Nec
„ desierunt Imperatores, eis etiam temporibus, quibus jam valde
„ deminuta erat eorum potestas, juramentum à Papa Romano in
„ obsequii fidem exigere. Scripsit *Aventinus in Chronico Schirensi,*
„ brevi quidem, lectu tamen digno, ad Annum MDXXII. de pa-
„ ce inter Imperatorem & Papam hâc conditione facta, ut nimi-
„ rum Papa in verba Imperatoris juraret fit, inquit, pax inter Pa-
„ pam Calixtum secundum & Henricum quintum Imperato-
„ rem hac lege, Imperator Electionem Episcoporum, Præsulum-
„ que abdicat, electos tamen post hæc in verba jurare Cæsaris de-
„ cretum est. Anno MCLIX. Alexander III. *c. Causam. lib. IV. De-*
„ *cret. Tit. 17. Qui filii sint legitimi.* Nos attendentes, quod ad Re-
„ gem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judi-
„ care, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum
„ judicium asserit, ad se pertinere, fraternitati vestræ mandamus,
„ quatenus Regi possessionum judicium relinquentes. Anno
„ 1198. Innocentius *III. Decretal. tit. 6. lib. 1. de Electione. c. venera-*
„ *bilem 34.* protestatur, Jus Principum nolumus nobis vendicare.
„ Anno MCCXCIV. Bonifacius VIII. *c. unam sanct. de majest. & obed.*
„ sic definierat, subesse Romano Pontifici omni humanæ creatu-
„ ræ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò
„ esse de necessitate salutis; sed hæc Bonifacii Bulla, quoad Re-
„ gnum Galliæ Clementi V. Successori non placuit, nam *c. meruit.*
„ *Extrav. comm. de privilegiis lib. V. Tit. 7.* ita statuit: Meruit caris-
„ simi filii nostri Philippi Regis Francorum illustris sinceræ affe-
„ ctionis ad nos & Ecclesiam Romanam integritas, & progenito-
„ rum suorum præclara merita meruerunt; meruit insuper regni-
„ colarum puritas ac devotionis sinceritas, ut tam Regem, quam
„ Regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est quod nos
„ Regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memo-
„ riæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit *unam*
„ *sanctam,* nullum volumus vel intendimus præjudicium generari.
„ Nec quod per illam Rex, Regnum & regnicolæ prælibati am-
„ plius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quam antea existebant;
sed

„ ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante de„ finitionem præfatam quantum ad Eccleſiam, quàm & ad Re„ gem, regnum & regnicolas ſuperius nominatas. Laudem idcir„ cò meretur ingenuum Pariſinorum Theologorum Judicium, „ in ſcripto theſibus & aſſertionibus Jeſuitarum oppoſito & ad„ jecto literis provincialibus *Ludovici Montaltii*: Quis, inquiunt, „ credidiſſet Deum permiſſurum, ut Vicarius illius qui expreſsè „ dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo, auſurus ſit diſpo„ nere de regnis mundi, & uni eripere, alteri dare, qualiter fecit „ præ cæteris Julius ſecundus cum regno Navarræ, quod Reges „ Hiſpaniæ nullo alio titulo poſſident, in præjudicium noſtro„ rum Regum, quam vigore doni quod à Romano Pontifice (qui „ legitimo ſuo Regi eripuit) habere prætendunt.

§. XVII. In ſpecie hic Lector obſervet, Titulum Pontificis Maximi adjunctum olim fuiſſe dignitati Imperatoriæ, quandoquidem penes Imperatores ſuprema rerum ſacrarum æque ac civilium adminiſtratio vigebat, ſive διὰ τὸ τῆς ἀξίας ὑπεροχήν; propter Dignitatis excellentiam, uti argumentatur *Zoſimus in Gratiano & Theodoſio, pag.* 761. Καὶ ἔτυχε τούτου, inquit, Νουμᾶς Πομπίλιος πρῶτος, καὶ πάντες ἑξῆς, οἵτε λεγόμενοι Ῥῆγες, καὶ μετ᾽ ἐκείνους Ὀκταβιανός τε αὐτὸς καὶ οἱ μετ᾽ ἐκεῖνον τὴν Ῥωμαίων διαδεξάμενοι μοναρχίαν. Ἅμα γὰρ τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, καὶ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν Ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο, καὶ παραχρῆμα Πόντιφεξ Μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπερ ἐστὶν, Ἀρχιερεὺς Μέγιστος. Primus Numa Pompilius hunc honorem adeptus eſt, omnesque deinde qui Reges appellati ſunt, ac poſt illos, Octavianus ipſe, quique poſt eum in Romano Imperio ſucceſſerunt. Simul enim atque Summum Imperium quisque conſequebatur, amictus ei ſacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuo Pontificis Maximi Titulus ei tribuebatur. Unde Heliogabalus cum Aquiliam Severam Summã Sacerdotem veſtalem ſibi matrimonio junctam iret, cauſatus eſt, id fieri ut ex ipſo Summo Põtifice, & ipſa Summa Pontifice divini liberi gignerentur; ἵνα δὴ καὶ θεοπρεπεῖς παῖδες ἔκ τε ἐμοῦ τοῦ Ἀρχιερέως, ἔκ τε ταύτης τῆς Ἀρχιερείας γεννῶνται. *Xiphilinus in Heliogabalo*. Idem de eadem dignitate planius in Auguſt. loquitur: Ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερᾶσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους διδόναι,

καὶ τῶν ἱερέων κυριεύουσιν. Ideò Sacerdotibus dominantur, quia omnibus Sacerdotiis funguntur, & præterea aliis plura dare possunt. Huc refert *Freherus L.I.ff.de Petit. Hered.* Tamen Principali vel Pontificali Autoritate compelluntur ad obsequiũ supremæ voluntatis. Imò ipsos Imperatores Christianos hujus tituli non puduit, quo scilicet suam in rebus sacris autoritatem firmarent; quod *Spondanus* ex *Cardinale Baronio* ad Annum Christi CCCXII. p. 262. his verbis insinuat. Alia verò fuit etiam ejus suscipiendi causa, quod amplissima esset illius Magistratus autoritas: quippe qui posset Comitia dirimere, atque ipsos Consules abdicare, factaque reddere irrita: Decretis à Senatu intercedere, eademque intercidere: ac fierentne bella ex ejus arbitrio penderet: ideoque eam sibi autoritatem omnes Romani Imperatores pernecessariam judicarunt, ut SUMMO RELIGIONIS JURE Senatum in ipsos sæpè molestum, obsequentem in omnibus redderent. H. I. Duravit quoque continuâ serie apud illos usque ad Gratianum, qui primus illud cognomen unà cum stolâ Pontificali respuit, ἀθέμιτον εἶναι χριστιανοῖς τὸ σχῆμα νομίσας; ratus habitum hunc Christiano indignum esse. *Zosimus* l.c. Nihilominus de illo quoque Ausonius in Panegyrico: Unus in ore omnium Gratianus, Potestate Imperator, Virtute Victor, Augustus Sanitate, PONTIFEX RELIGIONE, Indulgentia Pater, Ætate filius, Pietate utrumque superat. Et postea: Pontificalia potius vocentur quæ Tu Pontifex Maximus Deo participatus habuisti. *Kipping. lib. I. Antiquit. Rom. cap. XII. p. 295.* hanc Inscriptionem proponit: Gratianus. Pius. Felix. Maximus. Victor. ac. Triumfator. semper. Aug. Pontif. Maximus. Germanicus. Max. Alamannic. Max. Franc. Max. Gothic. Apud alias Gentes etiam Reges Sacerdotesque simul fuisse, dubitare non sinit *Ovidii* istud de Æneâ *Lib. XIII. Metamorph.*

Hunc Anius, quo Rege homines, Antistite Phœbus
Ritè colebatur, temploque domoque recepit.

Goldastus Christianos Imperatores Titulis suis honorem Pontific. Max, inseruisse sentit *præfat. in Constit. Imper. ad Imp. Matthiam*, quo indicarent datam sibi potestatem à Deo supremo Imperatore & cœlico Monarcha, in omne hominum genus, sacrum, profanum sub Imperio suo degentium. Et hinc rectè concludit *Mornæus* *Myster.*

Myster. Iniquit. p. 22. Ante tempora Gratiani Imper. neminem alium, quocumq; prætextu, Pontificem Max. sese dicere ausum.

§. XVIII. Jus autem legitimum in electione aut saltē confirmatione Romanorum Præsulum Imper. & Reges Romæ dominantes habuisse, extra dubitationis aleam positum est. Nam etsi P. R. electores ordinarii, communi & antiquissimi confirmatissimo jure sint Romanus populus & Cardinalis Eccles. Clerus, hoc est, totus ejusdem Clerus fixus, constans & ordinarius : Imperatorum operam tamen in electionibus oportunam & necessariam ante omnia, schismata Romana inter competitores exoriri solita, poposcerunt, adeò ut quandoq; multum sanguinis profunderetur, cui malo Imperatorum auctoritas resistere potuit. Quare Imperator aut ipse præsens, aut per Legatos suos ibi interesse debuit, non quidem semper apparitoris instar, & Satellitis, ut armata manu turbis occurreret, tumultuantem enim populum vix ulla vis potest cohibere: sed sæpè etiam tanquam sui populi dux & caput, cujus vice & nomine personam eligeret, sua ipse autoritate, cui electæ populus propter sui Principis autoritatem facilius acquiesceret, & sic tumultibus occasio præcideretur. Et schismatibus quidem vel maximè Imperatores sunt excitati, ut electionibus adessent, imò præessent. Sic Valentinianus viso certamine in primo Romanæ Ecclesiæ post divitias comparatas, Schismate inter Damasum & Ursicinum, judex & ultor insurrexit; Damasum in sede confirmavit, & Ursicinum urbe expulit. *Ammianus Marcellinus libro* XXVII. *Et Baron.* Tom. IV. Annal. ad a. CCCLXVIII. CCCLXXXI. Sic Honorius Imp. memor cædium, quæ in Schismate inter Damasum & Ursicinum contigerant, novosq; audiens tumultus urbanos, ex novo alio Schismate inter Eulalium & Bonifacium exortos, ad primam relationem Symmachi urbis Præfecti, Eulalii electionem, electioni Bonifacii præferentis, Eulalium in Episcopatu per literas Ravenâ missas confirmat, & Bonifacium jubet urbe expelli, ne tumultus cieret. Baron. tomo V. Ann. CCCCXVIII. CCCCXIX. Habita postea alia relatione contraria, ad eum à partis Bonifacianæ Clericis missa, jussit quidem ad se utrumq; venire,

tu congregata Synodo causa dijudicetur, suspensa interim Eulalii confirmatione. Et quia Judicium hac in primâ Synodo definiri non potuit, ob rei difficultatem & Patrum diversas sententias, ad majorem Synodum fuit deferendum, mandavitque interim Imperator, ut uterque quiesceret, & à Pontificalibus abstineret, dato ab eodem Imperatore Romanæ Ecclesiæ pro tempore, ad pontificalia exercenda Episcopo Spoletino. Eulalius tamen, cujus procul dubio potiora jura fuissent, ut patet tum ex fideli relatione Symmachi apud Baronium, ann. CCCCXVIII. n. 37. quam ex Synodi prioris perplexitate, ib. anno CCCCXIX. n. 14. Ipsemet sua impatientia seipsum perdidit, nam & inobediens factus (n. 30.) jussionibus Imperialibus & seditionibus intentus, compulit Honorium, ut Bonifacium confirmaret, ipsum verò Eulalium ex urbe profligandum mandaret. Confirmationem enim Episcopi R. in casibus schismatum & dissensionum, ad ipsum Imperatorem tandem ultimum spectare optimè dixerat Symmachus Præfectus apud Baron. ann. CCCCXVIII. n. 74. *Et quoniam* inquit, *pietatis vestra est, de hac parte ferre judicium, quod de hac parte pietas vestra decernit, præcepto vestri numinis evidenter informet. Expecto, quid pietas vestra decernat, ut quies possit, quæ hactenus servata est, perdurare. Suscipientur, quæ Clementia vestra divino judicio & perseveranda religionis reverentia, decernenda credidit, & pro quiete Romani populi, in perpetuum servanda constituit.* Basilius Patricius, Præfectus Prætorio, Odoacrisque Herulorum, & Italiæ Regis in urbe locum tenens, sede Episcopali R. post mortem Simplicii vacante in Synodo Patrum monuit, ut ad electionem novi Pontif. non convenirent nisi prius habita cum ipso debita consultatione. *Acta* sic habent *Romanæ Synodi IV. sub Symmacho cap. 2. Cum in unum apud B. Petrum Apostolum resedissent, sublimis & eminentissimus vir, Præfectus Prætorio atque Patricius, agens etiam vices præcellentissimi Regis Odoacris, Basilius dixit: Quanquam studii nostri & religionis interfit, ut in Episcopatus electione concordia principaliter servetur Ecclesiæ, ne per occasionem seditionis, status civitatis vocetur in dubium, tamen admonitione Beatissimi viri, Papæ nostri Simplicii, quam*

ante

ante oculos semper habere debemus, hoc vobis (meministis) sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum, & venerabilis ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur electio. Post Odoacrem Regem Theodoricus Arrianus Italiæ Rex, Symmachum R.P. confirmavit, Laurentium verò, qui cum Symmacho contendebat, Nuceriæ Episcopum constituit, teste *Platina in Symmacho*. Petrum quoque idem Altimi Episcopum, Ecclesiæ præsidere jussit. *Platina ibidem.* Item Felicem Episcopum R. consecrandum proposuit & obtinuit. *Cassiodorus lib. IIX. Epist. XV. Stephanus Papa distinct. 63. c. 28. Quia sancta Romana Ecclesia, cui autore Deo præsidemus, à pluribus patitur violentias Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperiali notitiâ Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine, ab Imperatore directi intersunt nuncii, qui scandala fieri vetent, volumus, ut cum instituendus est Pontifex, convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, præsente Senatu & populo, qui ordinandus est, & sic ab omnibus electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur. Cui decreto Gratianus præmittit ista; Principibus verò atque Imperatoribus, electiones R.P. atque aliorum Episcoporum referendas, usus & constitutio tradidit, pro Schismaticorum atque hæreticorum dissensionibus, quibus nonnunquam Ecclesia Dei concussa periclitabatur. Contra quos legibus fidelissimorum Imperat. frequenter Ecclesia munita legitur.* Repræsentabatur ergò electio Pontificum Catholicorum principibus, ut eorum autoritate roboratâ, nullus hæreticorum vel Schismaticorum auderet contraire; & ut ipsi Principes, tanquam devotissimi filii in eum consentirent, quem sibi in Patrem eligi viderent, ut & in omnibus suffragatores existerent. *Marcus Antonius de Dominis de Republ. Ecclesiast. lib. IV. cap. 2. p. m. 733.*

§. XIX. Prætereà Gothorum irruptio aliam non leviorem occasionem dedit R. Impp. ut in R. P. electione partem meritò habere vellent. Ea verò occasio fuit, quod *Silverius*, verene, an fictè, suspicionem movit de urbe Barbaris tradenda. Undè cavendum fuit, ne dignitas Pontificia in capita Romano Imperio non

fida conferretur. De hoc *Onuphrius Panvinius in annotat. ad Pelagium II.* (qui florebat Seculo VI.) *Platina* scribit: Gothis Italia omni per Narsem patricium pulsis, eaque cum urbe Roma Orientalis Imperii parte facta, sub Justiniano Imperat. ex autoritate Papæ Vigilii, novus quidam in Comitiis Pontificiis mos inolevit, is fuit, ut mortuo Papa, nova quidem electio more majorum statim à Clero, Senatu populoque Romano fieret, verum electus R.P. non ante consecrari atque ab Episcopis ordinari posset, quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset, ipseque literis suis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, ut ordinari posset, atque ita jurisdictionem Pontificatus tum obtineret. Pro quâ licentiâ consequendâ electo necesse erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori transmittere. Quâ veniâ obtentâ ipse posteà consecrabatur, & Romanum administrabat Pontificatum. Antea enim iidem dies comitiorum & consecrationis Pontif. renunciati erant. Hoc a. ideò Justinianum Imperat. vel ex ejus autoritate Vigilium Papam instituisse credendum est, ut Imperator certus esset de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima esse autoritas ceperat; Imperatoribus præsertim Italia absentibus, ne aliquando Pontifice factioso, vel Imperatoris hoste ordinato, urbs & Italia eo auctore ab orientali Imperio deficeret, seque finitimis barbaris traderet, quod Silverium Papam aliquandò quæsivisse sibi persuadebat. Qua ratione fiebat, ut in novis eum potissimum R. P. crearent, quem Imperatori, à quo confirmandus erat, amicum esse scirent, de quo ille confideret, nihil in Italia contra Imperium moliturum, barbaris, præsertim Longobardis eam paulò post vexantibus. Eo igitur tempore non licebat ad Pontificatum promoveri absque jussione Principis Constantinopolitani. *Aimoinus lib. 3. histor. cap. 74. Gregorius Papa* à Mauritio Imp. confirmatus est, ejusdem etiam se jussione Episcopum esse affirmat, *lib. 1. Epist. V.* postea quoque Caroli M. ævo (Imperatore Græco excluso) Hadrianus *I.* cum universa Synodo (inquit *histor. Ecclesiast. distinct. 63. c. Hadrianus I. in Synodo*) *Im*peratoribus tradiderunt jus & potestatem eligendi Pontificem &

ordi-

ordinandi ſedem Apoſtolicam, Græcus enim Imperator Romæ in Carolum nihil potereat, qui totius Italiæ regimen & dominium tunc obtinebat. *VValthramus Naumburgenſis Epiſcopus de Inveſtiturâ Epiſcopor. Adrianus Papa collaudantibus Romanis & plena Synodo, primatum Archiepiſcoporum Epiſcopor. Abbatum, Ducum & Principum acclamatione Carolo M. ejusque Succeſſoribus futuris Imperatoribus ſub anathemate conceſſit patriciatum Romanum: & per ſe vel per Nuncios, confirmationem in electione & conſecratione Romani Pontificis conceſſit: & inveſtituras Epiſcoporum eis determinavit, ut non conſecretur Epiſcopus, qui per Regem & Imperatorem non introierit purè & integrè, exceptis, quos Papa Romanus inveſtire & conſecrare debet, ex antiquo dono Regum & Imperatorum, cum aliis quævocantur Regalia, id eſt à Regibus & Imperatoribus Pontificibus Romanis data, in fundis & redditibus. In hac conceſſione continentur Regales Abbatiæ, præpoſituræ. Ex hoc conſtituto Carolus Magn. Aiſtulfum Deſiderium, aliosque Reges & Tyrannos, bello cæde & exilio delevit, qui fundos & bona Eccleſiæ Romanæ, aliarumque Eccleſiarum, invaſerant, omnia* reddens libertati. Sigebertus Gemblacenſis in Chronico A. DCCLXXIII. *Adrianus Papa ad tuendas res Eccleſiæ Carolum Romam accerſit, quò pergens Papiam obſidet, ibique relicto exercitu Romam pervenit, ſanctam reſurrectionem ibi peregit. Poſtea rediens Papiam cepit. Iterumque Romam rediit, Synodum conſtituit cum Adriano Papa, aliisque CLIII. religioſis Epiſcopis & Abbatibus, in qua Adrianus Papa, cum univerſali Synodo jus dedit ei eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Principatus: (Lege Patriciatus.) Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur, omnesque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari. Hæc conſtitutio pluribus teſtimoniis confirmatur paſſim à Gratiano part.* I. *Decreti diſtinct.* 63. *c.* 22. *ab Autore Pannoniæ lib.* VIII. *cap.* 134. *Theodorico à Niem lib.* I. *de Schiſmate. Flacio in Catalogo teſtium veritatis lib.* 19. *p.* 1859. *Iohan. VVolffio IC. lib.* VII *Lection.*

*Lection.memorabil. Baronio Tomo IX. Annal.an.*774.§.10. *Caspare Hedione histor. Ecclesiast. lib. VI.c.*23.*Gotfrido Viterbiensi Panthei parte XVII. Canzone Turcicense in gestis Caroli M.c.*27.*Martino Polono Monacho Dominicano & Pœnitentiario Papæ in Chronico, Iohan. Semeca Præposito Halberstatense Decreti primo Glossatore, in distinct.* 63.*Leopoldo de Bebenburg Episcopo Bamberg.de Zelo vet.Princip.German.c.*8.*Adriano Rolevvinck Carthusiano Colon. in fasciculo temporum, Luthrense Monacho apud Brunsvigam in compilat. Chronolog. Roberto Gaguino ministro Generalis ordinis S.Trinit. de Francor. gest. Lib. IV.* aliisque pluribus, quos fideliter Congessit laboriosissimus *Goldastus in Rationali Constitution. Imperial. p.*1.2.3.*seq. Hac autem concessio, si qua fuit, & similes subsequentium Pontificum non aliter intelligi debent, quam quod fuerint proprii principum juris naturalis recognitiones, admissiones, & probationes, cum remotione obstaculi injusti, per prohibitiones perperam & indebitè positi, ac declarationes, posse jam Principes suo jure uti, & se quantum in ipsis sit, nolle illud impedire, aut si quid interdum additum est, id totum fuit in explicatione modi, quo suam naturalem potestatem, citra periculum vel animæ, vel Ecclesiasticæ perturbationis, possent exuere, veluti dextrè judicat M. A. de Dom. de Repub. Eccles. lib. VI. cap.*7.*n.*125.*p.*704. Insuper quæ de cessione Adriani extant, à Carolo M. usque ad Imperatorem Rudolphum II. hoc est, annos octingentos & triginta firmiter in Ecclesia & foro credita sunt vera esse, nec quisquam tantam sibi audaciam sumpsit, ut dubitaret de illis etiam in gravissimis Imperatorum & Pontificum controversiis. Nihilominus tamen Cardinalis Baronius ea oppugnare conatus est, cujus argumenta quantivis sint, *Goldastus libro ante citato p.*4.*seqq.* examinando exanimavit.

§.XX. Majorem dictis lucem afferunt, quæ *Bebenburgius de Zelo V. P. cap.*8. exhibet: *Licet Imperatores Romanorum ante tempora Caroli M. sive ex Privilegio Ecclesiæ Romanæ, sive ex more habuerint dispositionem sedis Apostolicæ, in tantum, quod post electionem Romani Pontificis, decretum electionis Papæ præsentabatur Imperatoribus, & postea cum eorum conscientia & jussione ordinatio R. P. procedebat,*

„ debat, ut patet *distinct.* LXIII. *Agatho.* Non tamen reperi in ali-„ quibus historiis Chronicis vel Canonibus illos Imperatores huic „ Privilegio seu mori renunciasse; sed reperio, quod quidam Im-„ perator pecuniam, quæ erat dari solita Imperatoribus in ordi-„ natione R. P. remittebat, ut patet in prædicto Canone Agatho, „ qui *sumtus* est ex gestis Roman. Pontific. ut in superscriptione „ ipsius Canonis continetur. Idem *c.* 7. Non legimus à prædictis „ decreta electionum (Imperatorum) facta, & ad summos Pontifi-„ ces transmissa fuisse, sed potius è contra legimus, quod decretum electionis Papæ post ejus electionem olim Rom. Imperatori. transmitti solebat, ut patet 63. *distinct. C. Agatho. & §. electiones. Albertus Crantzius Metropol. Saxon. Lib.* I. *cap.* 14. Olim Imperatores „ non passi vivere Pontifices, ad supplicia devocabant: & Græcu-„ li, postquam apud eos extincta stirps Constantini & deinde Ma-„ gni Theodosii, non habuêre Romanum Pontificem, nisi quem „ ipsi confirmâssent. Ideoque Ludovicus filius Caroli M. hanc „ potestatem confirmationis sivè electionis servari voluit. Cum enim Paschalis I. non interposita autoritate Imperatoris Pontifex creatus esset, statim Legatos ad Ludovicum misit, qui ejus rei culpam omnem in Clerum & populum rejicerent, quod ab his vi coactus esset Pontificatum suscipere. Hâc satisfactione acceptâ Ludovicus respondit populo & Clero, majorum instituta & pacta servanda esse, caverent, ne deinde Majestatem læderent. *Platina in Paschal.* I. *vita.* Gregorius IV. à Clero populoque electus non prius Pontificium munus obire voluit, quam à Legatis Ludovici Imper. ob eam causam Romam missis, qui diligenter tantam electionem discusserant, confirmatus esset. Fecerat id, *inquit Platina in Gregorio IV.* non superbiâ motus, sed ne jura Imperii amitteret Ludovicus, quippe qui natura clemens & humanissimus est habitus, quique jura Ecclesiæ & dignitatem semper tutatus est. Ejusdem Legati Benedictum III. in Sede confirmaverunt. *Platina & Anastasius in Benedicto* III. Et à Carolo M. usque ad Otthonem I. *Onuphrius Panvinius*, hujus juris in electio-

ne Pontificum imperialis nullam interruptionem observat, *in annotat. ad Pelagium* II. *Platina.* Imo Leo VIII. ad exemplum Hadriani I. Otthoni I. Imperatori Germanorum Regi restituir, quod Successoribus Caroli M. ab Hadriano III. ereptum erat. *Platina in Leone* IIX. Leo Protoscriniarius à Clero populoque Romano pulso Johanne Pontifex creatur. Nam cum Johannes flagitiosè & intemperanter viveret, instarentque Romani, ut alterum Pontificem abrogata Johanne crearet, respondit: electionem ad populum & Clerum pertinere, eligerent, quem maximè idoneum putarent, se eum statim approbaturum. Undè cum Leonem elegissent, quem ipse confirmaverat, deindè mutatâ sententiâ abrogato, eidem Benedictum suffecissent, iratus Ottho eos vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto, Leonem suscipere, qui statim Romanorum inconstantiam pertæsus, autoritatem omnem eligendi Pontificis à Clero populoque Romano ad Imperatorem transtulit, etsi Clerum & populum absolutè excludere non potuerit. Unde & in sequentibus usque ad Hildebrandum IV. inclusivè, Cleri & populi electioni suam Imperator addidit autoritatem. Cives verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt, hæc addentes & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos, præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Otthonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis Otthonis; *Luitprandus* memorat *Libro* VI. *cap.* 6. *Baron. Tomo* X. *Annal. ann.* DCCCCLXIII. *n.* 10.

§. XXI.

Hic tamen notandum est, *inquit de Dominis, de Republ. Eccles. Lib.* VI. *c. p.* 743. Ecclesiam Christi non fuisse adeò rigidam erga Christianos Principes, ut in Romanorum etiam Pontificum electionibus, si eas interdum illi soli facerent, modò viros aptos eligerent, vel minimè quid repugnandum esse censeret. Ita *Lib.* 3. *cap.* 3. *& Lib.* 6. *cap.* 7. multorum Episcoporum,

rum, etiam Patriarcharum electionem à solis Principibus factam ponit, & ab Ecclesia libentissimè approbatam. Primus est Athanasius Imperiali diplomate Sedem qui Episcopalem accepit. Dum Arriani eum ut abiret, perurgerent nomine Imperatoris Constantii, in apologiâ ad Constantium, se „ renuisse, ait, & causam his verbis affert: Quid igitur? „ annon meritò ab illis diplomata postulabam? nec eorum „ simplicibus verbis obsequebar. Illi igitur cum non ederent, neque proferrent mandatum tuæ pietatis, nonne „ planè & directè contra hujus jussa diplomatis agebant? „ (*Literas hic intelligit Constantii, quas ibidem refert illum in sua Sede firmantes.*) Ego igitur cum illi literas nullas exhiberent, probè mihi colligere & ratiocinari videbar, ipsos nil nisi sua verba afferre, præsertim cum „ tuo diplomate jubear, ne quid istiusmodi curarem. Jure igitur hoc feci, religiosissime Auguste, ut quemadmodum cum Epistolis tuis ingressus essem in patriam, ita „ acceptis tuis mandatis è patria discederem. Si fugissem quomodo non meritò me tua pietas his verbis objurgasset; cur „ tu cum diplomatibus in Ecclesiam intromissus, sine diplomatibus egredieris, populosque destituis?

Unde perspicitur Athanasium suam Sedem Imperatoriis diplomatibus munitum primum accepisse. Hoc enim est *intromitti in Ecclesiam*, neque hæc ad restitutionem ab exilio spectant, quæ non intromittit in Ecclesiam, sed in Civitatem.

Postmodum cum Germanorum Regum dominatus longè lateque in Italia pateret, illi jus creandi Pontificis Romani exercere cœperunt. Sic Henricus III. Niger Gregorium VI. Suffragio Cleri electum de Pontificatu dejecit, & Clementem Secundum Papum Romanorum renunciavit, deindè Clerum jurejurando compulit, ne quem deinceps ad Pontificatum admitterent, sine Imperatoris

Germanici consensu, quo de acta Vaticana testantur. Idcirco mortuo Clemente 2. Collegium Pontificum ad Cæsarem Legatos misit, ut Pontificem Maximum, quem vellet, renunciaret. Imperator Peponem designavit, qui Damasus II. est appellatus, quo defuncto rursus Legatos ad Imperatorem Clerus destinavit, ad Pontificem alium creandum, is Brunoni, qui Leonis IX. nomen assumsit, sedem Apostolicam demandavit, eique Victorem II. sufficit, post cujus occasum Clerus Fridericum Pontificem Maximum cooptavit, post hunc Alexandrum II. quod cum intellexisset Henricus IV. Henrici III. filius, Carolum Parmensem Pontificem esse jussit, qui tametsi ab universa Insubria exceptus, ab Alexandro 2. tamen dignitate spoliatus est. Hunc Alexandrum excepit famosus ille *Hildebrandus*, qui alias *Gregorii VII.* nomine notatur, à Pontificibus proclamatus; *Is omnibus Laicis interdixit, ne ulla beneficia Ecclesiastica sacerdotiave in quenquam conferrent, subjectâ gravi sacrorum interdictionis pœnâ.* Et quidem Imperatorem, qui Pontifices in Germania renunciârat, publica execratione damnavit, quo ipso commotus Imperator superatis Alpibus Gregorium VII, qui annos XI. Ecclesiæ non sine multorum scandalo ac detrimento præfuerat, urbe exegit, substituto Clemente III. Pontifice. De hoc Gregorio *Onuphrius Lib.* IV. *de varia Creat. Rom. Pontif.* sic scribit: *Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius* VII. *armis Nortmannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ, confisus, discordiâque Germanorum Principum Bello Civili laborantium inflammatus, præter majorum morem contemtâ Imperatoris potestate & autoritate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, à quo, si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam Regno Imperioque privare ausus est. Res ante ea secula inaudita.* Confer. *Aventini Lib.* V. *ann. Bojorum.* & *Bodin. l.* I. *de Rep. c.* IX. *p.* 136. Reperimus quoq; in actis antiquis Prælatos Principibus juramentũ fidelitatis præstitisse. In Concilio Toletano IV.

jam

jam ante mille annos morem fuisse apparet, ut Episcopi Regi fidelitatem jurarent, sic enim in eo statuunt Episcopi c.74. *Quicunque ergò ex nobis vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione vel studio Sacramentum fidei suæ, quod pro Patriæ gentisq; Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, &c. anathema sit.* Similiter in *X. Concilio Toletano* hæc habentur, *c.12. ut si quis religiosorum ab Episcopo, usq; ad extremum ordinis clericorum sivè Monachorum, generalia juramenta in salutem regiam, gentisq; aut Patriæ data, reperiatur violâsse voluntate profana, mox propriâ dignitate privatus, & loco & honore habeatur exclusus. Turonense Concilium III, c.1.* sub Carolo M. *primò omnium*, inquit, *admonuimus cunctos, qui nostro conventui interfuere, (procul dubio Episcopos) ut obedientes sint Domino Excellentissimo Imperatori nostro, & fidem, quam ei promissam habent, inviolabiliter conservare studeant. Et in Aquisgranensi Concilio* sub Ludovico Pio statutum est *c.2. can.12. ut si quis Episcoporum, aut quilibet sequentis ordinis Ecclesiastici deinceps timore aut cupiditate, aut qualibet suasione à Domino, & orthodoxo Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, & ejus contrariis malevola intentione quovis modo se copulaverit, gradum proprium canonica atq; Synodica sententia amittat.* Vide Ludovici Constitutionem Anno 817. factam, apud *Goldastum, Tomo II. Constitut. Imperial. p. m.* 13. Constitutio duorum Otthonum, primi nempe & secundi Anno *962.* ibidem *Tom. II. p.* 45. postulat, ut ille, qui ad hoc sanctum atq; Apostolicum regimen,, eligitur, nemine consentiente consecratus fiat Pontifex, prius-,, quam talem in præsentia missorum nostrorum, vel filii nostri, si-,, ve universæ generalitatis, faciat promissionem pro omnium satisfactione, atq; conservatione futura, qualem Dominus & venerandus spiritualis Pater noster Leo fecisse dignoscitur. In volumine quodam *Isidori Mercatoris* Papa electus jurare debet Imperatori se omnium Ecclesiarum liberam electionem esse permissurum. *Goldast. lib. dicto, p. 125.*

§. XXII. Vidimus qualis priorum temporum fuerit facies, quibusq; gyris coarctata Pontificum auctoritas, ut se Imperatoribus

non nisi cum præsentissimo dignitatis adeptæ dispendio, opponere attentarent, sed quæ est rerum humanarũ inconstantia, nihil in sublimi positum sine immutatione aliquâ perpetuò consistit dominantium potentia, quæ olim cœlum quasi tangere, inq; summo gloriæ apice versari videbatur, Pontificum technis & violentia tantopere imminuta est ut de illa hodie præter umbram fere nihil appareat. Quo autē pacto talis mutatio contigerit, *Bodinus l. I. de Republ. cap. 9. pag.* 131. hoc verborum ambitû perspicuè enarrat. [Principio quidem Gregorius Pontifex Romanus, is qui primus servum se servorum Dei appellavit (*Anastasio Bibliothecario in vitis Pontificum pag. mihi 44.* est Bonifacius III.) ab Imperatore Phoca Principatum in omnes Episcopos adeptus est. Posteri deinceps honores pontificios ad Imperia traduxerunt, & sacra profanis miscentes potentiam religionis specie incredibiliter auxerunt. At Principes ipsi magnam partem religionis metu cæteri potentiorum exemplo, summos Pontifices revereri, idq; potissimum, cum Orientis imperium in ruinam inclinaret, id est cum R. P. Italiæ civitates ac populos, quo minus Imperatoribus Constantinopoleos parerent, aut tributa solverent interdictis prohibuerunt: occasione inde quæsitâ, quod Leo is, qui Iconomcahus usurpatur, divorum statuas dejecisset: qua re commota plebs, & R. P. autoritate inflammata Thomam Imperatorem in Sophiæ templo necavit. Itaq; cum opes Orientis attritæ essent barbarorum incursionibus, ac Principes Germanorum recuperandæ Italiæ spem abjecissent, Regesq; Longobardorum Italiæ Imperio potiri vellent, ac Pontificum Romanor. opibus prohiberentur, nec tamen Longobardi pares essent, ad opes Francorum adspexerunt, & auxilia potentissimæ gentis in Italiam evocârunt, nec sua spe fraudati sunt. Nam Pipinus Præfectus Prætorio, qui tunc Palatii Magister ac major Domus dicebatur, opibus & gratiâ florens, ingenti cum exercitu superatis Alpibus Longobardorum copias fudit ac prostravit, inde Romam profectus Zachariæ Pontificis Imperio partem Italiæ subjecit; nam

Pontifex

Pontifex ante Childerico Mereneorum Rege spoliato, Pipinum Francorum Regem designaverat, sacris etiam more majorum initiaverat (circa medium Seculi VIII.) quem Franci libenter exceperunt, tum quia Caroli Martelli Francorum Principis Filius, qui rerum gestarum gloria clarissimus erat, tum quia Childericus propter Ingenii stuporem Imperio minimè dignus videbatur; quibus omnibus accedebat, summa ejus auctoritas & gratia R. P. quem uti Deum aliquem cœlo delapsum populi prosequebantur. Ac tum quidem Pontifex ipse, si Pipinus Longobardos subegisset, Exarchatum Ravennæ sibi fiduciæ nomine pactus erat, id est, XIII. urbes, & Pentapolin provinciam, quæ urbibus XVI. continebatur. *Mornæus Myst. iniquitat. p.* 127. Partâ victoriâ Pipinus ut promissum impleret, harum urbium claves sacris divi Petri altaribus imposuit, prius tamen utriusq; provinciæ dominarum ac jura Majestatis, sibi posterisq; suis ac Romani Pontificis deinde eligendi potestatem sibi reservârat. Quibus rebus non modo libenter Pontifex annuit, sed etiam ut Pipinus Imperatorem se appellaret, penè persuasit: qua appellatione nemo exceptis Constantinopoleos Imperatoribus utebatur. Mortuo Pipino Longobardi rursus arma capere, Pontifices turbare, & ad Francorum asylum omnia revocare. Itaq; Carolus Pipini filius, qui bellicis laudibus abundans, magnus est appellatus, valido cum exercitu delevit, & Pontificum superatis Alpibus, non modo Reges Longobardorum, sed etiam Regnum ipsum delevit Pontificum Romanorum potentiâ, stabili fundamento firmatâ Imperator à Pontificibus est appellatus, ac vicissim Romani Pontifices, quamdiu Carolus vixit, ab eo omnes creati fuère; sed post Caroli occasum, qui plus in Urbe Roma, minus tamen in Curia Francorum autoritate & gratia poterant, se â Collegio Pontificũ creari curabant. Ita Reges Francorum tum externis bellis, tum civilibus dissidiis, quæ inter Caroli M. nepotes gravissima extiterunt, perturbati, summi Pontificis creandi prærogativam deseruerunt. *Vitardus* tamẽ bonus Antiquitatis autor scribit

tres

tres Pontifices Romanos in Galliam supplices venisse, ut veniam impetrarent, quod injussu Ludovici Pii Regis Francorum Pontificatum suscepissent. Ludovicus Pius, vel quia gloriæ minimè cupidus, vel quia sacrum ordinem irritare nollet, Romani Pontific. creationem ratam habuit, cujus erroris illum, tardè tamen pœnituit: est enim à collegio Pontificum Imperio spoliatus, & in Monasterium injectus, uxor etiam seorsim à marito cum sacris virginibus inclusa, uterq; tamen post à Principibus ac nobilitate Gallica Cleri superbiam acerbissimè ferente, in integrum restitutus est. MortuoLudovicoFrancorum, Italorum, Germanorum & Hispanorum Imperatore, Imperium trifariam divisum est, inter Carolum, Lotharium ac Ludovicum & Ludovici liberos, sed iis legibus, ut singuli summam in suos vitæ ac necis potestatem & omnia jura Majestatis haberent: ac rursus Lotharii Imperium inter liberos trifariam divisum, uni quidem Regnum Lotharingiæ, alteri Regnum Arelatense, tertio Italia cessit. Ludovicus Germaniam, Carolus Imperator Francorum Galliam tenebat, ita singulorum potentiâ divisâ debilitatem cæpit, & Pontificum Romanorum opes augeri, potissimum Nicolao I. Pontifice, (post medium Seculi IX.) qui quod Reipublicæ gerendæ peritia majoribus præstabat, primus Lotharium minorem Ludovici Regis Italiæ fratrem acerbius increpuit, eiq; sacris interdicere ausus est. Fridericus II. Germanorum Imperator, Pontificem Romanum creavit alium, quam qui erat à Collegis Pontificum electus, is autem erat Innocentius IV. generis Splendore ac Eruditione clarus. Hic igitur Italia pulsus in Galliam Pontificum Asylum veniens, opibus ac potentia Ludovici IX. Regis Francorum erectus, ut Germanorum potentiam infirmaret, Friderico II. sacris interdixit, qui quod execrabilem se populis omnibus esse intelligeret, Italiæq; motus ingentes adspiceret, in Germaniam trepidus se recepit, ab Innocentio veniam eâ lege consecutus, si deinceps Romani Pontificis creandi auctoritate abstineret verba diplomatis Friderici II. ex actis Vaticanis expressa ita se habent: *Anno* MCCXIX. *Imperii* VII. *Regni Siciliæ* XXII. *illum abusum tollere volentes, quem quidam*

Præde-

prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, in electionibus Prælatorum, concedimus ut electiones liberè fiant. Quibus verbis non modo Romanorum, sed omnium Pontificum creationem omninò repudiare videtur. Vide *Platinam in vita Innocentii* IV. *p.m.169. seq. Iohann. Balæum de Rom. Pontific. actis, lib.* V. *p.262. seqq.*

§. XXIII. Succedentibus temporibus magis magisq; ditiones & Principatus Pontifices ad se traxerunt, quibusdam etiã ab ipsis Imperatoribus donati, uti ipsi quidem gloriantur, ac propterea Imperatorum fiduciarii facti sunt. Quod si demus *inquit Bodinus* l.c.p.135. harum civitatũ (intelligit Rhegium, Mutinam, Placentiam & Parmam) largitionem Pontifici Romano fieri potuisse, & factam esse, uti Pontifices jactant, oportuit etiam se Imperii Germani fiduciarios profiteri; sed quia turpe videbatur, Rom. Pontif. qui in omnes principes Imperium habere se diceret, Imperatoris vasallum ac fiduciarium haberi, jura Majestatis omnium Italiæ civitatum quæ in Ecclesiæ Romanæ Dominio essent, ab Imperatoribus Romano Pontifici concessa fuisse, falsò tamen tradiderunt. Et certè in actis Vaticanis extat donationis formula sine die ac Pontifice, quâ Ottho Imperator (quatuor ejusdem Nominis extiterunt, sed quẽ significari velit ignotum est) dono dat Ecclesiæ Romanæ Pisaurum, Anconam, Fossabrunum, & Ausanium: Altera donationis formula est Otthon. IV. ad Innocent. III. his verbis concepta: Ego Ottho IV. Rex Romanor. semper Augustus, tibi, Domino meo Papæ Innocentio III. tuisq; Successoribus Ecclesiæ Rom. spondeo, polliceor & juro, quod omnes possessiones Ecclesiæ, quæ sequuntur copiosissimã omnium prædiorum ac civitatum, quæ tum erant in Ecclesiæ Romanæ Dominio, sive Imperatorum, sive aliorum beneficio ac largitione possiderentur, confirmationem habent. &c. Illæ autem donationes præcipuè donatione Constantini Magni innituntur, quæ tamẽ, rumpantur ut ilia Romanensibus, valdè suspecta & dubia ab optimis illius ævi scriptoribus pronunciatur. Hos inter *Hieronymus Paulus Catalanus, Canonicus Barcinonensis, utriusq; juris Doctor, Alexandri* VI. *Cubicularius, in practicâ Cancellariæ Apostolicæ* ingenuè & intrepidè ita disserit: [quod donatio Constantini etiam de facto non fuerit: lege *Laurentium Vallam* & *Papam Pium in*

 dialogo,

dialogo, nec de tali donatione quicquam legi apud probatum historicum, præsertim apud eos qui scripserint illâ ætate vel illi proximâ. Nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum meminit, &c. nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Johannes Chrysostomus, nec Ammianus, nec Beda nec Orosius meminerunt. Et constat per plures quam 300. annos post Constantinũ, Imperatores tenuisse gubernacula Urbis & Italiæ per Duces, Præsides, & Exarchos, & Urbis Romanæ usq; ad tempora Innocentii 2. ut patet apertè in Chronicis & Historiis. Quò plures Locos ex digestis, codice & novellis adducit: Et in vitâ Phocæ Imperatoris legitur impetrâsse Pantheũ Bonifacium Papam ab eo: Undè ergo habuerit terras Ecclesiæ, vide gesta Caroli Magni & Pipini, & Pium in dicto dialogo, & collecta novissimè per D. Bartholomæum de Platina Bibliothecarium, qui omnia instrumenta pertinentia ad statum Ecclesiæ in temporalibus, præsertim circa acquisitionem terrarum & aliorum juriũ & censum collegit, in valde magno volumine, ad cujus collectionem etiam operam nostram præbuimus in revidendo. Et de dicta donatione & curatione lepræ Constantini, lege quæ latè scribit Remus Episcopus Paduanus in historiâ suâ de viris Pontificum. Autorem ficti hujus diplomatis aliquam multi statuunt fuisse Johannem Diaconum Cognomento digitum, quem postea Papam factum & Johannem IX. dictum fuisse testatur Platina, idque præeunte diplomate donationis Ottonis III. cujus verba sunt: *Hæc sunt commenta ab illis ipsis (Pontificibus) inventa, quibus Johannes Diaconus cognomento digitorum munitus, præceptum aureis literis scripsit, & sub Titulo Constantini Magni, longi Mendacii tempora finxit*: Vid. *Mornæus in Myst. iniquit. p.* 178. *&* 550. *Marquardi Freheri Comment. in hanc donationem. Iohann Raynold in Colloqu. Cum Harto. Cap.* VII. *Sectione* XII. *p.* 230. *seq. Gisbertus Voetius Volum.* II. *Disp. De donatione Constantini n.* 4. *Nicolaus Henelius Otii Vratislaviensis Cap.* XXII. *M. Anton. de Dom. lib.* VI. *de Republ. Ecclesiast. Cap.* VII. *p.* 694. Hic ergò tibi lector, rem maxime observandam propono, ut Caroli M. Consilium in ditandis Ecclesiis prudens, sed humanum, animadvertas, ex eoq; colligas, quam

merito

merito reges propter dicta regalia, tanquam vasallos debeant sibi Episcopos & Abbates aliosq; prælatos ecclesiasticos, imò ipsum Roman. Pontific. subjicere: & quam immeritò Papæ & Ecclesià eximere se ab hac subjectione annicerentur, ac retinere velint nihilominus ipsa regalia, & illa ad debellandos Principes, sibiq; suos Dominos, cum sint eorum vasalli, subjiciendos convertere. Audi igitur Caroli consilium à *VVilhelmo Malmesburiense de gestis Reg. Anglicor. lib.* V. egregiè observatum & explicatum: Cum Urbano Papæ Paschalis, *inquit*, successisset, rursus quæstio de Investituris Ecclesiarum, rursus bella, rursus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes Episcopos & Abbates regni sui quod citra montes est, fautores habebat, quia Carolus M. pro conterendâ gentilium illorum ferocia, omnes penè terras Ecclesiis contulerat, consiliosissimè perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile, quam laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea, si laici rebellarent; illos posse excommunicationis autoritate & potentiæ severitate compescere. Sed quod putavit Carolus, sibi & Successoribus fore in auxilium, firmitatem, hoc tandem versum est in scandalum. Et jam Papæ his temporibus adversus Henricum Imperatorem ipsiusmet Imperatoris vires, hoc est Prælatos, ejus vasallos convertebant. Undè & pergit *VVilhelmus*: Papa ultramontanas Ecclesias suæ rationi subjecerat, parumq; suscipiebant Urbes Italiæ Henrici Dominium, seruitio putantes se exutos post Conradi fratris ejus interitum, qui à patre relictus Longobardiæ in Regem apud Tretium obierat diem. At verò Henricus antiquis Cæsaribus in nullo virtute dejectior, post pacatum regnum Teutonicum, præsumebat animo Italicum, rebellionem Urbium subjugaturus, quæstionemq; de investitura suo libitu decisurus. Hæc ille. Itaq; ex una parte Papa occasione superioritatis Ecclesiasticæ ad temporalia Episcopatuum & Abbatiarum regalia adjecit manum, ad se Vasallagia avocando, ex alia Prælati ipsi occasione bellorum, quibus Imperatores fracti sunt & facti imbecilliores, eis rebellaverunt, ut se in libertatem vindicarent. Atq; hinc Ecclesiastici, præsertim Romanus, impinguati, incrassati, dilatati recalcitrarunt, & in-

 dies

dies magis recalcitrabunt, quousq; Monarchiam quam moliuntur, perducant ad fastigium.]

§. XXIV. Ex quibus omnibus sole meridiano clarius elucescit, quàm iniquè Pontifices superioritatem in Principes summos sibi arrogent, adeò ut hanc superbiam ipsi Pontificii Scriptores aversantes acerrimè in illam invehantur. *Paschasius Radobertus Abbas Corbejensis Sec.* IX. *in Commentar. Super Lament. Jeremiæ, lib.* IV. *c.* 2. Ecce, *inquit*, jam penè nulla est secularis vitæ actio, quam non sacerdotes Christi administrent, nulla mundi negotia, in quibus altaris ministri se nõ occupent; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, dum susceptæ religionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentũ, dum locũ sanctitatis ad terrena negotia deflectimus, & mundanis actibus implicamur. Ita, quod pejus est, lupi pastores fiunt, ministri altaris negotiatores seculi. *Johan. Sarisberiensis in Policratico l.* 8. Rectissimam eminendi viam docuit Christus, qui discipulos suos Regibus gentiũ noluit conformari, ut dominentur in subditos; at isti aliam prætulerunt, adscendentes ex adverso fratrũ, & ministrandi humilitate rejecta appetunt præ Regibus gentium dominari. In *catalogo testium veritatis Lib.* VXI. *p. m.* 1595. *edit. in fol. An.* 1608. ex veteri aliquo codice citatur Epistola Seculo XII. scripta, cujus inscriptio hæc est. *Ecclesia nobili Anglicanæ in luto & latere ancillatæ*, Petrus, filius Cassiodori, miles Catholicus, pugil Christi devotus, salutem, & captivitatis jugum abjicere, & bravium accipere libertatis. Inter alia autor sic pergit: Nonne debet in oculis omniũ mirabile reputari, quod ubi Christus pro se & Petro regibus solvi jussit tributum, ipse regna & regnorum Principes contra voluntatem illius, cujus dicit se esse vicarium, qui abs se regna & mundi Judicia abdicavit, suæ subjicere nititur ditioni, dominio sui styli, qui totum sibi vendicat, quod scripserat esse suum. Seculo XIV. *Johann. de Parisiis in Tractatu de regali & papali potestate apud Goldastum Tomo II. Monarchiæ S. R. I. cap.* XI. *p. m.* 120. Imperator habet potestatem à solo Deo, non à Pontifice Romano. Si P. habet à Deo potestatem secularem immediate, & Princeps habet executionem à Papa immediatè, ergo Princeps est minister Papæ, sicut minister Dei vel

Christi

Christi, quod videtur inconveniens & contra Scripturam Canonicam. Dicitur enim *Rom.* XIII. de Rege & Principe, Dei minister est; non dicit Papæ, sed Dei &c. Item prius fuit potestas Regia secundùm se & quantùm ad executionem, quàm Papalis, & prius fuerunt Reges Franciæ in Francia quàm Christiani. *Ergo potestas Regia non secundum se, nec quantum ad executionem, est à Papa, sed à Deo & à populo Regem eligente in persona vel in domo, & sic sicut ante. Dicere enim quod potestas regia prius esset à Deo immediatè, & postea à Papa, est valdè ridiculosum. Non enim potest hoc esse, nisi Christus Petro dederit potestatem conferendi regiam potestatem, quod non est verum, ut supra dictum est. Indubitanter ergò est à Deo, sicut ante; licitum itaq; est Principi abusum gladii spiritualis repellere eo modo, quò potest, etiam per gladium materialem, præcipuè ubi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit. Aliter enim sine causa gladium portaret, ubi Papa delinqueret (ait* Parisiensis cap. XIV. p. 127.) *in temporalibus, quorum cognitio ad Principem secularem pertinet, ut si mutuaret ad usuram, vel mutuantibus faveret, & præcipuè in iis, quæ per leges civiles sunt prohibita, Imperator si esset, haberet ipsum primò corrigere immediatè monendo, & posteà puniendo. Nam ad Principem pertinet omnes malefactores corrigere primo jure* Rom. 13. *Non enim sine causa gladium portat, Minister enim Dei est, vindex malorum in iram. In eodem libro à* cap. 15. usque ad 22. *inclusivè autor omnia sui temporis papicolarum argumenta pro Papæ summâ temporali potestate enervat. Iohann. Gerson Sec.* XV. *clarus in Lection. super Marcum parte* I. *Oper. fol.* 99. dicunt historiæ, & legitur in Postillâ super Bibliam, quod dum donata essent Ecclesiæ bona temporalia per Constantinũ, audita sit vox in aëre: *Hodie venenum effusum est in Ecclesia Sancti Dei.* Et quidquid fuerit de hoc, potuit enim tunc dotatio hujusmodi esse utilis propter bonitatẽ & fidelitatẽ dispensantium, & dilatationem Ecclesiæ post adversitates habitas; nihilominus nunc aut aliàs poterit spoliatio similiter esse utilis propter malitiam Ecclesiasticorum talibus bonis abutentiũ, & ut claudatur via malignantium, spinis adversantium, ne cadant in præcipitiũ vitiorum. *In Lect.* 2. *super Marc.* ad finem: postea divitiarum magnitudo generavit vermem pessimum, qui est superbia & voluptas efrena-

frenata, quæ tandem Majestatem Imperatoriam arrodere, & loca gentesq; Imperio subditas depascere cœpit. Apud *Cæsarium Cisterciensem dist.* 2. *c.* 28. [Clericus Parisiensis edixit, Episcopos Alemanniæ salvari vix posse, quia penè omnes habeāt gladiū spiritualem & materialē, deq; sanguine judicent, Bella exerceant, magisq; solicitide stipendiis militum, quam de salute animarum sibi commissarum.] *Autor oneris Ecclesiæ c.* XX. § 5. Multoties is, qui dicit pax vobis (Episcopus) non columba sed corvus reputatur, præsertim illi qui Principatu seculari judicium sanguinis (quod regalia nuncupant) obtinere prætendunt, & Principes seculares se esse gaudent, hi frequenter labem irregularitatis incurrunt inscii. *Eccius in Postilla homilia de Festo Stephani*. Nostrates Prælati ordinem invertunt Apostolicum, dum spiritualia graviora, quam quæ subeant, rati in Pontifical. suffraganeor. in judiciali officialium, in absolvendis pœnitentiariorum ope utuntur, in prædicatione Monachum, nescio quem præferunt, in aliis spiritualibus vicarios habent. Sin qua in re de censu & temporalibus agitur, res hæc ad Dominum nostrum Episcopum referenda est. *Claudius Espensæus Lib.* II. *Digression. in* I. *Tim. c.* VI. *p.* 275. [Gregorius VII. Pontifex, cui nomen erat Hildebrandus, novo Exemplo Regnum & Sacerdotium scindens, primus sacerdotalem lanceam contra Imperii diadema elevans, se, suoque exemplo alios Pontifices contra Principes & excommunicatos gladio accinxit, belloq; quasi hæreditario insurrexit; utinam Petrum in feriendo imitati, Petrum in recondendo gladio imitarentur! *Idem in Comment. Tit.* III. *Digress.* X. *p.* 513. Turbulenti quidam, motâ inter Regnum & Sacerdotium controversiâ, mirū quot, quantasq; turbas utrinq; dederint. Atqui tot post Paulum, tot ante hanc Camarinam annorum centenariis, & Chrysostomus, ut nihil unquam tale futurum suspicans, simpliciter illud (omnis anima subdita sit) enarrat! Omnis, *inquit*, etiamsi sive Apostolus, sive Propheta, sive Sacerdos, sive Monachus &c. quem illic sequuntur Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & qui non Græci?]

§. XXV. *Erasmus in Annotat.* I. *Petri* V. *p.* 533. sic pronunciat: pascite gregē, non dominantes. Præceptum hoc Apostolorum Principis

cipis in omnibus omniũ Episcoporum aulis vel aureis literis oportebat inscribi. Pascite, *inquit*, gregẽ, non opprimite, non expilate, idq; nõ coactè velut ex officio, sed ex sincero affectu tanquam patres, neq; turpis lucri gratiâ, quasi præsentiens Ecclesiæ pestẽ hinc orituram. Deniq; nõ dominantes more Regũ, sed exemplo pascite, benefactis vincite. Nunc Episcoporũ vulgus nihil audit ab assentatorib9, nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atq; hinc fastus quorundã plus quã regius, sævitia plus quam Tyrannica. Jam Rom. Pont. magnis voluminibus adulamur, potestatẽ Christo parem tribuentes. *Idem in Chiliadibus, Chil.* III. *Centur.* III. *adag.* I. *Sileni Alcibiadis, p* 688. *seq.* Contemplare quibus ornamentis honestet Aaron Pontificem Moyses, quibus ornet opibus, quibus picturet coloribus, quã variis gemmarũ stellis illustret, quanto auri fulgore decoret. [Quæ quid sibi velint, si ex Origenis Hieronymiq; cognoveris Interpretatione, nimirũ intelliges, quæ supellex paranda sit verè magnis Episcopis. Quos potiùs exprimant vitâ Pontifices, quàm quos exprimunt plumbo, quos titulis referunt, quorũ vices occupant; an magis convenit Julios, Alexandros, Crœsos & Xerxes, nihil aliud quã magnos latrones imitari Christi vicariũ, quàm ipsum Christum unicũ Ecclesiæ Ducẽ & Imperatorem. Quos justius æmulentur Apostolorũ successores, quã Apostolorum Principem. Christus palã negavit Regnum suũ hujus esse mundi, & tu cõvenire putas, ut Christi successor mundanã ditionem non solũ admittat, proq; hac omnẽ quod ajunt moveat lapidẽ; cur Christi vicarios opib9 irretiendos putas, quas ipse Christus appellavit spinas? Cur eũ, cuj9 ut propriũ, ita præcipuũ officiũ est, divini verbi semẽ jacere, divitiis obruis, quib9 vel maxime jactũ præfocatur? cur æquitatis doctorẽ ac judicẽ iniquo vis servire mãmonæ, quid cœlestiũ Sacramentorũ dispẽsatorẽ, vilissimarũ rerũ facis procuratorẽ? Cũ his sacris donariis, quid tu profana mundi dona conjungis? ne dicã extinguis? Quid cũ Mãmona Christum, cũ Christi spiritu Belial conaris jungere? quid mitræ cũ galea, quid sacræ pallæ, cum Mavortia loricâ, quid benedictionib9 cũ bombardis, quid clemẽtissimo pastori cũ armatis latronib9, quid sacerdotio cũ Bello? quid Machinis oppida subruit, qui claves habet Regni cœlorum? qui convenit autorẽ esse Belli eum, qui pacis omine salutat populũ? quonã ore docebit plebẽ

Christia-

Christianam, opes esse contemnendas, qui puppim & proram rerum suarum constituit in pecunia? Qua fronte docebit, quod & docuit & exhibuit Christus, quod toties inculcant Apostoli non esse resistendũ malo, sed malorum improbitatẽ bonitate superandam, injuriam beneficio pensandam, inimicũ benefactis obruendum qui propter oppiduli ditionem, aut salinarũ vectigal, orbem bellorũ tempestatibus commovet? &c.] *M. Antonius de Dominis de Republ. Ecclef. Lib.* VI. *c.* 10. *n.* 4. *p.* 762. Nonne facto ipso Romani Pontifices Dominium supremum etiam temporale in temporalibus & directum supra omnes Principes Christianos firmare conantur & retinere? Profitentur enim, & libellis in vulgus edunt, singulos Principes Christianos singulis nostris Romanis Pontificibus per oratores suos obedientiam spondere, non modo in spiritualibus, sed etiam temporalibus, tanquam suo vero, & legitimo, etiam quoad regna temporalia Superiori; quid spõdeant, quid profiteantur Principes per suos Legatos, cum nunquam interfuerim, mihi nunc est ignotum. Quid vero priscis purioris Ecclesiæ temporibus profiterentur Imperatores Christiani per literas, seu etiam per nuncios aut oratores, quando Imperium vel de novo capessebant, vel novus Papa creabatur, optime scio. [Certè nullius obedientiæ aut subjectionis sponsionem aut professionẽ invenio, sed solam Ecclesiasticam communionẽ. Cum enim Ecclesia Romana esset nobilissima inter omnes Ecclesias Christianas, ac celeberrima ex pluribus causis, reliquæ semper Ecclesiæ, præsertim orientales communionem cũ illa retinere, ut unitas Christi Ecclesiæ conservaretur, solicitè laborarunt. Hoc ipsum Imperatores Christiani tanquam capita totius Imperii Christianorum in temporalibus, propter eandem unitatem conservandam, semper initio ipsorum Imperii, sive novi Pontificis, communionis gratia præstabant: & literæ communicatoriæ simul cum officio congratulationis, hinc indè transmittebantur. Et quoniam communio erat in fide, idcircò tum Imperatores Papæ, tum Papæ Imperatoribus, fidei suæ professionem faciebant; ut ex tali utriusque partis confessione, fidei unitas & conformitas appareret, & communio inter ipsos cum pace & charitate Christiana conservaretur.]

§. XXVI.

§. XXVI. Optimè igitur *Augustana Confessio* gladium spiritualem à corporali discernens *in articulo* VII. *Abusum de potestate Ecclesiast.* ita loquitur: Non commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & civilis; Ecclesiastica suum habet mandatum Evangelii docendi & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus, aut contractibus, non præscribat leges magistratibus de forma Reipublicæ, si quam habent Episcopi potestatem gladii hanc non habent ut Episcopi, ex mandato Evangelii, sed jure humano donatam à Regibus & Imperatore ad administrationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est quam ministerium Evangelii. Cum igitur de jurisdictione Episcoporum, quæritur, discerni debet Imperium ab Ecclesiastica jurisdictione. Porrò secundum Evangelium, seu, ut loquuntur de jure divino nulla jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum; nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est, impietas, excludere à communione Ecclesiæ sine vi humana, sed verbo. Si quam habent aliam potestatem vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum, hanc habent jure humano, ubi cessantibus ordinariis coguntur principes vel inviti suis subditis jus dicere ut pax retineatur. Eadem sententia pluribus confirmatur *in Apologia August. Confession. articulo* XIV. XVI. & XXIIX. *In Articulis Smalcaldicis artic.* IV. *de Papatu* docetur, quod Papa non sit de jure divino, sed secundum verbum Dei caput totius Christianitatis, hoc enim nomen uni & soli Christo debetur, sed tantum Episcopus & pastor Ecclesiæ, quæ est Romæ, & eorum, qui voluntariè & spontè, vel per humanam creaturam, hoc est, politicum Magistratum, se ad eum conferunt, non ut sub

eo tanquam sub Domino vivant, sed ut cum eo, tanquam fratres collegæ sodales & Christiani sint. Hodiè verò nullus Episcoporum audet Papam nominare fratrem, ut ætate Cypriani factum est, sed oportet, ut Episcopi, imò Cæsares & Reges Papam appel-
" lent omnium gratissimum Dominum. Hanc arrogantiam bo-
" na conscientiâ nec volumus, nec possumus, nec debemus pro-
" bare. Qui verò ei se subjicere voluerit, faciat id suo periculo sine nobis. Hinc sequitur: Omnia quæ Papa ex tam arrogante, temeraria, mendace, blasphema & furto arrepta potestate suscepit & fecit, & adhuc facit, fuisse & esse merè diabolica acta & instituta (exceptâ Politici Regni administratione, ubi Deus sæpe etiam per Tyrannos & perfidos nebulones populo alicui benefacit) ad perditionem totius sanctæ Ecclesiæ Catholicæ seu Christianæ, (quantum in ipso est) & ad destructionem primi & præcipui articuli de redemptione facta per Jesum Christum. Sincerè etiam & dextrè *Georgius Wicelius* Pontificius *in compendio, de femit. antiq.* judicat scribens: De utraque Episcoporum potestate operæ pretium facit liber, (*Apologia August. Confessionis*) qui rectè admonet idque magis amicè quam odiosè, præsertim cum taxat illorum opinionem, aut potius assentationem, qui commiscuerunt in Pontificibus ac Episcopis Ecclesiasticam pariter ac politicam potestatem. Nam eæ quò longiùs discernuntur, hoc magis Evangelium sapit. Secus ante sensi, quam penitus & pressius negotium totum intuerer. Sed tamen verbis dissentiebam potius, quam sensu. Quid enim choro cum foro, quid gladio Spiritus cum gladio carnis? Profectò Apostolus de Apostolis & horum successoribus aperte negat, arma illorum esse carnalia. Quæ
" est societas Christo cum Herode, aut Paulo cum Agrippa. Ita-
" que magnopere probamus illud discrimen, sicut discrimen po-
" nimus inter cœlum & terram. Potestas Ecclesiastica de cœlo
" est, ut politica de terra. Utramque verò in uno eodemque
" homine conjungi posse, disputent alii, qui solent objicere de
" gemino dispari. Non bene conveniunt, nec in unâ sede mo-
" rantur. Verum disputetur ad vivum investigandæ veritatis er-

go,

go, utrum idem existere possit Pastor Spiritualis & miles plus " quam carnalis ? Ac jurene gestet alterâ manu pedum Pontifi- " cale seu Episcopale,& simul altera ensem cruentum, galeam, thoracemque Martialem : Verum hæc Sacra non aliter constant; tanto difficilius est,contra tractum fluminis niti & cum suo depugnare seculo: Alioquin enim provocari poterat ad Ecclesiæ principia, quando tam Pontifices, quam Episcopi uni vacabant potestati Ecclesiasticæ in timore & tremore Dominum suum audientes, nimirum vos non sic. Quin & cum Bernhardo quæri poterat, sicne fecit Petrus ? sicne Paulus ? Talia gestavit arma Linus? Talem zonam Clemens, & Episcopi Dionysius, Ignatius, Augustinus, Ambrosius, & infiniti horum similes ? sed esto, ait Bernhardus, alii & alii hominum mores & tempora periculosa instant jam, sed extant. Hæc Bernhardus. Nimirum Pontifices, Epi- " scopos, Patriarchas, Cardinales, primam omnium curam ac " operam impendere oportet in ea, quæ solius Dei sunt memores " Paulini mandati quando inquit, dicite Archippo, vide mini- " sterium (Diaconiam) quod accepisti in Domino, ut illud im- " pleas. Quod mandatum Apostolicum summum aureis literis " inscribi, sculpique debuit, in omnibus palatiorum Episcopali- " um fenestris ac parietibus, simul cum hac Apostolicâ atque " gravissimâ præmonitione. Attendite vobis & cuncto gregi, in " quo Spiritus S. vos posuit Episcopos ad regendum, sive pascen- " dum (ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. " Quod munus propriè suum, si sincerè obierint vel biennium, " sensim crede mihi, nauseabunt ad secularia. "

§. XXVII. Atque sic nefario conatu, tecti ligandi solvendique specie, peccata remittendi existimatione, titulo Petri clavium, administratione Ecclesiæ universæ, supremáque, in cunctis Ecclesiæ causis potestate : turrem Papatus sui totius Christianæ gentis spoliis erexerunt, homines ut panem devorârunt, & vendiderunt pauperes argento, quò seipsos munirent potentia, opibusque ditarent. Ac prima quidem, præcipuaque ratio, qua opus hoc

absolverunt, & post exstructos muros ex Episcoporum subjectione, fastigium eidem, subjectis sibi Cæsaribus, imposuerunt; fulmen illud erat excommunicationis. Quod illi, parum putantes tanquam spiritualem censuram adversus Principes suos adhibere, ad civilem pœnam detorquebant, non modo interdicentes ipsis communione fidelium, sed eos etiam omni potestate sua, & autoritate in subditos abdicantes; eosque, ut ab Ecclesia, ita ab Imperio dimoventes. Quam Leo III. Imperator, cupiens abolere cultum idolorum, (qui tum irrepere inceperat in Ecclesiam;) Illa deformari curasset, indeque nonnullos suppliciis afflixisset qui restiterunt: Gregorius II. Papa, cum communione piorum hoc Papali more removit; indicens Italis, ne ei aut tributum darent, aut obedirent. Quo decreto & interdicto Pontificis audito, magna Italiæ pars ab Imperatore suo, qui tum Constantinopoli residebat, defecerunt; & vim & manus Exarchis Præfectisque; ejus attulerunt, ex quibus duos obtruncârunt, & tertium luminibus spoliârunt. Qua seditione excitisque inde tumultibus, factum est ut pars quædam regionis quæ defecit, à Longobardo Rege subacta sit: Roma autem Romanique Ducatus in Papæ potestatem venerint. Hinc Papa, qui ad hæc usque tempora intra Episcopalis dignitatis fines se continebat, tum primum per proditionem Princeps evasit; ut nempe Principes ad ministeria sua deprimat, & Dominum dominantium, non servum servorum Dei, quo titulo turpiter abutitur, se satis audacter gerat. Vide *Raynoldi Colloq. cum Harto c. VII. Sect. 7. p. 212. ex Sigonii de regno Italiæ l. III. Itemque Nicolaum Machiavellum lib. I. histor.* Sedent medii Pontifices inter Imperatorem & Sacerdotem mitra, simul & diademate insignes: Pro Sceptro claves illis præferuntur, cum gladio clarum emblema divitiarum & potestatis. Clavis enim docet omnes Moroniæ thesauros illi patescere: Gladius pro libitu se aliena diripere, sua defensare posse, uti certò satis loquitur *Mercurius Britannicus* (id est *Joseph Hall*) in nervosâ *Satyra*, cujus titulus est, *mundus alter & idem*, *lib. 3. cap. 4.* Ministrant enim Imperatores & Reges Pontificibus in processionibus, in missa, in mensa. In processionibus qui-

quidem, quamdiu Papa pedibus incedit, caudam pluvialis illius portat nobilissimus, qui adest Laicus, etiamsi Rex sit, aut Imperator. *Ceremoniale lib. 1. fol. 26. b. & 56. a. & 120. b.* Si equum conscendat, major Princeps, qui adest etiamsi Rex sit, aut Imperator, stapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frænum ad aliquod spacium. Si duo interfuerint Reges, dignior à dextrâ, alter à sinistrâ frænum tenere debet. *Cerem. l. 1. f. 35. a. 56. a. 113. a.* Si verò Pontifex non equo, sed sella vehatur, quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator, aut quivis maximus Princeps adsit, sellam ipsam cum Pontifice humeris suis aliquantulum portare debent. *Cerem. l. 1. f. 35. b. 113. a.* In missa Rex qui adest, dat aquam Papæ manibus; Imperator vero, Pontificem missam celebraturum, ad altare descendentem sequitur, & illi, in locum Subdiaconi, calicem, & patenam cum hostiis offert; Deinde; aquam infundendam in vinum &c. *Cerem. lib. 1. fol. 120. b. ibid. 54. a.* In mensa accumbenti Papæ nobilior Laicus, etiam Imperator, aut Rex, aquam ad lavandas ejus manus ferre debet, primum item ferculum in convivio: & in collatione, primum potum portabit, nobilior Princeps sive Imperator, sive Rex sit: secundum alius dignior post eum, & sic successivè. *Ibid. fol. 40. a. 120. b. lib. II. 163. b.* Talia à Pontificibus ipsis injunguntur, & inter ceremonias Romanæ Ecclesiæ, quæ sine mortali peccato, nequeunt omitti, memorantur. Neque impunè abiret, vel qui omitteret, vel in præstando errorem committeret: quod Friderico Imperatori contigit, cui obviam Hadriano IV. Papæ eunti, strepamque de equo descendentis tenenti, non solum succensuit Pontifex, sed coronam quoque Imperialem ad tempus denegavit. His quidem verbis ad Imp. Legatum directis; Dicis Principem tuum condignam beato " Petro exhibuisse reverentiam. Sed beatus Petrus magis vide- " tur inhonoratus: denique cum dexteram deberet te- " nere strepam, tenuit sinistram. Hæc cum per inter- " pretem Regi nunciata fuissent, humiliter ait; Dicite " ei, quia defectus hic non fuit devotionis, sed scientiæ. "

“ Non enim tenendis ſtrepis magnopere ſtudium dedi: enimve-
“ ro ipſe,ut memini,primus eſt,cui tale obſequium dependi. Cui
“ Dominus Papa,ſi quod facilimum fuit, propter ignorantiam ne-
“ glexit,qualiter putatis expediet maxima : Tunc Rex aliquan-
“ tiſper motus,ait : Vellem melius inſtrui, unde mos iſte inoleve-
“ rit, ex benevolentia,an ex debito ? ſi ex benevolentiâ,nil cau-
“ ſari habet Dominus Papa, ſi vacillaverit obſequium, quod de ar-
“ bitrio,non de jure ſubſtitit. Quod ſi dicitis quia ex debito pri-
“ mæ inſtitutionis hæc reverentia debetur Principi Apoſtolorum,
“ quid intereſt inter dexteram ſtrepam & ſiniſtram, dummodò
“ ſervetur humilitas, & curvetur Princeps ad pedes ſummi Pon-
“ tificis. Diu itaque acriterque diſputatum e ſt. Poſtremo diſceſ-
“ ſerunt ab invicem *ſine oſculo pacis. Helmoldus in Chronico Slavo-*
“ *rum lib. I. cap.* LXXX. Et *Baleus de vitis Pontific. in Hadriano*
“ *quarto.*

§. XXVIII. Unde non eſt, quod quis objiciat, invitis Pontificibus hæc ſervitia à devotis Principibus offerri. Omitti quidem ſolebant ceremoniæ omnes, quæ pertinent ad perſonam Pontificis, ſi fortè in abſentia Papæ coronandus erat Imperator à Cardinale Pontificis Legato ; ut oſcula pedum,manuum & oris. Quin etiam nec in miſsâ illi deſerviet Imperator, quod Pontifici præſtitiſſet præſenti. Nec ſtapham illi dum equum inſcendit,tenet,nec equum ducit. Quod obſervatum eſt, cum Carolus IV. coronabatur,tempore Innocentii VI. Avenione reſidentis. *Libr. I. Ceremon. fol. 59. b.* Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales Legati publicè proteſtarentur,Domino Imperatori, quod propter omiſſionem reverentiarum, obſequiorum , & multarum ceremoniarum,quæ pertinent ad Perſonam Romani Pontificis,non eſſet aliquo modo derogatum privilegiis & honorificentiis Romanæ ſedis & ſuorum Succeſſorum : & de hac proteſtatione & conſenſu Imperatoris , exigerent quadruplices literas Regalibus & Imperialibus ſigillis munitas,ſicut & factum eſt. *Ibid. fol. 60. a.* Inter has reverentiæ ſpecies non ultimum locum occupant adorationes, proſtrationes & oſcula pedum , quod non permiſit Petrus à Cornelio

nelio, nec Angelus à Johanne Evangelista sibi fieri, sed Deo præstari jussit. Omnes Christi milites sacris pedibus summi Pontificis incurventur, & flexis poplitibus etiam Imperatores & Reges adoratione debita prosequuntur. *Johannes de Capistrano de Papa & concilii autoritate fol.* 45. Impudenter scribit. Tanta scilicet, est religionis virtus, quod dominicus grex, dum illam in Pontifice intuetur, ad illius genuflexiones, pedumque prostrationes, & divinas adorationes præstandas inducitur, verba sunt *Isidori Mosconii libro de majestate militantis Ecclesiæ p.* 33. imo non erubuit Alexander III. Pontifex cervici Imperatoris Friderici Ænobarbi pedem imponere. Appono verba *Rabbi David Gans part.* II. *Zemach David, ad millenarii V. annum* תתקלה *i.e.* CHRISTI 1175. *fol.* LXXVII. *col.* 2. qui non sine sui suorumque scandalo, & Christianorum probro historiam recenset, & ipse veluti indignabundus ad marginem notavit: Gravis & nefanda ignominia Cæsari illata. Ipsam verò his verbis describit, postquam de bello Imperatoris quædam præmiserat: Tunc populus Regionis Italiæ turmatim convenerunt, & ad militiam expediti exierunt in occursum Cæsaris manu forti, & ceciderunt Cæsariani gladio confossi coram Italis, ipseque Cæsar evasit solus. At filius ejus, Otto, apprehensus est à Sebastiano Duce & Primario Urbis Venetiarum. Eum ergò Venetias ad Papam Alexandrum deduxerunt, qui Cæsaris filium libertati restituere noluit, quantumvis magnâ pecuniæ summâ in λύτρον persolvendâ, donec necessitate compulsus Cæsar ipse Venetias veniret, supplex ad terram factus Papæ in Templo, quod Marci vocatur, in probrum & ignominiam coram oculis omnium populorum: tunc conculcabat contere batque Papa pedibus suis collum Cæsaris & filii ejus, dicebatque: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS, ET CONCULCABIS LEUNCULUM, ET DRACONEM. Postea dimittebat eos in pace. *Bzovius in annal. ad ann.* 1177. *p.* 359. *Naucler. vol.* 2. *generat.* 40. *Johann. Stella in vit. Pontif. Papyrius Massonius in Alex.* III. *Genebrard. lib.* IV. *Chronic. Jacob. Philip. Forestus in Chron. Sabellicus, lib.* VII. *Decad.* I. *de vit. Pontif. Petrus Justinianus in histor. Venet.*

Venet. lib. 2. Franciscus Sansovinus lib. 8. histor. Venet. D. Jacobus Rex Angliæ in Confutat. Torti fol. penult. & Tortura Torti p. 263. B. *Gerhardus Epist. Dedicat. lib. II. confess. Cathol. & cap. IX. Art. 3. in Append. p. 947.*

§. XXIX. Insolentiam hanc, ne quid malitiæ desit, quæ nusquam non arma quibus se defendant, conquirit, Scripturæ dictis palliare, imò adstruere volunt, ita in *Concilio Lateranensi Antonius Puccius* perorans *Sess.* 9. ad Pontificem accommodat verba hæc Psalmi absque dubio de Christo dicta: *Omnes Reges terræ adorabunt eum & ei servient.* Verba ejus integra hæc sunt. *Quasi in te uno vero ac legitimo Christi & Dei Vicario Propheticum illud debuerit impleri: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Ibidem *sess.* 10. Puccius ad Pontificem accommodat Christi dictum: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Omnes *inquit* Reges terræ sciunt, quænam potestas tibi data sit in cœlo & in terra. Quâ venâ etiam Archiepiscopus *Stephanus* dicit: *Omnis potestas tibi data est. Bellarminus in præfat. lib. de summo Pontifice*, etiam dicta Scripturæ de lapide pretioso, quæ soli Christo competunt, in Papam transfert. Communiter quoque verba Psalmi LXXII. v. 9. *Lingent pulverem pedum tuorum*, citant, quæ quidem de Messiæ adoratione à gentibus peragenda, minime autem de externo osculandi actu capienda sunt, uti dextrè orthodoxi Ecclesiæ Doctores enucleant. Vide sis *Augustinum enarrat. in Psalm.* LXXI. *Tomo* VIII. *Oper. p. m.* 318. *Bedam Comment. in Psalm.* LXXI. *Tomo* IIX. *Oper. p.* 817. *edit. Basileens. in fol. Anno* 1563. *Brentium in Ps.* LXXII. *pag.* 832. *Oper. Tom.* III. *Hieronymum in Psal.* LXXII. *Tom. VII. Oper. p* 87. *edit. Antverp. Ann.* 1578. *Gesnerum Comment. in Ps.* LXXII. *p.* 536. *edit.* Wittenbergens. *in fol. Ann.* 1605. *Haymonem. Comment. in Psalterium, p. m.* 164. *edit. Friburgensis in fol. Ann.* 1533. Johannem *Viccars Anglum, in decaplis ad Psalm.* LXXII. *p. m.* 204. *seqq. Nicolaum Selneccerum in brevi Psalmorum explicatione. p.* 106. *Flacium in clave Scripturæ pag. m.* 772. *Fortunatum Scacchum sacror. Elæo Chrismaton. Myrotherio.* III. *cap.* 34. *p.* 400. Sanè inter alias notas Anti-Christi characteristicas, est quoque

clatio

elatio efferentis se supra omnem qui dicitur Deus *2. Thessal. 2, 4.* Sub quo nomine Magistratus & principes terræ comprehendi, ex sacris literis constat. *Johann.* X. 34. *Psalm.* LXXXII. 1, 6. *Exod.* XXII. 28. conferatur Papa Antichristus *Georgii Dovnami Episcopi Verensis, part. I. Lib. IV. cap. I. p. m. 241. seqq. Edit. Londinensis in quarto. Ann.* 1620. Sed salva res est, nemo enim non videt, etiamsi oculis laboret Homericis, locum allatum falsissimè huc detorqueri. Ad rem faciunt, quæ apud *M. A. de Dominis in ostensione Errorum. P. Francisci Svarezii lib. VI. de Republ. Ecclesiast.* annexa, *p. 942.* lego. Varii tituli, quibus Scriptura solet Reges insignire, eorum supremam in suo genere satis indicant potestatem. Quod si etiam Pontifices & Ecclesiæ ministri iisdem aut similibus titulis aliquando insigniantur, indè insinuabitur inter Reges & Pontifices potius paritas, quam superioritas: ita ut Ecclesiæ potestas in suo genere videlicet spirituali, sit æque suprema, atque laica suprema est in suo, videlicet temporali. Ridiculum vero est, quod Prophetiam *Esaia cap.* XLIX. 23. *Erunt Reges nutricii tui vultu in terram demisso,* adorabunt te: ad literam ait impletam esse in Imperatoribus & Regibus osculantibus pedes Pontificis vultu in terram demisso. Ibi enim de Ecclesia sermonem esse, exponunt Patres: Sed Svarezio Papa est Ecclesia, utique servus & minister suæ Dominæ est ipsa Domina. Joseph pudicus noluit impudicam Dominam suam allicientem & prensantem violare. Papa autem tot Lenonibus ei inservientibus, quot scriptores similia effutiunt, vel invitam & reluctantem pudicissimam Dominam sibi subjicere est conatus. Ecclesiam adorari *ait Hieronymus*, quia Christus caput adoratur in corpore: addit Svarez: & præsertim in vicario suo. Apage cum isto vicario, scio Ecclesiam esse corpus Christi, toties id testatur Paulus: Itaque adorare Ecclesiam, est adorare formaliter Christum, caput in corpore Vicarium hujusmodi mihi scriptura nec designat, nec adorandum proponit. Quid occinis adorandum vicarium, id est, Christum in vicario? omnes sumus ministri Christi, non in nobis,

sed extranos est adorandus Christus.; Sed jamdiu hoc molimini Antichristi ministri ut adorationem Papæ promoveatis, & illum tanquam Deum colendum proponatis. Impletam Prophetiam ad literam, ait, scilicet, quia Reges poculo illo fornicariæ dementati, osculantur pedes Pontificis vultu in terram demisso. Sed Prophetia addit, Reges etiam pulverem pedum lincturos: superest itaque Reges potentissimi, ut cogat vos Papa vester etiam pulverem vestigiis ipsius calcatum, & ex crepidarum suarum soleis excussum exerta lingua lingere, eumque cultu latriæ adorare, id est, Christum in Vicario, ait Svarez. Hæc ille. Christus autem in terris vicarios non habet, ut Deus est, sed ut homo, & ad sola pura ministeria corporalia. Vicarium vero Dei in Ecclesia solum Christum hominem ponendum censuit *Tertullianus* ex illis Evangelii locis, *Joh* 14. *Qui me videt, videt Patrem. Ego & Pater unum sumus. Nemo venit ad patrem nisi per me: omnia pater mihi tradidit, sicut pater vivificat, ita & filius, si me cognovistis, & patrem meum cognovistis.* Secundum hæc enim, *inquit Tertullian. adversus Praxeam cap. XXIV.* Vicarium se patris ostenderat. Et hoc est vere esse vice-Deum. Papa vero homo purus imo impurus & peccator, vice-Deus, ac Deus inter abominationes idolorum reponatur, dum se putidum Deum facit in terris. Qui vel per absentiam, vel per imbecillitatem rebus suis interesse non potest, hoc modo non potest absque injuria Christi quis vocari Christi vel Dei vicarius. *Sylvester Prierias in Summa Summarum, quæ dicitur Sylvestrina fol.* 452. Vicarium ait à vice quam gerit, dictum ita vocari, quod alterius vice non suum gerat officium. Jam autem officium Christi in Ecclesia Principale est. Ministerialia licet commiserit Christus Ecclesiæ Pastoribus, illud tamen quod Principale est, sibi soli reservavit. Hoc qui sibi per Vicariatum Christi tribuit, divinitatem affectat; quæ ratio est, ut quidam Pontificem dixerint non vicarium Christi, sed Ecclesiæ: Vicarium Petri, licet subtiles recentiorum adulatorum Papæ aures hunc titulum ferre & sustinere non queant: uti ex Lorino, Lancellotto & aliis patet. Vicarium personatum dixerunt Episcopi & Abbates

bates Germaniæ, uti videre eſt apud *Mornæum in Myſter. Iniquit. p. 351.* cum alii Vicarium Diaboli vocare non reformidarent. Hinc eſt quod Pontifex non libenter admittat titulum vicarii Eccleſiæ, vicarii Petri: item quod velit vocari Vicarius Dei: Vicarius Chriſti per totam Eccleſiam: habens plenitudinem poteſtatis omnem in terrenis, cœleſtibus & infernis, in Angelos bonos & malos, uti ex variis Pontificiorum ſcriptis oſtendit *Dounamus de Anti-Chriſto lib. 4. cap. 4. pag. 265.* Iſtiusmodi vicariatum Idololatræ Regni Calechut in Indiâ etiam idolo ſuo, cui DEUMO nomen indiderunt, tribuunt: Comminiſcuntur enim, ut verba habent *Ludovici Romani Patricii lib. 5. Navigat. c. 2. p. 236.* Vicariam operam " Deum commiſiſſe Cacodæmoni, quem deliri mentiûntur eſſe " de cœlo ſumptum juri reddendo mortalibus. Illique rurſus " ineptientes ajunt, factam à Deo poteſtatem tribuendo, cuique " quod ſuum eſt, pro benefactis ac malefactis mercedem emeri- " tam. Rectiſſimè igitur ait *Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ c. IV. Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput unigenitus Dei Filius, & corpus ejus Eccleſia, Sponſus & Sponſa in carne una. Quicunq; de ipſo capite à ſcripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inveniatur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia.* Et rurſus? *Quicunq; de ipſo capite ſcripturis ſanctis conſentiunt, & unitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia; Quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.*

§. XXX. *Joſephus Stephanus* peculiari ſcripto fusè explicat, quare omnes Chriſtiani Pontificis Romani pedes ultrò oſculentur, nempe quia crux ſandaliis ejus affixa cernitur. Nam inprimis, *inquit*, Pontificum humilitas atque demiſſio, hâc unâ in re maximè commendari debet, qui cum omnes populos ex communi voto ad ſuos pedes adorandos propenſos agnoſcerent, CRUCI CHRISTI oſculationem potius quam ſibi ipſis tantum honorem deferri maluerunt, ut omnes Chriſtianos ad oſcula pedum benignè exciperent. Itaque ut expreſſam Chriſti imaginem referrent, & Salvatoris paſſionem in hominum memoriam revocarent, CRUCEM ſandaliis affixerunt, ut Chriſtiani homi-

nes eos honores quos debitos & necessarios Pontifici offerebant, CRUCE perspecta alacrius exhiberent. Consonat *Johann. Bapt. Casalius Romanus in de Eccles. vet. ritib. edit. Romana cap. 81. p. m. 327.* Divino spirante lumine apposuerunt, crucem super sandalia Pontificum, ut denotetur, quod tale osculum pedum non deferatur Papæ, tanquam homini, sed JESU Christo crucifixo, in ejus personâ, cujus in terris est vicarius &c. Confer *Bozium de sign. Eccles. lib. XI. p. m. 911.* Et *Arthurus Pitseus Doctor Anglus in observ. Cathol. ad Luc. cap. 7. v. 46. edit. Antverp. ab A. C. 1637.* ita. In persona Vicarii Christi, pedes Christi osculamur. Idemque ex Episcopo Vestano *Fivizanius Sacrista Palatii Apostolici lib. 3. cap. 16. p. m. 135.* de cruce Rom. Pontif. præfert. Hæc etiam erat responsio Possevini Magno Moscorum Duci præstita, qui Pontificem gerentem Crucem Domini in pedibus minime laudabat. *Macer. in Hierolexico pag. 542.* Verùm enim verò falsum est, quod Pontifex Maximus populum ad genua ipsius procumbentem adduxerit, ut crucem Domini in sandaliis ejus conspicuam oscularetur, cum antiquissima Ecclesiæ consuetudine venerationis gratiâ sancta crux osculis honoretur, *Nicephoro* teste *lib.* XVII. *Histor. cap. 15.* Si autem osculationem cruci Salvatoris potiùs, quam pontificibus deferri mallent, cur pedibus tantum & non honestioribus etiam corporis partibus videlicet, brachiis, pectori, vel capiti, crux affigitur? Quin imò si propter crucem pedibus Papæ tanta reverentia exhibetur, Cardinalibus impietatis character jure imprimendus erit, quod crucem tali ratione non venerentur, quandoquidem ad pedum Papalium oscula haud sæpe descendunt; sed vel in genis vel genubus osculandis cruce minimè exornatis, consistunt; Si crux imposita sandaliis Papæ, inquit *D. Laurentius Banck. in appendice ad tract. Rom. triumph. de Orig. ceremon. Papa §. 2.* Osculationis pedum esset causa, quis Cardinales impios non diceret, qui cruci tantum honorem non offerunt, cum ejus (Papæ) pedes valdè raro osculentur; sed vel genas vel genua, quæ crucem nunquam affixam habent? Reliqui verò, utpote Prælati & Canonici,

nici, plerumque ad pedum oſcula admittuntur. Nuda igitur hactenus figmenta Menocrates Romani proponunt. Nullatenus quoque hinc Papæ humilitas, optimè vero ſummus faſtus colligitur, quando ceu divinum aliquod numen, rectius idolum dixerim, oſculis, quæ olim idololatriæ partem abſolvebant, ſuſpici deſiderant. *Adamus Contzen, lib. VI. Polit. cap. 2. §. 9.* tradit, honorem iſtum Pontifici deberi, ut Regum obſequiis demiſſione etiam ad oſculum pedum procedente colatur. Qui autem Pontifici, ſervo ſcilicet ſervorum, debetur, quod nec magni Apoſtoli, neque eorum Magiſter, ſummus Pontifex, Chriſtus, unquam ſibi arrogârunt? Regum demiſſionem Pontificum, ſi ulla eſt in ipſis, humilitas ſuperare debebat. At enim quoniam contrarium hodiè fieri dies docet, nec humilitatem, multò minus devotionem, quæ in Papas, inter pedum oſcula cadat, obſervare licet. Planè verſum eſt obſequium illud in neceſſitatem, & cultum exteriorem potius, quàm devotionem, quando cœpit ex ſtricto quaſi jure exigi. Undè cum *Zoſimus* Imperatorem Turcarum, fratrem ſuum fugiens, Romamque adductus ad conſpectum Innocentii VIII. neque deflecti ullo modo, neque deoſculari veſtigium ejus vellet, ut edocebatur ab illis, qui ceremoniis præerant, ita perciti præſentes ſpectaculo, indignabantur, quod non vi incurvaretur à ſtipatoribus armatis, aut barbâ raptaretur, ad ſacros pontificis pedes, ne impunè Chriſtianam dignitatem, & divinam rem noſtram contemneret, ſcribit *Michael Rouſſel in hiſtoria Pontificia juriſdictionis lib. VIII. cap. 4. p. m.* 835. Ex *Papyrio Maſſonio in Innocentii VIII. Vita, & Matthai* Baſſi *Epiſtolis.* Dolendum interim, cum mutandum non ſit, quod Papa, etſi Eccleſiæ Chriſtianæ caput velit ſalutari, tam turpiter ad gentilium caſtra prolabatur. Pedes porrigit, gemmis & margaritis, ſicut à Caligula & Diocletiano nominis Chriſtiani hoſtibus infenſis, factum eſt, inque calcei ſuperficie intextâ aurea cruce ornatos, nempe ut palam ſe magis horum, quam Chriſti vicarium, atque ita crucem ab ipſo pedibus conculcari innuat. Addo verba pulcherrima *Eraſmi ex lib. VI. Apophthegm. p. m.* 419.

Maximinus Senior nunquam ad oscula pedum quenquam admisit, dicens: *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat.* Et ubi sunt interim, qui non solum ingenuos, verum etiam summos Monarchas ad OSCULA NON PEDUM, SED CALCEORUM, NON DICAM, ADMITTUNT, SED INVITANT, ET QUODAMMODO COGUNT. Gemina his sunt illa *Johan. Gvilielmi Stuckii lib. II. Antiq. convival. cap. XXXII. fol.* 258. Sæpe cum Caligulâ pedes protendimus; dum Christi humilitatem vel spernimus, vel fucato conservandæ Apostolicæ autoritatis titulo exornare laboramus. Hæc ait *Lactantius lib.* I. *Institut. divin. cap.* 21. Non sacra sunt; sed sacrilegia, in quibus id sanctum ducitur; quod, in aliis si fiat, etiam severissimè vindicatur.

§. XXXI. *Augustinus* profectò magnam in eo superbiam agnoscit, qui pedibus suis Christianos velit subjicere: explicans enim illud Psalmi 46. *Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris*, inter alia *ait.* Mirum si Apostoli tam superbè loquerentur, ut gauderent gentes esse positas sub pedibus suis, id est, Christianos sub pedibus Apostolorum. Etenim gaudent, nos secum esse sub pedibus illius, qui mortuus est pro nobis; Nam sub pedibus Pauli currebant, qui volebant esse Pauli, & dicebat eis: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? quia ergò hic? quid accepturi sumus? subjecit plebes nobis & gentes sub pedibus nostris. Omnes pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt &c. Schismaticumque esse agnoscit, velle, ut Christiani sint sub pedibus unius, sicut illos schismaticos fuisse scimus, qui sub Pauli pedibus in sua specialitate esse volebant. I. *Cor.* I. *cap.* Ita dum noster Papa non solum lætatur, ut ejus pedes & populi, & gentes, imò & Episcopi, & magni Principes, ac Reges & Imperatores deosculentur; Sed etiam id suo jure postulat ac requirit, superbiæ magnæ notam, secundum Augustinum, quomodo refugiat, ipse videat: certè schismati favet, & illud procurat, dum sibi, & non Christo fideles subjicit: si enim Christi pedibus & non suis propriis homines subjiceret, non ipse solus non modò à populis,

sed

ſed etiam ab ipſismet aliis Chriſti miniſtris & ſuis comminiſtris, pedum oſcula requireret. Sicut Alexander II. ea expreſſe voluit; & ſibi dari juſſit à Lanfranco viro ſancto, Archiepiſcop Cantuarienſi, apud *Baron. Tom. XI. ann.* 1071. *num. 6.* Et initiò quidem noluerunt Papæ, ut Epiſcopi ad pedes ſe ipſorum primum proſternerent, ſed ſtatim ad oſculum oris ſurgerent, ut factum habes in Paſchali ſecundo, ibid. *Tomo XII. ann.* M C XI. Poſtea tamen iis ab ore repulſis voluerunt & modo volunt, ut ipſorum crepidis tantummodo oſcula prælati quique magni, & Chriſti vicarii infigant: Imò etiam à Cardinalibus ſuis interdum id popoſcerunt, ut habemus in ceremoniis Papalis ingreſſus à Cencio deſcriptis. Ibid. *Tom.* XII. *ann.* 1191. Quod ſi ob reverentiam Chriſti, oſculum pedum ejus miniſtro (dicamus etiam vicario) Epiſcopo Romano à principibus quoque exhibetur; eâdem ratione debet Epiſcopo cuique exhiberi: cum Epiſcopus quiſque nihil minus ſit vicarius Chriſti, quam Romanus. Imò & presbyterorum Chriſti miniſtrorum pedibus, ex devotione in piis Chriſti fidelibus præbita ſunt oſcula: Sicut enim Cajo Papæ, (ſi veræ ſunt tales Legendæ, apud *Baronium Tomo 2. ann.* 194. *num.* 8. 10.) Præpedigna exoſculata eſt pedes; Ita Claudius Gabinii Sacerdotis pedes eſt oſculatus, in eadem hiſtoria: Sed ſicut in exhibentibus tale obſequium propter Chriſti reverentiam, laudabile eſt & approbandum; Ita in admittentibus & acceptantibus id obſequii, ordinariè eſt omninò reprehenſibile & reprobandum. Non enim decet ſervum, ea quæ Domini propria ſunt, ſibi uſurpare; & Auguſtinus meritò non exiguam ſuperbiam in depreſſione ſub pedibus deprehendit: quam depreſſionem ego, & non minorem agnoſco, ubi quis ad ſuorum pedum oſcula protrudit.

§. XXXII. Etſi autem tantum cultum Magnates Pontificibus communiter & libenter deferant, reperiuntur tamen qui heroicâmente eundem ipſis denegent. Ita obſervantiores dignitatis ſuæ præ aliis Würtebergenſes Duces fuiſſe, multa cum laude paſſim leguntur. Hi namque ubi Maſſiliam delati eſſent ac Carolum V. Imperatorem laudatiſſimum, Reges Francorum

& Na-

& Navarræ, Duces Allobrogum Florentinorum Ferrarienſium aliosque equeſtris Ordinis viros ad Pedes Pauli III.* proſtratos cernerent, indignati ſunt tantæ ſervitutis ſpeciem longè infra ſortem ſuam æſtimantes. De Græcis Legatis & Patriarcha eorum Conſtantinopolitano tempore Concilii Florentini in actis Græcis concilii hujus ſequentia occurrunt:
“ Mane cum ſolviſſemus; ante primam horam diei videmus Cari-
“ ſtinum ab Imperatore miſſum ad nos accurrentem, qui nuntia-
“ vit Patriarchæ, Papam expectare, ut ſua magna ſanctitas acce-
“ dens eum adoret, & ejus pedem exoſculetur, & Imperator, *in-*
“ *quit,* jam tertium diem inſtat & dimicat, ne hoc fiat, quod inte-
“ rim tuæ magnæ ſanctitati indicat, ut ſcias quonam pacto ſit tibi
“ accedendum ad eum. Grave viſum eſt hoc valde Patriarchæ,
“ quippe qui confidebat ſe à Papa aliter omninò ſuſceptum iri, ali-
“ umque affectum & certitudinem πληροφορίαν ſe reperturum; Et-
“ enim cum adhuc eſſet Venetiis, dixerat cuidam ex domeſticis &
“ familiaribus Papæ, ego ſtatui apud me, quod ſi Papa ætate me
“ præcedit, ego ipſum habeo pro patre, ſin æquales ſumus annis,
“ habeo eum pro fratre, ſin autem me junior eſt, habeo eum pro
“ filio, & meæ mentis eſt, ut ſi aliqua ſit domus propinqua domui
“ ipſius, quæ habeat διοδὸν μετέωρον tranſitum ſuſpenſum ſupra vi-
“ am, eam det mihi, & privatim accedam ad eum, & ille viciſſim
“ ad me. At ut audivit, exoſculationem pedis obſtupuit, tamen
“ diſceſſit & frequenti jam foro Ferrariam pervenimus & ſteti-
“ mus ex adverſo arcis prope pontem, & ante meridiem venerunt
“ ſex Epiſcopi, & Patriarcha ex parte Pontificis adventum con-
“ gratulati ſunt. Patriarcha vero dixit ſe ad talem ſalutationem
“ non teneri: Sed quandoquidem fratres ſumus, inquit, com-
“ plectamur nos, & oſculemur invicem fraternè, aliter ego non
“ faciam. Habuit autem & alios ſermones Patriarcha ea de re,
“ ad quos & illi reſponderunt; & Patriarcha, cum omnes, quos
“ ſecum adduxerat Epiſcopos, conſuluiſſet, unâ voce decreve-
“ runt: hoc non fore neque juſtum, neque decorum, neque utile;
“ Redeunt manè Epiſcopi Pontificis, & oſculum pedis exigunt;
Patri-

Patriarcha verò indecoram esse hanc instantiam edisserit. Un- "
denam enim Papa hoc juris habeat, aut quænam Synodus ei "
contulerit, & ubinam scriptum sit, inquit, ostendite, præsertim "
cum Papa dicat se esse successorem B. Petri. Sed responderunt ",
Episcopi, morem antiquum esse Papæ, & omnes ipsi talem salu- "
tationem deferre, Episcopos, Reges, Imperatorem Germa- "
niæ ipsum, Cardinales adeo Imperatore ipso majores, utpote "
consecratos: Ad quæ Patriarcha, novum inventum hoc esse, "
non acquiescam, inquit, non hoc faciam unquam; Sed si- "
quidem vult Papa, ut ego eum salutem fraternè, secundum no- "
strum antiquum morem, eo pacto ego eum accedam, sin hoc "
non recipit, recuso omnia & revertor. Eò ventum, inquit "
Græca Synodus, ut Pontifex, qui pedes suos Patriarchæ fre- "
quenti conventu exosculandos porrecturus sibi videbatur, "
cum id non posset obtinere eum tandem ἐν ἰδίῳ κελλίῳ. i.e. In pri- "
vatâ cellâ suscipere cogeretur, idque præsentibus tantum Car- "
dinalibus, quæ omnia gesta ultrò citroque antequam descende- "
revellent.

§. XXXIII. Hodie non præsentes modò Imperatores tali symbolo reverentiæ se Papis subjiciunt, sed idem etiam absentes in literis ad Papas, jam inde à tempore Ludovici Bavari observant. Clarissimum hujus moris vestigium in verbis Reginaldi Regis Austriæ circa annum Christi MCCXIX. apparet: ibi enim extat: *Beatissimo Patri ac Domino Honorio, DEI gratiâ summo Pontifici, Reginaldus Rex commendationem cum osculo pedum*, Tabulis Karoli IV. Imp. ad Innocentium V. inscriptum erat, se quidem Romanum Imperatorem communibus Principum suffragiis electum esse, confirmari tamen à Pontifice Romano, indeque coronam accipere Imperialem oportere. Tabularum Principium est hujusmodi POST PEDUM OSCULA BEATORUM. Quæ verba, *Bodino* teste *lib. 1. de Republ. cap.* IX. *p. m.* 157. *edit. Paris. in fol. Anno* MDLXXVI. In omnibus Imperatorum ad R. P. literis jam inde à Ludovico Bavaro

ad hæc usque tempora repetita videmus. Subscriptio literarum Imperatoris ad P.R. est hujusmodi; ego manus ac pedes vestræ sanctitatis deosculor. Ita semper Karolus V. Cæsar, cum ad Pontificem literas daret, quarum exempla videmus, subscribere solebat. Novissimis temporibus Rex Æthiopiæ ad Clementem VII. *Exosculor*, inquit, *pedes sanctos.* Nec laici solum, sed & Cardinales eodem stylo utuntur. Vide *Papyrii Massonii Benedictum I. Clement. VI. & VII. Martam in Jurisdict. part. I. cap. 46. num. 5. Majolum Tomo II. Colloq. VI. pag.* 484. Indignitatem hanc in excipiendis Magnis Principibus eorumque Legatis ullus est aliquando catulus, quâ de re jucunda lectu historia exstat *in antiquitatibus Britannicis*, à Johanne Josselino collectis & excusis Hanoviæ, Anno 1605. quæ ita habet. Ad Papam cum pervenissent Regis Angliæ Legati, osculari amplius ejus ex more pedes noluerunt: Sed cum Papa pedem osculandum extendisset, pusillus Catulus Comitis Wiltoniensis ingressus locum, cum pedem vidisset gemmis auroque lucentem, rem tam raram lascivis dentibus apprehendit atque momordit. Id Papa indignè tulit; & inducto ad se illo splendido pede, altero canem abegit. Hoc omine cum Angli in risus & cachinnos profusiores essent: Papa contractis superciliis causam legationis quæsivit. In contemptum & derisionem aliorum quoque hanc abiisse ceremoniam indicant cantatissimi hi Poetæ notissimi versus:

Venerat Ausoniam Præsul Bellajus in urbem
    Rablæsus famulos cui comes inter erat,
Hic ubi Bellajum pronis sacra basia cernit
    Coccinei pedibus figere Pontificis.
Aufugit & mihi quid fiet, proh Jupiter! inquit
    Talia quandoquidem præstet oportet herus.
Utque fugæ causam fuerat scitante rogatus
    Patre sacro, tales rettulit ore sonos
Si Domino soleas porrexit ad oscula Pappas
    Heu vereor servo porrigat ille nates.

De-

Desino servilem ritum, qui rus & agrum redolet, pluribus persequi; indignum nempe, quo de prolixiora verba cum delicatiorum aurium offendiculo proferantur. Uberiorem autem de Pontificis Romani potestate informationem cupido Lectori suppeditabit Monarchia S. Romani Imperii *Goldasti*, ubi triginta veterum Auctorum monumenta collecta sunt. Ejusdem *Constitution. Imperial. Tomo* III. *&* III. *passim.* Nec non *rationale Constitut. Catalogus Testium veritatis Flacii*, *maximè in Appendice à pag.* 2086. *usq; ad* 2102. *Edit. in fol. Anno* 1608. *Johann. Gerhardus Loc. Theolog. de Magistratu & Confess. Catholic. Lib.* II. *Artic.* III. *cap.* 9. *Et Epistol. Dedicator. illius. Gvilielmus Barclajus ICtus lib. de potestate Papæ, an & quatenus in Reges & Principes seculares jus & imperium habeat. Johann. Baleus act. Roman. Pontif. Roberti. Abbat. Sarisburiensis Episcopi de suprema potestate Regia. Exercitatio contra* Bellarminum *& Suarez, qui liber Londini Anno* MDC XIX. *in quarto prodiit. Christoph. Scheibler. in Tractatu Germanico, cujus titulus est; Proba Patrum cap.* XXXIX. *pag.* 1133. *seq. Dannhaueri Hodomoria Spiritus Papæi phantasmate* II. *pag.* 741. *Nicolaus Henelius Otii Vratislaviensis cap.* LIII.

DISSERTATIO XI.

De

OSCULIS HONORIS ET CLEMENTIÆ.

SUMMARIA.

I. *Clementia Regis Regni columna. Imperatores Nobilibus, Principes civibus dignioribus manus deosculandas præbent.* II. *Senatus Romani priscis temporibus summa autoritas. Insolentia Tiberio Neronis & Caligulæ odium conciliat. Trajani, Friderici I. Imp. Elisabethæ Angliæ Reginæ & Margaritæ Scotæ humanitas laudata. Virgini Peguanæ magnus honor habitus. Strophium ab Imperatore Turcico fæ-*

mina porrectum tessera concubitus. III. *Rosa Imperatori aut Principi à Pontifice oblata honoris indicium est. Illi jus benedictio.* IV. *Coronatio* Wilhelmi Hollandi *Imperatoris.* V. *Osculum in Investituris à Germaniæ Principibus adhibitum. Reges Vngentis manum osculantur. Principes Episcopis adeuntibus osculum figunt. S. Ambrosii generosa ad Maximum responsio. Hugo Lincolniensis Episcopus Richardi Regis Angliæ iram spernens gratiam obtinet. Imper. Constantinopolitanus percepta S. Eucharistia Episcoporum manus osculatur.* VI. *Meletii Antiocheni suavitas in conversatione. Dextram manum Theodosius Imp. osculis honorat. Idem honor aliis sacri ordinis exhibitus & ab Indis ethnicis observatus.* VII. *Principes eorum quibus favebant, os, pectus, caput & manus osculati. Alexandri Magni clementia in Darii filium & amicos inter pocula. Emerici Vngarorum* Regis *filii comitas.* VIII. *Principes à civibus Præceptores à discipulis, heri à servis osculis honorati.* Boni *Præceptoris elogium. Alexandri Magni & Antonini gratitudo erga Præceptores. Imperatorum manibus propter facta heroica oscula impressa. Oscula manuum vel ex militiâ, vel ex foro originem trahunt; Sed abrogata sunt tempore Syllæ.* IX. *Dextra manus fidei testis. Lucrum ex manuum osculis. Osculatio talis in foro servorum ferè propria. Oscula oculorum, capitis, colli, humerorum ad manus accedere.* X. *Candidatorum & Senatorum albæ, sed distincta vestes. Magistratum aqud* Romanos *petituri nomina profitebantur freti amicorum & populi voluntate. Salutatores, Deductores sive Anteambulones & Sectatores quinam? Nomenclatio,* Blanditia, *Assiduitas &* Benignitas *popularis voluntatis conciliant partes. Monitores & Fartores qui? Assiduitatis tres partes; Ambitio, Prensatio,* Rogatio. *Suffragatores.* Benignitatis *requisita. Interpretes, Sequestres & Divisores qui?* XI. *Ædilitas honor maximus apud* Romanos *qui juveni mandabatur. Scipionis Nasicæ jocus. Osculatio manus in gratiarum actione, & gratulatione adhibita. Equites recensati quasi osculo consecrantur. Osculum maternum & amicorum promotis & promovendis fixum.* XII. *Conjurati Cæsarem in curiâ osculis demulcent. Osculatio manuum in salutatione Magnatum originem trahit ab Ethnicis.*

Ottho

Ottho Hassia Princeps hoc honoris signo in aula Clivensi primum agnitus. XII. *Mentum signare osculis supplicantes solent. Distichi Ovidiani genuina lectio. Idem contactus genuum indicat. Oscula dividere.*

§. I.

EX tripode quasi Apollinis Delphici profectum videtur, nobile illud Rabbi *Jedaja, in Mibcha happenin. Sect.* XIX. *Elect.* II. *p.* 131. Oraculum: Aristoteles scripsit ad Alexandrum Macedonem: Impera populo, & dominare super eos in clementiâ, & sic amorem eorum tibi conciliabis. Longè enim melius est, si cum clementiâ imperes, quam si tyrannicè cum violentiâ agas. Nam quid prodest possessio corporum, cum vera possessio sit possessio cordium? Siquidem ubi corda Subditorum per clementiam possederis, ea simul secum corpora trahent. Scias autem populum, quidquid loqui possit, id & conari, tu ergò id dato operam, ne habeant, quod sinisterius loquantur, & sic cavebis, ne quid adversi suscipiant. Ad eundem scopum tendunt, quæ *R. Levita ben Gersom* apud *Wilhelm. Schickardum in* משפט המלך *cap.* IV. *Theor.* XII. inculcat: Gratia quam impertit Rex populo, trahit illorum animos ad se, quod est quasi fulcrum throno suo, propter illud exaltabunt eum, & submittent se ad servitia ejus. Ex quibus liquidum evadit, clementiam Principi adeò necessariam esse, ut absque illa nullatenus feliciter regnare possit. Ut ameris amabilis esto, protritum habet theorema, quod qui in praxin deducit, inferioribus de se multifariam benemeritis, osculum, quando id consuetudo & temporis ratio jubet, libare minimè dedignabitur; unde studia sua grata ac rata esse intelligant, ipsique ad Constantiam in eodem officii stadio alacrius progrediendi exstimulentur; Atque ut à supremo omnium ordinum Hierarchâ exordiar, indicium divinæ clementiæ interpretor fuisse, quod Salvator mundi θεάνθρωπος infantulos osculatus legitur *Marci* X. *v.* 13. 16. Josephus Ægypti Pro-Rex lachrymis madefactus trepidos fratres osculabatur. *Genesis* XLV.

David Rex Barsillai Gileaditem virum optimum cum osculo dimisit. II. *Sam.* XIX, *v.39.* Imperatores nobilibus, Principes civibus dignioribus præbuêre manus deosculandas, & postea suis manibus ad oris osculum sublevârunt, quo suam in illos clementiam testarentur. Julianus Imp. itineribus emensis, ad pylas, qui locus Cappadocas discernit & Cilicas, osculo susceptum Rectorem Provinciæ nomine Celsum, jam indè à studiis cognitum Atticis, ascitumque in consessum vehiculi Tarsum secum induxit. *Ammian. Marcellin. lib.* XXII. *cap.* 10. Sic Nero difficilis aliàs & inhumanus Tiridatem Armeniæ Regem ad se venientem adm i it ad genua, allevatumque dextrâ exosculatus est. *Sveton in Nerone, Claudio cap.* XIII. *Bodinus lib. de Republ. cap.* IX. *Reineccius Histor. Tom.* 1. *pag.* 265. *Tacitus* XV. *cap.* 51. Sulpitius Galba Imperator in Hispaniâ Icelum è veteribus concubinis de Neronis exitu nunciantem, arctissimis osculis palam excepit. *Sveton. in Galba, cap.* 22. Salvius Otho Imp. amicos suos omnes ab amplexu & osculo dimisit. Idem *in Salv. cap.* X. Trajanus Senatum, *Plin. in Panegyrico*, Alexander M. supplices osculis impertivit. *Bodin. c.d.*

§. II. Et quantum quidem conjecturare licet, frequens omninò & necessarium officii genus apud Romanos fuisse videtur, ubi abeuntes & redeuntes Principes Senatum, à quo nempe Imperii permissio & Auctoritatis conservatio dependebat, osculo salutarent. Inde plumbeum ferè odium insolentia in Neronis caput devolvit, quod ille neque adventans, neque proficiscens tali modo Senatores cohonestaret. *Sveton. in Tiberio Nerone cap.* X. Cum Rhodum abiret, facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ uxore & filio, confestim Ostiam descendit, ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucosque admodum in digressu osculatus. Indelebilem quoque famæ suæ maculam Caligula adspersit, quod cum summo reverentiæ cultu à Senatu affici vellet, ipse eundem rarissimo dignatus est. Majorem contra benevolentiam humanitate sua Trajanus sibi conciliavit, cum Senatum ut dimissus osculo fuerat, osculo exciperet. Publico etiam præconio digna est mira FRIDERICI, I. Ahenobarbi Imperato-

peratoris comitas, qui Legatis Adriani Pontificis in signum pacis osculum obtulit. *Guntherus in Ligurin. lib.* VII. *v.* 191. *p. m.* 383.

Protinus optatæ præsentibus oscula pacis
Dulciter impendens, Papæ Cleroque salutem
Innuit, & lætos á se dimittit in urbem.

Eo quoque nomine Elisabetha Angliæ Regina innotuit, cum enim Baro quidam Bohemus, Gvilielmus Slabata nomine, Reginæ literas afferens in conclave veniret, venienti Regina manum dextram Chirotecâ detractâ, annulis & lapidibus pretiosis nitentem, porrexit osculandum, quod maximum insignis Clementiæ fuit signum. *Hentznerus in Itinerario, pag.* 130. Osculum ferè ejusmodi Poetæ à Regina impertitum lego apud *Ægidium Corrozetum, de dictis & factis memorabilibus.* Margarita Scota Ludovici Delphini, qui postea XI. dictus est, uxor, Alanum Charterium, Carolo VII. Regi Galliæ à Secretis, hominem doctum, & ut ea tempora ferebant, elegantem, cum fortè interdiu in scamno dormiret, multis spectantibus disſvaviata est. Admirantibus cunctis, quod tam fœdum turpemq; hominem osculari sustinuisset, non ipsum respondit, sed Musas atque gratias in ejus ore habitantes suaviata sum. *Vincentius le Blanc Massiliensis* erzehlt im 28. Cap. seiner ersten Reise / daß zu seinen Zeiten im Königreich Pegu der König oder Groß-Fürst von Tranziane von gewaffneten Hof-Damen sich bedienen lasse / und habe eine von diesen sich im Duell überauß tapffer erzeiget / deßwegen ihr der König selbst den Helm geöffnet / und in Gegenwart des gantzen Volcks einen Kuß gegeben / ja / seine Kette vom Halse genommen / und diesem Palladischen Bilde angehenckt. Dieselbe Kette ist nicht von gemeinem / sondern fast unschätzbahrem Werthe gewesen / als welche von Perlen / rund-geschnittenen Rubinen gemacht / und an den Enden mit Diamanten geziert / darinnen Angesichter geschnitten waren. Die Jungfrau ist die Schönste in gantz Indien gewesen / zwantzig Jahr alt / vom

Haupt

Haupt Schnee-weiß / von Haaren Kohl-schwartz. *Erasmus Francisci* im dritten Theil deß Ost- und West-Indischen Lust- und Stats-Gartens. Paucis annecto, strophium Imperatoris Turcici à Concubinis osculo in tesseram futuri concubitus excipi, docente *histor. univers. Brachelii, part.* VII. *lib.* I. *cap.* XII. *p. m.* 104. Jam verò, inquit, ubi Sultano incessit libido lasciviendi cum suis amasiis in horto, altum clamatur adeò, ut totum Serrailium personet, ad quem clamorem, qui extra fœmineum sexum non abscedit, de vitâ ejus actum est. Hic tum Venereis gestibus, cantibus, saltibus singulæ, & Imperatoriæ præsentiæ, & propriæ immemores pudicitiæ concertant, sui ut amorem Imperatori causent: nocturni ea fit complexus compos, cui strophium objicit, quod flexa arripit, osculatum in sinum ingerit moxque omnium super hoc honore gratulationem accipit.

§. III. Pontifices plerumque clementiam Principibus osculo declarabant. Id vel ex Rhytmis antiquis in *Chronico Cyriaci Spangenbergii Mansfeldensi cap.* CCCXLI. *p. m.* 399. *ad Annum* MCCCCLXXXVI. constat, ubi Elector Saxoniæ ERNESTUS I. ita loquens introducitur:

Der Dritte Käyser Friederich
Belehnte mich in Oesterreich/
Das Land mit Untreu ward geplagt.
Den Herrn von Plauen ich verjagt/
Bracht Sorgen/ Biberstein an mich/
Maximilian halff krönen ich/
Sixtus der Vierdt den Kuß mir gab/
Die Ros' unds Kreutz zum heilgen Grab.

Quid sibi velit hæc Rosa, verbis *Caroli Paschalii, Regis Galliæ Consiliarii in* S. *Consistorio & apud* Rhætos *Legati*, declaro, quando *Lib.* III. *Coronarum cap.* VII. ita disserit: Illud quoque constat, rosam apud omnes gentes esse in tanto honore, ut cuipiam data aut muneri missa sit nobile argumentum benevolentiæ mittentis erga eum, qui hoc munere colitur. Rosam plerumque nec refert nativam,

tivam, aut effigiatam, collegia & legitimi hominum cœtus offerunt illi cujus in aliquo artium, scientiarùve genere eminet ingenii doctrinæque præstantia. Rosam Romanus Hierarcha adeuntiad ipsum alicui Principi Christiano honoris causa mittere solet. Rosam quoque hic ipse Pontifex in iis supplicationibus quæ habentur post Imperatorem inauguratum, ac diademate insignitum, manu gestat. Hanc ipsam cum pervenit ad ædem sanctæ Mariæ in Cosmedin ipse eques Imperatori equiti dono dat. Hanc quoque Imperator manu gestat, dum redit ad Pontem Hadriani ubi equites creat. Denique hæc sunt verba ejus libri, cui titulus est Ceremoniale Romanum: Et Dominica quarta Quadragesimæ, in qua cantatur Lætare, Pontifex rosam benedicit, & illam post Missarum solennia alicui magno Principi, si præsens est in Curia, solet dono dare. Sin minus, mittitur ad aliquem Regem vel Principem de consilio Cardinalium, finita benedictione inungit cum balsamo rosam auream, quæ est in ipso ramusculo; & superimponit muscum tritum, & aspergit rosam aqua benedicta & adolet incenso. Ponitur super altari, dum à Pontifice celebratur Missa. Eam deinde Pontifex defert ad cameram suam. Et si ille cui eam dare vult, est præsens, vocatur ad ejus pedes, & genu flexo dat ei rosam, multa dicens in ejus laudem. Quando Imperatores Germanici investiuntur & coronantur, Archiepiscopus negotium consecrationis & coronationis perficiens electum osculatur; uti supra *Differt.* IX. §. 4. ex Sleidano de statu Religionis, *lib.* XIX. memoratum est.

§ IV. *Johannes Beka in Chronico Episcoporum Vltrajectinorum* de historia Coronationis Wilhelmi Hollandi plenissimè Ceremonias tum temporis usitatas recenset. Postera die, quæ est omnium Sanctorum festiva solennitas, universa multitudo Prælatorum & Principum deduxit electum Regem ad Basilicam perpetuæ Virginis Mariæ (Aquisgrani) ut solennem benedictionem acciperet, secundum ritum antiquæ consuetudinis: quem Monaster. & Mindensis Episcopi simul ordinârunt infra Sacrarium, sed eundem Leodiensis & Trajectens. Episcopi vestitum ornamentis

Ppp Levi-

" Leviticis in modum Diaconi produxerunt ante Regale solium.
" Quem ex tunc Coloniensis Archi-Episcopus, Cancellarius Italiæ collocavit in sede Majestatis, ita dicens: Super thronum Regni gloriosè sedens, Judicium & justitiam in terra facias. Archiepiscopus verò Moguntinensis. Cancellarius Germaniæ cum oleo sanctificato dextram ejus foras unxit, ita dicens: Consecrare te dignetur omnipotens DEUS in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis Prophetæ Regem inungi jussit super populum Hebræorum. Archiepiscopus autem Trevirensis, Cancellarius Galliæ manus illi superimposuit, ita dicens: Descendat in te Spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis, consilii, repléarisque Spiritu timoris Domini; Marchio quidem Brandenburgiæ Regis Camerarius, annulum ei tradidit, ita dicens: Accipe Signaculum Monarchiæ, ut Romanum Regnum in vigore suo conserves, quod ab incursione Barbarorum invictâ virtute defendas, Dux autem Saxoniæ, Regis Justitiarius donavit ipsi gladium, ita dicens: Accipe Sceptrum Regium, ut rebelles severâ correctione potenter affligas, omnesque benevolos in tranquillâ pace gubernes. Dux equidem Bavariæ, Comes Palatii seu Dapifer, dedit ipsi globum aureum, ita dicens: Accipe globum Sphæricum, & omnes terræ nationes Romano Regno subjice, ut gloriosus Augustus appellari valeas. Rex dehinc Bohemiæ, Regis Pincerna, de consensu Coloniensis Archiepiscopi coronam argenteam capiti ejus superimpressit, ita dicens: Accipe diadema splendidum, & sis in virtuosis actibus adeò coruscus in terris, ut coronam æternæ felicitatis habere merearis in cœlis. Posthæc autem circumstantes Principes: „ ADORANTES MAJESTATEM REGIAM „ acclamaverunt ipsi, salutem, laudem & gloriam. Accedentes quoque singulatim Primates ad Regale solium, præstiterunt eidem debitæ fidelitatis homagium. Hactenus *Beka*.

§. V. Nonnulli Germaniæ Principes Vasallos suos in solennitate investituræ osculari solent. Sic Reverendissimus ac Sere-

Serenissimus Princeps, Dominus AUGUSTUS, Archiepiscopatus Magdeburgensis Administrator Postulatus, Primas Germaniæ &c. nec non Illustrissimi Carpophororum Collegii Præses gloriosissimus, Illustrissimum Dominum JOHANNEM GEORGIUM, Comitem in Mansfeld, paucos ante annos juxta morem curiæ hujus feudalis Vasalli pedem sinistrum ejus dextro tangens, dextraque collum manu complectens osculo investivit, juxta testimonium Magnifici JCti, Domini *Eberhardi Fabricii*, Cancellarii Mansfeldensis meritissimi, apud *D. Petr. Müller, dissertat. de osc. c. V. p. 36.* Quos Galliæ Rex investit, osculo honorat, manusque jurantis complicitas suis inserit. *Sprenger. in Christ. Orb. Perspicill. tit. XV. pag. 749. Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Juris universi lib. VI. cap. XV. num. 7.* Quando Reges inaugurantur, ungentis manum frequenter osculo excipiunt, ut prodit *Rituale Pontificium.* Etiam extra Septa Ecclesiæ & præter morem ritumque sacrorum, jam inde ab initio susceptæ ab Imperatoribus fidei, Principes Episcopis adeuntibus osculum offerre soliti sunt, quod ea visa esset loco adorationis, quæ à Laicis exhiberetur, digna Episcopo salutatio. Ducti etiam religione quadam Principes Episcoporum osculum expetebant, quod esset Ecclesiasticæ pacis indicium, & per illos Domino se reconciliari crederent. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, cum apud Maximum legatione fungeretur, & ille in Prætorio ad osculum assurrexisset, nolo, *inquit*, osculari, ut Episcopus, qui in Prætorium vocatus sum, tanquam non Episcopus. In Epistolis Ambrosii. Indignè enim ferebat vir sanctus, & suæ dignitatis memor, in Prætorium se esse vocatum, cum in Palatio honorificentius de Legatione suâ cum Imperatore conferre potuisset. Multis verò seculis post S. Hugo Lincolniensis Episcopus, cum in Richardi Regis Angliæ offensam incurrisset, quod Regis nomine pecuniam à populo colligi vetuisset, nihil ejus iram veritus, minas etiam contemnens, Regem adit, quem in Sacello domus Regiæ ad altare conversum à tergo compellans, da mihi, inquit, osculum, cujus primo adspectu Rex obstupefactus & frendens, non faciam, inquit, non ita de me me-

meritus es, at ille apprehenso Regis pallio penè vi coëgit, sacrificio deinde absoluto objurgatum Regem placavit, & secum ut in gratiam rediret, obtinuit, afferente Rege: Si tales forent plerique Episcopi, Reges quoque modestius acturos. *Rangolius Commentar. ad libr. 1. Regum, pag. 1205.* Imperator Orientalis coronatus postquam benedictionem accepit, Episcoporum manus observantiæ declarandæ causâ osculatur, uti *Codinus Curopalata de officiis Constantinopolitanis, cap.* XVII. *num.* 44. *pag.* 126. his verbis attestatur. Postquam divinorum Mysteriorum particeps effectus est (Imperator) impositâ rursus capiti coronâ egreditur ex tabernaculo, finitaque Liturgiâ, & populo pane sanctificato, quod Antidotum nominamus, distributo, de quo postquam & ipse participavit, & benedictionem à Patriarcha cæterisque præsentibus Episcopis accepit, eorumque manus deosculatus est, ascendit ad locum Catechumenorum.

§. VI. *Meletius* Antistes Antiochenus consueverat protendere manum, ut studium erga alios suum, amorisque vim ostenderet, in quo & communi humanitati, suavissimisque moribus & religiosæ modestiæ serviebat. Sed quam ille dextram non dabat aliorum manibus contingendam purpurati orbis Domini & coronati Principes, si tangere ore potuissent, se felices opinabantur. Theodosius enim Imperator apud *Theodoretum lib. V. Histor. Eccles. cap. 7.* cum eum salutaret, reverentis animi motu & honoris significatione τὴν στεφανώσασαν δεξιὰν, coronantem dicam, an coronatam illam dextram triumphantis religionis vindicem, divinique candoris pignus osculabatur. Atque hoc non tantum summi Dynastæ & Imperatores, (qui se sacerdotum precibus communiri crediderunt, juxta locum *Ambrosii de Dignitate Sacerd. cap. II.* dissertatione præcedente X. §.3. adductum) sed etiam homines mediocris aut infimæ sortis faciebant, juxta *Chrysostomum libro I. cap. 3. de Sacerd.* Idem contingebat Diaconis ob reverentiam sacrorum ministeriorum, quod sacra manu Christi sanguinem dividerent, ceu è vita S. Nili animadverti potest. Cum enim ad eum invisendum pietatis & honoris causa multi se siste-

sisterent, ejusque manus vellent osculari, non patiebatur, dicens: Non sum ego Episcopus, aut Presbyter, sed humillimus Monachus. Ad quid igitur manum meam osculari vis? Vestigium ejusdem respectus in gentilismo deprehenditur, quando videlicet Indi ethnici suos demagogos æquali honore prosequuntur. *Petrus della Valle Itinerarii parte IV. Epistola I. pag. 37.* Vor den Thüren dieser Tempel sahe ich einen ordentlichen Hauffen derjenigen Nackenden/ und an ihrem Leibe mit Asche / Koth und Farbe besudelten und beschmiehrten Giophi, (sind eine gewisse Gattung der Einsiedler / derer Wissenschafft meistentheils in der Weissagungs Kunst / in denen Geheimnissen der Kräuter / und anderer natürlichen Dinge / wie auch in der Schwartzen Kunst und Zauberey / deren sie sehr ergeben sind / und sich berühmen / daß sie Wunder-Dinge damit anrichten können) in einem Kreyß auff der Erden sitzen / diese umringeten ihr Ober-Haupt / welches nicht nur von ihnen / als Geistlichen ihrer Sect / sondern auch von anderen weltlichen Indianern, wegen eingebildeter Heiligkeit / in so hohen Ehren gehalten wird / daß viel ansehnliche Leute ihm eine tieffe Reverentz machen / die Hände küssen / und gantz demüthig vor ihm stehend / ich gesehen / umb einen Außspruch aus seinem Munde zu hören: Er aber würdigte sie mit einer grossen Ernsthafftigkeit / oder besser zu sagen / ungemeiner Verachtung aller weltlichen Dinge / und dem äusserlichen Ansehen nach / mit einer angenommenen Heucheley / kaum des Anredens / und die jenige / so ihm solche Ehre bewiesen / einiger Antwort.

§. VII. Romanis Imperatoribus usitatum erat, cum quisquam consanguineorum aut alioqui apud eos gratia florentium, secundum adorationem, pedem Imperatoris osculo contigisset, ut Imperator vicissim ejus faciem deoscularetur. Cum itaque Nepos avi pedem osculatus fuisset, ille ne inexpiabili odio flagrare crederetur, sic nec iis Nepotem & Imperatorem dignaretur, quæ privatis tribuerentur, faciem ejus contra ipse osculo libavit. *Johann. Cantacuzenus Historiar. libro* I. *cap.* XVI. *p. m.* 50.

poſt medium. Fuit etiam conſuetudo Principum, eorum quos amarent, non ora tantum, ſed pectus & manus quoque oſculari. *Theodoretus lib. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 7. p. m. 712.* Cum ergò in Palatium totus ille cœtus Epiſcoporum intrâſſet, aliis omnibus prætermiſſis ad magnum Meletium (Præſulem Antiochenum) Theodoſius accurrit, &, velut patris amans filius poſt longum tempus, paterno fruens adſpectu amplexatus eſt eum, oſculatusque OCULOS, LABRA, PECTUS, CAPUT ET DEXTRAM, quæ ipſi coronam impoſuerat. Alexander Magnus cum Darii matrem, uxorem & filium in poteſtatem redegiſſet, puerum in amplexum ſuſtulit, qui cum ab oſculo & complexu ejus aliquamdiu pependiſſet, Alexander ad Hephæſtionem converſus, quam vellem, inquit, Darius vel tantillum ex hac Indole habuiſſet. *Diodorus Siculus libro XVII. Bibliothecæ.* Chares Mitylenæus Alexandrum M. prædicat in convivio quodam cum bibiſſet, uni ex amicis phialam porrexiſſe, illum phialâ acceptâ ad aram verſum aſſurrexiſſe, ac cum hauſiſſet, adorâſſe primum, deinde oſculatum Alexandrum in convivio, poſtquam id omnes deinceps fecerunt, mox accubuiſſe, cepiſſe phialam Calliſthenem, ac non attendente Rege, ſed cum Hephæſtione fabulante bibiſſe, atque ad ferendum Regi oſculum acceſſiſſe. Ibi cum Demetrius cognomine Phidon dixiſſet, cave Rex oſculeris eum: nam unus hic non adoravit te, Alexandrum oſculum declinâſſe, Calliſthenem verò dixiſſe altâ voce, uno ergo oſculo minus ferens abibo. *Plutarchus in vita Alexandri, p. m. 696.* Emericus Ungarorum Regis filius, à puero literarum ſtudiis deditus cœnobium D. Martini montanum ingreſſus, Monachis impari numero oſcula fixit, cujus rei cauſam quærenti patre Stephano, reſpondit: Continentiæ diſcrimen ſe hoc pacto oſtendiſſe. Cum autem filius Maurum ſepties oſculatus eſſet, (qui numerus perfectionis eſt) pater eum Quinque-Eccleſienſi Epiſcopatui præfecit. *Bonfinius libro I. Rerum Hungaricarum, Decadis ſecundæ.* Hodiè Principes in figendis oſculis non adeò prodigi ſunt, niſi id conſuetudo exigat, propter certam rationem ſtatus, ne ſcilicet

fami-

familiaris illa Comitas illorum authoritatem imminuat, exemplo asperæ Nomadum gentis, quæ nulli mortalium, ne quidem propriis liberis oscula dedit. *Pierius Valerianus Hieroglyphicor. libro XXII. cap. IV. pag. 261. edit. Coloniensis, in mediana formâ. Anno* M DC XIV. *Valer. Max. lib* II. *cap.* 6.

§. VIII. Cæterum reverentiæ contestandæ causa Principes à civibus, Præceptores à discipulis, heri à servis osculo honorabantur. *Calvinus in Lexico Juridico ex Jacobo Spigelio, V. osculum.* De priori intelligendus est locus *Latini Pacati, à Lipsio Elector. lib.* II. *cap.* 6. allegatus: Ille Imperator Theodosius cohonestatus affatu, ille mensâ beatus, ille osculo consecratus est. Atque hæc salutatio quæ per osculum Imperatori & Principi deferebatur antiquis Scriptoribus sacræ Purpuræ adoratio est. Juxta *Pancirollum parte* I. *Rerum memorabil. Tit. XLVI.* Qui enim Imperatores vel Principes salutabant, non osculabantur illis genua nec manus, sed congeniculati aut genubus flexis purpuream ipsorum vestem tangebant, hoc est, Interprete *Salmuthio ad l. c.* Sacram ipsius Purpuram adorabant, quia scilicet dextram manum quamprimum hanc purpuream vestem attigissent, ad os admovebant & suaviabantur. Conf. *praced. Dissert.* IX. §. XIX. XX. Ad posterius nonnulli illud Proverbiorum *c.* XXIV. *v.* 26. trahunt: *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet, quod multos habebit discipulos, qui sciscitantibus facit satis.* Boni enim Pædagogi & boni Præceptores semper bonis discipulis & gratis dilecti, & ab iis omni officiorum ac beneficiorum genere affecti: ipsisque adeò placuit vox *Senecæ lib. VI. de beneficiis cap.* 16. Quia Præceptor in docendo monendoque me laborem & tædium tulit, præter illa, quæ præcipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium labens & pigrum, injectâ, ut ita dicam, manu extraxit, nec quæ sciebat, malignè dispensavit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit si posset, universa transfundere: Ingratissimus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo. Talis fuit

in

in Leonidam & Aristotelem Alexander, quorum illum ut avunculum aut certè propinquum matris & coluit semper, & ejus monitorum libenter recordatus est, ut testatur *Plutarchus in vita Alexandri.* Istum verò ut numen quoddam veneratus est, & regiis muneribus prosecutus. De M. Antonino Philosopho Imp. laudatissimo hoc quoque constat ex Historicis, cum, ut Præceptoribus optimis est usus, ita & gratissimum erga omnes discipulum fuisse, è quibus tantum Cornelio Frontoni detulit, ut statuam etiam ei à Senatu peteret: Universum autem omnibus Magistris suis tantum honoris habuit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulchra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret. *Piccart. Observat Hist. Polit. Decad. XI, cap. 9.* Sed ad oscula revertendum. Milites Imperatorum dextras victrices ob heroica facta *apud Alexandrum ab Alex Neapolitanum lib. II. cap. 19. Genial. Dier.* & Justinum osculari loquuntur, posterior namque illud de morituri Alexandri militibus recenset. Huc respexit *Phædrus Thrax*, Augusti Cæsaris libertus, *libro V. Fabul. Æsopic. cap. 2.* dicens:

> Feliciter subclamant ipsi Principes,
> Illam osculantur, quâ sunt oppressi, manum.

Unde etiam *Plutarchus* originem istius osculi ad militiam referre vult, quamvis modò citatus *Lipsius* in foro natum ex mente *Senecæ Epist.* CXIIX. arbitretur. Alius eorum, *inquit*, manus osculis concedit, quibus designatus contingendam manum denegaturus erat. Catoni de Provincia decedenti mulieres manum sunt osculatæ, quod genus honoris Imperatoribus modo, & quidem perpaucis id temporis tribuebatur. *Plutarch. in Catone.* Imperatorum in expeditionem proficiscentium humeris in æde Vestalium injectum fuisse paludamentum, eorundem in æde Jovis pedem Senatores, & in Templo Jani manum aversam Consules osculatos esse memorat Reverendissimus *Anton. de Gvevara, in Horologio Princip. Lib.* 1. *cap.* 58. Tandem autem ab eo tempore, quo

quo immanissimus Sylla tria civium millia, dextram sibi osculantium, trucidavit, à Romanis abrogatum est, ut nullius deinceps Imperatoris manibus oscula imprimerentur. *Magirus in Polymnemone ex Guevara, l. d.* ubi *Iohannes Wankelius in Notis ex Lucani lib. II.* Pharsalicorum subjicit.

---- Spes una salutis,
Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.

§. VIII. Causam, cur dextræ obtulerint oscula, *Isidorus lib. XI. in Oper. Latinæ linguæ, p. 1095.* reddit talem, quia omnium rerum autoritas dextræ viribus constat, & ipse fidei testis est. Cui pollicem premit *Plinius Histor Nat. lib. XI. fol. 103. edit. Hermolai Barbari,* dicens: Dextera osculis aversa appetitur, in fide porrigitur. Ideoque addit ejus Interpres *Dalechampius*; majores cum se mutuò salutarent, hac parte corporis se potissimum venerati sunt, etiam in fœderibus & pactis sanciendis, *Wilhelm. Stuck, Antiquit. Convival. lib. II. cap. XXXII. p. 242.* Priamus manus Achillis osculabatur, cum rogaret ipsum, ut sibi corpus Hectoris redderet. Homerus Iliados Ω. post medium:

-- Πρίαμος μέγας, ἄγχι δ' ἄρα στὰς
χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα καὶ κύσε χεῖρας.

Priamus Magnus prope verò stans manibus Achillis accepit genua, & osculatus est manus. Vide *Daniel Clasen. Commentar. in Convivium Plutarchi, pag. 49. & Petr. Ravanellum,* Bibliotheca *sacra pag. 466.* Nonnunquam illud lucelli causa, in blandientis urbanitatis Symbolum fiebat, benefactoris enim manus osculabantur, qui civiliores videri volebant, ut constat ex isto *Appuleji* loco *in Apologiâ.* Pontianus pedes nostros advolutus flens & manus nostras osculabundus. *Trebellius Pollio* memorat Gallienum matronas ad consulatum suum rogâsse, iisdemque manum sibi osculantibus quaternos aureos nominis sui dedisse. Quamvis in foro osculatio manuum servorum ferè propria fuerit, quemadmodum *Arrianus*

Dissertat. Epicteti Lib. I. cap. 19. his verbis indicat : ἤξίωται τῆς δημαρχίας, πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται. Ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. *Tribunatum aliquis adeptus est ? Ecce obvii omnes gratulantur, alius oculos osculatur, alius collum*, SERVI MANUS. *Homerus* jam olim Eumæum Telemachi heri sui manus osculantem introduxit Odyſſ. π.

> Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλὰ
> Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας. i. e.
>
> *Osculatus est autem ipsum capiteque & ambobus luminibus pulchris, manibus ambabus.*

Sed *Eusthatius* ad hunc locum ait : Hoc Eumæus facit non tanquam ſervus, nam ſervorum non erat ambos oculos oſculari ; Sed veluti aliquis ſanguinis propinquitate conjunctus , id quod ſequens ſimilitudo docet, quâ paternus quidam affectus Eumæi erga Telemachum ceu filium exprimitur. Cum Ulyſſes ſe ſervis ſuis manifeſtâſſet, iidem officio ſuo deeſſe noluerunt , nam Homerus Odyſſ. Φ. ſcribit :

> Τὼ δ' ἐπεὶ εἰσιδέτην εὖ τ' ἐφράσσαντ' ἕκαστα·
> Κλαῖον ἄρ', ἀμφ' Ὀδυσῆϊ δαΐφρονι χεῖρε βαλόντε,
> Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

h. e. *Hi autem postquam inſpexerunt, beneque cognoverunt ſingula fleverunt circa Vlyſſem prudentem, manibus immiſſis, & oſculati ſunt amplectentes caputque & humeros.* Contra Ulyſſes illis benevolentiam ſuam pari fermè modo declaravit; Statim enim ſubjicit Poëta:

> Ὣς δ' αὔτως Ὀδυσεὺς κεφαλὰς καὶ χεῖρας ἔκυσσε.

Sic autem eodem modo Vlyſſes capita & manum oſculatus eſt ; Simile quid in Odyſſea ω. ſive libro ultimo habetur, ubi Senis Dolii ſervi & mancipii Penelopes manus oſculatur Ulyſſes. Ex illo oſculo poſterioris ævi Scriptoribus peculiarem phraſin AD MANUS AC-

ACCEDERE natam esse observavit Clarissimus Belgii Demosthenes *Lipsius Lib. II. Elect. cap. d.* Hinc *Flavius Vopiscus in Aureliano* : Post hæc Valeriani dicta surrexit Aurelianus atque ***ad manus accessit***, agens gratias militaribus verbis. Et *Julius Capitolinus in Maximino* : Fuit Maximinus sub homine impurissimo tantum honore præditus Tribunatus, sed nunquam ***ad manum*** ejus ***accessit***, nunquam illum salutavit.

§. X. Hoc autem osculum in petitione pariter, gratiarum actione, gratulatione, de qua nuper *Arrianum* audivimus: omnique officii aut demissionis nota adhibebatur. Petentes Magistratum apud Romanos, CANDIDATI, à candida togâ quâ induti incedebant, dicti, benevolentiam populi ambire, prensare, quin & osculo manuum venari solebant, juxta *Rosinum Antiquit. Roman. Lib. VII. cap.* 8. Quot hic verba legis, tot ferè pondera antiquitatis accipis, quæ ut plenius capias, parumper subsiste, & memoranda diligenti attentione dignare. Candidatorum habitus artificio aliquo candidus erat, unde illi boni viri dicti apud *Senecam Epist.* 3. ut moribus virorum pulchritudiue externa vestis responderet. Contra Senatores albatas vestes naturali scilicet candoris colore tinctas induebant. Sic de Tacito Imperatore narrat *Vopiscus.* Senatores omnes ea esse lætitia elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequenter operirent, albati sederent. De Theodosio *Pacatus in Panegyrico.* Quid ego referam festum liberæ nobilitatis occursum? conspicuos veste niveâ Senatores. Primò Candidatos oportebat profiteri nomina sua ante Comitiorum diem apud Magistratum comitia habiturum. Id innuit *Vellejus Paterculus Lib. II. Histor. cap.* XCII. *de C. Sentio Saturnino* loquens: Tum in comitiis habendis præcipuum egit Consulem. Nam & quæsturam petentes, quos indignos putavit profiteri vetuit, & cum facturos, id se perseverarent, consularem, si in campum Martium descendissent, vindictam minatus est. Et Egnatium florentem favore publico, sperantemque ut præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se juncturum, profiteri vetuit; Apud *Svetonium in Augusto*

gusto cap. IV. *Confiteri* legitur in vulgatis, pro *profiteri*, quæ vox in MSS. codicibus. Poterant autem omnes profiteri in togâ candidâ petitionem : populo inquam supplicare in toga candida cuivis erat liberum, qui quod ambiebat à populo se obtinere posse sperabat. Sed præcedebat hic Magistratuum ac senatus cognitio. Ne enim populus Magistratum alicui mandaret indigno, aut contra leges, publicæ rei intererat, considerari Candidatorum causas à Magistratibus & concilio publico: quæ deinde ad populum allegatæ, efficiebant ut eorum tantum qui digni essent, rationem comitiis habere vellet. Si igitur justa & legitima esset petitio, nomina eorum dicebantur *accipi*, *eorumque ratio haberi*; è contrario qui repellebantur, eorum nomina *non accipi* dicebantur, aut *eorum ratio haberi*. Testantur *Livius Lib.* IX. *Lib.* XXVII. *Lib.* XXXIX. *Agellius Lib.* III. *cap.* 9. *Cæsar Lib.* III. *de bello civili*, *Suetonius in* Julio *cap.* XVII. *Cicero in Bruto*, *Philipp.* II. *Lib.* XVI. *ad familiares*, *Epist.* II. *Valer. Max. Lib.* III. *cap. ultimo Lib.* IV. *cap.* 1. Secundò, Professio ista in duo præcipuè erat posita. *Amicorum & populi voluntate conciliandâ.* Amici hic dicebantur, non solum *propinqui & necessarii*, verùm etiam omnes, qui aliquid bonæ voluntatis ostendebant. Hi omnes erant conciliandi. Qui bonam voluntatem ostendebant, erant in triplici discrimine, *Salutatores*, *Deductores*, *Sectatores*. *Salutatores* primâ diei horâ ad domum petitoris veniebant, & salute dictâ domum indè discedebant. Qui ritus apud nullum Scriptorem elegantius delineantur, quam apud *Martialem* nullo non loco. *Deductores* autem matutino tempore veniebant, sed tantisper expectabant, dum petitorem domo exeuntem in forum deducerent. Hi *Anteambulones* ferè dicebantur, ut videre est passim cum apud alios, tam apud *Martialem*. *Sectatores* assidui cum petitore omnibus horis erant, ejusque latera stipabant. Sic amici conciliabantur. Tertiò popularis voluntatis conciliatio quatuor partibus constabat, *Nomenclatione*, *Blanditia*, *Assiduitate* & *Benignitate*. *Nomenclatio* eam habebat vim,

ut

ut petitor suo quemque nomine appellaret ac salutaret. Elaborandum enim erat Candidato, ut singulorum civium nomina teneret: Videbatur enim parum ejus rationem habere, qui aut non tenebat, aut oblitus erat nomen alterius. Quia verò in tanto populo fieri non poterat, ut æque omnes cogniti essent, habebant veteres Romani servos, qui nomina omnium civium, ut quisque occurrebat, suggererent. II. *Nomenclatores* dicebantur, de quibus apud *Suetonium*. *Cicero pro Murana*, *monitores* vocat. *Festus*, *fartores*, Fartores inquit Nomenclatores, qui clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem Candidati. *Nomenclator* quidem quòd nominaret. *Monitor* quod moneret. Fartor quod clam veluti infarciret in aures Candidatorum nomina, ut docet *Festus*. Altera pars rationis popularis erat *Blanditia*. Blandiri dicebantur, cum occurrentes salutarent, non proprio sed honestiori nomine, ut patrem, fratrem, patronum. Quartò *Assiduitatis*, quam tertio loco posui, ad conciliandam populi voluntatem, *tres* erant *partes*, *Ambitio*, *Prensatio*, *Rogatio*. *Ambire* nihil aliud quàm circuire. Ambibant autem petitores non Romæ solùm & in foro, sed etiam in conciliabulis Italiæ, in quibus cives multi negotiandi causa versabantur. Legendus *Plinius Lib. VI. epist. 6*. *Prensare*, rogandi causa singulorum dextram prehendere. *Rogare* denique erat precibus petere, aut beneficium reposcere. Rogabant autem ipsi Candidati, tum adhibiti ab ipsis clari viri, qui *Suffragatores* appellabantur. *Suffragationis* formula apud *Livium* legitur *Lib*. X. ubi sic loquitur Fabius Maximus: P. Decium expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum parente suo, quæso mecum consulem faciatis: Alia item est apud *Suetonium in Julio cap*. XLI. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneat. Rogationis etiam species erat *Tunicæ depositio*. Cujus causas aperit *Plutarchus*, *problem*. 49. Ne in sinu pecuniam gestare possent

Candidati, qua suffragia emerent, sive ut cicatrices adverso pectore acceptas commodius possent ostendere omnibus, qui occurrerent, aut quemadmodum prensationibus & supplicationibus, sic etiam habitu & imitatione corporis se deprimerent. *Benignitas*, quam partem quartam dixi conciliationis auræ popularis, posita erat in *congiariis dandis*, *prandiis*, *prabendis*, *gladiatoribus exhibendis*, *locis parandis*, *pecuniis dividundis*, *dandis deniq; minoribus*. Quin & postremis Reipublicæ temporibus consuetudo obtinuit, ut præsenti pecunia populi suffragia emerentur, & ad eam rem ministri adhiberentur, *Interpretes*, *Sequestres & Divisores*. *Interpretes* teste Asconio erant, per quos pactio inducebatur, quique pecunias pronuntiabant per Centurias, Curias & Tribus. De quibus legendus etiam *Suetonius in Cæsare, cap. XIX.* *Sequestres* erant eodem *Asconio* teste, apud quos pecunia deponebatur. *Divisores* denique, qui singulis nummos distribuebant. Divisorum mentio occurrit apud *Suetonium in Octavio, cap, III.* Paulus Merula de Romanorum Comitiis, circa finem.

§. XI. Nunc è diverticulo in viam. Cum Scipio Nasica ædilitatem, honorem maximum, qui juveni apud Romanos mandabatur, teste *Polybio*, *Lib. X. cap. 4. p. m.* 578. adolescens peteret, manumque cujusdam rustico opere duratam, more Candidatorum, tenacius apprehendisset; eum joci gratia interrogavit. Num manibus solitus esset ambulare? *Valer. Max. lib. VII. cap. V. Exemplo 2.* Gratiarum actionem quod attinet, *Suetonius* tradit *in vita Caligulæ cap. LVI.* C. Caligulam Cassio Chæreæ Tribuno cohortis Prætoriæ agenti gratias osculandam manum obtulisse, formatam commotamque in obscœnum modum. Idem prodidit, Domitianum Cœnidi patris concubinæ, osculum, ut adsueverat offerenti manum, (aversam scilicet) præbuisse, *in Domit. cap.* XII. Huc fortè spectat osculum, quo M. Minutius equitum Magister gratitudinem animi significavit. Cum enim à Q. Fabio Maximo Dictatore ab imminenti periculo liberatus esset, eum amplexus & osculatus est. Idem erat cernere per totum

exer-

exercitum, nam complexu mutuo & osculo sese exceperunt. *Plutarchus in Fabio.* Porrò gratulationis *Casaubonus* meminit in *Animadversionibus ad Suetonium, p.m.* 15. Eumæus apud Homerum Telemacho redeunti gratulans præcedenti §. Verba fecit. Subjungo aliud Exemplum de optimo Principum Trajano; qui *à Plinio in Panegyr. p. m.* 81. tali encomio ornatur: Jam quo assensu, quo gaudio exceptum est cum Candidatis, ut quemque nominaveras, osculo occurreres, devexus ad planum, & quasi unus ex gratulantibus. Honore enim auctos in Senatu amici qui intererant, osculo prosequebantur. Equites recens creatos osculo quasi consecrari historiæ commemorant. Exempli gratiâ, qui ad ordinem Equitum Balnei in Angliâ suscipiendum à Rege evocantur, pridie quam creantur, Eremiticam vestem cineritiam cum Cucullo, pileolo lineo, & ocreas induti, Sacra devoti accedunt, ut militiam suam quasi Deo inprimis militaturi, auspicantur, una cœnant singulisque ministranti duo Armigeri & puer Assecla. A cœna in cubiculum se recipiunt, ubi paratur singulis lectulus cum velariis rubris armisque suis gentilitiis affixis, & juxta vas balneatorium linteis opertum, in quo cum se Deo commendaverint, se abluunt; ut deinceps corpore animoque mundo esse admoneantur; Postridiè postremo bene manè instrumentorum Musicorum sono excitantur, easdemque vestes induunt. Tunc Angliæ Constabularius, Marescallus & alii, quos Rex constituit, eos accedunt, nominatim ordine suo evocant, & jusjurandum proponunt: Scilicet, ut DEUM ante omnia colant, Ecclesiam defendant, Regem honorent, ejus jura propugnent, viduas, virgines, orphanos tueantur, & injuriam, quantum poterunt, propulsent. Hæc cum tactis Evangeliis juraverint ad Sacra matutina Regiis Musicis & Heraldis præeuntibus deducuntur, atque ab iisdem in cubicula reducuntur, ubi Heremiticas vestes exuti, chlamydem holosericam rutilo Martis fulgore relucentem & galerum candidum, candidis plumis super pileum lineum induunt, chirothecas candido funiculo chlamydis colligant. Equos sella & ephippiis scorteis nigris albo inter-

terstinctis & cruce fronte præfixa instructos conscendunt. Ante singulos suos Assecla Eques gestat gladium capulo inaurato, ad quem dependent aurata calcaria, utrinque Armigeri obequitant. Hac Pompa Tubis ante clangentibus ad Aulam Regiam itur, ubi cum ad Regis præsentiam à duobus senioribus militibus deducuntur, Regis Camerario Assecla Baltheum cum gladio dependenti tradit. Ille summa cúm reverentia Regi, qui militem transversum eo cingit, jubetque duos seniores equites calcaria imponere, qui olim creandi militis genua, bene precantes, osculari soliti. *D. Becmann. Notit. Dignitat. Illustr. Dissertat. XVI.* §. 5. In statutis equestribus ordinis aurei velleris §. LVIII. Sequentia leguntur: Als dann soll Er (der angehende neue Ritter) nieder knyen vor dem Obristen / der soll ihm die Kette an den Hals legen / und also selber / oder durch einen andern zu ihm sprechen: Dieser Orden allhie nimt euch einhelliglich auff und an/ in sein Gemein / und zum Wahrzeichen/ ziehret er hiemit euren Hals mit dieser Kette / GOtt geb /daß ihr sie lange Zeit traget / zur Ehre GOttes/ und der gantzen Christenheit / zu Erhöhung Christlicher Kirchen / zu Nutz und Auffnehmung deß Ordens / und dann auch zu eurem selbst Lob und Ehr / im Nahmen deß Vatters/ deß Sohns/ und deß Heiligen Geistes. Darauff sagt der Ritter/Amen. Darnach setzt er sich nieder/ alsdann kommt der Ritter/so am nächsten bey dem Obristen sitzet/ und führet jhn zum Obristen/der umbfähet und küsset ihn zum Zeichen der Liebe / darnach küssen sie ihn alle der Ordnung nach. *Limnæus Jur publ. Lib. VI. cap. 2.* De ordine sancti Michaelis idem L.c. *ex Megisero num.* 59. hæc adducit: Nach diesem knyet der neue Ritter vor den Obristen / der nimt die Ordens-Kette / und legt sie ihm umb den Hals / mit diesen und dergleichen Worten: Der Orden nimt euch in seine Gesenschafft/ und dessen zu einem Zeichen / schencket er euch diese Kette / GOtt gebe / daß ihr sie lange Zeit tragt / zu seinem Lob und Dienst / zu Gutem der Christlichen Kirchen / und zu Auffnehmung und Ehre deß Ordens / und euer selbst / im Nahmen deß Vatters / deß Sohns / und deß Heiligen Geistes / da antwortet der Ritter / Amen. Gott verleihe mir seine Gnad/ so führet ihn dann

ein Ritter/ so unter den gegenwärtigen sitzt/ zu oberst/ gegen den Obristen/ der küst ihn zum Zeichen der Liebe/ deßgleichen thun auch nacheinander alle Ritter so verhanden. Descendentem ad comitia osculari, peculiare materni adfectus fuit; at redeuntem è comitiis dignitate insignitum osculo excipere, commune matri cum aliis propinquis amicis & Clientibus. De materno osculo *Polybius Libro X.* testatur: δοκεῖν γὰρ ἅμα τῷ ἀδελφῷ καθισταμένος ἀγορανόμος ἀναβαίνειν ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, ὡς ἐπὶ τὴν οἰκίαν ἐκείνην δὲ συναντᾷν αὐτοῖς εἰς τὰς θύρας, καὶ περιπλύξασαν ἀσπάσασθαι. i. e. *Visum sibi* (Scipioni per somnium) *se una cum fratre ædilem esse creatum, & cum è foro redirent, processisse ipsam filiis obviam ad fores usque; ibi complexum utrumque esse osculatam.* Et paulò post: *At Scipio candidatum primùm sumtâ (togâ) priusquam surgeret mater, venit in forum, ubi magna cum admiratione, & propter ausi novitatem, & quia jam ante omnibus erat charus, à populo excipitur; mox verò cum in locum Candidatis assignatum esset progressus, ac fratri adstaret; non ipsi solum populi suffragiis delata est ædilitas, verum etiam fratri Lucio propter ipsum. Ita domum revertuntur ambo ædiles renunciati; qui ut ad matrem repentè est allatus nuncius, lætitiâ gestiens, obviam filiis ad fores progreditur, & repentino exsternata gaudio, adolescentes osculatur. Pedo Albinovanus*, sive *Ovidius*, ut Cl. *Barthio Adverſ. Lib. XXI. cap. 2. p.* 1015. visum fuit, in *Elegia de morte Drusii Neronis ad Liviam Augustam matrem*:

Obvia progrediar, felixque per oppida dicar,
 Collaque, & os, oculosque illius ore premam.
Talis erit, sic occurret, sic oscula junget.

§. XII. Ejusmodi blanditiis in curia quoque locus fuit; *Plutarchus enim in Bruto, p. m.* 991. edisserit, conjuratos curiam ingressos sellam curulem Cæsaris circumstetisse, veluti quiddam cum ipso locuturos, & Cæsaris manus apprehendentes, & pectus illius & caput osculatos esse, donec has blanditias mo-

destè primum propulsaret, deinde non desinentibus illis, in assurgendo repelleret. Hodiè in salutatione Magnatum osculatio manuum adhuc viget, qua de consuetudine *Balthasaris Thomæ Ventil, Philos. p. 9.* Judicium apponimus tale: Familiam ducit hæc consuetudo osculandi manus virorum Principum & illustri loco positorum ex Ethnicorum impia & ridicula religione, qui non nisi ad conspectum sacri alicujus, aut in quo divinitatis aliquid inesse credebant, manum ad os referebant. Deos enim quos his signis honorabant, tenui murmure precabantur, uti sibi faverent. Hoc præter Ethnicos Scriptores Hiobi etiam testatur oratio, qua impietatem illam à se removet. Saniores autem cum in Principibus etiam non obscura divinitatis indicia animadverterent, iis honorem hunc habere cœperunt. Et certè cum Deus Magistratus eo loco habeat, ut suo quoque nomine & titulo illos dignetur, rectè videbimur observantiam & subjectionem nostram his indiciis testari. Quare & hic honor olim Principibus adeò fuit proprius, ut si quis alicui eum offerret, hunc illustri loco natum eo ipso testaretur. Ejus rei illustre suppeditat Exemplum illustrissimus Hassiæ Princeps OTTO, qui cum ignotus versaretur in aula Clivensi, hoc ipso honore à nobili quodam Hasso illi delato agnitus dicitur. Hoc igitur honore solos Principes & in Magistratu constitutos salutandos asserimus; qui contra fecerit, & omnibus indistinctè obtulerit, eum à civitate longius, quam adulatoria levitate putamus. Hæc ille.

§. XIII. Unâ heic operâ annota inter alias corporis partes, quales Physici certis numinibus consecratas prædicant, & bonam partem in antecedentibus recensitæ sunt, oscula quoque data fuisse fronti, genis, genibus & mento, misericordiæ assignatis. In Supplicationibus & precibus mentum tangere non infrequens fuit. Pro hoc stabiliendo Poetarum fontem *Homerum* sisto *Libro I. Iliados* sub finem, Thetyn introducentem his quidem verbis:

Δεξιτερῇ δὲ ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα
Λισσομένη προσέειπε Δία.

Dextra apprehendit mentum & ſupplex allocuta eſt Jovem. Item *Odyſſeâ T. poſt medium de Penelope Vlyſſem alloquente.*

Ἁψαμένη δ' ἦ γενείου Ὀλυσσῆα προσέειπεν.

Ubi contigiſſet autem mentum, Ulyſſem allocuta eſt. Nec diſſentit *Ovidius Elegia IV. Lib. 1. Amor.*

Tange manu mentum, quo tangunt more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

Ubi Critici perperam legi obſervant *mentum* pro *menſam*, adeoque minus adcuratè hunc locum à quibusdam eſſe interpolatum, cum precantes menſam tangere ſolenne habuiſſe tradant authoritate & teſtimonio Senecæ fulti, qui *Controverſiarum Libro IV. (vulgò IX.)* Controv. XXV. inquit: in convivio conſtitit catenatus, qui cum languentes Prætoris oculos adſpexit, exiſtimans ipſum Prætoris beneficio dimitti, gratias iſti agere, & utrisque manibus menſam tenens, DI, *inquit*, immortales parem tibi gratiam referant. Verùm ubi ſenſus perſpicuus ſe manifeſtè, ut in Ovidiano loco, prodit, novas quærere interpretationes, iisque lectorem reddere dubium qui occeperit, ille coram cordalis ſerio magnas nugas agere, & pretioſiſſimi temporis jacturam frivolè facere æſtimabitur. Dirimat litem, niſi ſit de lanâ caprinâ, & paupere regno, *Plinius Hiſtor. Nat. Lib. XI. cap. 45.* Antiquis inquit Græcis, in ſupplicando mentum attingere mos erat. Vide interim *Alexandri ab Al. Genial. Dier. Lib. II. cap. XIX. p. m. 86. Edit. in 8. Notas Nicolai Heinſii ad Ovidii diſtichon.* De contactu genuum Homerus Iliados I. l. c.

Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ.

id eſt, *Et ante ipſum ſedit, & prehendit genua ſiniſtra manu:* Et Odyſ. N. ubi Ulyſſes Palladi Paſtoris ſpeciem præ ſe ferenti ſupplicat:

σοὶ γὰρ ἤγαγε.

ἵκομαι ὥστε θεῷ καὶ σοῦ φίλα γοῦναθ' ἱκάνω.

id est, *tibi enim ego supplico tanquam Deo, & tua chara genua accedo.* Similiter Plutarchus in Pompejo de eodem agit p. 649. quando Hypsæum virum consularem adducit, qui Pompejum ad cœnam lotum proficisci observabat, ejusque genibus obsecrans accumbebat. Cum igitur tam variis locis oscula imprimerent, & quasi distribuerent, exinde Poëtæ *dividere oscula* dixerunt, *Horatius Libro I. Ode XXXVI.*

> Qui nunc Hesperiâ sospes ab ultima
> Charis multa sodalibus,
> Nulli plura tamen *dividit oscula*,
> Quàm dulci Lamiæ.

DISSERTATIO XII.
DE
OSCULIS GYMNASTICIS ET ACADEMICIS.

Summaria.

I. Mos veterum scripta cujuscunque generis recitandi. Augusti Imperatoris magna Ingenii capacitas. Ptolomæus Scriptorum victoribus præmia & honores constituit. Septem Iudices electi. Causa & finis recitationum. II. Emendatio Scriptorum. Adclamatores are conducti. Σοφοκλεῖς. *Laudiceni. Recitatores omnium ordinum & dignitatum. III. Poetæ & Sophistæ post peractas recitationes osculis excepti. Iactare manus quid. Iacere & jactare oscula. IV. Exemplaria recitatorum in vulgus sparsa & osculis favoris causa excepta. V. Academiarum laus. Victores in Gymnicis Certaminibus coronati. Poëtis idem cultus exbibitus. Basilius M. Athenis honoris & professionis axiomate ornatus. Gradus Academici. Actus Doctoralis requisita. Osculari passivè apud antiquos. VI. Annuli significatio & Ius. Osculum & benedictio non est de substantiâ Doctoratus. Osculi illius interpretatio. VII.*

Promo-

Promotionis Doctoralis in Angliâ notabilia. Biretum libertatis indicium. VIII. Magistri titulus Doctoribus Theologiæ attributus. Magistri legum. Magistri Artium & Philosophiæ. Osculum in promotione Magistrorum omissum. IX. Imperatorum Regum & Principum favor in ordinem Academicum. Rector Academicus à Rege Ferdinando ad osculum manus admissus. X. Chinensium Doctorum multitudo. Sinenses non nisi doctissimis Reipublicæ administrationem committunt. Gradus honorum Academicorum ibidem adcuratè distribuuntur. Doctorum & Licentiatorum Chinensium mutua concordia. Reges Ebræorum olim Doctores osculo honorabant.

§.I. A Strepero foro & prolixis aularum ceremoniis ad quieta Musarum domicilia & Odéa me confero, in quibus æque ac in his quondam benevolentiæ, honoris & gratulationis indicia oscula fuerunt. Solenne erat veteribus sua scripta cujuscunque tandem generis essent, vel ex publicis theatris, templis, basilicis, cathedris, &c. vel intra privatos parietes in præsentia amicorum recitare. Origo hujus instituti ad Ciceronis vel Terentii, aut etiam superius ævum à nonnullis refertur. Indicium subministrat *Donatus in vita Terentii* sequentibus verbis: Scripsit Comœdias sex, ex quibus primùm Andriam, cum ædilibus daret, jussus ante Cerio recitare, (& forte ex hoc more) ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium fabulæ, quod erat contemptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse: post paucos verò versus invitatus, ut accumberet, cœnasse unà; deinde cætera percurrisse non sine magna admiratione. Plinius *libro 5. Epistola 3.* fatetur nescire se an Accius & Ennius sua scripta priusquam ederent, recitarint. Recito tamen *inquit*, quod illi an fecerint, nescio etiam, sed illi suo judicio poterant esse contenti, mihi modestior constantia est. Inter Romanos hunc morem scripta publicâ recitandi circa Augusti ævum, ex Horatio, Virgilio, qui quartum & sextum ipse in Augusti Palatio recitavit, Ovidio & Suetonio concludas. Quinimò Augustum ipsum auctorem Principem statuere vero consentaneum est. *Suetonius* enim *in vita ejus cap. 84.* de illo ita scribit: Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate primâ & cupidè & labo-

boriosissimè exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse & scripsisse & declamâsse quotidiè traditur. Nam deinceps neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutus est unquam, nisi meditata & composita oratione; quamvis non deficeret ad subita, extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in edilscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia (ex scripto.) Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua, graviores, nonnisi in Scriptis, & è libello habebat, ne plus minus ve loqueretur ex tempore. Apud Græcos & Ægyptios antiquior recitandi consuetudo quod fuerit, testimoniis Scriptorum non sublestæ fidei adstrui potest. In *Sophoclis* vita lego Poëtam à filiis accusatum, legisse suum Oedipum Coloneum. A Ptolomæo Ægypti frequentatam hanc librorum recitationem Procemium *Lib.* „ *VII.Vitruvii* indicat. Reges Attalici magnis Philosophiæ dul„ cedinibus inducti, cum egregiam Bibliothecam Pergami ad „ communem delectationem instituissent, tunc idem Ptolomæ„ us infinito Zelo cupiditatisque incitatus studio, non minori„ bus industriis ad eundem modum contenderat Alexandriæ „ comparare. Cum autem summa diligentia perfecisset, non „ putavit id satis esse, nisi propagationibus in seminando cura„ ret augendam. Itaque Musis & Apollini ludos dedicavit, & „ quemadmodum athletarum, sic communium Scriptorum „ victoribus præmia & honores constituit. His ita institutis, „ cum ludi adessent, judices literati, qui ea probarent, erant le„ gendi. Rex cum jam ex civitate sex lectos habuisset, nec tam ci„ tò septimum idoneum inveniret, retulit ad eos, qui supra Biblio„ thecam fuerant, & quæsivit, si quem novissent ad id expeditum. „ Tunc ei dixerunt, esse quendam Aristophanem, qui summo stu„ dio, summaq; diligentia quotidiè omnes libros ex ordine perle„ geret. Itaque in conventu ludorum, cum secretæ sedes Judici„ bus essent distributæ, cum cæteris Aristophanes citatus, quem„ admodum fuerat locus ei designatus, sedit. Primo Poëtarum „ ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta popu-

lus

„ lus cunctus significando monebat judices, quod probarent, &c.
Causam & finem recitationum alii gloriam famamque habuere, alii quæ & principalis & vera, Judicium auditorum, Scriptorumque suorum emendationem spectavere. De laude & aucupio famæ *Autor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, de Saleio Basso* loquens ait: Et ut beatissimus recitationem ejus eventus prosequatur, ad nullam certam & solidam pervenit frugem: nec inde amicitiam refert, aut Clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre, *Martialis lib. VI. Epigram. XXXIII.*

Quod tam grande Sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Confer *Lib. 1. Epigram. 50. lib. 2. Epigr. 27.* & alibi.

§. II. Alter finis, Judicium auditorum de Scriptis recitatis, Scriptorumque emendatio, æque ac prior à Plinio tangitur *Lib. VII. Epist. 17.* Sua, *inquit*, cuique ratio recitandi, mihi, quod sæpè jam dixi, ut si quid me fugit, ut certè fugit, admoneat, quo magis miror, quod scribis fuisse quosdam, qui reprehenderent, quod orationes omninò recitarem, nisi verò has solas non putant emendandas. Ibidem: Nec verò ego, dum recito, laudari, sed cum legor, cupio. Itaque nullum emendandi genus omitto, ac primùm quæ scripsi, mecum ipse pertracto, deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda; notasque eorum, si dubito, cum uno rursus aut altero pensito, novissimè pluribus recito, ac si quid mihi credis, tunc acerrimè emendo, nam tanto diligentius, quanto solicitius intendo. Optimè autem reverentia, pudor, metus, judicant. Hunc finem recitandi multi simulabant, pauci amabant. Propterea amore famæ adclamatores nonnunquam pretio conducebant. *Plinius Epist. XIV. Lib. 2.* sequuntur Auditores actoribus similes conducti & redempti mancipes, convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ quam in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur.

Inde

Inde jam non inurbanè σοφοκλεῖς vocantur. Iisdem Latinum nomen impoſitum *Laudiceni*. Eò tendunt iſta *Petronii* :

> *Quisquis habet nummos &c.*
> *Carmina componat, declamet, concrepet, omnes,*
> *Et peragat cauſas - - -*

De variis Scriptorum generibus ad ſuggeſtum publicum delatis iterum *Plinius* audiendus eſt *Lib.* VII. *Epiſt.* XVII. A quibus, *inquit*, libenter requiſierim, cur concedant (ſi concedunt tamen) hiſtoriam debere recitari, quæ non oſtentationi, ſed fidei veritatique conceditur. Cur tragœdiam, quæ non auditorium, ſed ſcenam & actores: cur lyrica, quæ non lectorem, ſed chorum & lyram poſcunt. At horum recitatio uſui jam recepta eſt; num ergo culpandus eſt ille qui cœpit. Quanquam Orationes quoque & noſtri quidam & Græci lectitaverunt. Confer *Iuvenalis Satyram* I. Recitabant autem non ſolum nobiles, clari, & potiſſimum Poëtæ, ſed etiam Viri conſulares, imò Principes atque Imperatores. De Imperatoribus *Suetonius* teſtimonia ſuppeditat, Auguſtum laudans *cap. lxxxv*, ſcribit: Multa varii generis proſa oratione compoſuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, veluti in auditorio, recitavit. Sicut reſcripta Bruto de Catone. Quæ volumina cum jam Senior ex magna parte legiſſet, fatigatus Tiberio tradidit perlegenda. De Claudio Cæſare idem *cap.* 41. Hiſtoriam in adoleſcentia, hortante T. Livio, Sulpicio verò Flavo etiam adjuvante, ſcribere aggreſſus eſt. Et cum primum frequenti auditorio commiſiſſet, ægrè perlegit, refrigeratus ſæpè à ſemetipſo. Nam cum initio recitationis de fractis compluribus ſubſelliis, obeſitate cujusdam, riſus exortus eſſet, ne ſedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo ſubindè facti reminiſceretur, cachinnosque revocaret. In Principatu quoque ſcripſit plurimum, & aſſiduè recitavit per Lectorem. *cap.* 42. Denique & Græcas ſcripſit hiſtorias Τυῤῥηνικῶν XX. Καρχηδονιακῶν

νιακῶν VIII. Quarum cauſa veteri Alexandriæ Muſeo alterum additum ex ipſius nomine, inſtitutumque, ut quotannis in altero Τυῤῥηνικῶν libri, altero Καρχηδονιακῶν diebus ſtatutis, velut in auditorio, recitarentur toti à ſingulis per vices. Titus Flavius Veſpaſianus orationes in Senatu recitavit. De Plinio aliisque ſuperius dictum. Videatur *Lipſius Epiſtola XLVIII. Centur. 2. ad Belgas & Matthæus Raderus in Commentar. ad Lib. X. Epigramm. Martialis LX*, ubi de Recitationibus fuſius diſquiritur. Hæc interim hoc loco ſufficiant.

§. III. Poſt peractas recitationes fautores, qui hæc exercitia æſtimabant, tum Poëtis tum Sophiſtis oſculis quaſi applaudebant, ac de egregiis ingenii & induſtriæ ſpeciminibus gratulabantur. De Poëta baſiis excepto lepidiſſimus *Martialis Lib. I. Epigramm. IV.* canit.

Audieris cum grande ſophos, dum baſia captas.

Multi codices & ſcripti & impreſſi legunt *jactas*. Variantès videns hoc modo lectiones, eximia vir doctrina & eruditione *Petrus Scriverius*, ſuſpicatus eſt, mendoſè utrobique ſcriptum; ita tamen ut & mendum parvâ opera tolli, & elegans verbum componi liceret apto congruentique ſenſu. Atque hoc uno modò exemtâ literulâ feliciter aſſequitur, ſic enim immutat, ubi eſt *IACTAS*, ibi *IACTA* reponit, ut ſit:

Audieris cum grande Sophos, cum baſia JACTA;

Subintellige autem audieris. Quaſi dicat, cum & fauſtas adclamantium voces & crepitum jactatorum ab Auditoribus baſiorum, O libelle, ne nimis in hoc glorieris: Nam ſic etiam iidem te auditores extremo togæ ſinu per contemtum in ſublime jactare poſſunt. Cæterum videtur *Iuvenalis Sat. 3.* huc reſpexiſſe, cum ſic in ea ſcriptum ſit de plaudente adulatore:

- - - Qui ſemper & omni
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus.

Sss Pro-

Proinde idem hic erit à facie *jactare manus*, ac si dixisset, manibus *oscula jactare.* Manus enim ad os referebant auditores, atque inde osculum quasi evulsum in recitantes jaciebant. *Phædri* certè verbis ex *fabularum AEsopicarum libro V. cap.*8. de jactatis honoris causa in recitantes ab auditoribus osculis, apertissimè confirmari possunt:

> In plausus (inquit) consurrectum est. Jactat basia
> Tibicen, gratulari fautores putat.

Commemorat autem ea Phædrus quæ faventes in theatro spectatores facere solebant, & scimus hæc omnia è theatro in auditoria penetrasse, ut jam commodè possimus audientes in auditorio, quemadmodum in theatro spectatores, jactantes oscula statuere. Undè intelligitur *Suetonius in Augusto, Cap. LVI.* Eisdem (Augusti filiis) prætextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro, & à stantibus plausum, gravissimè questus est. *Martialis* iterum *Epigramm.* LXXVII. ejusdem libri:

> - - - At circum pulpita nostra
> Et steriles Cathedras basia sola crepant.

Crepantia vocat oscula. Sane crepitus ille sive strepitus, non dati propè ac molliter osculi, sed longius & cum impetu aliquo jactati maximè proprius videtur; & quasi legitimus sensus. Vid. *Franciscus Bernardinus Ferrarius, de Acclamationibus & plausu Veterum, lib.* 3. *cap.* 22. *p.* 196. De Sophistâ illustris locus in Proæresii vita exstat, ubi Eunapius sic loquitur: καὶ τὰ στέρνα τοῦ σοφιστοῦ περιλιχμησάμενοι, καθάπερ ἀγάλματος ἐσθῆν, πάντες οἱ παρόντες οἱ μὲν πόδας οἱ δὲ καὶ χεῖρας, προσεκύνουν, οἱ δὲ θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ λογίου τύπον. Atque omnes, qui aderant, circumlabendo Sophistæ pectus, velut alicujus DEI, alii pedes, alii manus, osculabantur: ac aliqui vocabant Deum, nonnulli Mercurium, Eloquentiæ Præsidem. Plinius Calpurnium Pisonem absoluta

soluta de amoribus in frequenti auditorio recitatione, osculo excepit, quo de ipso *libro V. Epist. XVII. ad Spurinnam* scribit: recitatione finitâ multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi, pergeret, quà cæpisset.

§. IV. Nec illud hoc loco prætermittendum est, ad Scholasticorum favorem inter recitandum ipsi recitatoris libello, seu exemplari ab Auditoribus interdum oscula data esse. Invitabantur enim quandoque ad recitationem auditores domi, vel in auditoriis, sparsis seu distributis libellis, qui nihil aliud quam recitationis instituendæ thema vel argumentum, vel etiam exemplar continebant. De libellis ejusmodi sparsis *Plinius Lib. 3. Epist. 18.* docet: Cepi non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed si comodum esset, & si valde vacaret, admoniti convenerunt. *Autor Dialogi de Oratoribus:* Rogare, *inquit*, ultro & ambire cogitur, ut sint, qui dignentur audire, & ne id quidem gratis, nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & *libellos dispergit*. Cum igitur placeret recitatio, consueverunt Auditores ad recitantis favorem, ipsos, quos scilicet tenebant in manibus, recitationis libellos, seu exemplaria identidem exosculari. De hoc more *Martialis Epigr. IV. Lib. I.* ad librum suum accipitur:

Audieris cum grande Sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.

Admonet librum suum Martialis, ut, licet, dum recitatur, audiat faustas adclamantium voces, dataque ad favorem Auditoribus oscula accipiat, non tamen ob hoc superbius se gerat, cum verè possint adhuc illum auditores impositum sago, per contemptum in altũ jactare. Atq; hunc puto germanum esse hujus loci sensum; quidquid nonnulli ingeniosè magis, quã verè de eo sint commenti. Ex hoc autẽ loco sic accepto illud firmius comprobatur, quod

paulò ante posuimus, fuisse præ manibus auditorum hosce recitationis libellos, seu exemplaria. Quî enim poterant ii aut oscula data accipere, aut in sublime jactari, nisi in manibus auditorum fuissent? *Francisc. Bernardin. Ferrarius Mediolanensis Theologus, de veter. Acclamat. & plausu lib. 3. cap. 22. p. 195. Iosephus Laurentius in Polymathia Libro V, inter varia, pag.* 411.

§. V. Suavissimâ ordinis harmoniâ autem quasi vellicante, præcedenti annecto *osculum Academicum*, ab Academiis, sacratissimis illis omnis sapientiæ Capitoliis & receptaculis nominatum, adeoque dignum, imò Phœbo Judice dignissimum, de quo in luce Academica constitutus agam. Sanè Academiæ & artes sunt lumina & fontes intelligentiæ, à quibus splendor saporque virtutis in omnes partes Reipublicæ fluunt, velutique Musarum orbes & artes sydera in iis fixa. At nisi orbes suum motum, sydera suam lucem habeant, quæ vita rerum, quæ influentia erit? in his Musarum domiciliis ut ingenuæ mentes feliciùs in spem salutis Patriæ proficiant, certos honorum gradus diligentiæ destinavit majorum auctoritas. In *Gymnicis certaminibus* victores olim coronam accipiebant, quam honoris gratia circumferrent, præcoque eorum laudes decantabat. Foliis insuper & herbis vincentes decorabantur, quod virtus vireret, dabantque placentas ex tritico melle & sesamo. Sic & Poetas quondam carminibus certasse, victoresque corona redimitos esse legimus. Quoniam igitur omnes artes gloria atque honore incredibiliter aluntur, id propter veteres Philosophi certos etiam honores Scholasticos Juventuti proposuerunt, quibus ad bonarum liberaliumque artium studia incitarentur. Quod enim Athenis & in Cæsariensi Academia Basilio Magno Doctores & honoris & Professionis insignia conferre voluerint, in Monodia ipsius testatur *Nazianzenus*. Sed ad osculum hujus loci revertamur. Instituere illum ritum Majores nostri, ut in aliis providi, ita quammaximè soliciti, ut actus Doctorales, quos non imme-

immeritò summa Academiarum Ornamenta & oculiferia dixerim, paulo redderent augustiores. Communiter ad illos sex requiri solent, nempè, quod juratò Promotores deponant, eum sufficientem, & quod examinetur, quodque examinatio approbetur; item quod biretum in signum splendoris capiti imponatur; & quod cathedra investitura possessionis tradatur, & liber veluti materia conferatur, uti LL. Dd. quos *Besoldus in Thesauro* allegat, declarant. Hisce traditio osculi ac annuli, nec non benedictio à glossâ *ad Clement.* 5. *de Magistris cap.* 2. accensetur. Atque horum quædam, nempè Cathedram, Librum, Biretum, Annulum aureum dicunt Dd. substantialia & necessaria, & quæ omitti non possint, *Bocer. in Orat. de Literar. gradib. & honorib.* Quò referenda inscriptio, quæ hodieque in quodam auditorio Bononiensis Academiæ cernitur talis: Qui prætor judexvè quinquennio in Bononiensi Gymnasio Studiorum causâ non consumto ad judicandum accesserit, decreta ejus sententiave irrita sunto: Qui Doctor in ordinem adscitus libro à majoris Ecclesiæ Archidiacono non accepto fuerit, ejus dignitas licet peritorum omnium suffragiis comprobata, prorsus nulla esto. *Nathan. Chytræus in deliciis Itinerum.* Alii Dd. aliter statuunt; Additionator enim ad *Guidonis Papæ Quæst.* 388. *de Advocat. & Doctoribus* ait: quod traditio annuli, osculum & Benedictio, non sunt de substantia: quia ut *inquit* Dominus *Baldus*, mulieres osculantur, desponsantur, & benedicuntur, & tamen non Doctorantur. Obiter hic nota, quod non semel apud veteres *osculari* passivè usurpatum, & pro illo etiam *osculare* legatur, sicut *revertere, experire, irasco, assentio, proreverti, experiri, irascor, assentior.* Prius ex loco Baldi patet, alterum reperio in Actis Passionis Gordiani Martyris: Quem ego videns, merear pedes ejus *osculare*, per quem salvatus sum. *Salmasius in Notis ad Spartianum, pag.* 58. *De La Cerda Adversar. Sacror. capite* XXXIX. *num.*8. *pag.*39. *Barthius Advers. lib.* XXV. *cap.* VII. *p.*1225. *seqq.*

§. VI. *Matthias Stephani* JCtus nominatissimus, *Lib.3.parte 2. cap. XIV. Tractatu de Iurisdictione Imperii Romani, p. m. 129. seq.* scribit: Solet etiam conferri annulus itemque osculum & benedictio, quæ tria tamen non esse de Substantia Doctoratus, quidam volunt. *Mascardus de Probationibus, volum.*1. *Conclus.* 527. *num.*16. Erat autem annulus ingenuorum insigne, & qui charissima quæque amicis communia dabant, annulum tradebant. At quidam per annulum doctrinarum Studia etiam desponderi promotis volunt, ut sicut per eum contrahitur matrimonium inter virum & uxorem; ita etiam inter scientiam & Doctorem. *Arg. c. fæminæ 3. quæst.*5. Quin autem Candidatis per annulum tribuatur Jus annulorum, dubitandum non est, uti & aureos annulos attributos ingenuis constat, cum libertinis argentei relinquerentur. *Isidorus libro XIX. Etymolog. c.*32. Et quidem annulos aureos ferre solis ingenuis licuisse, autor est *Isidorus Lib. XX.* ob quam causam liberti jus aureorum annulorum impetrabant à Principe, ut Ingenuitatis jura consequerentur, quod Jus *Modestinus* δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων appellavit, *in l.14. ff. de excusa*; adeoque annulus datur in signum Nobilitatis & ordinis equitum adepti. *Petrus Gregorius de Arte Iuris, cap.*34. *n.*29. osculum & complexus amicitiæ pacis & charitatis Symbolum claudit omnia, ut charitas ipsa. *Rom. XIII. vers.*16. *Proverb. X. vers.*12. *1. Petr. IV. vers.*8, *arg. cap. Pacem. de consecrat. distinct.*3. Hæa insignia in terminis habentur, apud *Petrum Gregorium d. c.*34. *Hotomann. Disp. Feudal. c.*23. *n.* 22. *Anton. Gomez ad l.*83. *Tauri. n.*16. *Alciat. lib.*1. Παρέργ. *c.* 8. *Zasium in l.* 2. *de origine Iuris, Fulvium cap.*41. *Pacian. Lib.*2. *de probat. c.* 8. *n.*129. *seqq. & Petrum de Lesnauderie in Tractat. de Doctoribus p.*1. *Quæst.* 3. *Iohann. Bertachin. in Repertorio, parte 3. p.* 487. *Bartholomæum Chassanæum Catal. de gloria mundi, p. x. Considerat. XXXVI. Zabarell. in Clem. II. in* 1. *quæst. de Magistris*, ubi dicit, quod osculum & benedictio potius de bene esse, seu ad bene reputentur. Pudicissimum est hoc osculum, quod quasi novo Sponso sublimis Theologia, aut casta THEMIS, aut saluberrima Hygieja suis Amasiis porrigit, eoque ipso de concordia & conjunctione in facultatibus firmiter & sin-

sincerè servanda monet. *Vid. Limnaus, lib. VIII. Iuris Publ. de Academiis. Thom. Lansius Commentat. Historico-Politico-Iuridica de Academiis. D. Tackius in restaurata Academia Giessensi, p. 104. Iacob. Benius de Privilegiis I. consult. part. 1. p. 19. §. 10. Matth. Colerus de Processu Execut. part. 2. c. 3. n. 135. Ernest. Cothmann. Consil. Academ. responf. XLIV. num. 36.* In actu Promotionis Doctoralis Theologicæ, Anno M DC XII. d. XXII. Junii Jenæ sub Rectore Magnificentissimo, Domino Dn. Johanne Ernesto, Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montem &c. & Prorectore Magnifico Dn. D. Alberto Gravrero, SS. Theol. Prof. Ordin. institutæ & excusæ ibidem Anno M DC XIX. D. *Ambrosius Reudenius* Theologus hæc verba adhibuit: *Quintò, osculo complector vos testificans, nos propter unam eandemque Confessionem vos agnoscere pro fratribus, & in vineâ Domini pro Synergis. Eodem quoque vos commonefactos volo, ut conjunctionem Ecclesiarum & Scholarum piam & salutarem, secundum præscriptum verbi divini, summo studio tueamini & adjuvetis; nec ullis pravis cupiditatibus eam distrahatis; neque aliorum detrahatis meritis ac diligentiæ. Nihil præterea geratis per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem existimet. Colatis insuper amicitiam & concordiam, cum omnibus puram Evangelii doctrinam profitentibus, memores dulcissimi Psalmi cxxxii. Ecce quam bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum,* &c. Omnia denique Christianæ Ecclesiæ membra verâ & fraternâ dilectione prosequamini. *D. Iohann. Kitzelius Discursu Academico, de Regali hab. Iudæorum quatenus in Imperio Romano inter Christianos tolerari possint,* habito in solenni promotione quatuor Doctorum LL. Giessæ Anno MDCXVII. his verbis concludit: *Postremò, Clarissimi Dn. Doctores, vos etiam veræ amicitiæ Symbolo, osculo nimirum amplector, eoque in fraternitatem & amicitiam nostri ordinis vos recipio, quæ cum non in contentione, sed in veritate consentientium consistat, ad concordiam, quâ parvæ res crescunt, sectandam, discordiam, quâ magnæ res dilabuntur, effugiendam, vos adhortor, ut per omnem vitam vestram, tam pacem publicam, quàm privatam, salvâ tamen justitiâ &*

veri-

„ veritate, tueamini, præstando superiori honorem & obsequium, æquali consilium & auxilium, inferiori benevolentiam „ & subsidium, sinceros & veros Justitiæ antistites vos ubivis locorum exhibeatis, secundum *Spec. in §. fin. de advocat. divers. Iudic.* In consilio sitis cauti, in Patrocinio fideles, in judicio „ justi, cogitantes vos de talento vobis concredito, supremo omnium Judici tandem rationem reddituros esse. Atque hoc „ amicitiæ & charitatis Symbolo, uti Charitas ipsa omnia claudere dicitur, hunc actum concludo. Ejusmodi osculum in solenni Doctorum proclamatione ubivis adhibetur.

§. VII. Superpondii loco addo testimonium Promotionis Doctoralis in celeberrima Anglorum Academia Oxoniensi An. M DC XVI. à *B. D. Iohanne Prideaux* celebratæ, ex quâ curiosus Lector aliquid non ubique obvium aut usitatum, unâ operâ observare poterit. Ita verò prælaudatus Autor *Oratione I. inter novem in Solennibus Academiæ Comitiis publicè propositas, loquitur* : „ Ne quis autē vos velut circulatores contemneret, velut Impostores condemnaret, curavit mater Academia, ut certa quædam meriti vestri, & collatæ dignitatis pignora, in hoc publico Ecclesiæ theatro solenniter vobis traderentur. Primò igitur hoc pronubo veluti amoris annulo non desponsat tantùm vos, selectissimæ suæ filiæ Theologiæ, sed certo jungit connubio. Ut autem „ metallum hoc est defæcatissimum, sic vestram cupit futuram „ doctrinam & conversationem. Ut aurum in igne splendet, sed „ non consumitur; ita vos afflictio non fractos, sed purgatiores „ efficeret. Sicut aurum est oculis gratum, & cordi salutiferum: „ ita infirmos illuminaret, & reficeret vestrum testimonium; non „ chymicè ostentando, quod non est, sed re ipsa, quod languet, „ corroborando, quod deficit, supplendo. Cupit ex forma ejusdem vos admonitos, quam in orbem semper redeunt vestri sudores & conflictus. Ut autem circulus hic non admittit angulos, non spiras, non ellepsin aliquam, aut hyperbolen, nec extremitates habet, in quibus desinat; ita perennis debet esse vestra „ in testificando constantia, non simulationis anfractibus tortuosa,

„ sa, non gyris aut spiris serpentina, sed æquabilis, æquidistans,
„ perfecta, verbo divino semper concamerata, in quo omnes ra-
„ dii opinionum coëant, ut inde certam ad circumferentiam de-
„ ducantur. Denique vult hoc μνημόσυνον digitis vestris adaptari, ut
„ semper vobis sit ob oculos, ad refricandam & oneris & honoris
„ tanti, à matre tam indulgenter collati, gratissimam memoriam.
„ Addit Biretum sive Pileum in libertatis τεκμήριον, illudque capi-
„ ti imponit, ut innotescat omnibus, vos non Ancillæ, sed liberæ
„ esse prosapiam. In hujus forma quadrata, habetis ex quatuor virtutibus sertum felicis, verè quadrati; non ad gnomonem tantum Philosophicum, sed Theologicum; qui non ascendat supra se, nec descendat infra se, nec progrediatur ante se, nec regrediatur post se, nec gradiatur dextrorsum, nec digrediatur sinistrorsum. Cum autem humanarum non sit virium ita firmiter & constanter gressus figere, librum hunc tertiò exhibendum vobis curavit, ut columna sit vobis interdiu, & ignis per noctem, & lucerna pedibus vestris, & lumen semitis. Quare ut Johanni præcepit Angelus *cap. X. Apocalypsis v. 10. Accipe libellum & devora eum, quia oportet te iterum Prophetare coram populis, & gentibus & linguis, & Regibus multis:* ita liceat mihi vos affari: Accipite hunc libellum (Biblia) nec digitis tantum attingite, vel sub culcitra reponite, sed devorate eum & in succum convertite. Nam in fortitudine hujus cibi, molestissimum restat iter, à vobis emetiendum: quod ut accinctiores etiam capessatis, OCREATOS vos in hunc locum quartò adduxit Academia, ut gregibus citò adesse & hostium terga premere expeditius potuissetis. Postremò hoc sive pacis, sive unionis, sive communionis, vos demittit osculo; adeò, ut in annulo assiduitatem, in Bibliis veritatem, in pileo libertatem, in ocreis celeritatem, in osculo charitatem, quasi tot emblematis variegatam accepistis. H. I.

§. VIII. Nunc à Doctoribus ad Magistros devolvor. Notum est, Magisterii titulum quasdam Academias eximiis Theologis κατ᾽ ἐξοχὴν tribuere. Parisiis enim, Lovanii & Coloniæ MAGISTRI NOSTRI dicuntur Theologiæ Doctores, qui omnis Doctrinæ censuram sibi vendicant, & veluti possident regnum. Ex quo fit,

ut aliquandò in Principum rescriptis & diplomatibus Magistri Doctoribus præponantur. *Matth. Dresser. Millenario VI. p. 285. Matth. Stephani de Nobilit. Lib. 2. n. 15.* Ita & Imperatoris Caroli V. ad Universitatem Viennensem literæ, quibus Lutheri Libros flammis tradi mandat, hanc gerunt superscriptionem: Den Würdigen/unsern lieben Anddächtigen und Getreuen/N. Rector, Magistern und Doctorn unser Universität zu Wien. *Goldast.* in Reichs-Satzung/*p.* 254. Quin etiam Rotæ Romanæ Auditores vocantur Magistri, quasi ad eam legum peritiam pervenerint, ut Magisterio fungi possint; sive potius, quia Doctoratus Insignia assecuti sint. *Schardius in Lexico, voce, Magistri Legum.* Ita & Justinianus Antecessores Legum Magistros appellat, §. *1. in Constitut. de Jur. docendi rat.* Imò videtur Clemens V. Papa omnium scientiarum Doctoratus etiam dixisse Magisteria: *in c. 2. tit. de Magist. Lib. 5. Clement.* Sed hodiè, ut communissimus loquendi usus manifestum facit, speciatim ille dicitur Magister, qui absoluta septem Liberalium Artium periodo supremæ Philosophicæ laureæ decus ritu solenni accepit, & publicè Magister artium renunciatus est. *Lansius Tractat. de Academiis, p. m* 74. Jam verò cum Philosophiæ Magistri æque audiant Doctores, ac illi qui in superioribus Facultatibus supremum gradum consequuntur, mirari subit, quod in Magistrorum promotione osculum plerumq; omittatur. Hoc ipsum tangit celebris Altorfinæ Academiæ Philosophus & Theologus, Dn. *M. Johann Cunradus Dürrius, in oratione de præpostera & impia libertate Philosophandi, præsertim in Religionis negotio*, cum Anno M DCLXXI. Mense Junio XII. Philosophiæ Candit. Laurea Magistrali exornaret, sic pronuncians: Osculo porrò excipiendi eratis, o mei, etiam nobis à Cæsarea Majestate indulto. Enimverò periculũ est, ne in isthoc cœtu matronali lateat virguncula, quæ ægrè ferat alteri florem maxillarum juvenilium osculo maritari: Nam id genus hominum valdè est irritabile. Ego verò illud amoris & Concordiæ Symbolum penitissimè animis vestris defixum esse velim, cum præsertim amabili Musarum & Charitum numero, auspicato nomine confluxeritis. Conf. *Cellarius in Politic. p. 264. & D. Sithmannus in Speculo Imperii Romani, p. 494. §. 23.*

§. IX.

§.IX. Choragio novensilium Dearum immixtus, dum hilaria Minervæ religioso cultu celebro, non possum prius calamum hinc subtrahere, quàm de magnâ dignatione Rectorum & Doctorum Academicorum, etiam apud summos Principes observatâ, in convitium nostri quod vivimus, seculi, quidquam jucundi adspergam. De Carolo IV. Cæsare *AEneas Sylvius lib. IV. Com. in Panormit.* narrat, cum is Scholam Pragensem more suo ingressus disputantes artium liberalium Magistros in horas quatuor audivisset, idque purpurati molestè ferrent, ac cœnæ tempus instare dicerent: mihi, inquit, tempus est minimè: Nam cœna mea hæc est. Ludovicum Galliæ Regem inter Subsellia Jasonis Maini sedisse legimus: etiam hoc, quod cum ad Collegium perventum esset, Rex Jasoni sinister adæquitârit, cum his verbis; Nunc, Jason, incipit tuum regnum. Maximilianus Imperator nominis ejus primus, non modò Viennensem Academiam, sed & Heidelbergensem sua præsentiâ & auscultatione cohonestavit: quâ de re legenda Academiæ gratulatio inter *scriptores Rerum Germanicarum Marquardi Freheri.* Sed quammaximè notatu dignissimum est, quod *Alvarus Gomez Libro IV. de rebus gestis Francisci Ximenij* Archiepiscopi Toletani *pag.* 97. literis consignavit, his circumstantiis additis: Anno MDXIII. venit Ferdinandus Rex Complutum, & Ximenio latus claudente, magna totius populi literarii lætitiâ exceptus, singulas Scholas diligenter perlustravit, & Professores studiosè audivit. Interea Rector Patribus Academiæ stipatus, cum è collegio in Regis occursum progressus esset, præeuntes ejus Sceptrigeros, quos vulgò *Pedellos* dicimus, Rabduchi Regii, qui & ipsi sceptra gerebant, conspicati, voce intentiori, ut sceptra submittant aut deponant, inclamant: neque enim fas esse, ut præsente Rege, cuiquam Subditorum ejusmodi insignia præferrentur. At humanissimus Rex nihil eâ re Majestatem suam imminui sentiens, ut solito more procedant, jubet, Musarum inquiens illas ædes esse, in quibus fas posceret, ut Musarum sacris initiati regnarent: Ubi addit Historicus; Præclarissimo id sanè exemplo factum fuit, non tamen summis Principibus inusitato, Nam & cum Magnus ille Pompejus universi penè

 orbis

Orbis triumphator, aliquando Athenas venisset, atq; Possidonium Philosophum doctrinæ opinione eo tempore celebrem invisere instituisset, (neq; enim evocari ad se passus fuit) fores de more à lictore percuti vetuit, & fasces januæ submisit, Sapientis hominis & eruditi reverentiâ. Post reversus ad Historiam pergit: Cum gratias Ximenius Ferdinando Regi ageret, pro tam humanâ erga Scholam suam comitate honorificentiæ & splendoris plenâ, Rector ad Regis genua jam procumbens, manus OSCULANDAS suppliciter petebat, & LIBENTER A REGE EXCEPTUS, occasionem Rectorem suum honorandi Ximenius nactus, sic Regem compellâsse fertur; Ni tibi, O Rex, molestum est futurum, edisserat Rector in tua præsentia, quæ me absente in Academia gesta sunt, & Tibi breviter studiorum seriem ostendat, omnemq; aliam hujus suæ Reipublicæ rationem: mihi enim in res diversas & multas distracto, minus ad id præstandum facultatis & memoriæ est. Placuit id Regi humanissimo, sicut & illud, ut Rector medius inter ipsos incederet: Sic enim melius, quæ ille referret, utrumq; intellecturum. Stupenda illa tot Regnorum Principis fuit humanitas, cum immortali Rectorum Academicorũ gloria arctissimè sociata!

§. X. In China extremo Orientis Imperio honores & emolumenta solis iis proposita sunt, qui eruditione præstant. Quia de causa omnes ibi, nullo discrimine vel delectu, literis operantur. Suntq; in illo Regno tot Athenæ, quot sunt civitates & castella: & sunt Doctores penè innumeri, ut credatur, in una Cantonis Provincia sexagies mille reperiri. *Alexander Valignanus in admirandis Regni Sinensis: Nicol. Longobardus in Narratione sinensi*, de Anno 1598. Cataji Sinarum Regionum urbis amplissimæ cives bonarũ artium studiosissimi nemini summum Imperium committunt, nisi se probarit esse omni doctrinâ cumulatum. Nec enim in mandandis honoribus, aut generis, aut fortunæ rationem habent, sed tantum disciplinæ. Omnes igitur qui Principatum expetunt, in artium studia incumbunt. Ubi autem credunt, se aliquam progressionem fecisse, ad certos Judices huic muneri designatos accedunt, quorum Suffragio aut indocti repelluntur, aut ut docti certis

tis honorum insignibus,& minoris jurisdictionis alicujus administratione ornantur. Qui autem diutius in studio permanere,& in majoribus disciplinis versari cupiunt,ubi certum cursum absolverint,aliud judicium longè gravius subeunt. Judicantur enim à viris multo doctioribus,quibus si satisfecerint,ad altiorem honoris gradum ascendunt. Quod si adhuc ampliorem sibi honoris spem proponunt,plures annos in studio consumere, atque ordinatim alia atque alia doctissimorum hominum judicia subire oportet. Etsi pauci per omnes doctrinæ gradus ad amplissimum locum ascendunt,quod multos præstantior vis naturæ, non paucos fortunæ deficiat. Hi tamen pauci summum Imperium in supremo rerum fastigio collocati administrant. *Hieronymus Osorius Libro 3. de gloria,apud Iacob. Middendorp. Lib. 2. Academiar. p. m. 308. Edit. Colon. in 8. Anno* M DC II. Æternaturis fastis inscribi, & ad omnes Posteros,si qui sperandi sunt,transmitti meretur arcta familiaritas,quæ ibidem inter Doctores & Licentiatos Chinenses floret,atque illibata retinetur. Testis est *αὐτόπτης Nicolaus Trigautius, è Societate Iesu*,cujus verba *Lib. 1. de expeditione Christiana apud sinas,cap. V. pag. 41.* in gratiam Lectoris,cum liber ipse in paucorum manibus sit,citra dividiam hic inseram : Est, *inquit*, in hac graduum consecutione illud admiratione dignum, quam ejusdem anni Collegæ inter se necessitudinem contrahant; nam non Licentiati minus quam Doctores,quibus fortuna ut faveret,in eundem annum conspiravit,sese loco fratrum per universam vitam habent,seque mutuò & propinquos suorum collegarum in omnibus rebus adjuvant, unanimi semper animorum consensione. Cum ipsis quoq; examinatoribus arctius vinculum nectunt, quale solet inter parentes & filios,vel discipulos ac Magistros, debitâ semper veneratione; tametsi sæpè contingat, ipsos discipulos altius Magistro per singulos honorum gradus ascendere. Denique Doctores à Regibus Hebræorum quondam osculo honoratos esse reperio;hujus tenoris sunt sequentia *Rambami ap. Schickardum de Iure Regio Ebræorum,c. 4. Theor. 12. p. m. 229.* Præceptum erat Regi honorare Doctores legis. Cum igitur intrabant coram ipso Sy-

edriales aut Sapientes Israël, assurgebat ipsis, collocans eos juxta latus suum. Sic fecit Asa Rex Judæ, etiam discipulis adhuc assurgendo de throno suo, & illos OSCULANDO, appellandoque MI MAGISTER! Mi Domine! Ex quo osculum Academicum natum si quis statuat, forte applausoribus non prorsus destituetur.

DISSERTATIO XIII. DE OSCULIS AMATORIIS IN GENERE.

SUMMARIA.

I. Duplex Amor, alter bonus genius, alter malus genius Platoni dictus. Ambo boni simpliciter. Appetitus naturalis ratione coërcendus. Insani amoris Symptomata & exempla. Nimius amator propriæ uxoris adulter. II. Amor in appetitu boni vel pulchri, sive verè sive apparenter talis consistit. Pulchritudo quid? In sensibus externis quandò offenditur. Iucundissimum quod amas consequi. Pulchritudo puellarum. III. Visus amoris minister. Oculi humani encomium. Visus libidinis aries bellicus. Voluptatis pictura. IV. Aspectu solo conciliatur amor. Amoris sedes in oculis. Non visa atque inaudita quandoque amantur. V. Visionem fieri sola specierum visibilium intra oculos receptione demonstratur. VI. Visus amoris occasio quadam. Menstruus fœminarum sanguis sua natura non est pravus. Lippitudo non per visionem sed per halitum noxium propagatur. VII. Ficini & Valleriolæ sententia de amore per amantium radios visorios excitato. V III. *Exemplis & experientiâ evertitur.* IX *Conversatio & colloquia amorem promovent. Coitus animarum per oscula. Linguarum Commercium, transfundere animas ut una anima sit in duobus corporibus.* X. *Proserpentem bestiam facere. Columbari. Savium. Aureolum basiolum. Varii amantium osculandi modi.* XI. *Osculum amantes beatos reddit. Suavia mutua sunt suavia. Dulcissimis rebus comparantur.* XII. *Amantes innumera basia postulant. Desiderium suavii.* XIII. *Obtorto valgiter labello osculari contemptus causa. Basia mandere. Morsus in osculis dulcissimi. Osculis quæ strictis labris dantur nulla gratia inest. Oscula purpurea. Osculum roseum. Rosa Amasiis oblata. Ex rosis à Venere tactis basia nata.*

XIV.

XIV. *Morsus hominis alteri exitialis & virulentus.* XV. *Amantes manus, caput, oculos & dimidium labrum osculantur. Oscula condimentu suaveolentia reddita. Qui nihil olet rectè olet. Locus Martialis discussus.* XVI. *Laurus excepta basiis. Fores amasia osculis signatæ. Oscula sub prætextu inspectionis annulorum meretricibus fixa clanculum. Arma & galeæ osculis honoratæ.* XVII. *Oscula cũ pomis amatoribus missa. Mala Veneri sacra. Bacchus lætitiæ dator. Amores sub malo cursitãtes.*

§. I. PHilosophorum Phœnix *Plato in Symposiô* geminum amorem adducit, alterum qui in mente æternus amor est ad divinam pulchritudinem pervidendam, cujus gratiâ Philosophiæ studia, & justitiæ & pietatis officia sequimur: alterum, in generandi potentia, qui tanquam stimulus quidam ad sobolem procreandam movet appetitum sensitivum, atque titillat: is etiam amor perpetuus est, á quo assiduè incitamur, ut supernæ pulchritudinis illius similitudinem in procreatæ prolis effigie effingamus. Hos duos amores in nobis perpetuos Plato duos dæmones asserit, qui nostris animis semper adesse videntur, quorum alter ad superna, alter ad interna deprimat. Sunt autem ambo boni simpliciter, quoniam tam sobolis procreatio, quam veritatis indagatio necessaria & honesta censetur. Verum, qui ad supernam pulchritudinem nostrum animum attollit, omni ex parte bonus est, qui verò in generandi potentia occultè continetur, quique cupido dicitur in hominibus, in animalibus brutis concupiscentia ferina, quod est desiderium coëundi cum fœmina amata generandi causa, non quidem cum certa constitutaque fœminâ, sed juxta mentem Logicorum, cum fœmina in universali, non est malus, quemadmodum nec appetitus cibi vel potus, quippe cum ille proservandæ speciei, hic pro tuendo individuo naturâ sit inditus nobis. Cum fœmina autem hac vel illa (ut ita dixerim in Individuo) si freno rationis non moderetur, naturalis quidem est, sed illegitimus. Appetitus enim hujusmodi (ut *Aristoteles* inquit III. *Ethicorum*) puero similis videtur, cujus pædagogus est ratio. Nam sicuti, quandò à Pædagogo nõ regulatur, in concupiscentias longius progreditur, (quo-

(quoniam ejus appetitus insatiabilis est) sic appetitus hujusmodi, si ratione non regitur, mentem à suo statu adeò dimovebit, ut tandem labatur ad pessimam corporis & animi labem. Animi quidem, quoniam à præcipuo ejus bono avertet, quod in veritatis contemplatione consistit, & ad Mysteria viliora, ut ad ferinas immanitates, detorquebit. Corporis autem, quoniam corpus ob tristitiam, qua continuò arescit, tandem in pessimam erosim ducetur, qua multi è vita decesserunt. Symptomata ejus graphicè apud *Plautum* in Cistellaria *Act. II. Scena* 1. expressit Alcesimarchus adolescens hac querimonia:

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram
Qui omnes homines supero, atq; antideo cruciabilitatibus animi,
Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rotâ miser,
Examinor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo, ubi sum, ibi non sum, ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet non lubet, jam id continuo
Raptat, retinet, jactat, largitur, quod dat, non dat, deludit:
Modo quod suasit, dissvasit, quod dissvasit, id ostentat.
Maritimis moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem
Animum: neque nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito pernicies.

Narrat *Matthias Cornax* apud *Zacutum Lusitanum de Medicorum Principum historia Lib. 1. num. 40. p. m.* 80. Adolescentem adamatæ suæ assidentem vena secundum tempora sua sponte disrupta, fervidissimi simul ac copiosi sanguinis profluvium passum. Quod rarum amoris signum ex ebulliente sanguine & fervido spiritu concitatum suis oculis conspexisse refert idem Autor. Alius apud *Franciscum Valleriolam Lib. 2. Observ. 7.* ex amore in insaniam deductus præ tristitia & mœrore sibi ipsi injecisset manus, ni suorum vi prohibitus fuisset. Unde Plato primum amorem, qui mentem ad superna attollit *Calodæmonem*, hoc est bonum genium, secundum verò, qui ad inferna diripit, *cacodæmonem*, sive malum genium appellavit, quod ille semper ad superaa bona animum attollat,

lat, hic autem, quod aliquando ad mala animum rapiat. Ad malum quidem si præter legem rationemque rectam in individuo, hanc Autillam puellam admaverit. Nam qui amat, quam debet, quandò debet, quantoq; amore opus est, non vituperio notatur; quoniam amor, quo deperit, legitimus ac moralis Cupido est. Quemadmodum venereum usum non omnes Philosophi vituperarunt, sed eum, quandò nec cum quibus, nec quanto, nec quandò oportet, committitur. Quandò enim sanitatem non delet, nec est præter legem ac honestus, nec supra hominis facultatem, à Philosophis non vetatur. Quod si venereus usus hoc pacto non vituperetur, minus quoq; Cupido humanus, qui illius desiderium est, vituperio signandus erit. Quandò verò excrescit nimis, etiam in uxore turpitudine non caret. *Sextum* in sententiis scripsisse, autor Hieronymus est, adulterum esse, quisquis in uxorem suam ardentior est amator: quippe in uxorem alienam, aut in fœminam quæ non sibi conjux est, omnis amor turpis est, in suam verò nimius. Sapientis est uxorem amare, sed judicio, non autem affectu, libidinem & pruritum ratione & examine reprimendo. *Seneca* cognitum quendam à se testatur ornatum hominem qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus alligabat, & ne momento quidem præsentia ejus carere poterat; potumque omninò nullum sibi nisi alterius prægustatum labris vir & uxor hauriebant; alia item pleraq;, nec inepta minus, facientes, in quæ improvida vis affectus erũpebat. Origo quidẽ amoris honesta erat, sed nimietas deformitate nõ carebat. Nihil autẽ refert, quã honesta causa quis insaniat.

§. II. Prælaudatus Plato in convivio suo amorem generaliter ita definit: Ἔστιν ἄρα συλλήβδην ὁ ἔρως ὄρεξις τοῦ τὸ ἀγαθὸν αὑτῷ εἶναι ἀεί. Est summatim amor appetitio illa, qua unusquisque sibi bonum semper adesse cupit. Paulò ante hæc dixerat: homines simpliciter bonum amare, & cupere bonum sibi hoc adesse, nec adesse tantum, sed semper adesse. Unde *Aristoteles Lib. 2. Rhetoric. cap. 4.* docet: Amare esse, velle alicui quæ existimat bona; & *lib. 8. cap. 7. de moribus* dicit: Quod absolutè bonum ac jucundum, amabile est. Ob eandem rationem *Plotinus* Sectator Platonis *Ennead. 3. Lib. 5. cap. 4.* scripsit:

Amorem esse actum animæ desiderantis bonum. *Marsilius* verò *Ficinus* mortui penè Platonis Æsculapius, *in Comment. ad Conviv. Platon.* Amorem pulchritudinis desiderium esse statuit. Quod autem pulchrum idem & bonum est, fatente eodem *Platone* & *Marsilio*. Amor itaque affectus est appetitus concupiscibilis, & originem ducit ex rei bonæ, pulchræ & jucundæ cognitione; ex cognitione desiderium nascitur. Ignoti enim nulla Cupido. Desiderium autem hoc ex forti imaginatione rei pulchræ, sive revera talis sit, sive appareat, profluit. Cum pulchritudo ut *Plotinus* inquit, nihil aliud omninò sit, quam ex plurium congruitate venustateq; exoriens gratia, fit, ut hanc in corporibus nostris, si visu perpendas, coloribus lineisque mira coalescentibus proportione, decus gratissimum requiras; si auribus audituque, vocum modulata consonantia eam audias; si olfactu adoratuque, eam olfacias odorabilium eorum, quæ è nobis ipsis exhalant, suavitate; si gustu linguæ basiisque oris atque labiorum, eam dulcedine degustes; sin autem tactu eam lenitate mollitieq; tangas, eorum videlicet, quæ in carnibus tactilia sunt, atque in membris per quæ expletur libido. Quandò igitur illi appetitui secundum conceptam imaginationem satis fit, & amans objecto pulchro potitur, affectus oritur naturalis, blandus & jucundus, qui delectatio & gaudium dicitur, quo calor & spiritus excitantur & foventur, totaque corporis constitutio vegetior redditur. Ἡδὺ μὲν γὰρ τὸ οἴεσθαι τεύξεσθαι ὧν ἐφίεται. Jucundum est, inquit *Aristot. Lib. 2. Rhetoric. c. 2.* existimare, se consecuturum esse quæ appetit. Eò tendunt antiquissimi illi versus in Delo templi vestibulo inscripti:

Κάλλιςον τὸ δικαιότατον λῷςον δὲ ὑγιαίνειν,
πάντων δὲ ἥδιςον, οὗ ἐρᾷ τὸ τυχεῖν

Pulcherrimum quod justissimum. Optima res sanitas: Præ omnibus verò jucundum, quod quisque amat id consequi.

Cæterum ad pulchritudinem suam suscipiendam, puellæ carnes atque membra, & membrorum partes, os atque anhelitus, suavitate odoris disponi debent. Per olfactum enim homines in puellis gratiam atque pulchritudinem percipiunt, quas non muta

ipsa

ipſa animalia in ſuis fœminis olfaciunt. Percipiunt ſcilicet in carnibus, potiſſimum in ore & anhelitu odorem, qui ſi ſuavis fuerit, eo ſummâ voluptate fruuntur. Deinde quis puellam omninò pulchram exiſtimabit, ſi ejus caro atque os fœtida fuerint. Quare ſi in fœtore partium turpis ratio deprehenditur, in ſuavitate ipſum pulchrum habebitur. Quod autem ita ſit, ut diximus, puellæ ipſæ nobis argumento ſunt, quæ ut pulchriores reddantur, odoribus unguentis, rebusque odoriferis, ſe illinunt; quod non facerent, niſi per hæc ſe pulchriores fieri arbitrarentur. Quapropter non ſolum per viſum vel auditum, pulchri ſpeciem deferri ad animam patet, ſed etiam per tactum & olfactum. Siquidem in olfactilibus & tactilibus ratio pulchri dignoſcitur, per guſtum verò non, niſi quà ſubit tactus rationem; quà enim per baſia, in labiis, linguâ atque ore dulcedinem quandam deguſtamus, etiam per guſtum ſpecies pulchri defertur. *Auguſtinus Niphus, Lib. de Pulchro cap. 39. 40.*

§. III. Cauſæ externæ amoris ſunt primò ipſum Objectum pulchrum, quod viſu cognoſcitur. *Philoſtratus* enim *in ſuis Heroibus* aſſerit Poetas velle, amorem primum à puellæ viſu proficiſci; ſervari vero poſt illius idolum ab ea animæ virtute, quam Philoſophi memoriam vocant; per imaginationem autem ſæpe revideri atque recognoſci; & ex ea recognita angi, affligi, noctu diuque vexari. Unde Græcum illud Proverbium: ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται τὸ ἐρᾷν: *Ex viſu naſcitur amor.* Et illud Latinum dicterium: *Oculi ſunt in amore Duces.*

Summa boni eſt, alacres homini contingere viſus,
Quos quaſi cuſtodes defenſoresq; pericli
Proſpiciens ſummâ natura locavit in arce.

Inquit *Serenus Sammonicus.* Ideoque nihil eſt in hoc ſpectabili mundo pulchrius homine, nihil in homine dignius capite, nihil in capite vultu decentius, nihil in vultu oculis elegantius & amabilius. Sũt oculi moderationis, clemẽtiæ, miſericordiæ, odii, amoris, triſtitiæ fideles internũcii; ita ut anim⁹ in oculis habitare videatur, quos cum oſculamur, animũ ipſum credimus attingere. Nec

immeritò Aphrodisæus oculos κάτοπτρον τῆς ψυχῆς dixit. Et si credimus Isidoro, luciferi orbes dicti sunt oculi, quod occulta detegant. Eleganter *Polemon* oculos arcana cordis prodere ac manifestare scripsit, quoniam signa quæ in oculis cernuntur, simulachra sunt affectuum; qui enim penetrare vult, quod continetur in libro vel littera cordis, facillimè id assequetur, si legerit titulum & inscriptionem illius manifestam in oculis. Uno verbo: oculi sunt fidelis quædam inscriptio cordis, Indices cordis, *Marius Bignoni Venetus, Ord. S. Francisci Capuccinor. Theologiæ Lector. &c. in Encyclopædia Concionatorum Dominica 14. post Pentecosten, num.* 14. *p.* 255. *Edit. Colon. in* 4. An. 1676. *Cyprianus in tractatu de zelo* notat Dæmonis industriam ut oculis illudat, ea via dum intentat ruinam animæ præludendo. Offert *inquit*, oculis formas illices & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. *Augustinus Serm.* 83. *de tempore.* Prima adulterii tela, oculorum sunt, secunda verborum. *Gregor. Nyssenus homil.* 4. *in Eccles.* scite visum appellat bellicum veluti arietem, quo fœda libido quatit animas. *Basilius Seleucienfis Orat.* 6. Cum armis vincerent, oculis labebantur, pilis atque hasta superiores formæ jaculis vulnerabantur. Voluptatem cum oculis iniisse fœdus turpe in perniciem animæ dicit *Ambrosius Lib.* 1. *de Abel cap.* 4. Ubi voluptas depicta suis coloribus nobis ita objicitur: Ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretiosas juvenum animas capit, oculis prima tentamenta proludens, quasi diceret, in his qui oculos impudicè vibrant, mulierum aspectus esse velut præludia instantis sordidæ voluptatis.

§. IV. Manent itaque oculi non solum in amore, sed in omnibus actionibus nostris si non duces, certè tamen ministri, qui oblata rerum visibilium & extra advenientium simulachra excipiunt & Dominæ suæ, facultati sensitivæ, intus offerunt, quod historiæ tam sacræ quam profanæ nullibi non comprobant. Cum David venustam Bathsebam in horto lavantem videret illicito amore exardescere cœpit. Simili modo ubi duo illi deliri senes, & Assyriorum dux bellicus Holofernes, isti Susannam, hic verò Juditham, miræ pulchritudinis fœminas conspexissent, illico earum

amore

amore correpti fuerunt. Hinc *Dido apud Virgilium* de Æneæ conſpectu ita conqueritur.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Et Medea apud *Ovidium in Epiſtola Iaſonem* accuſat his verbis:

Tunc ego te vidi; tunc cœpi ſcire quis eſſes,
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Ut vidi, ut perii, nec notis ignibus arſi,
Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.
Et formoſus eras & me mea fata trahebant:
Abſtulerant oculi lumina noſtra tui.

Easdem querelas ingeminat *Plautinus amator senex Demipho in Mercatore Actu 2. Scenâ 2.*

- - - atque ego
Illam adſpicio forma eximia mulierem
Filius quam adduxit meus matri ancillam ſuæ,
Quam ego poſtquam adſpexi, non ita amo ut ſani ſolent
Homines, ſed eodem pacto ut inſani ſolent.

Et ſic plerique ſuo experimento probant eſſe verũ *Theocriti* effatum de homine mente capto, quia oculis hiantibus & patulis hauſerat obverſantes mulierum obſcœnarum ſpecies impudicas: ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη. ut vidit ut periit. Eſt hic opportuna nota, cujus obſequio Medici inferre ſolent, an homo bene valeat, vel ægrotet. Hippocrates n. Lib. 6. Epidemiorum. Ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὕτω καὶ γυῖον Homo, cujus oculi ſunt caſti & dedignantur ea videre, quibus luxuria accenditur, profecto purus eſt, & ab immundis ſordibus alienus. Ille verò ſecus, qui corpora ſpecioſa videre cupit, & geſtit, habet oculos luxuriâ accenſos, & inde patet, turpi Veneris incendio cordis ejus intima conflagrare. Luxit inde Regem ſuum Eduardum II. Angliæ, qui cum poculum vini ab egregia & eleganti muliere porrectum acciperet, diu hæſit in vultu meditando obviæ fœminæ, longiorque mora dedit locum & anſam ſicario Regem occidendi, quem convenire non poterat hactenus occupatum. Itaque vino & muliere periit Rex inclytus, qui ſe recepiſſet incolumis, ſi abſtemius à fœmina oculos avertiſſet, *Andreas Du*

 Cheſne

Chesne in Historia Angliæ sub Ann. 977. Proinde oculis urendi major est vis, quam ipsi igni ; hic enim urit eos qui tangunt, at formosi etiam procul intuentes accendunt, etiamsi non tangantur. Nam præcipua amoris sedes in oculis constituenda. *Philostratus Epistola* 50. O mala faciteri amoris, unde mihi animum occupastis? Nonne videlicet ex oculis? Sic & amor per arcem oculorum, non lignis aut laterculis, sed solis palpebris munitam, inquietum paulatim animum ingreditur. Celeri quidem ut alatus, liber verò ut nudus, invictus ut jaculator. Primi nobis pulchritudinis facem extulistis. *Musæus in Leandro*, cum mortalium animos veluti sagittis amore figi cecinisset, subjicit: O amor! O amor: qui per oculos instillas Cupidinem. *Plutarchus Libro de Amore*: Capiendi amoris visus est ansa. Et hæc quidem omnia quamvis rectè se habeant, prostant nihilominus tamen indubitatæ fidei exempla, etiam non visa atque inaudita amari nec non diligi posse, sed incognita hautquaquam. Achilles enim, ut quidam ajunt, qui Trojæ aderat, & Helena, quæ in Ægypto manebat, absque mutuo aspectu se perditè adamârunt. Sola enim hinc inde narratione audita, se invicem deperierunt. Non multis annis ante nos Rudelsus, Blajæ Dominus, Comitissam, quæ Tripoli imperitabat, suæ pulchritudinis famâ per eos peregrinos delata qui ex Antiochia redibant, summopere deperivit, qui illius amore exardens in Tripolim adnavigavit, ut ejus, quam audierat, pulchritudine frueretur, captus vero in itinere à sæva ægritudine, quum tandem ad eam pervenisset, Deo gratias agens, quod tantum numen videre sibi concessisset, in illius puellæ brachiis non absque animi utriusque mœrore è vita excessit. Apud *Athenæum Lib. XIII. Deipnosophist.* Chares Mitylenæus *Lib. X. Histor. Alexandri* prodidit, nonnullis quosdam amatos fuisse nunquam antea conspectos, quorum species tantum in somnis observata fuisset. Nec ab ratione est quod hi opinantur. Si enim amor desideriũ fruendi pulchri est, & potest quis invisum pulchrum desiderare, ut eo fruatur, fit, ut invisa atque inaudita interdum vi famæ amentur. *Aristoteles ethicorum octavo*, asserit, posse nonnunquam inter aliquos, qui sese nunquam viderint, mutuam esse benevolentiam, licet non amicitiam, quare & mutuus

tuus amor: hunc in modum, ut quidam volunt, Paris classem instruxit, Spartamque caussa visendæ Helenæ pulchritudinis appulit. *Niphus Lib. de Pulchro cap. LXI.*

§. V. Quando autem dicitur per oculos amorem concipi, non putandum est, quod oculi radiis visoriis abs se emissis & intentius in amatam directis ad cor ipsius penetrent idque vulnerent, vel igneo radiosoque spiritu nitentes, pulchritudini amatæ vehementer intenti, radiorum suorum aculeos in adstantis oculos ejaculentur, uti *Marsilius Ficinus in Comment ar. ad Platonis Convivium*, & ex eo *Valleriola Lib. 2. Observat. 7.* statuit. Nos hic cum Aristotele, cujus sententia in Scholis hodie recepta est, asserimus, visionem non radiorum ab oculis emissione, sed specierum sive imaginum visibilium intra eos receptione fieri. Ita liquet ex II. *de Animâ cap. 7. textu 67. ac 74.* & cap. 12. contextu 121. docet Philosophus, omnem sensum esse susceptivum formarum seu specierum sensibilium. Καθόλου περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν ὅτι ἡ μὲν αἴσθησίς ἐστι τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης. Oportet universaliter de omni sensu accipere, quod sensus est susceptivum formarum sensibilium sine materia. Quod si autem omnis sensus secundum Aristotelem formas recipit sensibiles, perque ejusmodi susceptionem sensatio fit, jam visio quoque ad Aristotelis mentem receptione absolvitur. Certè emissionem prorsus rejicit *libro de sensu & sensili cap. 11.* Irrationabile omnino est, inquit, exeunte quodam visum videre & aut extendi usque ad astra, aut quadamtenus prodeuntem conjungi, sicut quidam dicunt. Isto enim melius est in principio conjungi oculi: sed & hoc stultum, quid enim est conjungi lumen lumini, vel quomodo hoc possibile esse: non enim quodlibet conjungitur cuilibet, & interius exteriori quomodo? membrana enim inter est. Contra radiorum emissionem *Balthasar Tellez part. 4. summa in lib. de Animâ disp. 81. sect. 11. n. 7.* inter alia urget, quod cæterorum sensuum sensatio fiat receptione, & proinde idem de visione valere oporteat. Qua ratione *Franciscus* quoq; *Murcia* utitur *disput. 6. super Lib. 2. de Anima quæst. 6.* Actus auditionis, inquit ille & actus aliorum sensuum non fiunt extra mittendo aliquid, sed potiùs recipiendo intra se species sensibiles. Quis enim dicat, auditũ ut audiat, aliquid debere extra se mittere: ergo neq; in potentia

visivâ id debet concedi. Et *Franciscus Piccolomineus libro de sensu visus cap.*17. Confirmatur, ait, hæc opinio per reliquas cognoscentes facultates, nulla enim in homine est facultas cognoscens, quæ primo ab objecto non moveatur. Ita mens à Phantasiâ, hæc â Sensu communi, hic ab externis sensibus moveri dicitur. Similiter reliqui externi sensus per solam receptionem sentiunt. Quare non est putandum, de solo visu secus se habere. Confirmatur, quia non est consonum rationi quod sensus eminentior cæteris, sibi solus mendicet objectum. Conf. *Daniel Sennert. lib. VII. Epist. Nat. scient. c.* 11. Quod autem Sensatio aliter quam receptione specierum fiere nequeat, patet: Nam ut sensio sit, sensum oportet ab aliquo singulari determinari, cum ipse ad sensibilia omnia indifferenter se habeat, & nisi ita fiat, causa non possit reddi, cur potius hoc quàm aliud sentiatur. At nequit ab alio determinari quàm Objecto, quæ determinatio reipsa est motio sensus, qua Objectum recipitur. Non suscipitur tamen Objectum secundum Substantiam suam, quia hæc ad sensum sæpe non pertingit: Ergo quoad imaginem sive speciem. Quod si verò omnis Sensio provenit à determinatione sive motione speciei sensibilis, etiam visus, quandò in exercitium deducitur, visibilem speciem recipiet. Porrò constat tum alios sensus ab excellente sensibili lædi, v. g. à vehementiori sono auditũ; tum visum ab aspectabili excellente. Quis enim nesciat nimio lumine visionem inhiberi, & aciem oculorum obtundi. Quidquid autẽ subjectum lædit, ab eo recipiatur oportet; sed visibile excellens lædit visum, ergò à visu istud recipitur. Majorem nemo, opinor, negabit. Minor experientiâ nititur. Itaq; manifestum est visionem fieri sola specierum visibilium intra oculos receptione, sive immissione, objecta repræsentantium & vices eorum gerentium. Hoc supposito, dico: rem amatam oculis tanquam sensui externo objectam per eos ad sensus internos inprimis imaginationem deferri, quæ dum ejus speciem ut pulchram apprehendit, sibique firmiter imprimit, eam desiderare incipit, & sibi adesse, (ut Plato loquitur) imò unire cupit. Quod desiderium quo magis intendit, eò vehementior evadit amor, adeò ut simul cor afficiatur & conturbetur. Cum videret, inquit

Scri-

Scriptura, Juditham Holofernes, quod excellentis esset formæ, cor ejus concussum est: ἐταλίωθη habent LXX. Interpretes. Lutherus reddidit: Da er sie ansahe/ wallet das Hertz in ihm; id est, cor amore commoveri & quasi intumescere cœpit.

§. VI. Simile à Marsilio adductum nihil ad rem facit. Non enim quemadmodum lippus lippum facit, & mulieris menstruatæ oculi speculum polluunt; ita etiam amantis oculi suis radiis visoriis oculos amatæ feriunt, & ad interiora cordis penetrant, idque ad mutuum affectum incitant. Lippientium enim impuri oculi halitus vitiosos ex maligno humore promanantes ad alterius adstantis oculos extrinsecus tantum, transmittunt, & cum oculorum tunicæ vicinæq; partes tenerrimæ sint, illas facili negotio simili tabe inficiunt. Eadem ratione, si menstruus sanguis etiam oculos invadit, eosque maculat, virulenta ejus effluvia speculi, ceu corporis densi, glabri & pellucidi, extrinseca saltem superficie excipi & contaminari necesse est. Confirmat nostram sententiam suo calculo *Martinus Delrio Lib.* 1. *disquisit. Magic. cap.* 3. *quæst.* 4. sic scribens: *Visus, amoris initii & incrementi duntaxat est occasio quædam: Nam principio visa formæ simulachrum visus offert imaginationi: quod simulachrum Phantasia volvens ac revolvens, causa est cur homo istud objectum judicet dignius esse, quod ametur & expetatur, rebus cæteris. Sic incipit quis amare: mox amor præsentia rei amatæ fovetur & gliscit, non quod objectum externis oculis videat, (nam & absentes magis amore cruciantur;) sed quod assiduè de illo cogitet, illudque plus quàm par est, æstimet, & sibimet imaginando fomenta & faces præbeat amori. Etenim si non intrinsecum malum foret, & ab externa penderet visione, cur cum plures simul eandem videant, & ab eadem videantur, unus iste deperit, contemnunt cæteri? Lippitudo, & à menstruatæ visu speculis inustæ maculæ, non ab ipsa visione & oculi organo manant, sed vel ab halitu infecto, per os ac nares erumpente, vel concavitatibus oculo vicinis, & suffusioni mixtis spiritibus contagiosis. Ad oculum n. est foramen, cui indita pupilla, ex qua per nervum opticum visio procedit. Actio sanè innoxia. Est etiam foramen cerebri aliud, undè nervus motivus, de secundo nervorum conjugio natus, prodit, per hoc foramen cerebrum fundit lacrymas, lippitudinem & alios pravos humores ac*

Xxx *spiri-*

spiritus, & inde per exteriores oculi partes, & orbis ipsius circumferentiam, inter palpebras & tunicam candidam, hujusmodi fluores stillant. Jungo locum ex *Francisci Valesii Philosophiâ sacrâ cap.* 68. Quæ de menstruo sanguine, affirmant, *inquit*, falsa esse ac fabulosa, ipsum indicat experimentum. Versamur enim quotidiè cum menstruatis citra ullam noxam, à quibus tamen, si vera illa essent, neque lapides, neque ipsa durissima metalla illæsa esse possent. At verò menstruus sanguis est ipsemet, quo mulier nutritus, qui nonnunquam ob solam redundantiam citra ullam pravitatem emittitur, aliquandò etiam ob malam qualitatem, qualis tamen est in reliquo sanguine.

§. VII. Secundum *Ficinum* autem, & *Valleriolam*, amantium oculorum radii visorii, non tantum extrinsecus amatæ oculos efficiunt, sed aculeos ad cor usque penetrantes transmittunt. Verba *Ficini, l. c. p. m.* 793. *Operum Platonis* hæc sunt; *quid mirum, si patefactus oculus & intentus in aliquem, radiorum suorum aculeos in adstantes oculos jaculatur, atque etiam cum aculeis istis, qui Spirituum vehicula sunt, sanguineum illum vaporem, quem spiritum nuncupamus, intendit. Hinc virulentus aculeus transverberat oculos, cumque à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia, quasi regionem propriam repetit, cor vulnerat, inque ejus duriori dorso hebescit, reditque in sanguinem. Posteriora hæc verba* Valleriola *ita exprimit: Hic spiritus incensus & jam amatæ rei specie agitatus, cor exagitat, inflammat, uritque nimio motu atque caloris æstu, dum vehementer potiri re amata amans desiderat, dumque vicissim illa nitentes in illum oculos convertit, adeoque mutuo aspectu amantes visorios utrinque manantes radios complicant & commiscent; annon aspectu amatorio præcordia spiritali telo figent, & una cum aspectu mutuo alter alterius amorem combibet? Hæc omnia* Marsilius Appuleji *exemplo confirmat*, Lib. X. Milesiar. *Causa* inquit *omnis, & origo præsentis hujus doloris, etiam medela ipsa & salus unica mihi tute ipse es. Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commovent incendium. Ergò miserere tua causa pereuntis. Et Lysiam Oratorem Thebanum amantem Phædrum Myrrhusium ita introducit: Lysias in Phædri vultum inhiat, Phædrus in oculos Lysiæ scintillas suo-*

rum

rum defigit oculorum, cumque scintillis una transmittit & spiritum. Radius Phædri radio Lysiæ facilè copulatur, spiritui quoque facilè jungitur spiritus. Vapor hujusmodi Phædri corde genitus, Lisiæ statim peti præcordia, quorum hebetudine fit compactior & in priorem Phædri relabitur sanguinem; ita ut Phædri sanguis, quod mirum est, jam i i corde sit Lysiæ. Hinc ad clamorem confestim prourmpit uterque: Lynsias ad Phædrum: Cor meum Phædre, charissima viscera. Phædrus ad Lysiam: O spiritus meus, o meus sanguis, Lysia. Sequitur Phædrus Lysiam, quia cor suum poscit humorem. Sectatur Phædrum Lysias, quia sanguineus humor vas proprium postulat, suam exigit sedem. Verum Lysias sectatur Phædrum ardentius. Facilius enim cor sine minima humoris sui particulâ, quam humor ipse sine corde proprio vivit. Rivus fonte magis, quàm fons rivulo indiget. Igitur ut ferrum, qualitate Magnetis accepta, ad lapidem hunc trahitur quidem, lapidem verò non at trahit: Ita Lysias Phædrum magis, quam Phædrus Lysiam sequitur.

§. VIII. Verum enim verò magnas nugas agunt qui tali modo Philosophantur. Sane si tanta vis inesset amantium oculis eorumq; radiis visivis, ut instar aculei vel teli ad intima cordis penetrarent, nunquam amata ab amantis amore tuta esset, nec unquam amantes ab amata contemnerentur, quod tamen sæpius multis usu venire solet, qui illud Ausonii ingeminant:

Hanc volo, quæ non vult, illam quæ vult ego nolo.

Imò si radii ex oculis in alterius oculos transmissi provocarent amorem, obtenta re amatâ, amoris igniculi non extinguerentur, sed majus indies pluribus aliis de novo receptis, caperent incrementum; cui autem quotidiana experientia reclamat. Pothifari Ægyptii uxor ardentissimo amoris œstro percita quotidie in Josephum oculos detorquebat, nec ullum requisitum ex mente Ficini ejusque hyperaspistæ Valleriolæ, tam in Josepho qui Juvenis erat lucculentus copiosorumq; spirituum, quam in Juvencula libidinosa desiderabatur, nec tamen eorum oculi radiiq; visivi id efficere potuerunt, ut Josephus amore reciproco vicem referret. Sic Holofernes tota mente in Juditham intentus erat, fixoque intuitu oculos in eam vibrabat, attamen tantum aberat, ut istius aspectus quamvis gratiosus & amore plenus Juditham illaquearet ejusque cor pari amore inficeret, ut potius illa

affectu prorsus contrario, facto tamen heroico barbari hostis caput præscinderet: similiter apud *Ovid. Metamorph. l.* 14. circa finē.

Viderat à veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxaretem humili de stirpe creatus,
Viderat & totis perceperat ossibus ignes.

Neque tamen hunc suum amoris ignem in Anaxaretis oculos vel cor radiorum visoriorum virtute trajicere potuit, sed illa

Durior & ferro quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc vivum radice tenetur;
Spernit & irridet, factisque immitibus addit
Verba superba ferox, & spe quoque fraudat amantem.

Notanter quoque differit Caspar à Reies *Quæst.* 24. *n.* 20. Si substantia aliqua ex corpore pulchro in aliud transmitteretur, non posset permanentiam habere, quia vel esset aliquid in vaporis formâ, vel radii igniti corpus ad illum amorem accendentes, quæ tandem substantiæ tenuissimæ, vel antequam reciperentur, facilè in medio dissiparentur, quod & receptæ facerent. Sed cum videamus affectum & desiderium tantopere non solum permanere, sed vexare, & amantem cruciare, id mille affectiones movere clarum est, quod concepta pulchri species imaginationi repræsentata continuò cæteras facultates etiam movet, ut in illius speciei objectum assidue feratur, illud cogitet, ardenter desideret, atque potiri exoptet. Fenestræ igitur tantum sunt oculi, quæ speciem externam amatæ ad interiores domus partes transferunt, & quidem ad interiora amantis non amatæ. Eam ob causam Rex David ita Deum precatur, Psal. CXIX. v. 37. *Averte oculos meos ne videant vanitatem*. Et Christus in Evangelio dicit: *Matth.* 5. *v.* 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam adulterium cum eâ commisit in corde suo.* Quare etiam jubet Dominus, *Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, ibid. v. 29.

§. IX. Secunda causa externa est conversatio & colloquia, præprimis amatoria cum objecto illo pulchro. Quandò enim frequenter offertur persona amata, pedetentim fortius imprimitur ejus pulchra species imaginationi, & affectus hic magis ac magis augetur, ita ut imaginatio continuo talem speciem sibi repræsen-

tet,

tet, de tali perpetuò cogitet, illam anxiè desideret, eaque ratione tandem, ut *Seneca* habet, *labitur totas furor in medullas, Igne furtivo populante venas*, in Hippolyto, v. 278. seq. In conversatione liberiori præcipuum locum occupant tactus, quando solæ manus, facies aut brachia nuda attrectantur. *Gregorius Nazianzenus* ait *Orat. VI.* tactum veluti rabie laborare, quia lethale virus furoris amantium hiantibus undequaque poris cordibus instillat. Concolor est sententia *Hieronymi Libr. in Iovinianum*, ubi scribit: incautos corporum tactus esse vicinos insaniæ. *Idem in vita Hilarionis* ait: tactus atque jocos esse moritura virginitatis principia. *Tertullian. Lib. de spectaculis cap. 25.* Dum sunt discolores sexus, una prava geri, quæ commercio inquit scintillas libidinum, conflabellabant. Atque hunc effectum maximè producit *osculum amatorium*, in quo varias amantium ineptias observare licet. Primò enim illud vel labellis porrigitur, ut quasi hinc & hinc errantes amantium animas transfundat, quando collisa labra crepitant, & alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam faciunt, *Petronius in Satyrico cap. XCII.* Perquam belle *Aristænetus Lib. 2. Epist. 7.* de osculis inter amantes: ἐγγὺς μὲν τοῦ στόματος ἡ καρδία, ἡ δὲ ψυχὴ τῶν θυρῶν. Hoc est, tum cor proximum ori, proximaque anima, januæ suæ. *Et eodem Lib. Epist. XIX.* οὐ μόνον στέρνοις ἁρμόζοντες, ἀλλὰ καὶ φιλήμασιν ἐπισυνάπτοντες τὰς ψυχάς. Τοῦτο γὰρ τὸ φίλημα δύναται καὶ τοῦτό ἐστιν ὁ βουλόμενος. Σπεύδουσιν αἱ ψυχαὶ διὰ τῶν στομάτων πρὸς ἀλλήλας, καὶ περὶ τὰ χείλη συναπτοῦσιν, καὶ ἡ μίξις αὐτὴ γλυκεῖα γίνεται τῶν ψυχῶν. Non admotis solum pectoribus, sed juncta per oscula ipsis etiam animis; hoc enim osculum potest, hoc petit. Festinant invicem ad se animæ per ora concurruntque circa labia, fitque ibi coitus animarum dulcissimus. Huc respexit *Plato* carmine in *Agathonem*, quod est apud *Laertium* & A. *Gellium* *Libro XIX. Noctium Atticarum cap. 11.*

Τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν εἶχον·
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Quod fortassis *Gellius*, vel alius apud eundem & *Macrobium Lib. II. c. 2.* in plures versiculos liberius transfudit, inter Pseudepigrapha Petronii tali modo:

Dum ſemihulco ſuavio
Meum puellum ſuavior,
Dulcemque florem ſpiritus
Duco ex aperto tramite
Anima tunc ægra & ſaucia
Cucurrit ad labias mihi,
Rictumque in oris pervium,
Et labra pueri mollia
Rimata itineri tranſitus
Ut tranſiliret nititur.
Tum ſi moræ quid pluſculæ
Fuiſſet in COITU OSCULI,
Amoris igni percita
Tranſiſſet, & me linqueret.
Et mira prorſum res foret,
Ut ad me fierem mortuus,
Ad puerum ut intus viverem.

Ejusdem cenſus eſt illud *Lucilii satyra 20,*

Eduxique ollis animam in primoribus labris.

Ovidius Libro II, *Amorum Elegia* V. *Linguarum commercium appellat.*

\- - - - Tota labellis
Lingua tua eſt noſtris, noſtra recepta tuis.

Concinit *Petronius* non multum ab initio Satyri:

Qualis nox fuit illa, Dii Deæque
Quàm mollis torus, hæſimus calentes,
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas, valete curæ,
Mortalis ego ſic perire cœpi.

Ex recentioribus *Ioh. Pierius Valerianus* inter Poemata varia Hieroglyphicis annexa collacteum hoc exhibet, p.m. 104. Μία ψυχὴ, δύο σώματα.

Unam animam & corpus geminum qui dixit amorem,
Ore uno geminas vult animare tubas.
Sed pietas, & rara patrum ſapientia, certam
Edocet eſſe animam, corpori utrique ſuam,

Nec

Nec paritas facit ulla, vel omnis ὁμοιομερία
Ut duo quæ numero sint, ea in unum abeant.
Nec te adeo rerum quæ fertur ὁμουσία, fallat,
Ignem igni ut jungat quis, vel aquam det aquæ.
Verum animam invenias animæ ceu glutine quodam
Conjungi, id quotiens oribus ora premas.
Ergo nota una potest dictum emendare Platonis;
Nempe ubi scriptum olim σώματα; fac στόματα.

§.X. Secundò lingua prolatâ aliquem ad basiandum invitabant, id testatur *Plautus Asinar. Actu IV. Scenâ 1.* Fortè si tussire occœpsit, ne sic tussiat, ut cuique linguam in tussiendo proferat. Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat, hoc ne sic faciat? Tu labellum abstergeas potius, quam cuiquam savium faciat palam. *Iohannes Palmerius* legit, quam cuiquam illa *salivium* faciat. Nota inquit, veterum oscula solitos transdere linguam, ac *proserpentem bestiam facere*, & invicem salivas oris miscere. Itaque eleganter *Catullus Epigrammate Elegiaco X. de Gallo:*

Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
* Suavia conjunxit spurca saliva tua.

Et osculantes, ut sunt ineptiæ amantum, rogabant amicam, salivium sibi faceret. *I. Douza* savium, *inquit* hic longe diversum à communi usu significare autumo; & salivam expono, quam suspiciosus amator aliorum oculis prodi aut palam fieri non vult. Quo sensu & *Catullus*, sed nunc id doleo &c. Et *Lucretius Lib. IV.*

- - - - Junguntque salivas
Oris, & inspirant pressantes dentibus ora.

Confer. *Comment. Taubmanni ad l. cit.* Quandoque *linguis exsertis* colludebant, unde Phrasis peculiaris, *columbatim labra conserere*, vel *labris alicui columbari* originem duxit. *Vid. Taubmanni commentar. ad Plauti Asin. Act. 1. Sc. 3. p. 94. Plautus Asinar. Act. 3. Sc. 3.* vocat *facere proserpentem bestiam*, Græcis dicitur καταγλώττισμα. Ad illud osculum digitum intendit *Appulejus lib. 11. Milesiar. Quid istic inquã, est mea festivitas, cum sim paratus, vel uno suaviolo interim recreatus, super istum ignem assari? Et cum dicto arctius eam complexus, cœpi suaviari. Iamque æmulâ libidine in amoris parilitatẽ congermane-*

manescenti mecum, jam patentis oris halitu cinnameo, & occursantis linguæ illisu nectareo prona cupidine adlubescente, pereo inquam. Et Lib. VI. parum ab initio. *Si quis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam Regis filiam, Veneris ancillam nomine Psychem; conveniat retro metas Martias, Mercurium prædicatorem, accepturus Indicina nomine septem* SAVIA SVAVIA, & unum blandientis adpulsu linguæ longè mellitum. Easdem tibias inflat *Tibullus Lib. I. Elegia IX.*

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula

Talia quoque *Sannazarius* desideravit *lib. I. Epigrammatum p. 144.* sic canens *ad Ninam*:

Sexcentas Nina da, precor, roganti
Sed tantum mihi basiationes:
Non quas dent bene fratribus sorores,
Nec quas dent bene filiæ parenti,
Sed quas nupta rogata det marito;
Et quas det juveni puella charo.
Juvat me mora longa basiorum,
Ne me tam citò deserat voluptas,
Nolo marmora muta, nolo pictos
Dearum Nina basiare vultus:
Sed totam cupio tenere linguam
Insertam humidulis meis labellis.
Hanc & sugere, morsiunculasque
Molles adjicere, & columbarum
In morem, teneros inire lusus,
Ac blandum simul excitare murmur;
Hæc sunt suavia dulciora melle
Hyblæo, & siculæ liquore cannæ,
Hæc sola Ambrosiæque Nectarisque
Succus fundere, sola habere possunt.

Et Ioh. Iovianus Pontanus lib. I. amorum ad Cinnamam:

Da mihi basiolum mea Cinnama; quale furenti
Antehac nulla viro fœmina surripuit.

Cum

Cumque meis pariter conjunge labella labellis,
Proserpente mihi fit vaga lingua duplex.
Morsibus in blandis desit dens, murmura desint,
Exclususque vaga spiritus ex anima.
Lascivum satis est, quod mollis Francia libat,
Verum hoc aureolum est Cinnama basiolum.

Nec non *Iohannes Secundus Basio decimo p.m.*86.

Non sunt certa meam moveant quæ basia mentem,
Uda labris udis conseris, uda juvant:
Nec sua basiolis non est quoque gratia siccis,
Fluxit ab his trepidus sæpe sub ossa vapor.
Dulce quoque est oculis nutantibus oscula ferre,
Autoresque sui demeruisse mali:
Sive genis totis, totive incumbere collo,
Seu niveis humeris, seu sinui niveo;
Et totas livore genas, collumque notare,
Candidulosque humeros candidulumque sinum,
Seu labris querulis titubantem sugere linguam,
Et miscere duas jacta per ora animas:
In que peregrinum diffundere corpus utramque,
Languet in extremo cum moribundus amor.
Me breve, me longum capiet, laxumque, tenaxque,
Seu mihi das, seu do, lux, tibi basiolum;
Qualia sed sumes, nunquam mihi talia redde:
Diversis varium laudat uterque modis.
At quem deficiet varianda figura priorem
Legem, submissis audiat hanc oculis:
Ut, quot utrinque prius data sint, tot basia solus
Dulcia victori det, totidemque modis.

§.XI. Sanè osculo muliebri nihil suavius reperitur. *Achilles Tatius libro I V. de amoribus Leucippes & Clitophontis, p.m.*236. Imò osculum amantes super omnia beatos reddit, præsertim si sit mutuum; quorsum tot Poetarum suspiria tendunt. Hinc laudatus *Pontanus Lib.*1.*Amor.fol.*18, de Amasia sua scribit;

Sancta favet, jamque & placidis arrisit ocellis
 Aureolumque dedit lux mea basiolum.
Basiolum nigra quo me revocavit ab unda
 Atque animam fessis reddidit articulis.
Quo sine non Arabum sylvæ, non rura Sabæa,
 Ambrosiæ spiret nec sine mollis odor.
At tibi servati tanto pro munere vatis,
 Sudabant tepidis thurea dona focis.

Itemque *lib.* II. *Eridanorum fol.* 126. *ad Ambrosiam*:

Sparsisti Ambrosia Ambrosiam per labra, meisque
 Suxisti è labris Ambrosia Ambrosiam.
Suavia tunc & enim sunt suavia, mutua cum sunt,
 Et dant, & capiunt mutua qui faciunt.
Ambrosiam diffunde, dedi cum basia, suge
 Cum capis alternis Ambrosia, Ambrosiam.
Suavia sic & erunt tibi basia nostra, mihique
 Et tua, & Ambrosia stillet uterque sua.

Johannes Secundus Basio secundo:

Vicina quantum vitis lascivit in ulmo,
 Et tortiles per ilicem
Brachia proceram stringunt immensa corymbi,
 Tantum, Neæra, si queas,
Candida perpetuum nexu tua colla ligare,
 Jungens perenne basium;
Tunc me nec Cereris, nec amici cura Lyæi,
 Soporis aut amabilis
Vita, tuo de purpureo divelleret ore:
 Sed mutuis in osculis
Defectos, ratis una duos portaret amanteis
 Ad pallidam Ditis domum.
Mox per odoratos campos, & perpetuum ver,
 Produceremur in loca;
Semper ubi, antiquis in amoribus Heroinæ
 Heroas inque nobileis
Aut ducunt Choreas, alternave carmina lætæ

In

In valle cantant Myrtea.
Qua violisque rosisque,& flavicomis Narcissis,
Umbraculis trementibus,
Illudit Lauri nemus,& crepitante susurro
Tepidi suave sibilans
Æternum Zephyri; nec vomere saucia tellus
Fœcunda solvit ubera.
Turba beatorum nobis assurgeret omnis:
Inque herbidis sedilibus,
Inter Meonidas primâ nos sede locarent:
Nec ulla amatricum Jovis
Prærepto cedens indignaretur honore,
Nec nata Tyndaris Jove.

Et Basio V. Dum me mollibus hinc & hinc lacertis
Astrictum premis, imminensque toto
Collo,pectore, lubricoque vultu,
Dependes humeris, Neæra, nostris
Componensque meis labella labris,
Et morsu petis,& gemis remorsa,
Et linguam tremulam hinc & inde vibras,
Et linguam querulam hinc & inde fugis,
Aspirans animæ suavis auram,
Mollem,dulcisonam,humidam,meæque
Altricem miseræ,Neæra, vitæ:
Hauriens animam meam caducam,
Flagrantem,nimio vapore coctam,
Coctam pectoris impotentis æstu:
Eludisque meas, Neæra, flammas,
Flabro pectoris haurientis æstum,
O jucunda mei caloris aura:
Tunc dico, Deus est amor Deorum,
Et nullus Deus est Amore major,
Si quisquam tamen est Amore major,
Tu tu sola mihi es,Neæra,major.

Et hæc est ratio ob quam oscula amatoria idem vates dulcissimis rebus componit *Basio IV.*

Non dat basia, dat Neæra nectar,
Dat roreis animæ suaveolenteis,
Dat nardumque thymumque cinnamumque,
Et mel, quale jugis legunt Hymetti,
Aut in Cecropiis apes rosetis,
Atque hinc virgineis & inde ceris
Septum vimineo tegunt quasillo;
Quæ si multa mihi voranda dentur,
Immortalis in his repentè fiam,
Magnorumque epulis fruar Deorum.
Sed tu munere parce, parce tali,
Aut mecum Dea fac, Neæra, fias:
Non mensas sine te volo Deorum:
Non, si me rutilis præesse regnis.
Excluso Jove, Dii Deæque cogant.

§. XII. Porrò basium nullo fine terminatur, nulla satietate afficit, sed semper recens est. Tria profectò sunt, quæ ab ore præstantissima proficiscuntur, halitus, vox, suavium. Labra utiq; sunt, quæ sese in osculis dandis mutuò contingunt, sed voluptas è fonte, qui in animo situs est, manat. Proinde innumera basia amatores sibi dari postulant. *Catullus Epigr. 7. Hendecasyllab.*

Quæris, quot mihi basiationes
Tuæ, Lesbia, sint satis, superque?
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiti feris jacet Cyrenis
Oraculum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulchrum:
Aut quàm sydera multa, cùm tacet nox,
Furtivos hominum vident amores:
Tam te basia multa basiare
Vesano satis, & super Catullo est:
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Sannazarius Epigram. Lib. 1. Ad Amicam:

Da mihi tu mea lux tot basia, rapta petenti
Quot dederat vati Lesbia blanda suo,
Sed quid pauca peto, petiit si pauca Catullus
Basia? pauca quidem, si numerentur, erunt.
Da mihi quot cœlum stellas, quot littus arenas,
Sylvaque quot frondeis, gramina campus habet,
Aere quot volucres, quot sunt & in æquore pisces,
Quot nova Cecropiæ mella tuentur apes,
Hæc mihi si dederis, spernam mensasque Deorum,
Et Ganimedæâ pocula sumpta manu.

Iohan. Secundus Basio VI.

De meliora notâ bis basia mille paciscens,
Basia mille dedi, basia mille tuli.
Explesti numerum, fateor, jucunda Neæra,
Expleri numero sed nequit ullus amor.
Quis laudet Cererem numeratis surgere aristis?
Gramen in irriguâ quis numerabit humo?
Quis tibi Bacche tulit pro centum vota racemis?
Agricolamve Deum mille poposcit apeis?
Cum pius irrorat sitienteis Juppiter agros,
Deciduæ guttas non numeramus aquæ.
Sic quoque cum ventis concussus inhorruit aër,
Sumpsit & irata Juppiter arma manu,
Grandine confusa terras & cærula pulsat,
Securus sternat, quot sata quotve locis.
Seu bona, seu mala sunt, veniunt uberrima cœlo:
Majestas domui convenit illa Jovis.
Tu quoque cum Dea sis, Divâ formosior illâ,
Concha per æquoreum quam vaga ducit iter,
Basia cur numero cœlestia dona coërces?
Nec numeras gemitus, dura puella, meos?
Nec lachrymas numeras, quæ per faciemque, sinumq;
Duxerunt rivos semper euntis aquæ?

Si numeras lachrymas, numeres licet oscula: Sed si
Non numeras lachrymas, oscula ne numeres.
Et mihi da, miseri, solatia vana doloris,
Innumera innumeris basia pro lachrymis.

Item *Basio VII.* Centum basia centies,
Centum basia millies,
Mille basia millies,
Et tot millia millies
Quot guttæ siculo mari,
Quot sunt cœlo sidera
Istis purpureis genis
Istis turgidulis labris,
Ocellisque loquaculis,
Ferrem continuo impetu.

Et iterum *Basio XVI.*
Latonæ niveo sidere blandior,
Et stellâ Veneris pulchrior aureâ,
Da mi basia centum,
Da tot basia, quot dedit
Vati multivolo Lesbia, quot tulit:
Quot blandæ Veneres, quotque Cupidines
Et labella pererrant,
Et genas roseas tuas:
Quot vitas oculis, quotque neceis geris,
Quot spes, quotque metus, quotque perennibus
Mista gaudia curis,
Et suspiria amantium:
Da quam multa meo spicula pectori
Insevit volucris dira manus Dei:
Et quam multa pharetrâ
Conservavit in aureâ:

Quando autem quis labra tantum alterius libat, non osculatur, sed desiderium osculi excitat, teste sæpius citato *Secundo Basio III.*
Da mihi suaviolum (dicebam) blanda puella,
Libasti labris mox mea labra tuis.

Inde,

Inde, velut presso qui territus angue resultat,
Ora repentè meo vellis ab ore procul.
Non hoc suaviolum dare lux mea, sed dare tantum
Est desiderium flebile suavioli.

§. XIII. Alii retortis labris suaviabantur, quod oppidò festiviter *Petronius* circa finem Satyrici *obtorto valgiter labello osculari* nominat. Valgi verbo utuntur etiam *Nævius* & *Plautus* apud *Nonium*, *Ch. Colerus Terentianar. Epist.* 11. *Balbus Catholico. Valgia* à volvo dicitur, quasi *volvia*, id est, retorsio. Propriè enim labiorum obtorsio est quam facimus, cum aliquem deridemus. Undè valgire est retorquere. Confer Dissertat. I. supra §. VII. Alii Amasiarum labra mordere solebant, cujus apud veteres crebra injicitur mentio. *Catullus Epigrammate Lyrico VIII.* Quem basiabis? cui labella mordebis? Ita Flora meretrix cui cum Cnejo Pompejo stupri consuetudo erat, eum commendabat, quod nunquam potuisset ab illius concubitu sine morsu (aculeo) discedere, apud *Plutarchū in Pompejo, pag.* 619. *Tatius Alexandrinus lib.* 11. *de amoribus p.* 146. *Illa verò artificiosè osculatur, majoreque condita suavitate osculum præbet; non solum enim labris suaviare sat habet, sed etiam DENTIBUS CONFLIGIT, circumbasiantis ora depascitur, ac basia ipsa mandit. In ipso autem Venerei complexus calore, voluptate quasi œstro concitata, & basians MORDET, & insanit; tum linguæ mutuò concurrunt, ac seipsas, quoad fieri potest, osculari nituntur. Sub ipsum congressus finem dulcedinis ardore quodam victa mulier anhelare consuevit. Anhelitus autem hujusmodi amatorio spiritu comitatus, ad summa labra pervenit, errantique osculo & ad imas pectoris partes descendere quærenti obviam fit. Tunc basium ipso cum anhelitu regreditur, amboque in unum coeuntes, cor pulsant, quod basio conturbatum salit, ac nisi visceribus nexum hæreret, sequeretur utique & cum basiis ascenderet. Cicero Verrina VII.* §. 17. Ex mulierum morsu vestigia libidinis atque nequitiæ. *Plautus in Pseudolo Actu* 1. *Scenâ* 1.

Jocus, ludus, sermo suavis, suaviatio,
Compressiones arctæ, amantum compares
Teneris labellis, molles morsiunculæ.

Hora-

Horatius Lib.1. Ode XIII.

- - - - Sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.

Ioan. Iovian. Pontanus osculis quæ strictis dantur labris omnem gratiam adimit, & contrà à mordacibus labris profecta oscula recreare asserit *Lib.2. Eridan.*

Basia cum strictis offers mihi clausa labellis,
Deque tuo nullus spiritus ore venit,
Nescio quid tum triste animum subit, ipsaque nostro
Frigescunt tacito basia in ore situ.
At cum rapta sonant mordacibus oscula labris,
Mixtus & alterno spiritus ore coit,
Meque color meque & sensus, animusque relinquunt.
Inque tuo jaceo languidus ipse sinu.
At tu cum dederis mihi suavia, consere linguam
Inter labra, meo semper & ore fove.
Ne pateant animo egressus, ne frigida lingua
Torpeat, ipse tuo deficiamque sinu.

Appulejus in Poematio ex Menandro : Olli *purpurea* delibantes *oscula*, clemente morsu *rosea labella* vellicent. Rosea labella dum vocat, recordor *osculum* quoque pulchræ fœminæ *roseum* dici propter aliquam analogiam. *Martianus Capella de Nuptiis Philol. Lib. IX.* Jovem Danaë se implicantem memorans:

Sic admovetur ori
Roseumque circumactæ
Rapit osculum puellæ ;
Gremioque complicatus
Pretium tulit pudoris.

Imò Rosæ nomen inter blanditias amatorias olim fuisse testatur *Plautus in Asinaria act.3. Sc.3. Da, meus ocellus, da mea rosa.* Idcirco forte amantes Rosas amasiis offerunt easque illis oscula figere jubent. *Faustus Sabæus Brixianus custos Bibliothecæ Vaticanæ Epigr. Lib. IV. p. 637. Edit. Romanæ in octav. MDCVI. Ad Charitem.*

Etsi

Etsi me fugias, nostrum tamen accipe munus,
Virgo, Dioneas purpureasq; rosas,
Nunc tibi sunt lectæ, & rutilant proprio igne coruscum
Fulgur uti, auratas his tibi cinge comas,
Atque cubent tecum, superant plumasque torumq; ,
Mollicie atque crocum murice cum tyrio.
Hæc formosa licet niteant, non undique fragrant
Ista, Dioneæ ut purpureæque rosæ.
Ipse ego quum nequeam, jussi dent oscula collo,
Inque sinus faustos impete se injiciant.
Parebunt monitis, si tu patiere beata
Dona, suo domino dona beata magis.
Invideo vobis, sed si tam dura negabit,
Urite eam toto pectore, totâ animâ.

Iohannes autem *Secundus* fingit Venerem tetigisse Rosas, & ex illius tactu inde Basia esse nata, *Basio* 1. canens:

Cum Venus Ascanium super alta Cythera tulisset,
Sopitum teneris imposuit violis;
Albarum nimbos circumfuditque rosarum,
Et totum liquidô sparsit odore locum:
Mox veteres animo revocavit Adonidis igneis,
Notus & irrepsit ima per ossa calor.
O quoties voluit circumdare colla nepotis?
O quoties dixit, Talis Adonis erat!
Sed placidam Pueri metuens turbare quietem
Fixit vicinis basia mille rosis.
Ecce calent illæ, cupidæque per ora Dionis
Aura, susurranti flamine, lenta subit.
Quotque rosas tetigit, tot basia nata repentè
Gaudia reddebant multiplicata Deæ.
At Cytherea, natans niveis per nubila cygnis,
Ingentis terræ cœpit obire globum.
Triptolemique modo, fœcundis oscula glebis
Sparsit, & ignotos ter dedit ore sonos,

Inde leges fœlix nata est mortalibus ægris:
Inde medela meis unica nata malis.
Salvete æternum, miseræ moderamina flammæ,
Humida de gelidis BASIA nata rosis.

§.XIV. Morsiunculis ejusmodi amatoriis dum calamum fatigo, memorabilis de morte hominis per morsum illata alteri relatio succurrit, ex qua procul dubio quotquot nomen inter amantes profitentur, ab internecinis præsentissimoque toxico imbutis morsibus, etiam me tacente, sibi summopere cavendum esse intelligent. Rem totam *Zacutus Lusitanus de Praxi Medicâ admirandâ Libro 3. Observatione* 88. *pag.* 116. his verbis complectitur: Apud Græcos autor famigeratissimus *Paulus AEgineta* inter cætera notatu digna unum caput *Lib.5. cap.26.* apposuit, de hominis morsu dum sic dicit: Non extra institutum fuerit cum virulentis bestiis, etiam hominis morsus conscribere. Siquidem maligniores multo aliis ulceribus apparent, præsertim si jejunus momorderit, prius leguminibus usus & præsertim lenticula &c. Idem etiam affirmant *Celsus Lib.5. Cap.26. Plinius Lib. 28. cap. 4. Galen. Lib.1. Sec.gener. cap.13.* Juxta horum eruditissimorum mentem non excusabitur à supplicio homo, qui morsu suo alium hominem momorderit. Nam cum duo bajuli inter se hostiliter rixarentur, horum quidam alium humi jacentem ita morsu plus quam canino supra genu decerpsit & laniavit, ut miser commorsus obortâ in parte gangræna & usque ad bubonem serpente virulentia, quæ nullis unquam auxiliis cohiberi potuit, vitam finiverit. At mordens apprehensus patibulo affixus pœnam persolvit. Vidi alium, cui post jurgia & contentiones ab altero digitus index morsu violento intra dentes attritus abscissus est, & ita ulcus venenosum manum totam contaminavit & putredine infecit, ut solum ea procissa superstes remanserit. Cladem etiam experta est meretrix quædam, quæ ab alia consocia super ancham conmorsa est ita immaniter, ut ulcus contractum cacoethicum, diu affligens solum sudoribus ex similace aspera succubuerit. Etiam hominum morsus aliis ulceribus admodum similes sunt, nisi qui momorderit, vitiosis humoribus abundet, aut diutius à cibo abstineat, aut ira cor-

correptus sit, ut universum corpus ac entes bile madeant, inquit *Galen. loc cit.* Quare cum frequenter homo non mordeat hominem nisi percitus ira, fit merito, ut hujus morsus sit virulentus pro cujus curatione auxilia parat *Lib.5. sec. gener. cap.2. in fin. & lib.6. ejusd. cap.2. Rubric.2. fecit. m. Avicenna 6.4. tract.4. cap.3.* Lege *Haly 4. pract. cap.28.*

§. XV. De more amasiarum manus osculandi *Theocritus* testatur *Idyllio XI.* ubi Cyclops Galateam ita compellat:

Heu mihi! quod mater mea non peperit habentem
Branchias, ut ad te per undas subire possem,
Ac manum tuam osculari, si quidem os non velles.

Inprimis caput ac oculos osculari amantium proprium quoddam erat. *Appulejus Lib.2. Miles. vesperi quoque cum somno concederes, te in cubiculum deduxit comiter, & blandè lectulo collocavit, & satis amanter cooperuit: & osculato tuo capite, quàm invita discederet vultu prodidit.* Oculorum oscula ubique in Scriptoribus amatoriis obvia. Quoniam oculi quasi fenestræ sunt, in quibus mentis imago apparet, atque illorum contactu pectus veluti tangitur. Cordis nuncii sunt; ex his enim virtutes vitiaque agnoscimus, iratum vel propitium animum, lætum aut affectum perpendimus. *Alexander ab Alex. Genial. Dier. Lib.2. cap.19. Plin. Hist. Nat. Lib.* 11. *cap.37. Appulejus Lib.3. Miles.* Cum isto fine, sermonis oculos fotidis udos ac tremulos & prona libidine marcidos, jam jamque semiadapertulos admissis & sorbillantibus suaviis sitienter hauriebam. *Catullus Epigrammate 42.*

At ad me leviter caput reflectens
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata.

Nonnunquam dimidio saltem labro oscula offerebant, uti *Martialis* innuit *Lib.2. Epigramm.10.*

Basia dimidio quæ das mihi Posthume labro,
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare majus ad huc, & inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum, Posthume dimidium.

Et *Epigramm.22. l.c.*

Quid mihi vobiscum est, o Phœbe novemque Sorores?
Ecce nocet vati Musa jocosa suo.
Dimidio nobis dare Posthumus ante solebat
Basia, nunc labro cœpit utroque dare.

Delicatiores tantopere in osculis luxuriabantur, ut illa adhibitis aromatis & condimentis suaveolentia redderent, quod abundè, ex modo adducto Poetâ cognoscitur, *Lib.3.Epigr.LXIV.*

Quod spirat tenerâ malum mordente puellâ,
Quod de Coricio quæ venit aura croco.
Vinea quod primis floret cum cana racemis,
Granicha quod redolent, quæ modo carpsit ovis.
Quod Myrtus, quod Messor Arabs, quod succina trita,
Pallidus Eoo thure quod Ignis olet.
Gleba quod æstivo leviter cum spargitur imbre,
Quod madidas Nardo sparsa corona comas.
Hoc tua, sæve puer, Diadumene, basia fragrant,
Quid si tota dares illa sine invidiâ.

Lib. XI.Epigramm. IX.

Fragravit ore quod rosarium Pæsti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu glebæ.

Præcipuè tamen notanter *Lib.2. Epigramm.XII.*

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia Myrrham,
Quodque tibi est nunquam non alienus odor.
Hoc mihi suspectũ est, quod oles benè Posthume semper,
POSTHUME, NON BENE OLET, QUI BENE SEMPER OLET.

Nam *bene olet, qui nihil olet*, quemadmodum *Plautus Mostellaria actu* I.*Scena* 3. dicit: Mulier rectè olet, ubi nihil olet. Et *Cicero Lib.* 2.*ad Atticum Epist.*I. Quanquam tua illa horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant; & ut mulier ideò *benè olere, quia nihil olebant*, videbantur. Sic *Plinius* scribit, eam aquam esse optimam quæ nihil sapiat, nam hæc natura aquæ est. Itemque *Martialis lib. VI.* Epi-

Epigramm. LV. Malo, quam *benè olere, nil olere.* Prius allegatum Pentametrum B. *Hieronymus Petronio Arbitro* assignat *in Epistolâ ad Demetriadem de virginitate servandâ* scribens: Cincinnatulos pueros & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas (de quibus illud Arbitri est, *Non benè olet, qui benè semper olet:*) quasi quasdam pestes & venena pudicitiæ virgo devitet. Aut igitur *Hieronymus* memoria lapsus, aut versum hunc *Martialis à Petronio* mutuatus est. *Cœlius Rhodiginus Lection. Antiquar. Lib. 24. cap. 25.* censet, utrumque Petronium nempe & Martialem versus ex Plauto desumpsisse. Sine dubio enim Petronius Martialis tempora antecessit, imo *Taciti* testimonio. *Lib. 16. Annal.* Ille ipsus est, quem inter paucos familiarium Nero assumpsit tanquam elegantiæ ARBITRUM. Vid. *Iani Dusæ præcidanea ad Petron. Lib. 3. cap. 2. Savaro ad Sidonii Epist. 11. Lib. 8. Statius Lib. 2. Sylvar. 1. v. 46. Horat. Lib. 2. Carm. Ode. XII.*

§. XVI. Amantes variæ supellectili, item donis jocalibus, verbi causa, annulis, catenis, brachialibus, litteris, suorum quos colebant, oscula offerre solebant; quæ tamen *Kornmannus de lineæ amoris cap. 4.* impropriè dicta esse, nullumque usum habere asserit, atque illis *oralia* vel *corporalia* meritò anteponit. De Lauro adepta & excepta basiis *Papinius Statius Lib. 3. Sylv. 5.* ad Claudiam uxorem ita canit:

- - ter me nitidas Albana ferentem
Dona comas, sanctoque indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis, sertisque dedisti
Oscula anhela meis ——————

Fores amatæ ungendi, coronandi floribus & osculandi morem tangit *Lucretius Lib. 4. de rerum naturâ* circa finem his verbis.

At lacrymans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Ungit Amaracino & FORIBUS MISER OSCULA FIGIT.

Ad eundem scopum collineat *Propertius Lib. 1. Eleg. 16. v. 42.*

Osculaque impressis nixa dedi gradibus.

Olim amicæ ac meretriculæ summis labris annuli appensi denti-

 bus

bus gemmam extertam, ut inspicerent imagunculas in ea sculptas rogabant adolescentulos, quibus clam dare basia vel rapere cupiebant, non enim illi poterant inspicere characteres minutos in annuli fundo sculptos, nisi suum ori puellæ proximum admoverent, diutuleque vicinum detinerent. Qua de re fragmentum *Ennii* legitur apud Cl. virum *Hieronymum Columnam*:

Alii dat annulum spectandum à labris,
Alium invocat, cum alio contar.

Ideoque rectè, ut observat *L. Pignorius Epist. 1.* huc corrogat idem *Columna* è legibus exaratis inter adolescentem, amicam & lænam apud *Plautum in Asinariâ* illa

Spectandum ne cui annulum det, neque roget.

Hæc enim erant *basia clancularia*. *Fortunius Licetus de Annulis antiquorum cap.* 53. Quin & amatorum arma ab amasiis honorabantur osculis. *Propertius Libro 4. Carmine 3.*

Si qua relicta jacent, osculor arma tua.

Propter nullam aliam rationem, nisi quia absentis admonent. Oscula etiam per arma & galeam dabantur. *Virgilius AEneidos 12.*

Summaque per galeam delibans oscula fatur.

Ovidius in Epistolâ Laodamiæ.

Arma dabit, dumque arma capit simul oscula sumet.

Statius Thebaidos Lib. 3. v. 20.

- - - galeis juvat oscula clausis
Inserere, amplexusque truces deducere conos.

§. XVII. Oscula cum pomis sibi mitti amator rogat apud *Petronium Afranium Epigrammate ad Martiam*:

Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
Mittis & hirsutæ munera castaneæ.
Omnia grata mihi sed si magis ipsa venires,
Ornares donum pulchra puella tuum;
Tu licet adportes stringentia mala palatum,
Tristia mandenti est melleus ore sapor.
At si dissimulas multum mihi chara venire,
Oscula cum pomis mitte, vorabo libens.

Theocritus in Bucolico:

Βάλλει

Βάλλει τοι πολύφαμε τὸ ποίμνιον ἁ γαλάτεια μάλοισι.

Quod *Virgilius* festivè vertit:

Malo me Galatea petit lasciva puella;
Et fugit ad salices & se cupit ante videri.

Non temerè autem à *Theocrito Virgilioque* factum est, quod malo potius, quàm alio quovis pomo puellam faciunt petentem amatorem suum. Mala enim Veneri sacra sunt, & amoris ac amicitiæ signum. Quare autem mala Veneri consecrata sint, facilè poterunt ariolari, qui Judicii meminerint, quo Venus Junonem Pallademque vicit, ac malum aureum obtinuit, pretium pulchritudinis. Itaque non alio ornatu crebrius in numismatis visitur, quam malo, quam ferè tenet manu dextrâ. *Pausanias* quoque adducit Veneris simulachrum, Canachi opus, quæ alterâ manu papaverum capita, alterâ malum gestabat. Hinc sunt illæ amantium nugæ, quando se mutuo malis petunt & ad amorem lacessunt. Scitum est, quod fertur de Acontio qui Cydippes amore captus malum in ejus sinum injecit his literis inscriptum:

Juro tibi sanctæ per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.

Qua de re lege duas *Ovidii Epistolas* Acontii & Cydippes nomine scriptas. Quia etiam mala inter ea fuisse quæ amantes invicem mittebant, patet ex hisce ipsius *Virgilii* verbis *Ecl.* 3.

Quod potui puero sylvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi: cras altera mittam.

Mala non temerè Hippomene Venus elargitur, quæ usque adeò grata fuerunt Atalantæ, ut zonam abstulerint diu ligatam, de quo *Theocriti* carmen non indiligenter animadvertendum:

Μᾶλα μὲν ἐκ κόλποισι Διονύσοιο φυλάσσων,
Mala sinu condens Bacchi de tempore sumpta.

Quod interpretes exponunt *amabilia*, amorem quippe facientia. Mala enim illa *Philetas* ait de coronatis Bacchi temporibus decerpta: non enim quispiam in amorem ferretur, nisi prius læti "
tiæ titillatione concitaretur: lætitiæ vero datorem Bacchum "
Poëtæ passim celebrant, ut in vitis commentario latissimè decla- "
ratũ. Apud *Lucianũ dialogo qui Toxaris* inscribitur, legas. καὶ στεφάνους ἡμιμαν-

ἡμιμαράνθυς, καὶ μῆλά τινα ἀποδεδηγμένα. *Corollas quippe magna ex parte flaccidas, & ambesa quædam mala, morsu vetacta, in amoris indicium à Chariclea matrona nobili Diniæ cuidam dono missitata.* Et missum sponsi furtivo munere malum, *memorat* Catullus, *quod adventu matris excussum è castæ virginis gremio prosilierit. Iam & apud Onirocritas mala Venerearum illecebrarum plurimum indicia sunt, præcipuè verò, iis quorum cogitationes ad amicas suas tendunt. Et mala demum, præsertim dulcia, Veneri esse dedicata autumant. Ea verò de caussa malus potius, quam arbor alia, est amori dedicata, quod ejus facies omnem rerum amatoriarum progressum ostendere videatur, earum enim arborum trunci coërciti primum recti surgunt, à medio vero, ubi dilatari cœperint, in spatia diffunduntur: cujusmodi etiam in amatore ratio est, qui munus suum semper ab ingenuo pudore quodam cohibitus auspicatur: inde ubi paululum processerit, frontem perfricat, ac verecundiæ compedibus expeditus, quaqua voluerit liberè pervagatur; fructus præterea fert aureos & rubicundos, palloris eadem & erubescentiæ, ut ita dicam signa. Nam apud* Horatium, tinctus violâ pallor amantium: *& apud* Catullum, quidam inaurata est pallidior statua. *Poma verò ita magis rubescunt, uti magis exposita Soli ab eo contingguntur: perinde ac amator eo magis erubescit, quo nequitia palam magis profertur, aut in aperto deprehenditur. Sub ipsa malo Amores ludo editi confinguntur, sub qua illi cursitantes, variis mollium herbarum involucris impediuntur: quique ita sunt implicati ut sese nequeant exsolvere, labore conatuque quodãmodo delassati, somno se dedunt, cujusmodi lascivia gressus amatorios occupat, & in ergastulo cohibet: mox luxu inhæsitantes soporat, profundissimoque opprimit veterno. Et mala puellarum ludicrum vocat* Nicander in Alexipharmacis.

Τοιάπερ ὥραι Ἐαρινὰ παρέυσιν ἐν ἰψήμαλα χέρσις. Ἐψήματα τὰ παίγνια, exponit Interpres, ludunt enim puellæ, oblectanturque malis. *Pierius Hieroglyphic. Libro 54. cap. 2. 3. 7.*

DISSER-

DISSERTATIO XIV.
De
OSCULIS LIBIDINOSIS.

S U M M A R I A.

I. *Aqua voluptatis Symbolum, Academiæ Altorfinæ Emblema.* II. *Osculum libidinis suscitabulum. Petitionis & precationis quandoq; locum tenet. Nihil illo dulcius. Castii Emblema de osculis protervis.* III. *Socrates lascivus. Ab osculis pulchrorum puerorum cavendũ, virulenta sunt ut phalangiorum morsus. Cupidines Sagittarii.* IV. *Mors per osculum meretricis in animam penetrat. Pharmacum vox mediæ significationis. Clerici osculis nummos venantur. In loco secretiori deprehensi cum fœminis, non præsumuntur dicere Pater noster.* V. *Monachi infantes de Baptismo suscipere prohibentur, itemq; nuptiis interesse. A Fœminis seorsum agere debent. Pœna Clericis propter inhonestam cum fœminis conversationem irrogata Iesuiticus genius expressus.* VI. *Osculi in linea amoris locus. Veneris Proœmium. Equi anhelitus conspiratione ad coitum incitantur. Herculis Concubina opulento civi Romano nubit. Agesilaus Megabatis pueri amore cruciatur. Pytho Evii tibicinis Amasius, ut Agatho Euripidis. Lapis Bocca de la Verità Romæ dictus. Oscula sagittata & inerma.* VII. *Injuria quid, & cui infertur. Osculum protervum quibus injuriosum. Mulier inhonesta quæ censenda. Læsus consensu vel remissione sibi præjudicat.* VIII. *Præsumtiones de læsa pudicitia ex osculis vagis. Validæ Præsumtiones delicta in occulto admissa probare queunt. Copula carnalis difficulter probatur. An ex osculo commissum adulterium colligi possit Dd. dissentiunt.* IX. *Mulier à Consanguineis oscula admittens non præsumitur stuprum affectare. Præsumptio mala ubi locũ reperit.* X. *Osculo alteri quàm marito fixo mulier dotem amittere putatur, quin & feudum. Quæ tamen Ictorum sententia Imperatoris menti contrariatur. Constitutio Neapolitana de hoc negotio.* XI. *Graviter à nonnullis lasciva oscula punita. Pisistrati erga Basiatorem filiæ suæ lenitas. P. Mœnii in libertum suum propter osculum severitas. Gallus propter idem securi percussus. Delicta personarum qualitate æstimantur. Locus injuriam graviorem reddit. Antonii Venerii in filium*

rigor. Philippi Regis Neapolitani sanctio Pragmatica. XII. *Violenti osculatores cui pœnæ subjiciendi. Agricola propter osculũ in exilium pulsus. Aliis propter illud relegatio, mulcta, fustigatio & amissio bonorum indicta.* XIII. *Osculum mulieri ex nimio amore fixum mitiori pœna corrigendum, exemplo Mundi Equitis Romani fraudulenter Paulinam corrumpentis. Areopagitarum prudentia.* XIV. *Fructuosi contra Clericos osculantes severum decretum. Episcopus Sfirensis propter osculũ uxori Imperatoris Rudolphi impressum aulam relinquere cogitur.* XV. *Cabbas Romanus Mæcenati uxorem suam prostituit, Phayllus verò Philippo Regi. Cornutus, bonus vir, Arga, cucurbita, cucurbitare. Cornua arietina in suburbio Londinensi Rattelevv affixa. Cuculus, Curruca. Matrimonii vicarius.* XVI. *Dutroæ vel Daturæ herbæ Indicæ usus ad dementandos maritos propter vim narcoticam. Mulieres Lusitanæ in Goâ valdè lascivæ. Stramoniæ semen inebriat.* XVII. *Goæ solum perpetuis incrementis cornua producit. Andronicus Imp. Constantinopolitanus cervorum cornua in foro publico suspendit. Comitibus & Canonicis Lugdunensibus cum novis sponsis concumbere licuit. Ius Cunnagii. Vandalorum pudicitiæ studium. In adulteria seriò inquirendum.* XIIX. *Mulier cur ex costa viri formata. Prudenter gubernanda est. Cor involutum pergameno pericardiæ.* XIX. *Taxus fæmellæ sufficientem cibum denegat. Vxor non est nimium arctanda; sicut nec hostis angustiis includendus.*

§. I. AQuam idoneum esse voluptatis Symbolum ingenioso commento prisca ætas credidit, Venerem dicens ex aquis ortam, deq; spumante mari progenitã. Non prorsus sine ratione. Duo enim hujus Symboli fabricatores in aqua Veneris parente adverterunt notabilia. Primum, aquam facile effundi & se insinuare in corpora rimis hiantia. Alterum est, eam aggravare quidquid aquarum imbiberit. Voluptates per sensus tanquã rimas irrepunt in hominem, permeant totum, & aggravant eum infirmando, donec mergant atq; pessumdent. Appetitus rationalis, id est voluntas, se effundit in voluptatis illecebras, dæmone movente phantasiam, & ei illudente simulachris rei placitæ, ut epularum aut Veneris. Plerumq; enim vis appetitiva interior adeò valdè

validè concutitur à delectatione, dum inchoat, ut omnem rationis usum præveniat, gliscente autem illecebrâ, voluntas potenter illecta annuit, & sic omnem hominem mergit. Hoc hominum ingens malum *Ambrosius* vivis coloribus sic depingit *Lib.I. de Cain & Abel cap.IV.* Voluptas meretricio procax motu, incessu infracto, „ per delicias, nutantibus oculis & ludentibus jaculans palpebris „ retia, quibus pretiosas juvenum animas capit. Quemcumq; vi- „ derit sensu dubio prætereuntē in angulo domus suæ sermonibus „ adoritur gratiosis, faciens Juvenū avolare corda, domi inquieta, „ in plateis vaga, osculis prodiga, pudore vilis, amicta dives, genis „ picta. Etenim quia verum naturæ decorem habere non potest, „ adulterinis fucis affectatæ pulchritudinis lenocinatur speciem, „ non veritatem, vitiorum succincta comitatu, nequitiarū choro, „ circumfusa, dux criminum, verborum machinis, murum mentis „ aggreditur humanæ. Quid tam meretricium, quam voluptas secularis, quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens, & penetrat citò, si tu in plateam prospiciens, id est, in publicas transeuntium vias, non in legis internæ Mysteria obtutū tuæ mentis intendas? Egregie hoc ipsum emblemate declaravit *Academia Altorfina Noricorum*, pingens Sirenem speciosa facie cumulo ossium insidentem. Erant hæc ossa hominum, quos voluptas extinxerat. Invitabat hæc mulier delicatula adolescentē masculum ad affectum suū. Sed is, etsi nutante vestigio pedem referens, & retrorsum abiens, exclamabat: AT ME VESTIGIA TERRENT? Id est: O voluptas, gratam quidem gustui promulsidem offers, sed quæ mentem dementat & illecebris delibutam extinguit. Flamma fumo vicina lucet, quia fumus & flamma velut res concordes facilè coalescunt. Ita fœda consortia masculi cum fœmina, epulæ, Choreæ, verba obscœna fumus luxuriæ sunt, ideoq; focus ille rebus his tanquam fomitibus acrius inflammatur. Si incendium times, ignem devita, & procul age fumum lasciviæ. Amas castitatem? mulierum conventicula refuge, & ne forte tibi contingat eo luxuriæ incendio cum jactura bonæ famæ conflagrare iterum ingemina: AT ME VESTIGIA TERRENT? Hoc demū pacto tutus evades, felicissimus insidiantiū hostium triumphator.

§. II. His ita præmissis ad scopum considerationis nostræ sine prolixiori præfamine deflectimus. Invenitur osculum luxuriosorum, qui more canum non cessant osculari, & exinde ad carnis voluptatem & immunditiem inflammantur. Undè de procaci muliere & de fatuo juvene Sapiens *Proverbiorum cap.* VII. dicit: *apprehensū deosculabatur Iuvenē & lascivo vultu blanditur, dicens:&c.* Et sequitur, *quod Iuvenis statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & nescit quod ad vincula stultus trahatur.* Credebant Veteres ejusmodi osculo pudicitiam mulierum contaminari, tanquā *libidinis suscitabulo,* (*& gladiatoriæ Veneris antecœnio uti Apulejus Lib.* II. *Miles.* loquitur) sive *prænunciis flagitiis blanditiis*, juxta *Tacitum, annal.* XIV. quæ robustam voluptatem quærunt. *Petron. Satyr.* Nihil enim ad incendium gravius osculo, quia satiari nequit, & spem dulcē suppeditat. *Xenophon in convivio, cap.* XV. Amantis viri osculatio apud volentem puellam tacitæ petitionis; apud nolentem precationis obtinet locum, ait *Tatius Lib.* I. *de amor. pag.* „38. *Edit. Salmasiana in* 12. *Et libro* II. *pag.* 80. id est quod primùm „amanti dulce accidit, cum à formosissima & præstantissimâ cor„poris parte procreetur. Os enim Instrumentum vocis est, vox „autem animi umbra. Labiorum porrò contactus dum volupta„tem in præcordiis serunt, animos ad sese mutuò suaviandum tra„hunt. Nec verò talem unquam antea sensibus meis motum al„latum fuisse, nec me quidquā aliud, quod cum amatorio suavio „dulcedine contēderet cognovisse memini. *Hactenus ille.* Hâc autem incomparabili suavitate Amasii mirum in modum fascinantur, ut non rarò in illud *Ovidianū Libro* I. *de arte amandi* erumpant:

Oscula qui sumsit, si non & cætera sumsit,
Hæc quoq; quæ sumsit perdere dignus erat.

Reperiuntur equidem non pauci, quibus vulgaris apud Theocritum versus Idyllio XXVII. semper in ore færet:

Μὴ καύχα Σατυρίσκε, κενὸν φίλαμα λέγουσιν,
Τὸ σόμα μὲν πλύνω καὶ ἀποπλύω τὸ φίλαμα.

Ne Satyrisce tume, rem ajunt esse oscula inanem,
Et facie ablutâ tolluntur & oscula sputo.

Aut

Aut affine huic *Plautinum in Curculione Actu* I. *Scena* I.

Tam à me pudica est, quasi soror mea sit, nisi
Si osculando quippiam impudicior.

Cum autem ex animo lascivo talis osculandi actus tanquam fomes libidinis inflammatæ proficiscatur, culpandus omninò est, illique ab hoc abstinendum sedulo, qui pudicè vivere exoptat. Quod post alios probè considerans ingeniosissimo Emblematum lusu concinne exprimere voluit Celeberrimus Belgarum Poëta *Iacobus Castius, Emblemate nuptiali* XXVI. *Quod dedit hoc retinet*:

Cur neget amplexus & abhorreat oscula virgo?
　Non pudor his, rosei non perit oris honos.
Basia virgineis quis credat obesse labellis,
　Ingenuus tenero quæ tulit ore puer?
Libat Apis violas, & basia figit acantho,
　Oraque plena favis in sua tecta refert.
Non tamen hinc violæ, non hinc marcescit acanthus,
　Utque fuit, roseus perstat utrique color.
Virgo notas Juvenis quas presserit ore protervo,
　Abluit, & facies quæ fuit ante redit.
Scilicet opposito de lumine sumere lumen,
　Invida cur juveni basia virgo neget?
　　Responsio. *Vel tactu perit omnis honor*.
Basia nil teneris data posse nocere puellis,
　Nil tactus cupidi blanditiasque proci,
Haud mihi quis vano persuadeat ore Poëta,
　Tactus & ipsa latens basia virus habent.
Purpureos digitis vitis ne tange racemos;
　Tractari manibus non amat iste color,
Iste color, color esse recens, decor integer uvæ
　Intactæ genium virginitatis habet.
Sint procul amplexus, procul oscula, dulce venenum;
　Ah faciunt longas oscula pressa Notas.
Utque domum rediens faciem lavet undique virgo,
　Altior in tacito pectore menda latet.

§.III. Sanè rectiùs de his nullum oraculum pronunciare potuisset. Oscula enim quæ alieno ori libantur, nimium quantum sunt periculosa, juxta admonitionem sapientum. Os libavit & crimen retulit, alicubi verè ait *Ambrosius*. Duo autem genera minimè absque peste sordibusque animi adhiberi queunt, pulcrorum scilicet oscula & mulierum. In utrisque flamma quædam est, quæ contactu subito excitatur, penetratque in pectus ac cupiditati faces subministrat. Si namque in osculo est totus animus, si ad libidinem hæreat, nihil hoc ad amorem incendendum est ardentius. *Socrates* in arte amatoria volutatus, qui non unam cupidinis facem, sed tot gerebat in pectore incendia, quot pulcros videbat, ingenuè profitebatur οὐδὲν δεινότερον ὑπέκκαυμα, nullum incendium est gravius atque potentius. Qui etiam oscula pulcrorum cum Phalangiorum morsu componebat, quæ pestilentissima animalcula veneno abundant, eique intensissimum dolorem inferunt, quem tangunt. Addam verba *Socratis* ex *Iohanne Stobeo, in vituperio Veneris & amoris*, Sermone LXII. O miser, dixit Socrates, quidnam te passurum putas, si pulcrum puerum osculeris? Annon statim te servum fore loco liberi, multa insumturum ad noxias voluptates, ocium tibi defuturum ad bona & honesta studia: denique cogendum te illis rebus operam dare, quas ne insanus quidem curaret? Papæ! inquit *Xenophon*, quam gravem mihi narras osculo vim inesse. Tum Socrates, an verò id mirare? Nescis quod Phalangia, quæ magnitudine ne dimidium quidem obolum æquant, ubi solum attigerunt ore homines, doloribus eos exagitant, & à mente alienant? Verum est, *ait Xenophon*, immittunt enim aliquid Phalangia mordendo. O stulte *Socrates*, *inquit*, pulcros verò osculantes non inserere putas quidpiam, quod visum tuum effugiat? An ignoras istud animal, quod pulcrum & formosum appellant, vel hoc modo Phalangiis esse terribilius, quod hæc tactu solum illud, verò etsi non tangat, sed si quis ipsum adspexerit solum, immittit aliquid etiam eminus ejusmodi, quod insaniam ciere possit. Fortassis & *Cupidines* idcirco

circo *Sagittarii* dicuntur, quoniam ſpecioſi à longinquo etiam
„ vulnerant. *Xenophon. Lib.* I. *cap.* XIX. Memorabilium, ea-
„ dem ferè iisdem verbis proponit, præmiſſo tamen ſingula-
„ ri exemplo: Quod res Venereas attinet, monebat Socra-
„ tes ut vehementi ſtudio à formoſis abſtineretur. Nec enim
„ eſſe dicebat facile, ut ejusmodi attingendo continenter ſe
„ gereret. Cum Critobulum aliquando Critonis filium
„ comperiſſet Alcibiadis filiam ſanè quam elegantem oſcula-
„ tum eſſe; Xenophontem præſente Critobulo interrogabat:
„ Dic mihi, mi Xenophon, non tu Critobulum exiſtima-
„ bas potiùs eorum ex hominum eſſe numero, qui continen-
„ ter ſe gerunt, quàm audacium: providumque potius, quam
„ amentem ac temerarium? Omnino inquit Xenophon. At
„ tu velim eum exiſtimes fervidiſſimum in agendo eſſe ac longè
„ confidentiſſimum: ita quidem, ut ſe vel in enſes præcipitem
„ dare, vel in ignem inſilire audeat. Et quidnam, ſubjecit Xe-
„ nophon, committentem vidiſti, quod ita de ipſo ſtatuis? Tum
„ Socrates, Annon hic ille eſt, ait, qui filiam Alcibiadis, vultu
„ elegantiſſimo præditam, ac longè formoſiſſimam oſculari au-
„ ſus eſt? Enimverò ſi tale quid, inquit Xenophon, temera-
„ rium facinus putari debet, etiam ipſe videor id adire periculi
„ poſſe. Miſerum verò te, ſubjecit Socrates, quid eventurum
„ tibi exiſtimas, ſi formoſum oſculeris? annon ſubito pro libero
„ ſervus eſſes &c. Quamobrem, mi Xenophon, auctor tibi
„ ſum, ut ubi formoſum videris, averſo vultu fugias. Tibi verò
„ mi Critobule, hoc do conſilii, ut anno toto peregrineris. Nam
„ vix fortaſsè tantum intra ſpacium ex hoc morſu convalueris.
„ Quid ſibi contigerit, in *Xenophontis convivio. c.* 15. enarrat. Librũ
„ aliquando legebat cum venuſto adoleſcente Critobulo. collatis
„ capitibus, utq; erant ſedẽtes, evenit ut nudo humero illius pue-
„ ri nudũ etiam humerum attingeret. Quid igitur ille ſeverioris
„ diſciplinæ & Sapientiæ Magiſter eſt paſſus? Ait, ſe per integros
„ quinque dies quaſi à belua fuiſſet morſus, & in humero & in
corde

„ corde κνίσματα pruritum quendam & morosæ libidinis titillatio-
„ nem persensisse. Quantum autem ardorem fuisset expertus, si
„ osculum pulcro dedisset?

§. IV. De mulierum osculis universæ propè nationes velutin publico orbis terrarum Senatu dixêre sententiam, & promiscua improbârunt. Præter agnatas enim mulieres osculari Romanis suspectum erat, & referebant ad Comœdiæ lasciviam, ubi meretriculis impune Davi lenocinantur. Horsum Scriptorum Ecclesiasticorum commonitiones tendunt. *Basilius Libro* III. *de vera virginitate*: Formosarum, inquit, oscula cavere oportet, non secus quàm animalium venenatorum morsus. Diffunditur enim virus ex osculo per omne corpus. *Clemens Alexandrinus Lib.* III. *Pædagogiæ cap.* II. *p.m.* 286. Osculi incestum est veneno plenum, licet sanctitatem simulet, venenum immittit pudicitiæ, non secus ac phalangia graves dolores hominibus afferunt. *Ambrosius in Psalmum* CXIIX. de meretricum osculis ait: Intrat mors per oscula, & ideo cave, ne te laquei labiorum suorum alligent. Intrat mors, si meretrix te osculetur. Et Poeta *Moschus*, sive *Theocritus*, *anthologiæ Lib.* I. *cap.* XXVI. exclamat:

Φεῦγε κακὸν τὸ φίλημα, τὰ χείλεα φάρμακον ἐντί.

Fuge malum osculum, labia venenum sunt.

Obiter hic B. L. observet, τὸ φάρμακον vocabulum aliàs μέσον, hic verò absolutè positum commodissimè sensu sequiori reddi, juxta monitum *Caji, qui Libro* IV. *ad Legem* XII. *Tabularum, Leg. veneni. de verb. signific.* scribit: Veneni quod Græci φάρμακον dicunt appellatione medicamentum bonum pariter ac malum contineri, itaque alterius vocabuli adjectione distingui. Admonet, inquit, nos summus apud eos Poetarum Homerus, nam sic ait Odyss. L. IV. φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Ubi Poeta Ægypti terram ait pharmaca ferre multa, illa quidem bona si misceantur. &c.

Clerici quondam matronarum capita osculari solebant, quod suo tempore *Hieronymus* damnavit, *in Epistola ad Eustochium de custo-*

de custodia Virginitatis scribens: Clerici ipsi osculantur capita matronarum, & exserta manu, ut eos putes benedicere velle, si nescias, pretia accipiunt salutandi. Hinc Clericos ejusmodi blanditiis nummos acquisivisse colligas. Sed ne & illi flammis Venereis inflammarentur, cautum est, ne quis Clericorum formosas osculari mulieres præsumat. *Can. 104. de Consecrat. distinct. 4.* Quamvis enim eâ tempestate, qua superstitionum nox densior incubuit orbi, Sacrifico inter conjugis filiæve amplexus deprehenso, non licuerit aliud suspicari, quã causâ benedicendi, vel ad pœnitentiam exhortandi, vel excipiendi confessione peccata & ex Zelo charitatis, juxta *Gloss. in can. absit. 14. Causs. II. Qu. III.* hodie tamen nemo tam simplex aut deceptu facilis est. Idq; fortassè ex malè servatâ fide, ut jocatur *Theodor. Petrejus Conclusione Criminal. 92.* Et argutè ad hoc respondet *Iohann. Nevizanus in Sylva Nuptiali Lib. IV. §. est nubendum. n. 76. 77. pag. 324.* A tali charitate libera nos Domine, Quandò enim Clerici secretè cum fœmellis loquuntur, non præsumuntur dicere Pater noster. Æqualis igitur contra Clericum & Laicum ex osculo militabit præsumtio, siquidem natura tam Clericis quam laicis est communis, undè cum sint homines & imbecillitatibus humanis obnoxii, adeoq; & Clericus in loco secretiori deprehensus, ob malè servatam fidẽ tantum fidei amplius hodiè, ut olim non habet. *Conf. Prosper Farinacius Quæst. Criminal. 136. num. 203. can. 20. Distinct. 81. Hahn dissertat.* Pronior enim mali suspicio ex ineptiis & levitate ejus, quem Professionis sanctitudo arctiùs obstringit gravitati. Is enim non præsumitur temerè & innoxiè ineptire, maximè cum vel primum lasciviæ gradum non sine dedecore usurpet. *Diodor. Tulden. Comment. in Cod. Lib. V. Tit. III. n. 3.*

§. V. *Gregorius Magnus in Epistolâ ad Valentinum* quendam Abbatem, à baptismo omninò removit Monachos, nec idoneos censuit, qui pueros susciperent ex Baptismo. Citatur etiam à *Gratiano 18. q. 2. pervenit*: itemq;, à *Sabellico Enne. 8. lib. V.* & Chronico Chronicorum. In *Antisiodorensi synodo* quoq; anno 614. celebrata cap. XXV. sancitum fuit, ne Abbates filios de Baptismo levent,

nec Monachi commatres habeant. Causa hujus decreti redditur in *Glossa* ad dictum locum *Gratiani*, ne scilicet nimiâ hac occasione, à Monachis contrahatur familiaritas cum locis, & præsertim cum mulieribus, quas ibidem Gregorius Monasteria, ob eandem causam, ne accedere quidem vult. In *Antisiodorensi Concilio* etiam Abbatibus & Monachis, nuptiarum solennitatibus penitùs interdicitur, *cap.* XXIV. Et in *Nicæna* II. *Synodo* Anno Domini 788. habita *cap.* XVIII. sancitum fuit, Si quis mulierem in Monasterio habeat ad Ministerium aliquod obeundum, puniatur. Et si in suburbanis mulieres esse contigerit, ac Monasterii Præfectus illic iter facere voluerit, præsente illo mulier nullum ministerium obeat, sed alio in loco seorsim agat. *Constantinopolitana* VI. *Synodus* universalis *cap.* XLVII. statuit etiam, ne vir in Monasterio Mulierum dormiat. Et *Nicæna* II. *Synodus cap.* XX. ita sancivit, Non Monachus liberè cum Monacha loquatur, vel Monacha cum Monacho seorsum confabuletur, ne cubet Monachus in fœminarum Monasterio, nec Monacha seorsum comedat. Et quando quæ sunt vitæ necessaria à parte virorum ad regulares Fœminas deferuntur, extra portam hæc accipiat Monasterii muliebris Præfecta, cum aliqua anu Monacha; Si autem eveniat, ut aliquam cognatam velit Monachus aspicere, præsente Præfecta cum ea colloquatur exiguo & brevi sermone, & mox ab ea recedat. XVIII. *q.* II. *definimus*. Citat hunc Canonem *Gratianus ex Synodo* VIII. sed est septima, *In Forojuliensi Synodo cap.* XII. præcipitur, ut Monasteria Virginum nulli fas sit adire, neque Episcopis, neque Presbyteris & Diaconis, vel visitationis vel prædicationis gratiâ, sine licentia Episcopi, & ut tunc secum habeat testes. Neque id omnino frustra sancitum est, quandoquidem Monachorum simulatam sanctimoniam historiæ abunde satis prodant. *Boerius decis.* LXXII. in fine refert exemplum de Abbate *Fontis Guilielmi ordinis Cisterciensis*, *Bazaren. Diœces.* qui detinebat uxorem cujusdam pauperis, & ei Abbati fuerat inhibitum de nō amplius cū ea conversando, sub pœna, qui tamen ubi contrarium fecit, fuit

instan-

instante marito & procuratore Regio in emendam condemnatus. Similis etiam fuit facta Johanni de Taleram dicto de Crimault, Episcopo Tricolensi de non conversando cum quadam Susanna de Rozieres, de quâ erat notoriè diffamatus, ex qua plures habuerat liberos, & hæc sub certâ pœna in aresto contenta lato die XIII. Augusti Anno MDXXI. Et Rector S. Simonis, ut tradit ibidem *Boerius* Civitatis de Burdegalis detinebat quandam uxorem contra ejus mariti voluntatem, qui cum vicinis conquerebatur, & vicini dicebant propter malum ipsius exemplum fore scandalizatos, & erat plus, quam notorium, tam per sententiam quam rei evidentiam. Aliud exemplum de sene Cardinali & puella Cypria meretrice, *Iohann Iovianus Pontanus* in Dialogo qui Charon vocatur, proponit. Jesuitarum genium *Iohannes Cambiltonus Græcensis olim Iesuita*, vivis, quod dicitur, coloribus delineat, inter alia apud *Rodolphum Hospinianum Historiar. Iesuit. Lib.* III. *pag.* 341. ita scribens: Si tale aliquod collegium ingrederis, jam primum ab initio intuere diligenter janitorem alterum Charontem, aut potius Cerberum. Is est plerumque senio confectus, aut si junior, certè exploratissimæ fidei & taciturnitatis. Hic si quisquam alius, omnia Mysteria Jesuiticæ Cabalæ novit, apud hunc reposita sunt omnis generis & status virilia & muliebria vestimenta. Hisce variis modis quam quisque personam agere se posse confidit induti Jesuitæ, mirabiles exercent imposturas. Nunc enim militari habitu conspicui per plateas & compita vagantur, & in publicis lupanaribus scortantur & helluantur. Nunc civicam vestem induti seque Lutheranos & Calvinistas professi, explorant in diversoriis, in foro, in tribubus, quid vulgò de sese dicatur, quæ consilia volvantur & incantur. Nunc doctoriô habitu clari, & annulis radiantes, & ex professo se Pontificios asserentes, ubi sciunt locupletiores è plebe, quibus sunt filii, eos tanquam aliud

 quid

quid sciscitaturi adeunt, & in eorum familiaritatem se insinuant miris modis, hortantur ad extremum ut filios suos Jesuitarum disciplinæ committant. Nam & se ajunt, ipsis Magistris usos, & non pœnitendos fecisse progressus. Nunc Nobilem induti, conducto foris veredo, Principum aulas frequentant causâ officii. Nunc exulem præ se ferunt, sibique subveniri petunt, præsertim à Theologis Protestantibus & Calvinianis, ut explorent, quid contrà se scriptitent. Jam verò quorsum muliebres illæ vestes? audite. Nullus Terentianus Leno tam subducta ratione ad conciliandos meretricios amores fuit, quàm sunt hodiè Jesuitæ, ac præsertim is quem dixi Janitor. Nam quod alii in penetralibus & adytis Templorum per auricularem confessionem consequi nequeunt: Hic blanditiis & miris allecta mentis facilè impetrat, maximè apud pauperiores viduas & mulierculas, quæ filias eò mittunt, acquirendæ causâ eleemosynæ. Et adde nomina in ix, ut Lotrix, Netrix. Has ubi in nassam detraxit impurissimus Janitor, & si illæ laceris & detritis squalent vestibus, tamen aliis quas habet in promptu, splendidè ipsas exornat, easque per varios anfractus & meatus ad Venerabiles Dominos Patres deducit. Isthæc autem non fiunt interdiu, sed sub serum crepusculum. Inde totam noctem helluationibus & tripudiis exigunt: Junioribus hæc non animadvertentibus. Habent enim ad rem reducta, & concernamenta, aut etiam subterranea loca, & laquearia, ut illi, qui olim Romæ Veneri initiabantur, quorum tam belluina fuit ad carnis lasciviam projectio, ut iram Deorum veritus Senatus, lupanar illud funditùs everterit, sicut *Livius* testatur. Sed omnium evidentissimè nefandam Jesuitarum luxuriam, toto orbi Christiano manifestavit *Petrus Iarrigius* nuper ejusdem ordinis socius, *in Tractatu, Iesuita in ferali pegmate* ob nefanda crimina in Provincia Guienna *perpetrata*, constitutus, Lugduni Batavorum excuso Anno MDCLXV. Capit. V. VI. VII. VIII. IX. X. Unum vel alterum ex iis si legeris, attonitus stupebis. *Conf. Mysteria* Patrum Jesuitarum in 12. *Lampropoli* clↄ lↄc xxxiiii.

§. VI. Com-

§. VI. Communiter in lineâ amoris osculo quartus locus tribuitur, juxta versiculum gl.

> Visus & alloquium, tactus, post oscula, factum,
> Ni fugias tactûs vix evitabitur actus.

Antonius Mancinellus ad Horatii Lib. I. *Carm. Ode.* XIII. *Accursius in l.* XXIII. *ff. ad legem Iuliam de adulteriis. Hostiensis in summâ decretal. Tit. de eo qui cogn. consangu. uxoris suæ.* §. I. *Donatus ad Terentii locum*: Certè extremâ lineâ amare haut nihil est. *Thomas* vero *Cantipratanus in Libro, qui inscribitur Bonum universale, Lib.* II. *cap.* XXX. §. *49. ab Henrico Kornmanno in Sibyllâ Trygandrianâ capite* XXIII. *pag.* 75. allegatus, quintam ait viam ad fornicationem esse, luxum in osculo. Alii aliter gradus ad Venerem constituunt in sequentibus:

> Post visum risus, post risum venit ad usum,
> Post usum tactus, post tactum venit ad actum,
> Post actum factum, post factum pœnitet actum.

Quomodocunq; autem osculum in hoc passu locetur, ad unum omnes deprehendimus suffragari, illud quoddam Veneris procemium & incitamentum esse, uti percussio homicidii præparatorium ab *Angelo* statuitur *in l.* 2. *col. fin. ff. de privat. delict.* Quod suo testimonio *Plautus in Curculione actu* 1. *scena.* 1. roborat:

> Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem.
> Qui vult cubare, pangit saltem suavium.

Ratio hujus est, quod luxuria per osculum suscitatur, quia in osculantibus animales spiritus conjunguntur, uti §. II. hujus dissertat. dictum; undè quoq; *Aristoteles* tradit, quod equi ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriam provocantur, *Libro* VI. *Histor. Animalium cap.* XVIII. In hanc osculorum classem quæ sequuntur refero. Fama tenet Herculem cum Laurentiâ formosissimâ puellâ Romæ in suo fano congressum, jussisse ei ad forum manè se conferre, & in quem incidisset primùm, cum osculo dato

 amicitiam

amicitia sibi jungeret. Occurrit ei quidam ex civibus magno natu & opulentus Terrutius, liberis orbus, qui hactenus ætatem in cœlibatu egerat. Hic Laurentiam complexus est ac dilexit, multorumq; ac lautorum prædiorum hæredem reliquit moriens, quæ illa pleraq; populo legavit. *Plutarchus in Romulo, Tomo I. Operum, p.* XX. Agesilaus Spartanorum Rex Megabatis venustissimi pueri, filii Spithridatis amore inflammatus, non mediocriter pungebatur; quamvis illo præsente totâ animi contentione admodum valde eniteretur libidinem comprimere. Ac Megabate aliquandò adeunte ad ipsum salutandum & osculandum, declinavit. Cum autem erubescens ille desisteret id facere, ac procul deinceps salutaret eum, rursus indolescens & pœnitentia, quod refugisset osculum, fingebat Agesilaus mirari, quidnam causæ esset, quamobrem non salutaret Megabates suavio. At tu inquiunt, in causâ es, familiares, qui non sustinuisti sed fugisti & formidasti formosi illius complexum. Nam nunc quoq; inducetur ille, osculum ut tibi offerat, modò ne tu deterrearis ignaviâ: ibi cum Agesilaus aliquamdiu cogitabundus & tacitus constitisset, haut quaquam est ille, inquit, à vobis inducendus. Ego enim illam de osculo pugnam iterum pugnare malim, quam omnia quæ video mihi fieri aurea. Is erat Megabate præsente. Ab ejus verò discessu adeò flagravit, ut non ausim dicere, si iterum transitione factâ inconspectum ejus venisset, an complexu esset illius temperaturus. Idem in *Agesilao Tomo I. Op. pag.* 602. *Tomo II. pag.* 51. *&* 81. Pythonem Evii tibicinis amasium Casander vi osculabatur, quod cum videret molestè Evium ferre Alexander, iratus adversus Cassandrum exilu it, vociferans: *Per vos etiam amare non licet quenquam. Plutarch, Tomo II.* In Apophthegmat. pag. 180. Euripides Tragicus Agathonem formosum, cui jam lanugo genas vestire inciperet amplectens & deosculans dixit, *Pulcrorum etiam finem autumni pulcrum. Idem ibidem pag.* 770. *& pag.* 177. *Kornmannus Comment. de linea amoris, cap.* IV. *pag.* 93. hanc historiam Romæ de

osculo

osculo annotavit: Erat quidam Imperator, cujus uxor aulicum quendam amabat, quod cum Imper. aperiretur, ipsa fraudis plena hoc astu Imp. decepit, seq; salvavit; amatori suo aulico hoc consilium dans, ut si se & ipsam morti, furoriq; Imperatoris eripere vellet, stulti habitum indutus in publicâ viâ ipsam oscularetur & amplexaretur, quod factum tanquam à stulto non fuit reputatum. Illa adulterii rea postulata sese juramento purgavit, nullum alium præter Imperatorem, & talem stultum ad oscula admisisse. Erat autem lapis *Bocca de la Verita* dictus, in cujus os jurantes manus imponerent, si falsò jurarent, manus ipsis abscindebatur: hæc & verum falsa, & se citra omnium opinionem liberans, causa fuit, ut lapis suam potestatem & virtutem amitteret. Hodie adhuc cernitur in Templo S. Mariæ in Cosmedita à Movo schola Græca dicto; Lapis est ingens, rotundus, faciem insculptus. *Iudicium sit penes Lectorem.* Et hæc quidem oscula lasciva *sagittata* dicere fortassis nihil prohibet, ad differentiam inermorum, quandò amantes fine, quem osculando intendunt, frustrantur. *Propertius* quoq; *Libro* I. *Elegiâ* III. juxta *Palmerii* lectionem, *inermorum* osculorum mentionem injicit, sic ludens:

Osculaq; admotâ sumere inermia manu.

§. VII. Cum igitur osculum quod extra justas nuptias ex vetitâ libidine proficiscitur, non modo in se sit illicitum atq; fœdum, sed etiam alterius facti illiciti præludium, exinde certæ criminum præsumtiones, de illatâ injuriâ læsaq; pudicitiâ capiuntur. Injuriam hic dicimus, quâ alterius dignitas, existimatio, honor & fama minuitur & læditur, verbis vel scriptis vel factis alterius. *lib.* I. §. I. II. *lib.* 15. *de injur in Principio Institut.* Injuria autem ista in nosmetipsos individualiter, vel per consequentiam redundat, quando nempe persona læsa alteri conjuncta est, in cujus contumeliam injuria infertur. *lib.* 15. §. *interdum*, §. *item si. lib.* 18. §. *ult. de injur.* Uti est injuria quæ uni ex familia

familiæ infertur. *l.* I.§.III.V.VI.*l.*V.*l.*XLI.*l.*XVIII. *dict. tit.* quæ potestati nostræ subjectis, liberis nurui, sponsæ, uxori. §. II. *instit. d. t. l.* XVIII.§.II.*l.*I.§.III. V.*l.*XV.§.XXIV*n.*XVII.§.X.XI. usque ad gradum quartum, vel ulteriorem cognationis, aut affinitatis pro Judicis arbitrio. *Menoch. Casu* 262. *lib.* II. quæ servo famulo, ministro &c. *d. l.* XV.§.XXXV.XXXVII.XLVII.*l.*XVII.§.IX. Adeò quando aliquis alteri osculum obtrudit ejusque pudicitiam attentat, tum injuriam realem infert, vel illi personæ cui osculum oblatum, vel aliis quæ per læsæ latus petuntur, juxta *Althusium Decaologicæ lib.* I. *cap.* CXXIV *num.* 11. Ita etiam de virgine osculo petita Jurisconsultos Lipsienses Anno 1634. pronunciâsse refert *D. Johann Strauch, disputat.* XIX. *ad Ius Iustin. aphorismo* XIV. Quod tamen non procedit, si impudicum osculum aliquis consentienti & non repugnanti fixerit, quia *volenti non fit injuria.* Vel si persona cui osculum obtruditur sit vilis aut inhonestæ conditionis. Inhonestæ mulieri nulla injuria osculo infertur, quia ipsius fama amplius integra non est, adeoque læsionis expers. Pro inhonesta persona accipitur non solum ea, quæ vel publicè vel privatim, cum aliis rem habuit, verum etiam quæ Characteristicas notas ostentat, ex quibus læsa pudicitia arguitur, veluti sunt secreta colloquia, amplexationes, præprimis oscula. Hinc si quis talem, quam ante ab aliis oscula patienter suscepisse vidit, osculatur, excusabitur, quemadmodum in muliere oscula passâ raptum quoque excusari tradit *Marsilius in l.* 1. *n.* XVIII. *C. de rapt. Virgin. Cephal. Lib.* 1. *Cons.* CXL. aut si quis eam osculatur, quæ ante ab illo ipso, sine contradictione oscula recepit, similiter impunè hoc feret, sicut iterum quoque à pœna liberari, qui mulierem rapuit, jam ante sibi cognitam, ait *Cæpolla Consil.* LVII. Viles deinde ancillæ vel mulieres propter vilitatem suæ conditionis legum observatione vix dignæ æstimantur. *l.* 29. *Cod. ad leg. Iul. de adult.* Idcirco actionem injuriarum osculi causa instituere nequeunt; quippe quæ eodem fermè loco cum inhonestis habentur. Dixi supra injuriam nobis inferri, si osculũ injuriosum alicui ex subjectis nostræ potestati aut cognatione conjunctis impertiatur in nostram contumeliam, §. II. *Instit.*

ftit. de injur. Quod nobis experiri volentibus nihil eorum, qui oscula admiserunt, aut consensus aut injuriæ acceptæ condonatio officiat. Quanquam enim personæ læsæ consensu suo vel remissione sibi præjudicant, aliis tamen hoc ipso præjudicare non possunt. *D. Paul. Franciscus Romanus Disput. De oscul.* §. XXI.

§. VIII. Alteram præsumtionem ex illicito voluptatis osculo ad læsam pudicitiam quod attinet, firmum utique est, illas mulieres quæ ejusmodi suspectos actus æquo animo tolerant, jure pro inhonestis & leviculis reputari. *Parisf. Consil. 160. n. 6. Covarruv. in Lib. IV. decretal. p. II. Tit. de matrimon. c. 7. §. VI. n. V. ubi n. 6. Baldum volum. IV. Consil. 207.* respondisse refert, fœminam, cui legatum sub hac conditione, si honestè ac pudicè vixerit, relictum fuerat, legato esse privandam, si vagis osculis & amplexibus se prostituerit. Sed quemadmodum ex uno facto sæpe ad alterum concludimus, sic etiam ex osculo vel dato vel accepto usque ad extremam pudicitiæ jacturam, id est, ad ipsam copulam carnalem infertur. *Tametsi enim de suspicionibus nemo facilè damnari debet. l. 5. in pr. ff. de pœnis, & ibi Gloss. in verb. damnari.* ita ut nec plures junctæ sufficiant, nisi certa sint atque indubitata & violenta indicia. *l. ult. C. de probat.* Exceptionem tamen hoc patitur in delictis quæ in occulto solent committi; hæc enim cum sint difficilis probationis, ideò in illis præsumtivæ probationes pro veris & concludentibus habentur. *Farinac. Quæst. Criminal. 86. num. 29. quæst. 136. n. 4.* In occultorum autem criminum numero recensetur etiam copula carnalis. Atque hinc difficillimæ existit probationis, ita ut nunquam ferè directè possit doceri, sed semper præsumtionibus & conjecturis probanda veniat. Vid. *cap.* XII. *&* XIII. *extr. de præsumt.* Jam, si qui in præparatoriis rei Venereæ, aut in actibus copulam carnalem proximè antecedentibus, amplexationibus nempe & osculis deprehensi fuerint, in illis subsecutam ipsam copulam carnalem fuisse sufficienter præsumitur. *Mascard. vol. I. concl. 312. n. XX. & vol. II. concl. 810. n. V. Conclus. 64. n. 3. Menoch. de præsumt. l. 5. quæst. XLI. n. XXVI. Farinac. Quæst. Criminal. 13. 136. n. 129 134. D. Carpzov. in Pract. Criminal. p. II. quæst. 57. n. 47. & quæst. 60. n. 27.*

Et talis præſumtio non tantum in delictis carnis minoribus, ſed quoq; in majoribus, ut ſunt adulterium, inceſtus, Sodomia, procedere à quibusdam putatur. Quemadmodum *Parſ. Conſil. 163. n. 2. ſeqq.* in ſpecie reſpondit de eo, qui puerum viſus eſt oſculis & amplexibus fatigare. Quia autẽ majora & atrociora delicta majores quoq; probationes deſiderant, quam quæ in levioribus delictis eruendis adhibentur, propterea alii ex DD. rectiùs hic dubitant, ex oſculo commiſſum adulteriũ minimè conjici poſſe aſſeverantes. Videſis præter modo citatos, *Iohann. Nevizan. Sylv. Nupt. Lib. IV n. XXVI. & 76 Marc. Anton. Blanc. Tract. de Indiciis. num. 69. fol. 157. Thom. Sanchez. Hiſtor. Moral. part. III. §. III fol. 260. Lib. IX. de Matrimonio, Diſp 4. n. 12. Nicolaum Bellonum in rubr. Cod. de edendo. n. 81. Marc. Mantuam Benavidium in Rubr. de Indic.* Inſuper in omni actu in quo duæ præſumtiones ſimul occurrunt, una delicti incluſiva, altera excluſiva; ſemper illa præſumtio, quæ delictũ excludit, præ iſta, quæ delictum includit, attenditur, & in benigniorem partẽ fit interpretatio, quamdiu actio in dubio hæret. *l. meritò 51. in pr. ff. pro Soc. Cravetta Conſil. 205. n. 8. Menoch. de præſumt. Lib. V. præſ. 2. n. 6.* Quin & maximè ponamus oſculũ, quod alii quàm marito pepigit mulier, fuiſſe impudicũ, fuiſſe luxurioſum, fuiſſe Veneris præparatorium, adulterium tamen veraciter, quod requirit *Iuſtinianus Novel. 117. c. 8. verſ. Si de adulterio. apud Petrejum Concluſ. Criminal. 92.* non probat, futurũ quippe duntaxat, non etiam præteritum arguens: nec ob id tanti faciendũ, ut vel divortio, vel dotis ac dotalitii amiſſioni juſtam cauſam præbere poſſit. Pœna namq; quã delicto conſummato lex imponit, ad attentationẽ producenda non eſt, *l. ſæpe 53. ff. de verb. ſign. c. odia. c. in pœnis. de R. I. in 6.* Etſi tactus hujusmodi libidinoſi culpâ minimè carent, non ſic tamen puniendi, ac ſi res perfecta fuiſſet. Ut alia nempe crimina pleraq;, ita adulteriũ quoq; in foro quidẽ civili, non ſola animi propoſitione, ſed aſſumpto actu intelligenda. Ex quâ quidẽ ratione nec ſolicitatores aliarũ nuptiarũ, & matrimoniorũ interpellatores, qui effectu ſceleris potiri non potuerunt, pro adulteris habentur, ut ordinaria adulterii pœna veniant puniendi. *Nicolaus Henelius Tract. de Iure dotalitii, c. X. §. 13. p. m. 307. Diodor. Thulden. Comm. in Cod. l. 5. Tit. 3. n. 3.*

§. XI.

§. IX. De cætero mulier osculum etiam citra stupri desiderium admittere potest, videlicet à consanguineis, inter quos omnis sinistra præsumtio cessat, *l. 19. C. de Episcop. & Clericis. l. 34. C. ad Leg. Iul. de Adult. Anton. Gomez. in L. Tauri. 80. num. 16. Menoch. l. V. de Præsumt.* XVII. *n.* 13. Ubi exemplum ex *Aristotele lib.* II. *Rhetoric.* adducit, de matre, quæ se filio, ut eam blandiùs salutaret, subjecerat, absoluta in Judicio statim, atq; causam explicuerat. Quin etiam solam amicitiã in osculo præscindere malam præsumtionẽ concluserunt, *Cagnol. in Rubr. Cod. de Edendo. n.* 34. Secundò quandò osculum esset causa honestæ amicitiæ, ibidem *Bologuet. n. 22. Iohann. à Ripa in Rubr. extr. de Iudic. n. 23. vers. declara modo.* Similiter consuetudo loci & ætas osculantis mulierem excusant. Quis enim de osculis Gallorum, Anglorum, & Belgarum salutatoriis mali quidpiam præsumat? *Menochius* in Regione Pedemontii observari vidit, ut mulieres oscula tolerent à sanguine conjunctis & amicis domũ ex peregrinatione aliqua reversis *de arbitrariis Iudicum Quæstionibus & causis l.* II. *Centuria* III. *Casu* 287. *fol. m.* 431. *n.* 13. Hic tamen advertendum, utrum osculatio fiat palam & in publico, an in suspecto loco, item sitne simplex, an καταγλώττισμα. Si enim talia concurrant, præsumtio bona quam loci consuetudo suppeditat, infringetur. In tenerâ & ad Venereas actiones inhabili ætate præsumtio inhonesta locum non reperit, quandoquidem oscula misceri queunt blandiendi causâ. Undè *Parif. in Consil.* 163. *n.* 10. decernit, eum, qui puerum minorem decem annis osculatus & amplexus est, præsumi hoc magis ex causa benevolentiæ, quam ex causâ libidinis fecisse.

§. X. His ita prælibatis quæritur quæ pœna, Mulieri alterius præter maritum osculũ admittenti irroganda sit. Resp. Communis Jctorum opinio est quod mulier non solũ propter adulterium, verùm etiam osculũ alteri quã marito datum, aut contrectationẽ mamillarum suarũ concessam, dotem suã amittat, secundum *Baldum, Volum.* IV. *Consil.* 207. *in c. tuæ, de procurator. n.* 4. *Nicol. Bellon. in Rubr. de edendo. Iul. Clar.* §. *adult. n.* 6. *Modestinus Pistoris Consil.* 3. *n.* 29. *Vol.* I. Nã inter causas amittendæ dotis hæc quoq; numerantur: Si mulier ignorante vel notante marito extraneorum virorum

convivia appetierit: *l.* 8. §. 3. *C. de repud.* Si cum impudicis viris cœtum inierit: si libidinis causa cum viris laverit: *l. ult.* §. 2. *Cod. eod. Novell.* 117. *cap.* VIII. §. 4. Si dum est in matrimonio, alium maritum sibi fieri conata fuerit; Atqui nonne plus est oscula, quam convivia appetere? nonne plus est oscula, præsertim columbina, & quæ Græci καταγλωττίσματα vocant, commutare, quam cœtui virorum interesse? In cœtu præsumitur actus libidinosus, in osculo adest & apparet. Nonne item maritum alium sibi fieri conata dicenda, quæ licet matrimonii compage in unam carnem cum marito coierit, non adquiescit tamen, sed protervo proposito oculum à membro suo avertens, in alienum respicere gestit? Quæ alia signa & testimonia, ipsam in maritum hostilia cogitare, desideres? *Baldi* sententiam probare contendunt *Iohann Andreas Felinus in cap. præterea. in fin. de testibus. Curtius Iunior. in Rubr. de edendo num.* XXV. *Iohann à Ripa in Rub. extra. de Iudiciis num.* 16. *versu, quid tenendum. Berous in Rubr. extra. Antonius Guibertus in Tract. de dote, c.* 6 *n.* 38. *versu, quid autem si suavium. Covarruvias Libro* IV. *Decretalium, de Matrimonio, parte* 2. *cap.* 7. §. 6. *num.* 3. *Tomo* I. *Oper. fol.* 212. qui sequenti numero clarè pronunciat, per osculum quod Vasallus uxori Domini sui dederit ex lascivia, feudum amitti. Cum autem nulla lex uxorem ad tam gravem pœnam propter oscula adigat, ideoque minus tutum esset illam inferre. Imo menti Imperatoris talis pœna planè repugnat, *velut ex l. ult. C. de repud. apparet.* Omnibus causis, *inquit*, requisitis & perlectis, quas antiquitas introducebat, nihil validum præter eas, quas anteriores constitutiones & præsens dispositio introduxit, invenimus, & in *Novell.* 117 *cap.* 12. ait: præcipimus nullam aliam causam præter eas, quæ nominatim insertæ sunt huic legi, posse solvere legitimum matrimonium, ubi nihil de osculo reperitur. Accedit quod plerisque in locis divortium & dotis amissio conjungantur. Ut sic, cum hodie divortium ob dictas causas non admittatur, nec dos ob easdem amitti debeat. Ad Constitutionem de feudo quod spectat, illa specialis est, neque ea quæ de Vasallo statuuntur, statim ad mulierem commodè trahenda sunt. Quapropter rigoro-

rigorosam illam sententiam ICti non postremi pili rejiciunt; *Decius in Rubr. Cod. de edendo num. 2. & in rubr. extr. de Iudic. num. 1. Iason. in lib. 2. in Princip. num. 5. pr. ff. Alciatus Lib.* IV. *Parergor. Iuris, cap.* X. *Aldobrandinus & Hieron. Gigas in addition ad Decium, in Rubr. d. de Iudic. aliiq; à Menochio Lib. 2. de Arbitr. Iudic. quæst. Cas.* 287. *num.* 17. *seqq. Lib.* V. *de præsumt.* XLI. *n.* 26. *seqq. D. Carpzov. in Iurisprud. Consistor. defin.* 189. *& Pract. Criminal. part.* 2. *quæst.* 64. *num.* 15. *seqq.* Poterit igitur Maritus ipse mitiori pœnâ petulantiam uxoris suæ domi coercere, vel si in vulgus proprium dedecus spargere velit, Judicis arbitrio rem componendam submittere. *Iohann. Baptista Bajardus in Additionibus & Annotation. ad Iulii Clari receptar. sententiar. Libros* V. *sive Practicam Criminalem, quæst.* 38. *num.* 31. *pag. m.* 339. *Edit Francofurt. in folio, Anno* 1598. Singularem Constitutionem adducit his verbis: In civitate Neapoli mulier patiens osculum sibi imprimi, perdit penitùs ipso facto dotes omnes, si quas habet, vel habitura esset, & à paterna maternaq; successione pariter expulsa, omni ejus compendio & commoditate remanet irrecuperabiliter spoliata, & nullus pro ea intercedere potest, alias punitur. Ratio hujus sanciti est, quia Itali (& Hispani) alienis osculis mulierum pudicitiam contaminari credunt.

§. XI. Gravissimè etiam alibi in lascivas illas & vagas deosculationes animadversum esse, Historiarum Pandectæ luculentis exemplis demonstrant. Illustre quoddam apud *Herodotum Historicorum, facilè* principem occurrit, cujus sensum solummodo, cum Scriptoris verba paulo prolixiora sint, hic eruam. Cum Persarum Legati à Dario in Macedoniam, petitum aquam & terram mitterentur, magnificè ab Amynta Rege excepti, & ad lauta convivia invitati sunt. Tum illi famâ de Græcarum mulierum eleganti formâ commoti, istas in palatium introduci petierunt. Annuit Rex Amyntas, nihil denegare ausus, atq; illicò adductas Legatis assidere jussit. Persæ autem largo potu & blando fœminarum adspectu, potentissimis amoris illicibus, in profundam libidinis cupiditatem præcipitati, assidentes more patrio contrectare,

 & fur-

& furtivis verberare osculis cœperunt. Hanc effrenem hospitum intemperiem Alexander Regis filius indignatus, mulieres tanquã ad Concubitum evocavit, ac illarum loco adolescentes muliebri habitu ac sicâ instructos Legatis adjunxit, quos personali hospites jugulârunt, eoq; pacto flagrantes amoris ignes proprio ipsorum cruore extinxerunt. Longè alia olim sedebat mens Pisistrato Atheniensium Tyranno, qui adolescentem quendam ex amore filiam ejus virginem in publico osculantem, facilè pertulit, & uxori urgenti ut illum capitali supplicio afficeret, respondit: *Si eos qui nos amant, interficiemus, quid his faciemus, quibus odio sumus? Valer. Maximus Lib. V. cap. I. externo II. Polyænus Lib. V. Idem* tamen de P. Mœnio refert, eum in libertum sibi admodum gratum, quem nubilis jam ætatis filiæ suæ osculum dedisse cognoverat, acerbissimè animadvertisse, filiæq; tam tristi exemplo præcepisse, ut non solùm virginitatem illibatam, sed etiam *oscula* ad virum *sincera* perferret. *Lib.* VI, *cap.* I. *Rom.* IV. *Aegidius Bossius. caus. Criminal. Tit, de extraordinar. Crimin. num.* 3. Factum Jacobi Trivultii adducit: Is enim cum Regis Gallorum nomine administraret Ducatum Mediolanensem, Gallum quendam, quod Susannæ Trivultiæ rapuisset osculum securi percussit. Quæ quidem pœna justo severior videri queat, nisi circumstantiæ delictum aggravantes ultimum supplicium efflagitâssent. Mulier enim ista Susanna Trivultia sine dubio Administratoris Trivultii cognata erat, adeoq; se ex hoc temerario contactu atrocissimâ injuriâ affectum reputabat. Ut igitur alios sacra sui Principis reverentia, ab ejusmodi procacibus factis deterreret, strictissimi Juris in hoc puniendo exemplũ statuere consultum duxit. Nec fortassis mitior animadversio hac nostra ætate maneret illũ, qui Principis cujusdam uxorem, filias, aliasq; cognatas fœminas lascivis impetere osculis præsumeret.
„ Qualitate enim ut *Chrysostomus* alicubi pronunciat, personarum
„ delicta æstimantur. Qui privatum aliquem injuria affecit, pec-
„ cavit quidem, sed non eodem modo quo is, qui magistratum: &
„ gravius, quò quisque majorem magistratũ læserit: non æquè qui
„ inferiorem, At qui Regem, multò magis. Et injuria quidem seu

contume-

contumelia una & eadem est: eminentiâ verò personæ, in quam „ delinquitur, major redditur. Ita qui Regem injuriâ affecit, into- „ lerabilem pœnam sustinet, ob personæ majestatem dignitatem- „ que. Præterea notum est juris studiosis, atrocem injuriam inter „ alia etiam ex loco æstimari, ut si cui in theatro, in foro, in conspe- ctu Prætoris, in concione facta sit injuria. *l. Prætor. §. atrocem. ff. de injur. §. atrox. I. eod. tit. l. 16. aut facta. §. 1. ff. de pœnis. Demo- sthen. Orat. contra Midiam.* Hanc sententiam *Chrysostomus homil.* XXXIX. *in acta Apostolica* egregiè his verbis illustrat: In contu- „ meliis nihil ita nos contristat, ut eorū, qui nos vident, sententia. „ Non enim æquale est, publicè contumeliâ aspergi & privatim, „ sed illas quidem privatas contumelias facilè ferimus, quando in „ solitudine, quando nemo conscius, & sine teste hoc patimur. „ Ut siquidem quis honoret coram omnibus, contumeliâ afficiat, „ privatim, etiam gratias habebimus. Itaq; quod triste, non ex na- „ tura contumeliæ, sed in sententia spectantium, ut ita non videa- „ tur contemptibilis esse. Laudatus *Bossius Lib. cit.* ait: Antonius Venerius Dux LXIV. Venetiarum, proprium filium Aloysium carceravit, quod invitæ mulieri osculum præripuisset. *Iulius Fer- retus de re navali lib.* XII. addit: quia cornua hirci posuerat in ostio domus mariti ipsius amasiæ, juvenis mœstus mœrore & vere- cundiâ periit maximo cordis dolore. Videatur latiùs *Petrus Mar- tellius in Histor. Princip. Venet. Egnatius Lib.* V. *cap.* 8. *Lib.* VI. *cap.* 5. *Fulgosus Lib.* V. *cap.* 8. Anno MDLXII. per regnum Neapolita- num edita est Pragmatica Sanctio Regis Philippi, qua illi qui per vim oscula præripiunt, ultimo supplicio jubentur puniri, referen- te *Cæsare Vrsillo in Addition. ad Matthiæ de Afflictis decis.* 276. *num.* 2. Et eam pœnam cuidam de Terrâ Sanzæ irrogatam fuisse confir- mat *Vincentius de Franchis decis.* 333. *num.* 6. Contra *Ioh. Baptista Bajardus in addit. ad Clari quæst.* 83. *num.* 33. dicit, se non vidisse il- lam sanctionem in Practicâ servari.

§. XII. Quandoquidem ergò Jus nullibi capitis pœnam violentis osculatoribus imponit, ulterius dispiciendum est, quæ pœna hujus generis delicto conveniens sit, aut infligenda

restet &-

restet? Hic legum interpretes in suis consultationibus communiter pronunciare audio: Quandò vir impudicè deosculatus est puerum nulla vi adhibita, punitur pœnâ extraordinariâ sicq; arbitrariâ. Ita sensit *Paulus in l. 1. §. qui puero. Ibi, quidve impudicitiæ gratia fecerit. ff. de Extraordin. crimin.* & in specie, sic novè intelligit *Ludovicus Peguera Hispanus, decision. Criminal.* VII. *num.* 15. Secundus casus, quando vir deosculatus est puellam adhuc virginem, sine vi, hoc casu pariter punitur pro Judicis arbitrio. Fundamentum extat *lib. 1. pr. ff. de Extraordin. Criminibus*: Solicitatores propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur. Quem textum glossa hoc modo rectissimè interpretatur, quando perventum est ad Colloquium, vel basia. *Cynus in l. si quis non dicam rapere in 6. & ibid. Baldus num. 7. C. de Episcop. & Cleric. Salicet. in lib. 15. qui cum telo. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Afflict. in decis. 276. num. 3. Thomas Grammaticus Consil. 48. Jul. Clarus in Practic. Crimin. §. ult. qu. 83. vers. osculum inferens.* Quando vir vi adhibitâ impudicè osculatus est puellam vel mulierem jam nuptam, similiter admittere cogetur pœnam arbitrariam, *Iohan à Ripâ in Rubr. extr. de Iudic. num. 26. Menoch. decis. 287. de arbitrariis judicum quæstion. & causis Lib. II. Ex. l. 1. §. 2. ff. de extr. crimin.* patet in casibus attentatæ pudicitiæ & per consequens etiam osculo lascivo, apud Romanos in usu fuisse pœnam deportationis, quæ cum hodiè amplius in observantia non sit, Judex pro facti ac personarum qualitatibus aliam quamlibet eligere poterit. Multis in locis deportationi successit perpetua damnatio ad triremes, quâ de ad præsentem casum testatur *Peguera l. supra allegato decis. criminal. Ægid. Boss. in 3. de extraord. Crimin. 1. 30. Prosp. Farinacius quæst. Criminal. 143. num. 163. Caball. in resolut. Criminal. Cas. 96. Idem Peguera l. c.* memorat in Regio concilio Anno 1583. decretum esse, contra quendam agricolam, quod puellam invitam & acclamantem fuisset amplexus & exosculatus, bannum à Principatu Cataloniæ in quinquennium. Et *Matth. de Afflictis in decis. 276.* scribit, cum ipse & commissarii in regno Neapolitano consul-

consulti essent à Rege, quæ pœna ab eo qui in plateâ publicâ extra Neapolim virginem ætate maturã osculo per vim lacessierat, de jure sumi posset, responsum esset, ut & per triginta milliaria relegaretur à loco delicti, & pro modo facultatum pecuniâ mulctaretur. In statu Ecclesiastico per constitutionem *Marchiæ Lib.* IV. *cap.* 72. sancitum esse tradit *Bajardus ad Clari quæst.* 83. *num.* 33. ut deosculantes mulierem, virginem, sive viduam incurrant pœnam fustigationis & amissionis bonorum. Imprimis quoq; disponitur, ut matrimonium inter osculantes æq; ac inter adulteros contrahi non possit. Conf. *Iohann. Bertachini Firmani Repertorium part.* III. *pag.* 487. *Augustinus* osculum alienæ mulieri fixum verbere vindicandum existimat, *lib.* XXI. *de civitate Dei, cap.* XI. *p. m.* 975.

§. XIII. Quod si juvenis præ nimio amore osculum mulieri obtulerit, tum si non ab omni pœna immunis, saltem mitiori corrigendus est. Amor enim quidam quasi furor est, *Aristot.* VII. *Ethic. cap.* 7. quem intra suos limites cohibere perfectæ Philosophiæ esse, ipsemet *Iustinianus* judicavit. §. *illud. auth. Quib. mod. natur. effic. sui.* Atq; mitiùs quàm regulariter fit, Curiam Neapolitanam in causa cujusdam Clerici decrevisse observat *Iohann. Aloysius Riccius part.* III. *decis.* 155. Memorabilem de Mundo adolescente Paulinam Romanam in templo Isidis præ amoris violentiâ corrumpente, tradit historiam Zonaras *Annal. Tom. I.* quæ uti lectu jucunda, ita præsenti instituto accommodata meritò hic legitur. Romæ *inquit*, annalium conditor, Paulina „ quædam, & generis splendore, & morum integritate præstans, „ & opibus abundans, vultu ad hoc venusto, & ætate integrâ, ac- „ modestiâ ornata, nupta erat Saturnino, viro nullo bonorum „ genere ipsâ inferiori. Hujus amore captus Decius Mundus, „ inter Equites dignitate præstans, mulieris pudicitiam muneri- „ bus solicitabat, CCM. Drachmarum Atticarum pro uno con- „ cubitu pollicens, eâq; recusante magis inflammabatur, adeò „ ut abstinentia ciborum necem sibi consciscere institueret. Ha-

„bebat autem paternam libertam nomine Iden, omnis generis „malorum peritam. Ea adolescentem sic affectum verbis con-„firmat, & pollicitationibus refocillat, ac sibi duntaxat quin-„quagies mille drachmis opus esse dicit ad rem conficiendam: „quibus acceptis cum illam pecuniâ non expugnari posse cerne-„ret, sed cultui Isidis (ea tum à Romanis pro Deâ colebatur) „esse deditissimam: quosdam falsæ illius Deæ Sacerdotes con-„venit, pecuniam offert, ut Paulinam quibus possint dolis cir-„cumventam, Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecuniâ „deliniti facinus aggrediuntur. Eorum natu maximus Pau-„linam seorsim convenit, se ab Anubide, ipsius amore capto, „missum esse profitetur, ut eam accerseret. Mulieri ea verba „optatissima acciderunt, si à Deo amaretur: & nuncium illum „cum marito communicat, qui gnarus modestiæ conjugis eam „abire sinit. Cum in lucum venisset sub somni tempus, mulie-„ri in ipsa æde lectus paratur, lucernæ extinguuntur. Mun-„dus jam antea ibi abditus, per totam noctem sub Anubidis „nomine libidine sui expleta, discedit. Illa reversa Anubidis „apparitionem marito narrat, apud familiares de congressu „Dei gloriatur. Sed tertiô post id facinus die, Mundus ei ob-„viam factus, Paulina, *inquit*, & ducenta millia habeo, & tu „mihi gratis gessisti morem. Tua verò ergà Mundum injuria „me non attigit, qui Anubidis nomen ipse mihi fecerim. E „quibus verbis mulier intellecto facinore, vestibus laceratis, „marito insidias indicat. Is apud Tiberium conqueritur: „Imperator, facinore comperto, Sacerdotes & Iden in cru-„ces tollit, ædem diruit, Isidis simulachrum in Tiberim demer-„git, Mundum in exilium agit, pœnam graviorem ob amoris „vim clementiâ moderatus. Hactenus ille. Hinc liquidò con-stat pœnam propter vehementem amoris affectum mitigari so-litam. Idq; & ab Areopagitis, gravissimis alioquin delictorum censoribus ob ervatum fuisse, *Aristoteles* memorat, *Lib.* I. *magnorum moralium cap.* XVI. & ex eo *Alciatus Libro* VII. *Parergorum cap.* XXV.

§. XIV. De Monacho vel Clerico qui turpe osculum adolescentulis impresserit, *Fructuosus* Episcopus severissimum decretum tulit, quod post librum *Philastrii de hæresibus* ponitur, in libro qui inscriptus est *sententiæ Patrum, de officio Rectoris Ecclesiæ*, Can. 95. *Fructuosi* hæc sunt verba: Monachus aut Clericus, parvulorum aut adolescentum consectator, qui vel osculo, vel qualibet occasione turpi deprehensus est, comprobatâ patenter per accusatores verissimos, sive testes, causâ, publicè verberetur; coronam capitis, quam gestat, amittat, decalvatusq; turpiter opprobrio pateat, omniumq; sputamentis oblinitus in facie, probra suscipiat, vinculisq; arctetur ferreis, carcerali sex mensibus angustiâ maceretur, & triduanâ per hebdomadis singulas refectione panis exigui hordeacei vespertino tempore sublevetur. Post deinde expletis his mensibus, aliis sex mensibus succedentibus, sub senioris spiritualis custodiâ segregatâ in curticulâ degens, operi manuum & orationi continuò sit intentus, vigiliis & fletibus & humilitate, & pœnitentiæ lamenta percipiat, & sub custodiâ semper & solicitudine duorum spiritualium fratrum in monasteriô ambulet, nulla privatâ locutione, vel concilio deinceps juvenibus conjungendus. *Conf. Gregor. Tholosanus Syntagm. Iur. univ. Lib.* XXXVI. *cap.* XI. *num.* 10. *pag.* 715. *Regino Abbas* Anno Christi DCCCXCII. *Cœnobii Prumiensis* constitutus, *de disciplina Ecclesiastica veterum præsertim Germanor. Libro* 2. *cap.* CCL. & CCLI. Qui per illecebrosos amplexus fœminæ vel per osculum polluitur, XXX. dies pœniteat. Qui tetigerit inverecundè carnem ejusdem fœminæ, III. menses pœniteat. Qui per turpiloquium polluitur, VII. dies pœniteat. Presbyter si osculatus fuerit fœminam, per immundum desideriũ XX. dies pœniteat. Qui in somnis voluntate pollutus est, surgat & cantet VII. Psalmos Pœnitentiales, & in die XXX. Qui peccare voluerit in somnis & nõ fuerit pollutus XXXIV. Psalmos cantet. Notatu quoque dignissima est relatio de Episcopo formosissimam Imperatoris Rudolphi Habsburgensis conjugem Agnetem osculante;

lante, quam laudatissimus noster Dn. *à Birken* ita expressit im Spiegel oder Ehren/ des Ertz-Hauses Oestreich. *Lib.* I. *cap.* XIV. *pag.* 120. Von dieser wunder-schönen Käiserin wird geschrieben/ daß Bischoff Friederich zu Speyr/ ein geborner Freyherr von Polanden/ (andere benennen B. Heinrichen / Grafen von Leiningen / welcher aber lang vorhero Anno 1272. mit Tod abgangen/) als er sie einsmals / von Ehren und Höfflichkeit wegen/ ab der Kutschen heben wollen / von ihrer Schönheit überwunden / ihr einen Kuß auf die Wangen gegeben ; dieses hat die Käiserin so übel verdrossen / daß sie es alsobald dem Käiser geklagt / und gebeten/ er wolte den Bischoff umb diesen Frevel und Vermessenheit abstraffen. Der Käiser merckte wol / daß ihre Schönheit hieran schuldig wäre. Jedoch aber seiner Gemahlin Abtrag zuthun/ schickte er einen vom Adel zum Bischoff/ und ließ ihm / zwar seiner Gewohnheit nach / im Schertz sagen : Wenn er küssen wolte / solte er ihm ein eignes Agnus Dei oder Pacifical schaffen / und ihm seine Agnes ungeküst lassen! Daneben ließ er ihm andeuten/ daß er forthin des Käiserlichen Hofs müssig gehen/ und weder ihm noch der Käiserin unter Augen kommen solte. Der Bischoff merckte den Zorn der Käiserin / und damit sie ihm nicht ein heisser Bad beym Käiser zurichtete/ entritte er an fremde Orte/ und begab sich also freywillig ins Elend: darin er biß nach des Käisers Tod verblieben/ da er dann zu seinem Bistum wieder gekehret.

§. XV. Quamvis autem sacratissimi Imperatores multas salutares cōstitutiones præscripserint, ut jus thori inviolabiliter servandum assererent, & lascivientium petulantiæ frœnum injiceretur, nihilominus tamē multi reperti sunt, etiā inter gentes politiores, qui concubitus aliorum promiscuos tolerarent, non cum scortis modò, sed etiam uxores iis proprias prostituentes. Ut Cabbas ille Romanus, qui cum Mœcenatē excepisset, & eum nutibus videret ad suam uxorē alludere, sensim capite inclinato somnū simulavit. Cum autem interim servorum quidam ad mensam accessisset, extrinsecùs, ac vinū suffuraretur, apertis oculis, *Perdite,* inquit, *an nescis me soli dormire Mœcenati. Plutarchus in Serm. Amatorio Tomo* II. *Oper.*

per.p.760. Argis contentio erat Nicostrato & Phayllo de Republicâ: eò cum venisset Philippus Rex, apparebat hunc, si uxorem quæ erat insigni formâ Regi abutendam præberet, Magistratum aliquem sibi & principatum impetraturum. Cumque sentiret hoc Nicostratus, & circa fores domus obambularet, Phayllus uxori crepidas subligavit, chlamydeque & causiâ Macedonicâ ornatam, tanquam unum de pueris Regiis, ignotam aliis Regi submisit. *Idem l.c.* Et quam olim cœtus muliebris histrioniam fecit, eandem adhuc hodie exercet. Invenias enim tam urbanos viros vulgò vocant cornutos, qui mutua extraneorum oscula turpesque amplexus uxorum suarum patienter ferunt, & ut ait ille, *spectare lacunar, aut vigilanti stertere naso,* ad exemplũ Cabbæ Romani assolẽt. Cornutus *Iohanni Parladorio rer. quotid. lib.* I. *c.* XVII. *n.6.* dicitur, quasi sit corde nudus, qui dedecus tale patiatur. Nam ut Salomon *Proverb. c.* XVIII. inquit: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens.* Tales inter Lipsienses boni viri, & in legibus Longobardorum Argæ dicuntur, à Græco ἀργὸς, quasi ἀεργὸς, sine opere, ignavus, stupidus, segnis. Cucurbitam quoq; dicebant virum uxoris adulterio infamem. Ab Italis, Anglis & Gallis alio atq; alio vocabulo insigniuntur, quod festivissimus Anglorum Martialis *Ovvenus jocoso Epigrammati* XXXVIII. *ad Henricum Principem VVallia, Lib.* II. inclusit:

Cur Itali longè gravius quam Gallus & Anglus
Uxorum lusus, oscula furta ferunt?
Bestia pejor ave est, cui nupsit adultera conjux:
Italus (1) est quadrupes, Gallus & Anglus
aves. (2)
Gallus & Anglus aves, quadrupes est Italus? ergò
Ex tribus his solus cornua fert Italus.

(1) Becco cornuto. Hircus. (2) Gall. un Cocu, Angl. A Cuckold, cuculus. Idem *Epigramm.* CLXIII. *Lib.* I.

Si quandò sacra jura thori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir? caput est.

Necnon *Lib.I. Epigramm.* XLIX.

Si natura daret tibi cornua, tollere posses,
Quod tibi nupta dedit, tollere nemo potest.

In ripa Thamesis suburbio Londinensi Rattelevv dicto, opposita, pertica conspicitur lignea cum cornibus arietinis superiùs affixis, quæ vulgò significare dicuntur ita puniri eum, qui sciens & volens passus sit alium cum conjuge sua concumbere, tacitè in adulterium consentiendo. In jure feudali de hoc actu usurpatur barbarum verbum cucurbitandi, ut cum Vasallus feudum dicitur amittere, qui Dominum cucurbitaverit, id est, cum uxore concubuerit, *Sigismund. Finckelthus. d:sp. Feud.* X. *thes.* 10. *lit. a. Godeschalc. Stevvechius in Apolog. Apuleji.* rationem ejus evolvit *Hotomann. Lexico feudali, & Conrad. Rittershusius partit. feudal. lib.* II. *c.* 5. *q.* 92. Quia qui stuprum parare audet in personas conjunctas Domino, is eum habet pro homine inerte, quasi qui pro capite habeat cucurbitam, & peponem loco cordis, ut est proverbium apud *Tertullian. lib.* IV. *advers. Marcion. c.* 40. sive qui pepone magis infulsus sit, ut *idem lib. de anima* habet; sive qui dignus sit, qui cucurbitas pingat. *Alciatus* legit cucuritare, quam lectionem confirmare videtur *Johannes Ovvenus lib.* I. *Epigramm.* 40.

Induit uxoris pertæsus Cotta cucullum,
Ut mundo moriens exueret cuculum.

Cuculum autem vocant taliter cornutum virum, quia conjux illum cogit agnoscere pro suis liberis, qui ejus non sunt, sed in ejus thalamum suppositi, sicut cuculum ajunt ova sua in curucæ nidū imponere, à curucâ excludenda, & sicut perdices aliena sibi ova supponere perhibentur. In quem sensum *Aristoteles l.* 6 *de animal. c.* 7. scribit: Pullos cuculi nemo se ait vidisse, parit tamen, verùm non in nido, quem ipse fecerit, sed interdum in nidis minorū avium & ova qui aliena reperit, exedit. Maximè verò nidos palumbium petit, quorum & ipsorum ova esu absumens, sua relinquit. Curruca quippe cujus in nido parit, fovet illa & excludit. Ex quibus verbis liquet, Cuculi nomē adultero, Currucæ verò patienti seu Cornuto (quem vocant) magis quadrare. Curruca autē est avis haud dissimilis ei, quam vulgò Coruxam, à Latino verbo non multū discordante

dante appellamus: ea in occipitio plumarum cornuſcula quædam arrigere ſolet, & indè *Cornuti* maledictum originem verius traxiſſe videtur, ſecundum *Parlador.d.l.n.8.* Ubi n.ſeq. dicit, ad iſtud etiam convitium pertinere, ſi quis injuriandi gratiâ, aliquē *bonum Virum*(Gallic. *un bon homme*) appellaverit: nam & eâ appellatione, malignè interpretata *Cornutus* ſignificari ſolet. *Nevizanus in Sylv. nupt.l.1.n.76.Boer.conſil.4.n.7.* ſed vide *Parlador.d.c.17.n.ſeq.Rittershuſ.ad* §.1. item Lex Julia *de adulteriis verſ.Ex his intelligimus. Inſtit.de publ.Iudic.* Germani efferunt Hahnrey/quaſi dicas Gallichorea, *Speculum Saxonicum l.2.art.13.in gloſſ.* Conveniunt namq; in hoc cum Gallis, quia licet Gallus proprias uxores habeat, quæ tamen ab aliis etiam viſitantur: Ita & hi licet proprias uxores alant, ab iis etiam alii admittuntur viri. Subſeſſor vero alieni thori qui alicui cornua imponit, Latiniſſimo vocabulo dicitur *Capellanus, vicarius,* ſive *matrimonii Coadjutor.*

§.XVI. In India herba quædam Dutroa ſive potius Datura ubertim provenit, quæ cibo potionive admixta cerebrum invadit, ac ſtultitiam quandam riſu continuo abſq; ullo alio ſenſu, aut ullâ rerū notitiâ excitat, conciliato etiam ſomno, qui per viginti quatuor horas durat, niſi pedes frigidâ aquâ abluantur. Hujus herbæ uſus Luſitanorum ac Indorum mulieribus frequens eſt, quā maritis ignaris propinant, ut ſecurè adultero copiā nefandæ libidinis faciāt. Ita marito præſente & apertis ſpectante oculis, verū fatuo riſu in mētis abalienationē conjecto, communi proverbio illa cornua inſtruūt, quibus conjugē proſtituto geniali thoro infamant. Nec is è ſomno excitatus cujusquā reminiſcitur, verū ſopore levi ſe correptū exiſtimat. Etſi aurē Dutroæ uſus, ob illā, quam dixi vim, ſeveriſſimè eſt prohibitus, fit tamen, ut ipſimet etiam edictis qui cavent, ab uxoribus decepti, eandem inſcii bibant plurimùm: ſexu quippe muliebri in herbâ illâ indaganda quammaximè occupato, ſaltem animo ut obſecundent ſuo. *Salmuth ad Panciroll.de reb.noviter repertis Tit.1.p.m.61.* *Thomas Bartholinus* eruditæ Daniæ Sol „curatiùs rē ob oculos ponit ſcribens *Cent.6.Hiſt.Anat.& medic.n.* „*76.p.331.* Datura apud Indos præſertim in Goa familiaris, Achāto „ſimilis eſt, teſte *Garcia ab Horto l.1.Pl.c.24.* Fructū fert Strāmoneę

haut

„ haut absimilem, cujus speciem credit *Christoph. à Costa l. aromat.* „ *P. Alpinus Lib. 2. Plant. Exotic. F. Columna Not. ad Hist. Mexic. p.* „ 886. qui quinq; ejus species describit. Fructus pomum refert, „ sed aculeatum & oblongum nucis juglandis magnitudine, semi„ nibus exiguis refertum. Nam Solani genus esse probat *Veslingius* „ *Annot. ad Plant. Aegypt. Alp.* At Hioscyami speciem defendit *Io*„ *hann Torrentius Not. ad Hist. Mexic. l. 4. c. 18. l. 8. c. 28.* quia narco„ ticam vim obtinet, & varia phantasmata inducit. Utuntur hoc „ semine Indicæ mulieres lascivæ & fures, quemadmodum refe„ runt oculati testes *à Costa, Garcias, Lindschotanus, Mandelslous,* a„ liique. Illę ad fallendos maritos, hi ad furtum. Mulieres Lusitanæ „ in Goa civitate opulentissima ut securius libidinem cum procis „ expleant, fallantq; etiam præsentes maritos, ex semine Daturæ „ recentive Planta succum exprimunt, vel siccata semina in pul„ verem redigunt, eaq; conditis vel cibo vel potu mista astu quo„ dam maritis exhibent. Varia ex assumto semine patiuntur viri, „ vel enim somno obruuntur profundissimo, vel fatui redduntur, „ sensibusq; orbantur; ut videntes nihil videant, & cum ratione ni„ hil intelligant. Ad 24. horas extenditur hic paroxysmus. Interea „ procos suos admittunt mulieres loci vitio lascivæ, & in præsentia „ mariti omnem libidinē explent. Ubi satis Veneri indultum, ex„ citatur demum vir lotione pedum frigida, vel forti frictione, „ omniumq; rerum, etiam visarum, nescius, quasi ex somno meri„ diano expergiscitur. Ita illuditur maritus, insciusq; Corneliorum „ familiæ adscribitur. Singulari quoque artificio eædem fœminæ „ norunt Daturam præparare, ut ad certas horas, quamdiu illis „ commodum fuerit, operationem contrahat. Easdem technas „ fallaciasq; servi furtivi heris suis adornant. *P. Alpinus l. 2. de Plant.* „ *exotic. c. 3.* à Medicis Arabibus & Ægyptiis audivit latrones Stra„ moniæ longæ seminibus tritis uti ad mercatores ebrios redden„ dos, ut commodè ipsorum merces deprædentur.

§. XVII. Illud mirêre magis, esse in urbe vel insula Goâ locum, in quem projecta occisorum cibi gratia boum & aliorum animalium cornua (Lusitanis & Indis adeò despecta & odiosa) post ali-

qu od

quod tempus ex interiore parte terræ adfixa radices agant, palmi unius, & quod excurrit longitudine: quemadmodum ipsemet *Linschotanus* ait, oculis se usurpâsse sæpiùs, radicibus evulsis atque inspectis, singulari sanè excremento; cum nusquam terrarum simile exemplum in cornibus exstet, quod vel memoria sit proditum. Causam rerum naturalium curiosi indagare conati nullam invenêre, cum adhæc locus ille lapidosus sit, & aliàs infœcundus. Ideò Goæ homines supra omnes mortales excellentiâ cornuum præstabiles, diuturnâ ac perpetua infamia laborant, cum alibi ipsa cornua abscindi queant, aut detruncari: ibi autem radices altè agant & infestâ semper cum desperatione conjugalis pudicitiæ, novis pullulent incrementis, quod festiviter sanè relatum est à *Iohanne Hugone à Linschoten*, *Descript. Navigat. in Indiam Orientalem, cap.* LXI. Conf. *Nicolai Henelii Otium Vratislaviense cap.* XLVII. *Herman. Conring. Dissertat. de habitus corporum Germanicorum caussis, p.* 125. De Andronico Imperatore Constantinopolitano sub finem Seculi XII. luxuriosissimo *Nicetas Lib.* II. *in vita Andronici*, „ita disserit: Erat luxu corruptus, cum cœtu scortorum & pellicū „in loca deserta & temperata secedere, & ferarum more conval„les & herbosos saltus consectari solebat; ut gallinarum gallus „gallinaceus, aut hircus caprarum ductor, aut ut Bacchus Thya„das & Mænadas, sic ipse amicas suas antecedebat, tantùm non „hinnuli pelle, & crocoto indutus. Cornua cervorum quos vena„tus erat, insignia, & rari aliquid habentia in porticibus fori sus„pendebat, per speciem ostentandæ magnitudinis ferarum, quas „cepisset, cum revera civitatis mores, & uxorum quas ipse cor„rumpebat, lasciviam notaret. Hinc suspicor in multas gentes promanasse illam conviciandi formulam, ut, qui conjuges suas sive ex malitiâ, sive ex supinâ negligentiâ aliis prostituerent, & permolere finerent, in contemptum cornua ferre dicantur. Tales cornuti quondam erant Vasalli illi, qui Comitibus ac postea Canonicis Lugdunensibus dabant licentiam prima nocte concumbendi cum suis sponsis, cujusmodi quidem pactum *jus luxandæ coxæ aut cunnagii* veteres nominârunt: sed quod tamen quia turpe

ac probrosum pro impossibili habendum & in pecuniæ contributionem convertendum, *Choppinus ad leg. Andiam. lib.* I. *de Iurisd. & Andegavensi c.* XXXI. *sub num.* 8. *& Camillus Borellius Conf.* I. *num.* 150. *f.* 12. *col.* 1. rectissimè statuerunt: Olim, inquit *Salvianus Lib.* VII. *de Providentiâ*, Vandali ad libidinem comprimendam severas pudicitiæ leges decreverunt, gladio impudicitiam coercentes, ut puritatem scilicet utriusque sexus, & domi connubii servarent affectus, & in publico metus legum, ac si duplici præsidio castimonia niteretur, cum & intus esset, quod amaretur, & foris quod timeretur. Sed certè maximè dolendum est his temporibus, in quibus passim ferè apud omnia tribunalia adulteri impunè evadunt, imo de ipso crimine gloriantur: illi verò quorum uxores adulteræ sunt, accusationem proponere non audent, ne in perpetuam infamiam ita volente pravâ consuetudine incurrant. Quare ego semper fui in hac sententiâ, quod Principes hujus temporis, qui hoc gravissimum crimen severissimis legibus non coërcent, illasque exsequi non faciunt, gravissimè peccent. Et judicio meo iste est unus ex casibus, in quibus Christiana Respublica indiget reformatione, Verba sunt sapientissimi Consiliarii Regis Hispaniarum in Provinciâ Mediolanensi, *Iulii Clari Lib.* V *receptar. sentent.* §. *adulterium, n.* 7. *in fine.*

§. XVIII. Denique quâ ratione adulteria fœminarum evitari possint, elegantissimo conceptu *Petrus Rota Prædicator Capucinus Provinciæ Brixiensis in horto floridissimo Discursuum prædicabilium, disc. sexto, p.* 90. *edit. Moguntinæ* An. MDCLXXVII. declarat: Dubium jam diu tritum est, *inquit*, circa formationem Protoparentis Evæ, cûr Deus potius eam formârit ex costâ, quam ex alia parte corporis Adami *Gen.* II. 22. inter millenas rationes, quas assignant SS. Patres; observat *Petrus Berchorius*, quod costa est ad modum arcûs formata; Deus itaque hoc facto docere voluit, non solum Adamum, sed & omnes conjuges modum, quo benè & prudenter debent gubernari uxores. Nam sicut ille qui vult ut arcus bene ferat, & rectâ devehat sagittam; non debet eum nimium relaxare; nec nimium tendere, quia si nimium tendatur, rumpitur,

tur, & frangitur; *Arcus nimium tensus frangitur*: ita quoque uxor utpote formata ex costa, quæ habet formam arcus, instar arcus debet gubernari, adeoque non debet tendi nimio rigore, nimium eam constringendo, & in domo continendo, nec nimium coarctari, in libertate gubernandi domum, quæ ei convenit. Uxor juxta S. *Thomam* non sit serva, sed socia bonorum. Hinc optimè dixit *Menander*: *Hoc quidem maximum, nunquam oportet virum sapientem nimis custodire uxorem in penetralibus domus, quisquis autem repagulis, & per sigilla custodit uxorem, etsi videatur sapiens, vanus est & nihil sapit.* Dum enim misera fœmina se videt tam rigidè tractari, cum sit fragilis permittit se vinci ab impatientia, fremit & irascitur: ideò de illa dixit Sapiens *Prov. 20. v. 16. Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat.* Hæc verba sic explanat *Hugo Charnensis*: „ Ventus si clausus tenetur strepitum facit, sic Mulier, si clauda-„ tur, litigium facit. Et his forsan addit alia opera indecentia. Sicut autem arcus nimium tensus frangitur, & nimium remissus velut debilis, non potest ejicere sagittam; ita quoq; uxor si nimium securè habeatur, fit impatiens & ruit in plura mala: si verò nimium remittatur, hoc est, si nimia libertas ei concedatur conversandi maximè cum viris & evagandi, velut debilis & infirma faciliter in gravissima mala præcipitatur. Et quamvis nimia libertas in omnibus sit noxia fœminis, attamen illa perniciosissima est, quā iis permittitur, ut cum viris quibuscunq; conversentur. Hunc in finem considerat S. *Cyrillus Alexandrinus Lib. I. de adorat. in Spir.* dubium supra propositum, cur nempe Deus voluerit Evam à costâ Adami producere, acutè observans, quod dū Deus vitā nostrā collocavit „ in corde, cōsequenter hoc majori egeat custodiâ, adeoq; & illud „ involverit cuidā telæ ex pergameno, vocatæ pericardiæ: & quia „ hæc tela tenuis est, ut quasi acu perforari possit, eā circumdedit „ pluribus duris & robustis costis, quæ velut aggeres illud defen-„ dūt, & muniūt. Formando itaq; fœminā, unā ex his costis accepit „ ut doceret, cordi viri & mulieris deesse hūc murū, & aggerē fortis costę, ita ut nō habeat aliud propugnaculū, & munimentū, quā hāc unicam simplicē pelliculā, quæ unico flatu accēditur, & acu trāsforatur, adeoq; valde cauti sint in cōversatiōe mutua, cū faciliter &

Eccc 2 per

„per unicum intuitum corda fauciantur & amore lascivo accendantur„. Hinc *Gregorius*, deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam„. Et ideo non sine fundamento opinantur *Fernandez* Philippum Tetrarcham populorum Ituruiæ & Trachonitum„, magnam præbuisse ansam suæ uxori cadendi in adulteriū„, dum nimiū bonus, bonam existimationem de omnibus habendo„, permisit uxorē suam visitari à Rege Herode tanquam suo fratre„, eamq; hūc revisitare, utq; colluderēt, illaq; iret ad choreas, comœdias, quæ in palatio & quidē quandoq; de nocte exhibebantur &c„.

§. XIX. *Iohannes de S. Geminiano Ordin. Prædicator. in universo Prædicabili. Lib. V. c. 4. p. 414. Edit. Colon. in 4. An.* MDCLXX. narrat de: „taxo, quod in hyeme collectâ prius annonâ necessaria, sese cum „sua cohorte abdat in antro, sed dum timet, ne cum tempore vi„ctualia deficiant, non permittit, ut fœmella comedat ad saturita„tem; & ideò ei non statuit ingressum in penuarium, sed cibū dat „ei ad mensuram. At illa ob talem rigorē succensa, molitur, quo„modo suo appetui possit satisfacere, & tamdiu speculatur, quo„usq; penuariū intret, utq; illud est ingressa omnē annonam præ„paratam aufert. Nunc paulisper considerate, annon idem eve„niat illis maritis qui nimis severi sunt erga uxores, ita ut omnia iis „claudant, illisq; panem dent in mensura; & ideò dum misellæ ita „conficiuntur, nil aliud mente volvunt, quàm quomodo nunc hic „nunc ibi aliquid surripere possint. Et dum earum astutiæ Diabo„lus suppetias fert, eousq; perveniunt, ut plura eaq; gravia pecca„ta ob duritiem & impudentiam maritorum committant. Idcircò „quemlibet maritatum Sapiens hoc singulari documento monet: *Eccles. 9. v. 1. Non zeles mulierem sinus tui, hoc est, ne uxorem tuam nimis severe tractes; ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam, hoc est, ne vadat ad Scholam Diaboli, & in ea cum tuâ tuaque domus ruina pravam ruinam addiscat.* Hinc ex hoc textu *Lyranus* infert: Uxor propria non est nimis arctanda. *Vegetius* tradens modum militari, refert stoliditatem nōnullorum Ducum, qui putant ad obtinendam victoriam nil esse melius, quā quod hostis ad tales redigatur angustias, ut nullus effugii ei pateat aditus. Porro de his inquit *l. 3, de re milit. c. 21.* Sunt omninò rei militaris ignari, quia clausis ex-

despe-

desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido. Idem contingit in gubernatione uxorum, nam si durius tractentur, conjiciuntur in manifestum periculum gravium errorum. Hinc ait *Iohannes Cluniacensis Serm. 6. de concept.* Si omnis mulieri custodia adhibeatur, adhuc transibit per foramen acus. Mariti itaq; si velint habere uxores fideles, debent eas tractare cum discretione. Sed ante omnia debent iis servare datam fidem; quia nihil est, quod adeò uxorem irritet, ejusq; bilem inflammet, quam si videat, à marito fidem violari. Et hæc passio adeò animam & cor ejus penetrat, ut sæpe, sunt verba *S. Ambrosii Lib. 4. de Abrahamo c. 4.* mulierem in furorem incitet, & quasi mente eam capiat, ita ut nullum sit malum, quo vindictam repetere non cogitet. Hinc dixit *S. Iob: si unquam, non dicam facto, sed & desiderio resolvi fidem uxori datam violari, sanè promereor, quod scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii. cap. 31. vers. 16.*

DISSERTATIO XV.

De

OSCULO SPONSALITIO ET CONJUGALI.

SUMMARIA.

I. *Osculum signum ineundi matrimonii.* II. *Illo sponsalia confirmata etiam in Veteri testamento.* III. *Sponsale osculum congressio quædam animorum. Tertullianus à Georgio Ambianate optimè editus. Theudelinda Agilulfum osculo maritum adscicit. Mos inter Lappones desponsatos osculandi.* IV. *Veteres castitatis observantissimi & in osculis parci. Guldrata puellæ castitas. Oscula immunda Diabolo grata.* V. *Osculum per se non facit matrimonium nec affinitatem parit. Effectus osculi inter desponsatos. Osculo dato donatio facta à sponso præmoriente pro dimidià parte valet, nisi sponsa sit minor duodecim annorum. Bona*

per matrem Sponsi transmissa, Sponsa non lucratur. VI. *Sponsa osculo accepto monasterium intrans & matrimonium consummandum dirimens dimidiam donationis partem servat. Osculum quandò copulæ æquiparetur.* VII. *Matrimonium inter proximos consanguineos sub conditione si Papa dispensaverit, promissum, in conscientiâ non obligat ad consummationem. Iisdem tactus & oscula non permittuntur, nec lucrandi quidquam vim habent.* VIII. *Columbarũ oscula. Columba optati Conjugii & Concordiæ hieroglyphicũ. Columbæ proprietates Osculi maritalis origo. Roma fœmina.* IX. *Begnini & Beguardi hæresis damnata. Tactus & oscula sine mala intentione lasciviæ explendæ non sunt mortalia peccata; multo minus quæ inter conjugatos exercentur. In conjugio nihil turpe est.* X. *Maritale osculum ut & cæteros conjugales actus nõnisi cautè & remotis arbitris suscipere jubet verecundia. Vxores in præsentia filiarum osculari non permittit Cato. Idem non nisi Iove tonante uxorem amplexatur.*

§. I. OSculo Sponsalitio cum conjugali arctissima affinitas intercedit, nam ab hoc tanquam ordinario anteambulone ad illud via sternitur & legitimus secundum civiles Constitutiones accessus procuratur. Ubi nulla Sponsa, nulla sequuntur sponsalia, nullum contrahitur matrimonium. Uti contra alterutro posito antecedenti, consequens quoq; poni necessum est. Idcircò quæ mutuô gaudent relationis vinculo, in præsentiarum quandò utriusq; tractatio suscipienda venit, combinare, ac junctim sub incudem revocare allubescit. Non dubitamus sub conjugum nomine complecti tam illos, qui mediante Sacerdotis copulatione conjugio jam initiati sunt, quàm qui matrimoniũ adhuc consummare intendunt. Cingendus habetur pro cincto in favorabilibus, & sponsalia firmata constitutione dotis, vel juramento de implendâ promissione, vel de præsenti inter puberes, habent vim veri & confirmati matrimonii, ex sententia Jureconsultorum. Videatur *Didacus Cavarruvias in Epit. Sponsal. c. 1. Petr. Gregor. Tholosan. Lib.* VIII. *Syntagm. c. 5. 9.* Æque ac sponsaliá, quæ copula carnalis est secuta, *Iacob. Menoch. l.* III. *de Præsumptionibus, Præsumt. 1. n. 6.*

I. n. 6. ficut diffinitum eft in C. *is qui fidem. de Sponfal.* Vel quando poft perfectam ætatem fuperveniunt figna aliqua, ut ofcula, amplexus, munera, annuli, fubarrhatio & fimilia. *Menoch. Præfumt. cit. n. 64. ex glofsâ in C. I. §. 1. de defponf. impub. num. 6. Henric. Boyc. in cap. atteftationes, col. 2. de defponf. impub. Bald. Confil. 194. incipiam. lib. 3. Alexander de Nævo in l. quod Servius. num. 4. ff. de cond. ob caufam, & in Confilio 149. in fine Lib. V. Aret. in Conf. 142. num. 7. Socinus Senior Conf. 28. num. 4. libro 4. Philippus Decius conf. 388. n. 1. ver. fecundo modo, & conf. 605. n. 6. Flaminius Parifius Conf. 51. columnâ 2. Lib. IV.* Et illi quidem adducti funt illo textu *cap. I. §. 1. de defponf. impub. num. 6.* Ubi ex confenfu tacito fponfalia indicant matrimonium. Ibi gloffa & Doctores interpretantur, tacitum illum confenfum colligi ex cohabitatione, amplexibus, ofculis, & fimilibus fignis. Confer *Iohann. Althufii Dicæologic. Lib. I. cap. LXXIX. num. 19. p. m. 276. Edit. Francofurt. in 4. Anno* MDCXLIX.

§. II. Veteres Chriftiani ofculum iftud initium confummandarum nuptiarum, tefferam Sponfalium, & initialem quafi Sponfæ fruitionem reputabant. Solius ofculi interventu fponfalia conftituta docet Lex ab Imperatore Conftantino lata, *Lib. XVI. Cod. de donat. ante Nupt.* Plurimùm autem in hoc negotio Leges civiles valent, quia Matrimonium civilis quafi contractus eft, & ad normam illius fe quodammodo habet, circa quod civili Magiftratui varia falutariter fancire liberum relinquitur. Inde etiam *Chryfoftomus Sermone* XLVII. *in Matthæum* exfertis verbis affirmat, veteres Chriftianos ad LEGES CIVILES fponfalia fua conformâffe. Ex Legibus ergò Romanis omnium optimè cognofcimus, quid Juftiniani ævo, proximeque fubfecutis temporibus, feculis abhinc undecim in Ecclefiâ, nec non Romano Imperio, circa fponfalia, circa nuptias & in univerfum circa caufas matrimoniales obtinuerit. Ita in *Novellis de fponf.* legimus, fponfalia datis arrhis & ofculo confirmari. Imò quæ ofculum dederat, uxoris loco cenfebatur vel plus quam fponfa. Propterea *Quintilianus* folo ofculo conjuges putari

tari tradit, *declamat.* 370. & ex eo *Cujacius in Recitat. solenn. ad Tit.C. Si Rector Provinciæ, vel ad eum pertinentes.* Quod populus Dei in V. T. *osculum Sponsalitium* adhibuerit, vel prima Cantici verba innuunt, ubi sponsa Christi exclamat: *Osculetur me osculo oris sui.* Quô osculo intimum qui inter sponsos viget, amorem denotari pulchrè explicat *Ambrosius Libro de Isaac & animâ, cap. III.* Osculatur nos Deus, quando cor nostrum Spiritu suo illuminat, quo donata anima, læta NUPTIALI CHARITATIS PIGNORE (accommoda sponsalis osculi descriptio:) dicit: Os meum aperui & Spiritum duxi? osculum enim est, quo amantes sibi invicem adhærent, & velut interioris gratiæ suavitate potiuntur. Per hoc osculum anima Deo adhæret, per quod sibi transfunditur Spiritus osculantis, sicut etiam hi, qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed Spiritum suum sibi invicem videntur infundere. Quæ OSCULI MYSTICI declaratio morem osculandi inter Sponsos olim receptum sufficienter confirmat. Confer supra Dissertationem III. hujus Tractatus, ubi ex Professo locum Cantici interpretati sumus.

§. III. Aliquantò pressiùs *Tertullianus* Latinorum Patrum quorum Scripta ad nos pervenerunt, antiquissimus institutum nostrum tangit, *Libro de velandis virginibus cap. II.* scribens: „Ad desponsationem velantur virgines, quia corpore & Spiritu masculo mixtæ sunt per OSCULUM & dextras, per quæ primùm „resignârunt pudorem spiritus per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem. *Paulò ante dixerat:* „Desponsatæ habent Exemplum Rebeccæ, quæ cum ad sponsum „ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognovit esse, „quem de longinquo prospexerat, non sustinuit dextræ collucta„tionem, nec OSCULI CONGRESSIONEM, nec salutatio„nis communicationem, sed confessa quod senserat, id est, Spi„ritu nuptam, negavit virginem, velata ibidem. O Mulierem „de Christi disciplinâ! Ostendit enim, etiam nuptias fieri de ad„spectu & animo, quemadmodum stuprum. Ratio sponsalis osculi erat mutui amoris firmamentum, quia osculum mutui amo-

ris

ris signum est, juxta *Ambrosium Lib. VI. in Luc.* In eundem sensum subtilissimus *Scaliger ad Cardanum Exercitat.* CCCX. *p. m.* 1002. Amans cum redamatâ (Sponsus cum Sponsa) unum esse, quoad licet, appetit. Quo circa & hærent, & corpora conferunt, & spiritus duos, osculorum conjunctione, unus ut sit, faciunt. Id quod Amoris fundamentum cum putarent esse veteres sapientes, basia Græcâ voce nominârunt. Ingeniosè satis & appositè *Tertullianus* Sponsale osculum, congressionem quandam vocat. Erat namq; maritale osculum quoddam copulæ seu conjugalis actus antecœnium, & vota conjugalia mutuis osculis delibantur, apud eundem. Adeò ut commodè huc trahi queat *Ovidianum* pronuntiatum *lib. I. de Arte amandi*:

Oscula si dederis, fiam manifestus amator,
Et dicam, mea sunt, injiciamq; manus.

Hinc eidem *Tertulliano* tale osculum censetur commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem. Hoc est, pignus, quo conscientias suas novi Sponsi obligant, se fidem conjugalem invicem servaturos; Item actus, quo fœmina masculo miscetur, id est, despondetur & corpore & Spiritu; actus deniq;, quo primùm pudorem virgo resignat; nam apud veteres libatio osculi Sponsalium erat index. Uberius hæc exposita videsis in Notis *Georgii Ambianatis, Monachi Capucini, & Theologi Parisiensis ad Tertullianum, lib. de veland. Virgin. cap.* II. quæ editio reliquis omnibus palmam præripit. Sed exemplo hactenus adducta notabili illustremus. Cum THEUDELINDÆ (Olao Magno dicitur AMALASVINTA) piissimæ fœminæ, Garibaldi Bavariæ Regis filiæ post obitum Antharis Longobardorum Regis, Longobardi liberum fecissent, quem vellet maritum ex Ducibus Longobardis sumendi, illa regio convivio instructo, præcedente cœnâ, sumto poculo vini partem hausit, reliquum patrio more propinans AGILULFO Taurinorum Duci porrexit. Cum autem ille rei ignarus dextram Reginæ osculari vellet, non manus, sed os tibi deinceps osculandum erit,

 Agilulfe,

Agilulfe, inquit, hoc namq; osculo te in thori regniq; consortium voluntate Procerum adscisco. Anno DLXXXI. *Carol. Sigonius lib.* I. *Regni Italici, p. m.* 19. *Edit. Francof. in fol. Anno* MDXCI. *Bonfinius lib.* VII. *Decad.* I. *Histor. Ritius Lib.* I. *Reg. Hispan. Emmanuel Thesaurus, Comes & majorum Insignium Eques in Magnifico Inscriptionum opere, p. m.* 179. *Edit. Coloniensis*, in 4. Anno MDCLXXI. Morem inter Lappones desponsatos osculandi celeberr. *Iohan. Schefferus in Lapponia cap.* XXV. *p. m.* 281. *ex Iohanne Tornæo Edit. Francof. in 4. Anno* MDCLXXIII. his verbis exponit: Prandio finito, egreditur Sponsus ad traham suam, indè capit vestes laneas, vel quicquid habet, easq; induit, tum pergit ad amicam, ut eam salutet. Salutatio fit osculo, in quo id præcipuè intendunt, ut sibi mutuo non os solum ori, sed & nasum naso imprimant. Salutat naso applicito naso, & ore ori, nam alias verè salutâsse non existimant.

§. IV. Oscula Sponsorum æq; ac conjugum in specie casta sunt & maximè licita. Nam matrimonii autor est Deus, amans castitatem & inserens mentibus humanis notitias castitatis, ut etin castitate per omnem vitam serviamus. Habent etiam honestum finem, ex quo quilibet actus dijudicatur, nec per se contra decorum & bonum in Republicâ ordinem pugnant. *Casparus Barthius Tomo* I. *Animadversion. ad Statii Lib.* I. *sylv.* 2. *pag.* 30. Ideoq; osculi veteres erant religiosissimi, ut etiam pleræq; nationes, nec cuiquam temerè dabatur osculum, ne sponso quidem, sed semel tantum confirmandorum sponsaliorum causa, uti §. I. diximus. Valerius M. autor est, lib. VI. cap. 1. num. 4. memorabil. P. Mænium filiam suam seriò monuisse, ut non tantùm illibatam virginitatem, sed & oscula sincera ad maritum deferret. Adcuratè illud ipsum perpendisse videtur Guldrata puella, singulari forma & corporis venustate prædita, quæ cum ab Otthone IV. peteretur, ut sibi copiam faceret eam deosculandi, respondit: NULLIUS, HERCLE, QUAM EJUS, QUEM MARITUM HABITURA SUM, SUAVIUM ACCIPIAM. Placuit, & meritô, ea vox Principi, undè in tanta eam æstimatio-

æſtimatione habuit, ut Guidoni Germano, viro armis & belli felicitate famoſo, uxorem daret, tradente *Fulgoſo Lib.* VI. *cap.* I. *& Iudoco à Caſtro in Decachordo Morali, & decem virtutibus immaculatæ virginis annunciatæ, Tractatu* II. *Diſcurſu* XII. *num.* 127. *p.m.* 184. Imò tanto diſciplinæ rigore Sponſi quondam circumſcribebantur, ut qui ſponſalia contraxerant, ſi oſculum addidiſſent, adultera illa cenſeretur etiam ante nuptias, quæ alium oſculata eſſet, & adulterium divertiſſet, veluti *Iohan. Zonaras in concil. Trullano* poſteriori, Sec. VII. poſt N. C. coacto, can. 98. commemorat. Inſidiantur in illis oſculis, Jocus, Venus, & Dæmones ſcelerati, atq; ad os retia obtendunt ſua, ut captâ & oppreſsâ animi cuſtodiâ liberè in pectus & ſinum cordis introeant. Ideoq; regius Vates petit oſtium circumſtantiæ labiis ſuis, quod S. *Chryſoſtomus in Pſalm* CXL. refert etiam ad oſcula, quæ niſi diligenti cuſtodia impediantur, præcipites in exitium ferunt, & maximè turpia & immunda, quæ patentē aditum ſalutis inimico tribuunt.

§. V. Quamvis autem oſculum inter Perſonas deſponſatas quaſi arrhabo futuri matrimonii cenſeatur, certum tamē eſt, illud inter Sponſum & Sponſam matrimonium minimè probare, nec ullam affinitatē parere, *can.* 18. *cauſ.* 27. *q.* 2. *Lex divina.* niſi adſit Sponſaliorum contractus, aut oſculum ſub hac conditione ſponſæ fixum eſſe, liquidò conſtet. Ubi verò affectus maris erga fæmellam gratioſus & reciprocus ſeſe exſerit, etiam ſine interventione oſculi, tanquam ſigni cujusdam externi ac Ceremoniæ, Sponſalia rata & firma æſtimanda ſunt. Vid. *Henning. Arniſæus, Tractat. de Iure Connub. cap.* III. Ex adverſo Sponſalia de futuro nullatenus probantur matrimonii conſummationem conſequuta, licet oſcula, amplexus, & apprehenſio manus inter deſponſatos intervenerint, juxta *Ioſephum Maſcardum Ictum Sarzanenſem, volum.* II. *de probationibus, fol. mihi* 255. Cæterum quia oſculum quoddam initium conſummationis nuptiarum eſſe videtur, & fruitio aliqualis ſponſæ, atque oſcula ſignum & Symbolum habent cujusdam dilectionis, majoris, quàm vulgaris, *Petr. Gregor. Tholoſan. in Syntagm. Lib.* VIII. *cap.* 8. *Salmuth.*

ad Panciroll. rerum deperdit. Tit. XLVI. *ex Iohanne Sich.rde* ... circò hujus rei sufficiens est effectus in Jure Civili, secundum Imperatoris Constantini decretum in *Lib. 16. Cod. de donat. ante nupt.* Si à sponso rebus sponsæ donatis interveniente osculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere; dimidiam ad defuncti vel defunctæ hæredes, cujuslibet gradus sint, & quocunque jure successerint, ut donatio stare pro parte dimidia videatur; osculo verò non interveniente, sive Sponsus, sive Sponsa obierit, totam infirmari donationem, & donatori sponso vel hæredibus ejus restitui. Quod si sponsa interveniente vel non interveniente donationis titulo (quod raro accidit, ob innatam mulieribus avarissimo hominum generi tenacitatē, *gl. in l. sed si ergò. 4. in fine ff. ad Senatus Consulto Vellejano,*) aliquid fuerit sponso largita, & ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, omni donatione infirmatâ ad donatricem sponsam, sive ejus hæredes donatarum rerum dominium transferatur. Calculum suum adjicit Alexius Comnenus in Constitutionū libro, qui inscribitur JUS ORIENTALE, L Orientis Imperator addit etiam inter solemnia nuptiarum, osculum, quod est arrhabo nuptiarum, si ea mente præbeatur, usque adeò efficax, ut osculo dato donatio facta à sponso præmoriente, pro mediâ parte valeat, pro aliâ autem infirmetur; universam autem infirmari, si osculum ante mortem alterius non fuerit secutum, ex Constitutione Constantini, *l. si à Sponso, 16. de donat. ante nuptias l. 5. de Sponsa in Cod. Theodos.* *Arnoldus Ferronus in consuetud. Burdegal. Tit.* IV. *de dote,* §. 2. huc affert, certa sibi fragmenta Senecæ ostensa à *Paulo sadoleto,* nondum excusa, quibus confirmat hunc morem fuisse Hispanorū, ad quos scribit *Constantinus. l. 5. de sponsal. in cod. Theodos. l. Si à Sponso. de donat. ante nuptias, in C. Iustin. legē de osculo, Conf. Antonius Perez ICtus quondam in Academiâ Lovaniensi, expositionum Codicis Iustinianai, l.* V. *Tit.* 3. *de donat. ante nuptias, p. m.* 550. *seqq. editi Lovaniensis in* 4. *Anno* MDCXXXVII. *Iohann. Bertachinus Firmanus in Repertorio, part.* III. *Edit. Venetæ in* 4. *Anno* MDXC. *pag.* 478. Apud Neapolitanos Sponsa Sponsum osculata dimidiam donationem accipit, si ante-

ante consummationem matrimonii Sponsus moriatur. *Matthaeus de afflictis, in Constitut. Neapolitan. lib.* III. *Rubricâ* 13. *num.* 33. *p.m.* 146. Si non osculatus est Sponsam, nihil platiè lucratur. *Vincentius de Franchis, decisione* 503. *n.*6. *p.m* 922. *Edit. Coloniensis in* 4. Quia ex osculo vir capit gaudium, & sponsa verecundiam, & quod Sponsus osculando videtur quasi cœpisse castrum. Alii eam assignant rationem, quia osculum est actus carnis, & pro medietate est quasi corrupta caro. Alii distinctionem addunt, dicentes quod osculo subsecuto bona per Sponsum donata adquirantur pro medietate Sponsæ. Bona verò per matrem transmissa quandò transmittuntur, ut ornata accedat, nullo modò Sponsam lucrari. *Ibidem num.* 18. Inprimis autem si osculum sit matrimonii consummandi præparatorium. Neque tamen ex omni osculo mulier lucratur dimidiam partem donatorum, verbi causa, si sit minor duodecim annorum, num. 22. addatur *Didac. Covarruvias à Leyva Toletanus, Episcopus Segobiensis apud Philippum* II. *Hispaniarum Regem summus Prætorio Præfectus, operum Tomo* I. *secundâ parte de Matrimon. c.* VII. §. 4. *n.* 17. *p. m.* 208. *Edition. Francofurt. in fol. Anno* MDXCII.

§. VI. Quoniam igitur tantam efficaciam osculo sponsalitio sacratissimæ leges attribuunt, non ignobile ζήτημα succurrit, *ad quem donatio Sponsi pertineat, si Sponsa osculo accepto, matrimonium promissum Professione Religionis irritum reddat, seque monasterio ex singulari devotione mancipet?* Hic Legum Interpretes communiter pro Sponsâ vota largiuntur, pronunciando; quando osculo præcedenti per Professionem Religionis, ab Sponsâ donatariâ factum matrimonium dirimatur, neque consummari potest, vel apud Sponsam sic profitentem Religionem, vel apud Monasterium manere dimidiam illam donatorum partem, religionis favore. Ita concludit *Cor neus, Consilio* 228. *4. volum.* post *Baptistam de Sancto Severino, Iohann Baptistâ Lupi in dictâ legè Taurinensi* 82. Qui etiam de Sponsalibus *parte* I. *Tomo* I. *Oper. cap.* 4. §. 1. *num.* 21. *p.* 135. *Regia l.* 52. *Tauri* à Caroli Cæsaris matre condita statuit, propter osculum Sponsam lucrari dimidiam partem rerum, quas ei Sponsus dederit, etiam jam præstito conjugali consensu ante copulam, nempè, quandò

quandò osculum post Sponsalia præstitum fuit, secus verò si ante. Alia quæstio oritur. *Num osculum sponsalitium, ceu certum matrimonii incundi pignus, Sponsalia sub conditione pacta purificet, ut Sponsa Sponsum, post datum osculum, ad consummandum matrimonium, quicquid Sponsus in contrarium objiciat, cogere possit?* Ibi pariter Jureconsultos Sponsæ patrocinari deprehendo ex hac ratione, quoniam Sponsalia sub conditione contracta per subsequentem copulam purificantur, *cap. 6. extr. de condit. apposit.* osculum autem hoc in casu copulæ æquiparatur, quemadmodum Curia Neapolitana judicavit. *Francisc. Hotomann. de Sponsal. p. m. 353. seqq. Iohann. Aloysius Riccius, part.* I. *Decision.* CXCV. *Christoph. Besoldus Thesaure pract. p. m.* 208. *Edit. noviss. in fol.* Ex contrario Benedicti Papæ decretum *in C. Leg. divin.* 17. *q.* 2. *de osc. propinquor.* omnem vim ac valorem osculis derogatum ivit. Nimirum, si cujus soror defuncta simplicibus verbis alicui desponsata fuerit, hoc impedimento non esse, quo minùs is sororem superstitem matrimonio sibi jungere posset, etiamsi osculum intercesserit. Osculum enim nullam parit propinquitatem, quia nullam facit sanguinis commistionem.

§. VII. Ulteriùs disquiritur: *Quid de consanguineis matrimonium vel Sponsalia de futuro contrahentibus, si Papa dispensaverit, statuendum veniat, an oscula illis concedenda sint; & quatenus vim obligandi habeant?* Antequam de responsione soliciti simus, tenendum est, quamlibet conventionem seu promissionem de futuro conjugio esse validam, & in foro conscientiæ obligare, nisi divinæ ordinationi è diametro contrarietur, & contrahentes ea sanguinis propinquitate se attingant, ut inter illos legitimum conjugium esse nequeat, Papam autem Romanum dispensare posse jactant vulgò Canonistæ, etiamsi promittentes consanguinei in secundo sint consanguinitatis gradu. *Sanchez de matrimon. lib.* V. *Disput.* V. *n.* 20. *Franciscus Zipeus in enarratione analytica libro* IV. *Tit. de condit. appositis.* Nam etsi *Concilium Tridentinum Sess.* XXIV. *de Reformat. matrimon.* decreverit, ut in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, atque ob publicam causam,

ſam, id tamen ſervit pro inſtructione ſummi Pontificis, & ut non niſi ex gravi cauſa faciat. Sed non abſtulit Concilium ejus poteſtatem: quia Concilium Papæ (loquor ex hypotheſi Pontificiorum) legem non potuit imponere, à qua recedere non poſſit ex causâ, maximè, cum Papa in his ſupra Concilium ſit, ſecundum veram Theologorum & Canoniſtarum (ſi Diis placet) ſententiam. Et conſtat pleroſque ſummos Pontifices in ſecundo gradu etiam poſt Concilium diſpenſâſſe, etiam inter Nobiles carentes coronâ, & Principatu, ac proindè hoc potius ad difficultatem quàm ad impoſſibilitatem diſpenſationis pertinet. Quare idem *Sanchez l.d.n.*20. dicit, Conditionem Legato, vel Majoratui adjectam, ut Legatarius, vel in Majoratu ſuccedens ducant conſanguineam, ſi Papa diſpenſaverit, valere non ſolum, quando conſanguinitas eſt in tertio aut quarto gradu, ſed etiam in ſecundo gradu. Contrarium tamen tenuerunt, & tam contractum de præſenti, quam promisſionem de futuro matrimonio inter conſanguineos præfatos, ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, eſſe valida per eventum diſpenſationis obtentæ abſque novo conſenſu, ſeu nova ratificatione, & ex eis ante conditionis eventum oriri obligationem, negârunt magis communiter non ſolum Theologi, verum etiam Canoniſtæ, *Ferdinand. de Soaz tract. de Matrimonio Regis Angliæ, dubio* 12. *in Principio. Iohannes Gutierez lib.* I. *Canonicar. Quæſtion. cap.* XXII. *& Tractat. de matrimon. cap.* 78. *Marcus Antonius Cuccus, lib.* V. *Inſtitut. major. tit.* II. *n.* 56. *Antonius de Butrio, deciſione* 203. *Mantica deciſione* 201. *num.* 4. *Franciſcus Molin. de ritu nuptiarum, lib.* II. *diff.* 2. *à num.* 8. *ad* 27. *Stephanus Gratianus, Tomo* I. *diſceptat. forenſ. cap.* 138. *num.* 46. aliique longa ſerie adducti *apud Iohann. Angelum Boſſium, Mediolanenſem, ex Clericis Regularibus Barnabitis Congregationis* S. *Pauli Generalis Præpoſiti Aſſiſtentem, Tractat. de matrimonii contractu, c.* X. *p. m.* 293. *n.* 308. *Edit. Veneta in fol. Anno* MDCXLIII. Cujus verbis quoq; ad propoſitã quæſtionẽ reſpondemus, ejusmodi ſcilicet deſponſatis, quorum mentio facta eſt, non licere tactus, & oſcula, quæ aliis ſponſis de futuro licitè permit-

,,permittuntur, idque non solum ante obtentam dispensationem, ut tenet etiam *Sanchez num.*38. sed quoque post obtentam dictam dispensationem, nondum priori consensu ratificato, ut tradit *Gutierez l. d.* quia etiam tunc absque novo consensu non sunt verè Sponsalia, & ita etiam docet *Sanchez num.*39. Retenta hac posteriori sententia, quod item *num.*40. ait esse dicendum, in quibuscunque Sponsalibus conditionatis personarum habilium ante impletam conditionem, ex quibus patet, quid dicendum sit ad illam difficultatem quam movet *Cevallos quæstion.*391. *num.*5. scilicet *an Consanguineus, qui contraxit cum consanguinea, sub illa conditione, si Papa dispensaverit, & eam osculatus est, pendente adhuc conditione, & illi dedit plura jocalia; an inquam, mortuo dicto consanguineo talis consanguinea Sponsa propter osculum lucretur medietatem lucrorum & jocalium, ex dispositione legis* 52. *Taurinæ*? Respondendum enim est, minimè lucrari; quia dispositio illius legis (ut rectè ait *Cevallos num.*6.) non procedit ubi sunt Sponsalia irrita, & nullam obligationem gignentia ob impedimentum consanguinitatis, sed quando datur capacitas & habilitas personarum. Quare lex de lucro Sponsæ non debet intelligi inter consanguineos ratione incestus, qui potius sunt puniendi juxta jura, ac proindè cum dent operam rei illicitæ, nihil debent lucrari propter osculum, vel propter copulam habitam pendente adhuc conditione. Addo ego etiam, post obtentam dispensationem nondum ratificato priori consensu, quia in tali casu osculum & copula continerent malitiam incestus, & sic darent operam rei illicitæ.

§. VIII. His de osculo sponsalitio expeditis, ad maritale digredior, ad quod conjuges ipsa naturâ duce invitantur. Sanè Masculus è columbis non nisi prævio osculo se fœmellæ applicat, nec illa admittit maris commercium, si vacuum sit osculo. *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Iur. p.*154. *Plinius histor. natur. lib.* VIII. *cap.*58. *Aelianus varia historia lib.* I. *cap.*15. *Aristoteles lib.* VI. *de historia animalium cap.*2. *tomo* II. *oper. p.m.*326. *Edit. Guilielmi Du-Vallii Paris. fol. An.* MDCLIV. Undè à labrorum collisione peculiaris phrasis: *Columbatim labra conserere*, vel, *labris alicui columbari*, apud Latinos

tinos Scriptores innotuit. De hisce columbinis osculis extat versus apud *Senecam* Mœcenatis:

Columbatimque labra conferens labris.

Et Gallienus Imperator cum fratrum suorũ liberos conjungeret, tenens manus Sponsæ & Sponsi ita pronunciavit in Epithalamio:

——— O pueri pariter sudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura vestra Columbæ.
Brachia non hederæ, non vincant oscula Conchæ.

Nam per istud murmur amatorium blanditias & actus Venerei desiderium columbæ exprimunt. Propter mutuum vero amorem summumque pudicitiæ studium inter illas aves, optatum Conjugium ac inviolabilem charitatem hieroglyphicè quidam per columbam interpretabantur, *Pierius Valerianus Hieroglyphicor. lib.* XXII. *cap.* 4. *Cyprianus* sanctissimus Martyr *adversus Novatianum* pro unitate concordiâque piorum omnium emphaticè columbam protulit scribens: „ Idcircò & in columbâ venit Spiritus „ Sanctus, simplex animal, & lætum, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum, cujus ingenium est hospitia humana diligere, unius domus consortium nôsse, cum generant simul filios educare, cum commeant volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, circa omnia demum humanitatis omnem implere legem. Hac similitudine columbarum quoque utitur *Tertullianus Libro de Monogamiâ, & Propertius Libro* II. *Elegia* XV.

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus, & totum, fœmina conjugium.

Ingeniosi etiam sunt de columbæ proprietatibus versiculi in *Hieroglyphicorum collectaneis ex veteribus & neotericis Iohann. Pierii additis Libro* I. *p.* 36. *Edit. Francof. in* 4. Anno MDCXII.

Felle columba caret, rostro non lædit, & ungues
Possidet innocuos, granaque pura legit.
Estque frequens ad aquas, pennâque per aëra fertur
Præpete, pro cantu lugubre voce canit.

Educat alterius pullos, volitatque gregatim,
Et studet in tutis nidificare locis.

Osculi maritalis originem indicat *Plutarchus in Romulo*, statim sub initium, *p.m.17. Edit. Xylandri, Tom.* I. Ferunt nonnullos captâ Trojâ profugos, cum naves essent nacti, ad Hetruriam vento eorum expulsos, circà Tyberim amnem anchoras jecisse, ubi uxoribus eorum fatiscentibus, pelagique pertæsis jactationis, unam, quæ à genere clarior cæteris esse & præcellere mente videbatur, ROMAM nomine, ut Classem incenderent suggessisse. Id viros primum ægrè tulisse, deindè cum necessario sedes circa palatium posuissent, & brevi supra spem succederent omnia, quod agri fertilitatem miram sentirent, reciperent etiam ipsos incolæ: cùm alios ROMÆ honores habuisse, tùm verò ejus ut Autoris Urbi nomen indidisse. Indè posteris quoque morem perhibent traditum, ut propinquos fœminæ & viros suos salutarent osculo, quod illæ post Classem inflammatam deprecantes viros & iram eorum mulcentes, ita eos salutavissent & amplexi essent. Conf. ejusdem *tractat. de mulierum virtutibus, Tomo* II. *oper. p.*243. *& quæst. Roman.* VI. *p.*265.

§. IX.

Atque hoc osculum æque castum sanctumque est, ac sponsalitium adeoque licitum. Fuit quondam Beguinorum error, condemnatus tamen, *Can. fin. de Hæret. in Clement.* quo adstruebatur, osculum mulieris, cum ad hoc natura non inclinet, esse mortale peccatum, *teste Alphonso à Castro adversus Hæreses, libro* IV. *fol.*109. *de Beguini & Beguardi sententiâ, Tholosano lib.* XXXVI *Juris universi, cap.* XI. *num.* 20. Ex hoc errore suppeditatur ansa quærendi, *Quo in censu osculandi actus liberiores habendi sint?* Respondetur, oscula luxuriosa sub pœnâ mortalis peccati illicita esse censet *Leonhardus Lessius, de Instit. & jure*, & hæc est sententia S. *Bonaventuræ Tomo* II. *Opusculorum, de Speculo animæ, cap.* III.

Hos,

Hoc, *inquit*, circa istam materiam tenendum est, quod libidinosi tactus absque etiam consensu in opus carnale, habent rationem peccati mortalis, secundum quod in eis oritur delectatio carnalis voluntariè & deliberativè. Hinc Paulus Apostolus dicit, *Ephes.* V. 4. *quod omnis turpitudo aut stultiloquium longè abesse debent à conversatione fidelium.* Ubi glossa interlinearis determinans, quæ turpitudo aut stultiloquium prohibita sint, dicit: ut in osculis & amplexibus, & per blanda verba. *Iodocus à Castro in decachordo*, *Tractatu* I, *Discursu* XXVIII. *num.* 283. *p.* 119. Contra *Franciscus Sylvius in secundam secundæ Thomæ*, *quæst.* 154. *artic.* 4. *concl.* 4. docet, oscula quæ fiunt ex delectatione sensibili ex illis consurgente, sine tamen aliâ malâ intentione & admixtione turpis delectationis de aliquo luxurioso actu, peccata mortalia non esse. Est enim delectatio hæc osculorum merè sensualis, consistens in quadam proportione & conformitate rei tactæ vel visæ, cum organo tactus vel visus, & tunc nihil aliud est, quàm oblectatio de re blandâ, leni ac molli, vel tenera, quæ contingitur, aut pulchra quæ videtur, absque alia rei turpis delectatione. Vel est ita sensualis, ut quamvis non versetur circa fornicationem, habeat tamen conjunctam carnis ac spirituum generationi inservientium commotionem. Tactus & oscula quæ fiunt cum sola priori delectatione, non videntur esse libidinosa, ac per consequens, neque mortalia: *Est enim tangere actus secundum suam speciem non libidinosus, quandò omnis cogitatio Venerea deest; cum non alia sit delectatio, quàm quod res blanda & mollis est.* Accedit, quod Objectum, quod tangitur, non sit mortale quidpiam, perceptio illius autem suavis & proportionati tangibilis non est mortalis, inde neque delectatio hinc resultans erit mortalis. Nec res molles tangere propter delectationem indè naturaliter orientem, est mortale, ergò neque carnes alienas viriles vel mulieres citra malum finem, est mortale. Interim tamen quoad praxin tactus hujusmodi ob solam delectationem sensibilem assumpti vitandi sunt, sub peccato mortali, tanquam

pernitiosi adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxuriosi. Ita *Filliucius* determinat *Tomo* II. *Tractat*.30. *cap*. 9.*num*.179. vide *Iohannem Salas, in* I. *secundæ D.Thomæ quæst*.74. *Tract*.XIII. *Disput*.6. *Sect*.20. *num*.139. pluresque alios Autores apud *Antonium Dianam Resolution. Moral. Tractatu* IV. *Resol*. CXXXVI. *p*:128. Oscula autem & tactus inter conjugatos, si conjux iis utatur ad sedandam carnis tentationem, vitandamque fornicationem, vel in se, vel in socio; item, quandò adhibentur ad præparandam copulam conjugalem, culpâ vacant, quia licet juvare naturam ad actum concessum, ordinaturque in finem naturâ ipsâ tactibus destinatum, & ob quem in ipsis voluptatem constituit. *Thomas Sanchez de Matrimonii Sacramento*, *Tomo* III. *Disput*. 44. *num*.8. *p*:*m*: 302. *Ex Antonio Rosellâ*, *Petro de Ledesma*, *de matrimon. quæst*.49. *Soto* IV. *d*.31.*quæst.un*. *Carolo de Grassis*, I.*Part*. *Decis*. *Lib*.II. *cap*.82. *num*.21. aliisque pluribus. Consentit *Augustinus super Matthæum*, *& habetur* „ XXXVII. *quæst*.2. *Quidquid*. his verbis: Quidquid inter se „ conjugati immodestum, inverecundum, sordidumvè ge„ runt, vitium est hominum, non culpa nuptarum. Jam in „ ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis „ non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam „ concedit Apostolus, ut etiam propter causam procreandi, si „ misceantur, etsi eos pravi mores ad talem concubitum impel„ lunt, nuptiæ tamen ab adulterio sive fornicatione defendunt. „ Neque illud propter nuptias mittitur, sed propter nuptias „ ignoscitur. Debent ergò sibi conjugati non solùm ipsius „ sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum „ causa, quæ prima est humani generis in ista immortalita„ te societas, verum etiam infirmitatis invicem excipien„ dæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodam„ modo servitutem, ut etiamsi alteri eorum continen„ tia perpetua placeat, nisi ex alterius consensu fieri non „ possit.

§.X. Ni-

§. X. Nihilominus tamen parcè inter veteres maritale osculum, & non nisi admodum circumspectè, ac remotis arbitris, ne liberi scilicet inde furtivis amorum illecebris stimularentur, M. Catonem Censorinum Stoicæ disciplinæ addictum, edicto prohibuisse, ne Maritus conjugem deoscularetur in præsentiâ filiæ, Manliumq; quem omnium opinio Consulem designabat, Senatu ejecisse, quod uxorem coram filia nubili exosculatus esset, Auctor est *Plutarchus in Catonis vitâ pag. 346.* Idem Marcus Cato testatus est, se nunquam nisi cum aliquandò tonaret, uxorem suam Martiam complexum, undè per jocum dixisse fertur, tonante Jove se beatum esse. Horsum tendit admonitio *Clementis Alexandrini Lib.* III. *Pædagogiæ, cap.* XII. Ego verò, *inquit*, iis qui uxorem duxerunt, consuluerim, ne unquam uxores suas coram famulis osculentur. Nam nec famulis quidem eos unquam arridere permittebat *Aristoteles in Oeconomicis*, tantum abest, ut in eorum conspectu videre osculari ac complecti uxorem. *Confer Ammiani Marcellini Comitis Lib.* XXVIII. *Histor. pag. m.* 397. nec non *Plutarchi præcepta Conjugalia Tom.* II. *Oper. pag.* 139. Nam ut *Augustinus de Civitate Dei libro* XIV. *cap.* 18. habet, devitat publicum etiam „ permissa atq; impunita libido conspectum: & verecundia natu- „ rali habent provisum lupanaria ipsa secretum, faciliusq; potuit „ impudicitia nō habere vincula prohibitionis, quàm impudentia „ removere latibula illius fœditatis. Quid Concubitus conjuga- „ lis, qui secundum Matrimonialium præscripta tabularum pro- „ creandorum fit causa liberorum? Nonne & ipse, quanquam sit, „ licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile conquirit? Non- „ ne omnes famulos atq; ipsos etiam Paranymphos, & quoscunq; „ ingredi quælibet necessitudo permiserat, ante mittit foras, „ quam vel blandiri Conjux Conjugi incipiat? Et quoniam, sicut, „ ait quidam Romani maximus autor eloquii, omnia rectè facta, „ in luce se collocari volunt, id est, appetunt sciri: hoc rectè fa- „ ctum sic appetit sciri, ut tamen erubescat videri. Quis enim „ nescit, ut filii procreentur, quid inter se conjuges agant? quando- „ quidem ut id agatur, tantâ celeritate ducuntur uxores: & tamen, „

„ cum agitur undè filii naſcantur, nec ipſi filii, ſi qui inde jam nati „ ſunt, teſtes fieri permittuntur. *Idem libro* I. *de Nupt. & Concu-* „ *cupiſc. cap.* XXII. Et nunc omnes erubeſcunt, quandò ad con- „ cumbendum ſecreta requirunt, neq; hujus operis teſtes audent „ habere vel filios, quos inde genuerunt. Et *lib. de Peccato Ori-* „ *ginali, cap.* XXXVII. ubi ad hujusmodi opus venitur, ſecreta „ quæruntur, arbitri removentur, filiorum quoq; ipſorum, ſi jam „ indè aliqui nati ſunt, cum jam per ætatem iſta ſentire cœperunt, „ præſentia devitatur.

DISSERTATIO XVI.

De

OSCULIS CONSUETIS FAMILIARIUM ET CONSANGUINEORUM SALUTATORIIS.

SUMMARIA.

I. *Orientalium mos hoſpites oſculo excipiendi. Scythæ hoſpites pro Diis colunt. Anachoretæ hoſpitibus pedes lavant. Apollonius hoſpitum adventantium pedes propriis manibus lavat. Græcis oſcula ſalutatoria in uſu.* II. *Oſcula quotidiana ſ. oſculationes perfunctorias Tiberius publicè prohibuit propter mentagram oſculis contractam.* III. *Baſia ſordida & olidiſſima. Figere oſcula phraſis emphatica. Superiores inferioribus oſculum libant. Oſcula per annulos miſſa.* IV. *Redeuntes ex peregrinatione oſculis ſalutati.* V. *Germanorum oſcula ſalutatoria. Tubingenſes virgines ejusmodi admittere oſcula Lanſius negat. Oſculum Patriciorum Venetorum æqualitatis argumentum. Gallorum oſcula mutua.* VI. *Anglorum oſcula honeſtiſſima. Oſcula monetis ſimilia. Belgarum oſcula pudica.* VII. *Aulæ elegantium morum officinæ. Hiſpanorum Italorum aliarumq; gentium variæ ſalutandi formulæ. Oſcula Sacerdotum in Papatu ab Ethnicis derivata.* VIII. *Chinenſium,*

Arabum

Arabum & Abyssinorum salutationis ritus. IX. *Persarum oscula salutatoria. Eadem Russis Lithuanis ac Prussis usitata. Inania. Moderatè adhibenda. Modus ritè osculandi.* X. *Oscula inter sanguine junctos pura & sororia. Parentibus & liberis communia. Pontificatus inter Romanos gentiles qualis dignitas? Pons sublitius. Pontificum Romanorum numerus ab initio.* XI. *Exempla osculorum Parentibus à liberis, uxoribus item à maritis & contra, nec non fratribus & affinibus &c. oblatorum.* XII. *Ius osculi apud Romanos. Famosa mulieri à propinquis nullum osculum fixum. Impudicæ filiæ paterno osculo privatæ. Exploratio per osculum an mulier sobria esset. Meribibæ mulieres apud Romanos aliasq; gentes exosa & graviter punita. Vinum olim dicebatur temetum. Viri abstemii. Veteres Romani cognatarum nuptias non permittebant, illas tamen osculari licebat. Quandò consobrinas ducere concessum.*

§. I.

Rectissimè censet Isocrates virum probum facilitate maximè commendari, ejusq; esse proprium obvios quosq; salutare affirmat, si quis rectè benevolentiæ studio erga omnes defungi velit; quemadmodum familiaritatem nobis singulorum amicitiamq; salutando adjungimus, apud *Dionysium Halicarnassæum, in præceptis, Pratores à Principe missos excipiendi, inter opera Rhetorica & Critica p.m.87. Edit. Hanoviens. in 8. Anno* MDCXV. Appositè quoq; *Aristides Sophista Orat. in Aesculapium* pronunciat: salutationes quotidianas, quibus nobis frequentes sunt, non omittimus, sed vel ideò observamus, quod iis assueverimus, quia magna vis est consuetudinis inveteratæ, *juxta Arrian. cap.* XII. *lib.* III. *Epicteti.* Idem valet adhuc de *osculis salutatoriis*, quæ vel in vitâ communi ex receptâ consuetudine, vel in publicis ac solennibus actibus, in certæ alicujus rei indicium ac notam, ex instituto adhiberi solent. Tali osculo à plerisque gentibus moratioribus advenientes hospites excipiebantur. Quod orientalibus id maximè solenne fuerit, ex ipsius Salvatori nostris verbis ad Simonem dicentis dispalescit.

φίλημά

φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας *Lucæ* VII. *v.* 45. Quo de *Antonius Walæus in N. T. pag.* 307. itemq; *Lucas Osiander in Bibliis, Exod.* XVIII. *pag.* 102. videatur. Adde *Matthæi cap.* XIX. *v.* 15. *Marc.* X. *v.* 16. Ita Cyrus Cyaxarem ad se venientem salutâsse legitur in *Pædiâ Xenophontis, pag.* 177. Quinimò ea paulatim crevit hospitum veneratio, ut apud Scythas, alioquin barbaros, pro Diis haberentur. *Lucianus in Toxari, sive de amicitia* refert, Toxarim Scytham hominem Menesippo Atheniensi, exprobranti sibi, quod Pyladem & Orestem peregrinos atq; etiam hospites pro Diis colerent, respondisse, Quod hospites erant, non Scythæ, id verò nihil obstat, quo minus boni viri judicentur. Hospites autem esse venerandos merito putabant veteres, tum, ne inhumani viderentur, tum quia si Dii aliquando sub peregrinorum habitu ad mortales accederent, tectis ne prohiberentur. Quod quidem convenit cum illo D. Pauli à *S. Chrysostomo in sermone de Lazaro*, receptum: Sectamini hospitalitatem; per hanc etiam quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos. Ingressi igitur hospites excipientes supplices adorabant, ubi vox adorationis juxta superius allata, intelligi debet. Nec solum hospites adorabant, sed excipientes quoq;, ut mos est Anachoretarum, iis pedes lavare consueverunt. Ita *in vitis Patrum lib. III.* Cum aliquem sibi adesse senserunt servi Dei, continuò procurrunt obviam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lavant, ad orationem invitant, mensam ponunt, atq; omnia secundum divinum mandatum complent charitatis officia. Inter alia B. Apollonii documenta de hospitalitatis studio hoc erat, ut adventantes fratres, quasi Dominum suspiciamus advenientem. Addit enim: *hospes fui, & suscepistis me.* Sic Abraham suscepit eos, qui homines quidem videbantur, Dominus autem in eis intelligebatur. Immò hospites adorat Apollonius, eorumq; pedes lavat, velut in ejus *vitâ* memoratur: Ubi autem appropinquare jam cæpimus, auditâ voce Psalmi, etiam ipse Sanctus Apollonius procedit in occursum. Et ut vidit nos, statim prior adoravit usq; ad terram, & surgens OSCULO nos suscepit. Ubi autem ingressi sumus Monasterium, oratione prius,

prius, (ut moris est) dictâ, pedes nostros propriis manibus lavit, & cætera quæ ad requiem corporis pertinent, adimplevit. Hæc autem facere ei moris erat omnibus adventantibus. Apud Græcos olim oscula salutatoria viguisse colligitur ex verbis *Orphei*, in *Argonauticis* modum, quo Chiron hospites excepit, tradentis, v. 397.

Ἀλλ' ὅτε ῥ' ἄθρησεν ἀγακλειτὺς βασιλῆας,
Ἀσπασίως ἀνόρουσε, κύσεν δ' ἄρα φῶτα ἑκάστον.
Ast ubi præclaros Reges ad limina vidit,
Excipit assurgens, & lætus ad oscula quemq;.

§. II. Successu temporum mos ad Romanos devolutus est, ubi *oscula tacta quotidiana*, ut *Suetonius in Tiberio cap.* XXXV. recitat, vel, *ut Optatus Milevitanus Libro* IV. *contra Donatistas*, appellat, *Salutationes perfunctoriæ*, quas publico edicto *Tiberius* inhibuit, ne nimiâ familiaritate illud humanitatis studium vilesceret, vel illis ipsis Majestati suæ quidquam decederet. Quicquid enim in excelso fastigio positum est, humili & tritâ consuetudine, quo fit veneralibus, vacuum esse convenit. *Valer. Maximus Lib.* II. *c.* I. *in fine.* Ita tamen Princeps se gerat, ne, quod rarissimum est, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuat, juxta monitum *Taciti, cap.* II. *in vita Agricolæ.* Addit verò ad *Suetonii* locum acutissimus *Casaubonus*, *in Animadversion. pag.* 216. Arbitror Tiberium minimè comem Imperatorem, ut eum *Plinius* vocat, cum *oscula quotidiana* gravaretur, ne superbiæ hoc ipsi tribueretur, edictum hoc promulgâsse. Verùm plus lege valuit diuturnus & inolitus usus, unde etiam *Martialis*, qui temporibus Domitiani floruit, in ea invehitur *Libro* XI. *Epigramm.* XCIX.

Effugere non est, Basse, basiatores,
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc & illinc, usq; quaq;, quacunq;.
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
Nec triste mentum, sordidiq; lichenes,
Nec labra pingui delibuta Ceroto;

Nec congelati gutta proderit nasi,
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, veloq;
Nec vendicabit, cella sæpius clausa
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Sæviq; fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.

Quæ ut rectiùs intelligantur, ex *Plinii Libro* XXVI. *Histor. Natural. cap.* 1. repetendum est, sub Tiberii Imperatoris Principatu mentagram, novum morbi genus, quod quasi cancer faciem corpusq; inficiebat, & osculis contrahebatur, irrepsisse. Hoc morbo Tiberius ipse, ad quem salutandum osculandumq; Proceres Reipublicæ, nobilioresq; viri quotidiè accedebant, primus inter reliquos laborare cœpit. Nec sensere id malum fœminæ, inquit *Plinius*, aut servitia; plebsq; humilis, aut media, sed proceres veloci transitu, osculi maximè, fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice quàm morbo. Neque quisquā prior Imperatore ipso sensit, magnâ civitatis ambage, cum edicto ejus excusantis valetudinem legeret nomen (illud mentagræ) incognitum. Quoniam enim â mento ferè oriebatur, joculari primùm lasciviâ, mox usurpato vocabulo, mentagra hic morbus appellatus fuit. Inde *Martialis libro* I. *Epigramm.* LXXIX. *de Festo*, qui hujus morbi tædio mortem sibi consciverat, quod corporis partes eo malo conficerentur, aperiens dixit:

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inq; ipsos vultûs serperet atra lues;
Siccis ipse genis, flentes hortatus amicos
Decrevit Stygios Festus adire lacus.

Fauces, ait Poëta, ut puto pro labiis & ore, quæ cōtagione isthâc primùm afficiebantur, uti iidem adducto superius Epigrammate ad Bassum, innuit, eumq; admonet, ut sibi ab adulatorum *venenatis*

natis osculis omni studio caveat. Nisi igitur Tiberius subditos nobiliores ad oris osculum admisisset, à mentagrâ mansisset immunis. Hac proculdubio necessitate coactus quotidiana oscula edicto abrogavit.

§. III. Usum horum osculorum idem Poëta *Libro* VII. *Epigramm.* XCIV. ferit, *in Linum*:

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc & hunc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis graviusq;, sæviusq;,
Percussus facere, atq; verberatus?
Cujus livida naribus Caninis
Dependet glacies, rigetq; barba,
Qualem forcipibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Quare, si tibi sensus est, pudorq;,
Hibernas, Line, basiationes,
In mensem, rogo, differas Aprilem.

Cumq; sæpissimè nonnullorum *basia sordida & olidissima* essent, ut ex priori *Martialis* loco colligere licet; ac iis intempestivi basiatores obviantes quasi conspuerent, ceu *Petronius in Satyrico cap.* XXIII. loqui amat, *Poeta lib.* II. *Epigramm.* XXI. oscula manuum istis præfert, hunc in modum canens:

Basia das aliis, aliis das Posthume, dextram,
Dicis, utrum mavis, elige, malo manum.

Quantò autem humaniùs salutabant, tantò arctius adhærebant osculo. Oscula erant tarda, & à quibus ægrè dimitterent, idq; affectus testimonium benevoli habebatur. *Seneca de Ira Lib.* II. *cap.* 24. *Tollenda ex animo suspicio & conjectura, fallacissima,, irritamenta. Ille me parum humanè salutavit, ille osculo meo,, non adhæsit, ille institutum sermonem citò abrupit, ille ad cœnam,, non vocavit, illius vultus aversior visus est.* Poetæ nihil aliud intellexerunt Phrasi illâ *figere oscula*, quasi *adfixi inhærerent faciei.*

Ast hæc inter pares. Superiores verò inferioribus salutantibus *osculum simplex* porrigebant, quod *libare* vocant iidem Poetæ. Sic de Jove Venerem osculante *Virgilii* locum *Aenedios lib*. I. huc trahunt: *Oscula libavit Natæ*, teste *Iohanne Meursio*, *Auctarii Philologici cap*. XIIX. *pag*. 139. Peculiaris salutandi ritus apud *Dionem Cassium* occurrit *Lib*. LXIV. *Historiæ Romanæ in Ottone*, de quo dicitur, quod per annulos sua oscula ad alios transmiserit. Hic, inquit *Dio*, ut cœpit placido & leni sermone & ficto simul atq; cultu indicare modestiam. φιλήματά τε ὡς ἑκάστοις διὰ τῶν δακτύλων ἐπιμπει. Ad hoc oscula ad singulos ferè per annulos mittere.

§. IV. Æquali comitate veteres peregrè redeuntes ac diu desideratos prosequebantur. Ita Christi discipuli cum alicundè remearent ad Christum, osculum ori illius imprimebant, in pacis testimonium. *Alphonsus à Castro*, *Libro IV. adversus hæreses*, *hæresi III. Chrysostomus homilia* XXX. *in Epistolam secundam ad Corinthios*. Ad hunc, ait, modum, animæ inter se devinciuntur. Ob eam causam etiam ex peregrinatione aliqua reversi mutuò nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum recedentibus. Hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis prædicat. Agricolam apud Romanos, noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut præceptum erat, venientem, exceptumq; brevi osculo ex *Tacito* innotescit. Vide vitam Agricolæ, à celeberrimo quondam Academiæ Salanæ Historico, J. A. Bosio, editam *cap*. XL. Clitophontem Meliie advenientem mulier quædam Ephesia complexu innumerisq; dissuaviationibus accepit. *Achilles Tatius de amoribus Leucippes & Clitophontis Lib*. V. *p*. *m*. 305. Idem planè *Catullus Epigrammate* IX. *ad Verranium confirmat*, quandò canit:

> Visam te incolumem audiamq; Iberûm
> Narrantem loca, facta, factiones,
> Ut mos est tuus, applicansq; collum,
> Jucundum os, oculosq; suaviabor.

Et Epigramm-

Et Epigramm. XLIX. *ad Iuventium*:

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta,
Nec unquam saturum indè cor futurum est,
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

Martialis Epigramm. lib. XII. *Epigr.* LIX.

Tantum dat tibi Roma basiorum,
Post annos modò quindecim reverso,
Te vicinia tota, te Pilosus
Hircoso premit osculo colonus,
Hinc instat tibi textor inde fullo,
Hinc sutor modo pelle basiatâ,
Hinc menti Dominus pediculosi,
Hinc defioculus & inde lippus.

Horatius libro I. *Ode* XXXVI.

Qui nunc Hesperiâ dulcis ab ultimâ
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen *dividit oscula*
Quam dulci Lamiæ.

Ejusdem mentio fit in aliis quoque Scriptoribus, ita *Cicero ad Tironem lib.* XVI. *Epistol. ad familiares* 27. scribit: Ego vos ad IV. Kalend. videbo, tuosque oculos, etiamsi te veniens in medio foro videro, dissuaviabor. Et *Ammianus Marcellinus lib.* XXII. *Histor. de Celso* ait: Itineribus emensis cum ad Pylas venisset, qui locus Cappadocas discernit & Cilicas, OSCULO susceptum Rectorem Provinciæ, nomine Celsum, jam inde à studiis cognitum Atticis, ascitumque in Consessum vehiculi Tarsum secum induxit.

§. V. Habet & hodierno die Belgium, Anglia, Gallia, Italia atque Germania sua oscula. Et ut à posteriori incipiam, quod Germanos quidem attinet, de iis *Henricus Kornmannus Lin. amor. cap.* 4. *p. m.* 79. *Vidi, inquit, osculum in multis locis usitatum Coloniæ Agrippinæ, Tubingæ &c. ubi nefas grande creditur, si juvenis ad puellam veniens*

niens ipsam non osculetur, & amplexetur. Verum in specie Tubingenses virgines osculantium, sive potius osculo salutantium Catalogo eximit Vir Celeberrimus *D. Thomas Lansius*, manifesti falsi *Kornmannum* incusans, *Commentat. de Academiis, p.m.31.* Publica enim, scribit, honestas & legum sanctitas illam osculorum prodigalitatem non patiuntur. De occultis, & quæ prægnantes ob causas nonnunquam dantur, & accipiuntur, non judicat Ecclesia, & jura constitui oportet in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, *l.3.ff.de legibus.* Viget etiam Venetiis hic frequens osculandi mos inter Patricios, dum ad Comitia accedunt, & dum ab iis discedunt, mutui amoris ac pacis Symbolo. Addo, quod osculum nonnisi ejusdem conditionis hominibus conveniat, ut in hoc Sapientissima Republica etiam hoc sit veluti æqualitatis argumentum. *Iacobus Philippus Tomasinus de tesseris hospitalitatis cap.* XXI, *p.m.152. Edit. Amstelodam. in 12. Anno* MDCLXX. Addatur *Simon Abbes Gabbema in Catulli Lib.*I. *Epigramm.*X. ubi alia consueta Italorum oscula percenset. De Gallis recitat rerum variarum curiosus indagator *Henricus Salmuth ad Pancirollum, lib.* I. *sive deperdit. Tit.*XLVI.*p.m.*214. quod honorificè admodum interpretentur, si hospes adveniens, uxorem, sorores, filias etiamnum virgines osculo adhibito salutaverit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi assidere jusserit, *Pier. Valer. Hieroglyph. Lib.* XXII. *cap.4.pag.262.* Addo testimonium domesticum, Galli (scribit *Ludovicus Cresollius Mystagogi Lib.*IV. *cap.6.sect.2.p.*895.) apud quos semper candor singularis, & pudicitiæ decus in flore suo & pretio fuerunt, osculorum insidias minus sibi timendas putant, cum salutationis causa fiunt. Nam etiamnum viget illa consuetudo, ut viri nobiles, cum se invisunt, aut peregrè veniunt, omnes qui domi sunt, nuptas, innuptas basio consalutent. Id civile & honestissimum semper visum, vixq; ex illa re consecuta est unquam ulla infamia, ut inter nobiles viros, quibus magna honoris cura & dignitatis esse consuevit. Confer. *Anton. Gub. Costanus in Commentario de Sponsalibus.*

§. VI.

§. VI. Anglorum mulieres non modo cognatos, sed quoscunque generatim, osculo salutant, resalutantque, & illud primoribus labris tàm decentissimè, quàm honestissime. Quæ verò Regio sunt sanguine ortæ, non oscula inferioribus libant, sed manum aversam porrigunt, perindè ut viri inter se salutationis causa. *Polydor. Vergilius de rerum Inventoribus libro* IV. *cap.* XIII. *p.* 316. *Edit. Colon. in* 8. 1626. Idē roborat *Desiderius Erasmus Roterodamus in festivissimâ ad Faustum Andrelinum Epistolâ conceptis verbis*: Si „Britanniæ dotes satis pernosses, Fauste, næ tu alatis pedibus huc „accurreres; & si Podagra tua non sineret, Dædalum te fieri optares. Nam ut è plurimis unum quid attingam, sunt hic Nymphæ „divinis vultibus, blandæ, faciles, & quas tuis Camœnis facilè anteponas. Est præterea mos nunquam satis laudatus, sive quò venias, omnium osculis exciperis, sive discedis aliquò osculis dimitteris; redis, redduntur suavia, disceditur abs te, dividuntur „basia: occurritur alicubi, basiatur affatim: denique quocunque „te moveas suaviorum plena sunt omnia. Quæ si tu Fauste, gustâsses semel, quam sint *mollicula*, quam *fragrantia*, profectò cuperes non decennium solum, ut Solon fecit, sed ad mortem usque in Anglia peregrinari. *Antonio Perez, Secretario de Estado, que fue del Rey de España, Don Phelippe* II. *deste Nombre*, (quem pro singularissimâ suâ in me bonasque literas propensione, Magnificus, Nobilissimus, multarumque linguarum callentissimus, *Dn. Bartholomæus Meienreis, incluta Reip. Elbingensis, Præconsul ac p. t. Vice-Præses*, multos annos meritissimus, mecum communicare dignabatur) in Centuriâ Epistolarum ad Comitem Essexium Angliæ Magnatem, aliosque, *Ep.* VIII. Deosculatus sum hodiè ex consuetudine vestrâ in convivio septem fœminas, illustres corpore, pulchras animo. Sed quid hoc ad naturam osculorum? oscula enim *grata, juvenilia, fragrantia suavia* (hinc suavium osculum) sint necesse est. Oscula sunt similia monetis, quarum una potest habere valorem multarum. Amplectere, lambe *oscula juvenilia, rubicunda, odorifera*. Fuge, respue *senilia, pallida, fœtentia*: Hæc exanimant corpus, illa animam. Qui omnes ad unum, nil nisi

quodi

quod Veritati consonat, ingenuè testati sunt, quemadmodū olim dulcissimo Anglicanæ gentis consortio adhærens, summâ cum delectatione, sed tamen innocuâ prorsùs & virginali expertus, recordor. De Belgis Eloquentissimus juxta & Grajæ elegantiæ æmulator felicissimus *Erycius Puteanus, Professor Lovaniensis & Historiographus Regius*, ad Johannem Baptistam Saccum Italum, Senatui Mediolanensi à Secretis hoc modo disserit: *De puellâ vestrâ quid scribam? valet, viget, Iam matura viro, jam plenis nubilis annis. Mores & linguam quoque nostram discit, tamen oscula non libat. Sic eam habeo, uti educata est. Scis tu, ut confringi vas citò samium solet, Pudica quidem Belgarum oscula, sed tamen oscula: & insinuentur multò honestius, quam figantur. Abhorrere illa ab hoc ritu debet, & si pudicitiæ alumna esse velit, illæsum neque quoque verecundiæ florem servare. Nesciunt nostræ virgines ullum libidinis rudimentum oculis aut osculis inesse, ideoque fruuntur. Vestræ sciunt. Si nostra esse hæc quoque incipiet, particeps candoris nostri erit, & castæ immunitatis capax.* Conf. *Andreas Heerboord, exercit. Ethic.* XLIV, *thesi* 4.

§. VII. Operæ pretium est aliquantò adcuratiùs in exoticarum nationum servilia & salutatoria tàm manuum quam pedum oscula inquirere, cum mores, ritus, & quæcunque generis quasi propria, & notæ characteristicæ sunt, non cuivis pateant, aut ubique exponantur, ideò elegantem multisque observatu dignis refertam *Antonii de Guevarâ Epistolam, inter familiares* LVII. *ad Franciscum de Mendoza Palentiæ Episcopum*, exaratam, emissitiis oculis perlustrandam exhibeo; illa enim Hegemonæ instar Deæ peregrinantes manu ducet, ac eorum desideria omni modo explebit. Nunc igitur iter auspicandum, nunc vacivis auribus excipiantur ejus monita, quæ tali filo deducit, *p.m.* 465. *Edit. Colon. in* 8. *Anno* „ MDCXL. Literæ tuæ redditæ mihi sunt, quibus à me petis, ut „ formulas quasdam tàm salutandi quàm valedicendi elegantio- „ res tibi indicem ac præscribam. Ad ipsam rem quod attinet, „ quamvis non exiguum in aulico decus sit, debitum unicuique, „ servato ubique decoro, honorem exhibere, mihi tamen quæ- „ stio hæc tam nova accidit, ut de ea ne per somnium quidem unquam

„ quam cogitârim, nedum ejus decisionem in libris meis investi-
„ garim. Multum sanè interesse puto, quibus cum verbis, tum
„ gestibus in civilis vitæ conversatione, præsertim verò in mutuis
„ salutationibus, utamur. Videmus enim qui vel caput decenter
„ non aperiunt, aut venientibus tempestivè non assurgunt, aut oc-
„ currentibus obviam ipsi ultrò non procedunt, aut denique non
„ cuique qui debetur, titulum tribuunt, rusticitatis, vel fastus & ar-
„ rogantiæ notari; inprimis eos, qui in aulis versantur. Neque
„ enim Sacerdoti magis convenit missam attentè & devotè lege-
„ re, figulo ollam affabrè formare, sutori calceum, sartori vestem
„ aptè concinnare, quàm aulico in omnibus tàm dictis quàm fa-
„ ctis elegantiam quandam adhibere: cum Regum & Principum
„ aulæ omnis elegantiæ officinæ quædam esse debeant. Ad illud
„ quod attinet, quomodo occurrentes nobis salutandi, aut abeun-
„ tes dimittendi sint, equidem certi nihil præscribere possum,
„ cum id nequaquam è libris discatur, sed totum à cujusvis regio-
„ nis more ac consuetudine, ac personarum conditionibus depen-
„ deat. Quo tamen petitioni tuæ aliqua ex parte satisfaciam, pau-
„ cis indicabo, quid olim, quid etiam apud nos usitatum sit; ita ta-
„ men ut non quod à me è pristini temporis memoria repetitum,
„ vel hodie usurpatum, sed quod ab aliis decenter adhibitum tibi
„ videbitur, eligas, & ubi voles, usurpes. Idumæos in via sibi oc-
„ currentes, hac formula salutationis lego uti solitos: DOMINUS
„ VOBISCUM. At veri Hebræi sic se mutuò compellabant: A-
„ VE MI FRATER. Sophistæ è Græciâ: AVETE OMNES.
„ Romanis in congressu, SALVE, in discessu, VALE, in ore erat.
„ Carthaginenses non verbis, sed OSCULO invicem sese saluta-
„ bant. Et Turcæ hodieque nulla alia salutatione utuntur, quam
„ quod in congressu humeros, in discessu verò genua aut vestem
„ etiam mutuò exosculantur. Sed omnia ista persequi infinitum
„ sit. In Italia, uti etiam alibi, salutationes pro diei partibus distin-
„ guuntur &c. Sed ex omnibus quæ hodiè ab Italis Gallis & Hi-
„ spanis adhibentur formulis, nullæ mihi magis ridiculæ ac puti-
„ dæ videntur quam quod ajunt: BESO LOS MANOS DE

„ WESTRA MERCED: item BESO LOS PIES DE WE-
„ STRA SENNORIA. Nec non YO SOY SIERVO Y
„ ESCLAVO PERPETUO de WESTRA CASA. Quibus
„ non manus tantum sed pedes etiam eorum quos salutant, ex-
„ osculantur, adeò mancipio se illis tradere testantur. Equidem ut
„ meum quoque interponam judicium, sic existimo nihili omni-
„ nò hominem fuisse, qui primus has nobis elegantias est com-
„ mentus, quin ajo agrestem planè ac barbarum fuisse. Oscu-
„ lari manus alterius vile est, pedes putidum & turpe. Manibus
„ emungimus mucum & detergimus sordes, fricamus scabiem
„ & quas non corporis partes attrectamus? Pedes sudore ple-
„ rumque fœtent, callo sunt obducti, conspersi pulvere, & luto
„ inquinati. De me illud mihi credas velim, malle me armum
„ vel pedem bubulæ aut ovis benè apparatum comedere, quam
„ vel elegantissimi aulici manus aut pedes osculari. An non cre-
„ dis in Principum aulis quamplurimos reperiri, qui pedes &
„ manus aliorum osculari se dicunt, interim pedibus & manibus
„ truncare eosdem mallent, si alter alteri dicat: *Amicus tuus*
„ *sum: Opera mea tibi prompta ac parata semper est: utere meis tan-*
„ *quam tuis; Faciam quæcunque grata tibi esse intellexero; Si quid a*
„ *me fieri velis, tuo arbitratu mihi impera: & si quæ alia ejusmodi*
„ *sunt, quibus amicitiam & obsequium aliis offerimus; à bonis mori-*
„ *bus nequaquam abhorret. Osculor manus & pedes vestros, & ele-*
„ *gantia caret, & ab omni ratione est alienum. Pedum enim oscula*
„ *Pontificis dignitati debentur: At suas ipsius manus osculari*
„ *Sacerdoti Missam celebranti convenit.* Nos, si Christi magis imi-
„ tatores, quam profanæ adulationis affectatores esse cupia-
„ mus, non temere alia salutatione utemur, quam D.N. Jesus
„ Christus & ipse usus est, & suos uti docuit, nimirum, PAX
„ VOBIS, aut PAX SIT HUIC DOMUI, putidis illis auli-
„ cismis, cum auctoribus suis ad Anticyras relegatis. Sed quinam
„ illi sunt, quæris? Equidem juxta tecum nescio, si tamen con-
„ jecturæ locus est, existimo, quemadmodum saltans saltan-
tem

„ rem sequitur, sic levi alicui homini tale aliquid fortè sive per „ imprudentiam, sive per jocum & irrisionem excidisse, „ quod servilibus ingeniis ita placuerit, ut ad seria solœcismos „ istos transferre non dubitârint. Hæc hactenus *Guevara*. Ex quibus unicum sigillatim noto, quod oscula quæ in Papatu sacerdotibus convenire ait, è Lacunis genrilium hauserint Romanenses. Testimonium *Appulejus Lib.* II. *Milesf.* suppeditat, de Ægyptiorum Propheta primario Zachlâ exsertè scribens: *Et cum dicto Iuvenem quempiam linteis amiculis intectum pedesque palmis buxeis inductum, & adusque deraso capite, producit in medium, hujus diu manus deosculatus, & ipsa genua contingens.*

§. VIII.

Satis equidem opinor, de aliquot gentium osculis, novitatis sititor ex adductis percepit; possem heic pedem figere & terminum, more prisco, germinante fronde coronare: At verò ulteriùs me cupiditas rara cognoscendi rapit, & ad remotissimas plagas, in quibus omnem humanitatis sensum exsulare vulgus credit, penetrare, impellit. Liceat igitur populos ardore solis adustos, Persas, Arabes, Abyssinos, Russos &c. ipsosque in imô fere orbis angulo habitantes Sinas invisere, & cæpto curriculo, ut cum Comico dicam, omnia quæ ad Salutationis Classem referuntur, pertransire. Itineris prolixi asperitudinem, mens, quæ potissimum in hoc stadio occupatur, varia jucunditate perfusa lævigabit, ut sine tædio evadere possim. Primò itaque tenendum est, omnes venerationis numeros contactu manicarum superioris togæ apud Chinenses absolvi. Audiamus super hoc testem ἀξιόπιστον „ *Trigautium* ita disserentem: Nil apud Sinas urbanitatis aut cul„ tus habet, caput aperire, sed neq; motu pedum, & longè minus „ amplexu, aut manus osculo, vel cujuslibet alterius rei, quam of„ ferunt, veneratione̅ profitentur. Maximè vulgaris inter eos ur„ banitatis ritus hoc modo peragitur. In superioris togæ manicas, „ quas gestant laxissimas, collectæ manus (quod Sinæ faciunt, nisi

„ quid operis tractent, aut flabello ventum concilient;) ambæ „ uniuntur, & una cum manicis primùm in altum eriguntur „ modestè, indeque deprimuntur altero ex adverso alterius con- „ sistente, & hanc Syllabam geminante ZIN, ZIN, cujus vocis „ significatio nulla est, nisi urbanitatis ritus, & urbanitatis inter- „ jectio nostro more posset appellari. Deindè nonnullis inter- „ jectis idem *Auctor* pergit: Si quandò majus aliquod veneratio- „ nis officium placet exhibere, aut quia se tum primum salutant, „ aut quia diutiùs abfuère, vel, si alter alteri quidpiam gratula- „ tur, aut gratias agit, sive cum solennior aliquis dies incidit, aut „ aliâ qualibet ex causâ; tum post exhibitam eam, quæ supra „ commemorata est, inclinationem, uterque in genua provolvi- „ tur, & frontem ad solum usque demittit; tùm in pedes erecti, „ iterum inclinantur & genu flectunt, ut supra, idque tertiò & „ quartò. Sed cum hic superiori, parenti, Magistro, aut alii viro „ Principi ritus exhibetur, is ad aulæ caput stans, aut etiam se- „ dens, honorem excipit, & solùm ad singulas alterius inclina- „ tiones ac genuflexiones, manibus unitis, ut supra, nonnihil „ inclinatur, eo ipso in loco, in quo stat aut sedet. Et sæpè qui mo- „ destiùs hunc honorem excipit, non in aulæ capite ad Septen- „ trionem, sed ad latus, ad ortum scilicet, consistit. Hoc eodem „ cultu ipsi sua simulachra vel domi, vel in templis, coram arâ ve- „ nerantur. Famuli verò cum heros suos, aut infima plebs hono- „ ratiores salutant, primo cultu in genua procumbunt, & ter fronte „ solum leviter quatiunt, quem eundem sæpe ritum simulachris „ suis exhibent. Porrò si cum iis herus colloquatur, ad ejus latus „ adstant, & ad singula responsa in genua provolvuntur. Id alii „ quoque è vulgò faciunt, cum Magnates conveniunt. Hucus- que prælaudatus *Trigautius Lib.* I. *Expedit. Christian. apud Si- nas*, *cap.* VII. *pag.* 64. 65. Arabes se invicem visitantes si ejus- dem sint dignitatis, genas utrique osculantur, ubi verò Capi- taneus ad alios vilioris conditionis divertit, manus ipsius summa cum reverentia osculantur inferiores. *D. Ottho Dap- per*, *in descriptione Africæ Germanicâ pagina* 33. Abyssini Nobi-

Nobiles aliique non postremi census loco salutationis se extensis brachiis amplexantur, humerisq; figunt oscula his additis bonæ scævæ verbis : DEUS BENEDICAT TIBI: quin etiam in genua procumbentes ter solum osculantur, *Idem ibid. pag.* 680.

§. IX. Persas quod attinet, ad quos nunc transeo, illi sibi invicem obviantes salutem ultro citroq; nunciare non solebant, sed hujus loco oscula offerebant. Si pares erant, ora osculabantur, sin alter paulò inferior, ei genas osculandas porrigebat is qui dignitate aut quavis eminentiâ alteri antistabat. Si autem postremi ordinis Persæ è clarâ familia natis aut dignitate auctis occurrerent, eos in terram provoluti venerabantur, Vide *Barnabam Brissonium de Regno Persarum, pag.* 741. *seq. Conf. Dissert.* IX. §. 19. Russos deniq; parùm â Gallis in hoc passu distare, *Sigismundus Liber Baro ab Herberstein*, qui, ut cum Poëtarum omnium Patre, *Homero*, loquar,

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω,

adseverat. Verba ejus *in Muscoviæ descriptione*, *cap.* IV. *pag.* 100. hæc sunt: Cum unus alium accedit, ingressus habitaculum, non statim Dominum Domus salutat, sed continuò caput aperiens, ubi imago sit, diligenter circumspicit, quâ visâ cum magnâ reverentiâ ter se crucis signo caput inclinando munit, dicens: *Jesu Christe, fili Dei vivi, miserere nostri.* Posteà porrectis sibi manibus alterutrum sese invicem salutantes deosculantur, capitaq; more patrio frequentiùs inclinant. Conferatur *Narratio de Russorum moribus ad B. D. Chytræum* perscripta, & *Erasmi Francisci* Ausländischer Sitten-Spiegel/ *Lib.* I. *Histor. select.* XV. *pag.* 482. *ex Iacobi Ulefeldi Hodæporico Ruthenico*. Neq; hujus comitatis Lithuani, meiq; concives Prussi penitus ignari sunt, sed æq; ac aliæ politioribus moribus assvefactæ gentes θηρίων observant. Videas enim ibidem mulierculas, virginesq;, imò viros sibi familiares ac juvenes in congressu & discessu, decentissimè oscula permutare. Ita quilibet locus more suo, tanquam peculio gaudet. Atq; hæc o-

ſcula conſuetudini honeſtæq; benevolentiæ conteſtandæ ac nudæ ſalutationi ſerviunt, deq; numero ſunt eorum, quæ à Græcis *κενὰ* *inania* oſcula dicuntur, de quibus lepidum illud eſt cujusdam puellæ apud *Theocritum*, *Idyllio* XXIIX.

——— Κενὸν φίλαμα λέγουσιν,
Τὸ στόμα μὲν πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

Inane oſculum eſſe dicunt, lavo os meum, & oſculum deſpuo. Oſculum benevolentiæ, alicubi *Cajetanus* monet, bonum ac laudabile eſt, juxta morem patriæ, inter quascunq; perſonas ſit; oſculum verò libidinis peccatum mortalè. Illud autem omittere in locis, ubi frequentantur oſcula, ruſticum & agreſte eſt. Non tamen cuilibet in converſatione Politicâ ſua oſcula obtrudere licet, ne repulſam patiatur, exemplo ruſtici illius, Eunicam puellam baſiaturi apud eundem *Theocritum in Bucolico*:

------ Aufer te hinc procul, inq; malam rem,
Tu mihi ſuaviolum dare vis, homo ruſticus? atqui
O miſer haud didici dare baſia agreſtibus unquam,
Sed magis urbanis ſoleo oſcula figere labris,
Non mihi tu nitidum os labris ſordentibus unquam
Contigeris, nec per Somnum. ------

Infantula Diana Lemniam ingreſſa officinam, ut Arma poſcat, Brontem Cyclopem, qui audacter blandus, in ſinu ſublatam oſculari avebat, fuliginoſam Cæſariem barbamq; vellens, deturpat. SCHIFADI BRONTE IL TEMERARIO BACIO, Dum tela poſcit, oſculum Bronti negat. *Theſaurus Inſcription. pag.* 156. Quomodo oſculum rectè ſit expediendum, monſtrat *Conſtantin. Rogerius Tractat. de Dote cap.* XIX. *num.* 18. his verbis: Multi neſciunt oſculari, unde tu opponas alteram manum ad mentum mulieris, alteram verò ad occiput, cum eleganti labiorum impreſſione. Sed nemò forte hic præceptorem deſiderabit Rogerium. *D. Samuel Strykius Tractat. de jure ſenſuum, Diſſertat.* VII. *cap.* 5. *num.* 15. *pag.* 443.

§. X. Huc

§. X. Huc commodè referri posse videntur oscula, quæ inter sanguine junctos, salutationis plerumq; ac benevolentiæ vicem obtinebant. Ideoq; illa uno falce constringam & tàm sacrorum quam externorum exemplorum faculâ illustrabo. Hæc oscula, quia nullo obscæni amoris indicio maculantur, *Martialis pura* vocat, *lib.* VI. *Epigramm.* L.

Nî tibi vel minimum basia pura dabunt.

Ovidius autem *Sororia, lib.* IV. *Metamorph. Fabula* V.

Poscenti Nymphæ sine fine Sororia saltem
Oscula -----

Veluti *Barthius Adversar. Lib.* XXIII. *cap.* 18. *p.* 1146. observat. Primas in hoc subsellio partes Parentibus, liberos suos osculantibus decerno. Sic Jacobum Patriarcham suos è filio Josepho nepotes amplexantem, Bibliorum Codex, *Genes.* XLVIII. 7. 10. introducit. Laban ægrè tulit, non tam quod Jacob gener clanculum discesserit, quàm quod passus non fuerit filios & filias suas osculari, *Genes.* XXXI. *v.* 28. *Idcircò de nocte consurgens osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis & reversus est in locum suum.* Absolonem David ab exilio revocatum osculatur, II. *Samuel.* XIV. 33. Filium prodigum ad saniorem mentem reversum, pater lætabundus osculo excipit, *Lucæ* XV. 20. Cum Alexandrum cui stupendæ res gestæ nomen Magni conciliaverunt, Bucephalum domuisse cognosceret Pater Philippus Macedo, suam exindè animo conceptam lætitiam lacrymis temperabat, quæ tanquam pronunciæ amplexus, caput filii osculantem, talia fari faciebant: *O nate! regnum tibi par quære. Macedonia enim te non capit. Plutarch. in Alexandro.* Cicero filiæ suæ Tulliæ complexum mæstus desiderat, *Epist.* I. *lib.* XII. *ad Atticum*: *Atq; utinam continuò ad complexum Tulliæ meæ, ad osculum Atticæ possim currere.* De Julio Cæsare Pontificatum maximum petente, maternumq; osculum comitis vice assumente, *Suetonius in Cæsare c.* XIII. scribit. Depositâ Provinciæ spe, Pontificatum maximum petiit, non sine profusissimâ

ſimâ largitione, in quâ reputans magnitudinem æris alieni, cum manè ad Comitia deſcenderet, prædixiſſe matri oſculanti fertur, domum ſe, niſi Pontificem, non reverſurum. *Cicero Orat. pro Murena ſub finem*: *quo ſe miſer vertet? an ad matrem, quæ miſera modò conſulem oſculata, filium ſuum, nunc cruciatur?* Qualis dignitas Pontificatus quondam fuerit, *Pomponius Lætus de Sacerdotiis Roman. cap.* X. his exponit: Pontifices è Patribus legit Numa, & ex his Pontificem Maximum fecit Martium, Martii filium, & ipſius Numæ generum: Cujus Scitis omnia publica, privataq; ſacra ſubjecit, ut eſſet, quò conſultum plebs veniret, & idem non cœleſtes modo cerimonias, ſed & juſta funebria, & prodigia, quomodo ſuſciperentur & curarentur. Defuncto Pontifice Maximo, alius eligebatur, non â populo, ſed ab ipſis Pontificibus. Appellati ſunt (ut *Varro* ſcribit & *Dionyſius*) *â Ponte Sublitio*, quem reficiebant: quare videntur â Numa non Pontifices, ſed Sacerdotum Principes nominati, & inde regnante Anco Martio quando *Sublitius Pons* factus fuit, â Ponte Pontifices appellati. Et ideò ſacra annua trans Tyberim non mediocriter ad pontem fiunt. Scævola Pont. Max. dicebat, Pontifices dici *â poſſe & facio*. Quidam ſcribunt ab eo, quod *potentia ſacra perficiant*. Fuerunt ab initio Pontifices numero quatuor, poſtquam verò maximorum quorumcunq; honorum partem plebs tribunitiis rogationibus obtinuit, ad ſacerdotia quoq;, ſacroſanctasq; poteſtates patere ſibi aditum voluit. Quatuor ergò alios creari ex plebe Pontifices placuit, M. Valerio, & Q. Apulejo Conſulibus, juxta *Andream Dominicum Floccum, de poteſtat. Roman. lib.* I. *cap.* 8. Confer. *Raphaelis Volaterrani de Sacerdotiis Commentar.* ex *Commentariorum Urbanorum lib.* XXIX. *Henrici Bebelii libell. de Sacerdotiis & Magiſtrat. Roman.*

§. XI. Contra liberi Parentes pari amoris officio proſecuti ſunt: *Geneſ.* XXVII. *verſ.* 27. Iſaac Patriarcha â filio ſuo Jacobo oſculum poſtulat. Nota quoq; eſt hiſtoria Eliſæi, qui Eliam ante ſecutus non eſt, quam veniam â Parentibus oſculo impetraſſet. I. Reg. XIX. v. 20. Demetrium parenti ſuo Antigono, aliquandò à

do à venatione redeuntem & telis succinctum in conspectu Legatorum osculum dedisse, sæpissimè adductus *Plutarchus* recenset, ac Antigonum ad abeuntes Legatos ita loquentem sistit: *in Demetr.pag.* 890. Et hoc, *inquit*, de nobis, Legati, renunciate, ita inter nos convenire. Quasi Concordia cum filio suo fidesq;, quam ei habebat, regni nervi essent, & potentiæ demonstratio. Nempè usq; adeò insociabile undequaq; est imperium, diffidentiæq; & malevolentiæ plenum, ut summus inter Alexandri Successores & natu maximus gloriaretur, quod non timeret filium, sed committeret Lancea armato corpus suum. De eodem *M. Antonius Coccius Sabellicus*, *Enneade* IV. *Lib.* VII. *p. m.* 841. *Tomo I. oper.* Perstringebat Antigonus nonnunquam urbanâ cavillatione utrumq; in filio Demetrio vitium, libidines nempè & intempestivas potationes, â quo arctiori osculo exceptus, Lamiacus, inquit, credo, osculari voluisti; erat enim fama, illum Lamiæ congressu & consuetudine cupidius teneri, ex *Plutarchi l. c. p.* 897. De filia patrem osculante idem Scriptor in *L. Paulo Aemilio*, *p.* 260. monet. Dicitur, cum Dux designatus adversus Persen esset, (Æmilius) â toto populo deductus domum honorificè filiolam Tertiam, admodum puellam, offendisse plorantem, eam appellâsse, & quid tristis esset, quæsisse, illam eum complexam & deosculatam dixisse: Nescis, pater, Persen nostrum periisse? Catellum domesticum ejus nominis significans, Paulum autem respondisse, Benè habet, acc pio filia omen. Deindè uxores maritos peregrè redeuntes, vel mariti uxores osculis excipiebant; utrumq; patet exemplo *Plauti in Amphitruone*, *ubi* Alcumena ad Amphitruonem *Actu secundo Scena* 2. *v.* 82. dicit:

Ecastor equidem te certo heri advenientem illicò
Et salutavi, &, valuisses ne usq;, exquisivi simul,
Mi vir; & manum prehendi & osculum detuli tibi.

Et versu 167. --- ---- adveniensq; illicò
Me salutavisti, & ego te, & osculum retuli tibi.

Marcus Antonius post reportatam â Cæsarianis in Ægypto victoriam, elatus, ingressus est regiam, & Cleopatram in armis osculatus

latus est. *Plutarch. in Antonio, pag.* 950. Cæterum fratres aliiq; cognationis jure vincti sibi invicem oscula libabant, uti ex SacroSanctis literis abundè satis constat. Jacob Patriarcha in Mesopotamiam profectus, cum ad puteum Racheli filiæ avunculi sui Labanis occurrisset, eam cum fletu osculatus est *Genes.* XXIX. v. 12. de quo supra *dissertat.* III. §. 8. Non invenusta dedimus. Esau currens obviam fratri suo Jacobo ex Mesopotamiâ redeunti, amplexus est eum stringensq; collum ejus & osculans flevit, *Gen.* 33. *v.* 4. Joseph cùm fratribus suis se exhibuisset, osculatus est eos omnes & ploravit super singulos, *Gen.* XLV. *v.* 15. Aaron Mosi fratri in Ægyptum à Domino misso pro liberando populo Israelitico in deserta obviam processit, eiq; in Monte Horeb procurrens osculum dedit, *Exod.* IV. *v.* 27. Jethro Madianitarum Pontifex auditâ victoriâ Mosis generi sui de Amalec, cum Ciporâ filiâ uxore Mosis, & duobus liberis Gersone & Eliecere in castra ad Montem Sinai venit, cui Moses obviam profectus honorificè osculum impertivit *Exod.* XVIII. *v.* 7. Cum Naemi nurus suas in patriam regredi juberet, ipsis osculo benedixit, *Ruth. cap.* I. *v.* 18. Alia oscula *Ruth.* I. *v.* 18. *Genes.* XXIX. *v.* 13. *Tob.* VII. *v.* 7. *lubens reticeo.*

§. XII. De Romanis *Marcellus Donatus in Gruteri Thesauro Critico, Tomo* VI. *pag.* 676. ex *Plutarcho* tradit; Licuisse mulieribus consanguineorum frontem osculari, & viris mulierum, cum quibus aliqua necessitudine erant juncti: Idq; concessum mulieribus, ut honorem simulq; potentiam eis concilians, si viderentur multos ac probos habere cognatos ac propinquos, vid. *Roman. Quæstion.* V. *Plutarch.* Abusum hujus insectatur *Propertius Lib.* II. *Elegiâ* V, quandò Phrynen exagitat, cantans:

> Quin etiam falsos fingis tibi sæpè propinquos,
> Oscula nec desunt, qui tibi jure ferant.

Illud speciali nomine *Suetonio in Tiber. c.* XXVI. *IUS OSCULI* dicitur, quemadmodum ex sequenti loco elucescit: Cæsar, *inquit*, illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per *Jus osculi* & blan-

& blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo Senatu, qui censeret cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublicæ maximè interesset. Mulieri autem famosæ nullum à cognato osculum libatum est. Indè *Cicero lib.* IV. *de Republica*: Atq; etiam si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant. Et *Juvenalis Satyra* VI. *v.* 51. *seqq.*

> Paucæ adeò Cereris Vittas contingere dignæ,
> Quarum non timeat pater oscula ------

Nempe ut parum casta; filias enim impudicas patris osculo privari solitas fuisse, quod magnæ pœnæ loco sit habitum, notante *Eilhardo Lubino in Comment. ad locum præcitatum. Adrian. Turneb. Adversar. Lib.* XXIX. *cap.* 27. *p. m.* 1068. Neq; incestuosos si in scelere perseverarent, dignabantur salutatione aut osculo, juxta statutum *Juris Canonici*, *in Can. ult. caus.* XXXV. *qu.* 8. postmodum Successu temporis cum ex auctoritate M. Catonis vinum mulieribus interdictum esset, primùm viri cognatarum os cœperunt osculari, ut odor indicium faceret, si bibissent. *Affinibus & propinquis osculari eas jus est, ut sobrias comprobent*, inquit *Arnobius lib.* II. *adversus gentes.* Vinum enim mulierem bibisse perindè erat, ac si in adulterio ac gravi crimine deprehensa, capitali supplicio plectenda esset, ceu *Plinius* habet *Libro* XIV. *Histor. Nat. cap.* 13. Siquidem proximus à libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. *Valer. Maximus memorabil. lib.* II. *cap.* I. *exemplo* 5. Eò tendunt *Dionysii Halicarnass.* verba *Lib.* II. *Antiquit. Rom. cap.* XXVI. *p. m.* 93. Delinquens uxor in aliquo, Judicem, & magnitudinis pœnæ Dominum sortiebatur eum, qui læsus erat; cognati namq; simul cum viro de his judicabant, in quibus erat corporis corruptio, de eo quod peccatorum omnium videtur Græcis minimum, si qua inventa esset mulier vinum bibens. Nam utraq; hæc multari morte concessit Romulus, ut delictorum muliebrium maxima, ratus stuprum desperatæ audaciæ principiũ esse; temulentiam verò stupri;

Kkkk 2 longoq;

longoq; tempore crimen utrumq; apud Romanos iram merebatur implacabilem, comprobantibus legis æquitatem tot seculis. Hinc ubi Egnatius Metellus uxorem, quod vinum bibisset, interfecerat, cædis absolutus est. *Plin. l. c. Gellius Noct. Attic. lib. X. cap. 22.* Et Cnejus Domitius mulierem, quæ visa est plus vini bibisse, quam valetudinis causa deceret, dote mulctavit. Matrona item magna natu, quod claves cellæ vinariæ resignâsset, inedia mori coacta. *Alexander ab Alexandro genial. dier. Libro III. cap. XI. p. m.* 131. edit. Francof. in 8. Anno MDCXLVI. Adeoq; in universo Latio, *vino*, quod Priscâ linguâ *temetum* vocatur, mulieres abstinebant, unde *abstemiæ* dictæ sunt; loram autem, passum, & murrhinam loco vini bibebant. Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut sapam, aut defrutum, aut passum, quam murrhinam quidam *Plautum* appellare putant. *Sarisberiensis in policratico*, sive *de nugis curialibus Lib.* VIII. Idem Massiliensibus & Milesiis, pluribusq; Græcorum & Barbarorum gentibus, apud quos *Hydropotæ* mulieres ex præscripto fuerunt, usitatum erat: nec mulieres modo, sed & viri abstemii. *Alexander l. d. Polybius lib* VI. *Athenæus lib.* X. *cap. 9. Aelian. Var. Histor. Lib.* II. *cap. 38. Cicero de natûra Deor. Tertullian. in Apologetico cap.* VI. *Flavius Blondus Romæ Triumphantis lib.* IX. *Gregor. Tholosan. Syntagm. Iur. Lib.* IIX. *c.* 8. *num.* 25. *Tiraquell. leg. Connubial. Lib.* IX. *Matthæus Raderus, ad Martial. Epigramm.* LXXXIIX. *Lib.* I. aliiq; recentiores ac antiquiores ibidem adducti. Postremò aliam adhuc causam horundem osculorum inter Propinquos, *Plutarchus quæst. Roman.* VI. *recitat, Tomo* II. *Oper. p.* 265. Cum esset legibus interdictum cognatarum nuptiis, usq; ad osculum tamen amori permissum progredi, eaq; fuit Consanguinitatis tessera & communicatio. Antiquitus enim sanguine junctas Romani non copulabant, ut ne nunc quidem materteras aut sorores. Serò concessum fuit, ut ducere consobrinas liceret, idq; tali de causâ: Vir quidam pecuniæ indigens, alias honestus, & gratiâ populari nemine inferior, consobriam habere putabatur uxoris loco, ad quam hæreditate dos magna pervenerat, eâq; ratione dives ipse esse; cui cum esset eo

nomine

nomine dies dicta, populus omissâ causæ cognitione eum absolvit, decretoque facto nuptias consobrinarum permisit publicè, conjugio autem superiorum graduum interdixit. &c.

DISSERTATIO XVII.

De OSCULO RECONCILIATORIO.

Summaria.

I. *Concordiæ encomium.* II. *Manuum motus de cordis motu Iudicium suppeditat. Dextræ porrectio ubique inter Gentes pacis fideique symbolum. Dextra olim à Romanis sinistra posthabita. Per dextram orare. Campani jungentes dextras sacris epulis assidebant. Scipio & Gracchus ad mensam Iovis in Capitolio assidentes inimicitiam deponunt.* III. *Osculum tessera reconciliationis.* IV. *Mithridates dextram Syllæ porrigens benignè excipitur. Firmus à Theodosio pacem impetrans cum osculo susceptus. Tiridates Parthorum Rex coronam ante Neronem deponit, ejusdemque manu resumit.* V. *Osculo Pax confirmata. Hostia divisa in duas partes reconciliatis offertur. Conventus Regis Galliæ & Hispaniæ.* VI. *Apostoli ante Eucharistiæ usum se invicem osculati. Osculi ejusdem effectus. Plato inimicis libenter offensas remittit.* VII. *Osculum motu proprio inimico fixum injurias deletas innuit.* VIII. *Serpentes in Caduceo Mercurii se invicem osculantes Pacis hieroglyphicum. Nodus Herculis. Serpens odii & belli effigies. Virga disciplinam & eloquentiæ potestatem notat. Caduceatores dicti Legati pacem quærentes.* IX. *Vindictæ emblema. Basiliscus objecto sibi speculo moriens. Navis cum l. mmate: Nec trames restat, oblivionis injuriarum emblema. Vespasiani Imp. lenitas in amicos. Epiphanius Constantinensis Præsul injuriantes beneficiis afficit. S. Gerhardus primus Hungarorum Apostolus pro inimicis & percussoribus suis, exemplo S. Stephani, oravit. Omnibus sine discretione ignoscere, est vitiis alimentum subministrare.*

§. I.

ETsi vir Sapiens in se abundè reperit, quo contentus esse queat, attamen quod intelligit humanam vitam concordiâ constare, quod est vinculum omnium fortissimum, quo quidquid non constringitur, collabascit, eos quoq; sibi libenter adsciscit, quos sibi æquet, quibuscum sua bona communicet, quorum societate gaudeat. Scilicet hac firmitate nixus, & hac suavitate perfusus uberius fruitur suis bonis. Et verò ad concordiam præter naturalẽ inclinationem & similium cum similibus convenientiam, communis quoq; indigentia ducit. Ideoq; concordia humanæ imbecillitatis, simul & excellentiæ specimen est. Imbecillitatis quidẽ, quod nemo tâm altè positus est, ut sit extra omnem ictum, ac non aliquandò alienæ opis indigeat. Væ illi, qui sibi unus est consiliarius, sibi unus auxiliarius. Nam quæ singula quamlibet valida, facilè deturbantur & proteruntur, conjuncta per concordiã convalescunt, redduntúrq; inconcussa & impenetrabilia. Quin è pluribus infirmis invicem consibulatis existit illa sanè firmitas, quæ unitatis propria est. Et hoc est illud humanæ excellentiæ specimen, quod eminet in concordiâ, omnium utilitatum auxiliatrice. Porrò omnis humana vita constat ratione & fide, utraq; ducit ad concordiam, hæc ad felicitatem. Hi sunt alterni illi ac dimidiati Dii, Castor & Pollux, à Poëtis celebrati, consociatis dotibus potentissimi. Hæ sunt illæ sonoræ fides quibus intenta est Lyra Mercurii, qui autor est Symphoniæ & Concordiæ. Hoc signat ille Musarum concentus, quæ sese in cœlo & in terrâ excipiunt vocibus divinis. Hæc est expressa effigies concordis illius discordiæ, per quam Heraclitus omnia fieri tradidit; illa elementorũ connexio, illa omniũ principiorum colligatio, illud æquilibrium quo levia cum gravibus, calida cum frigidis conjunguntur, opposita suis oppositis adæquantur. Hic est inter homines veluti alter Zodiacus, qui à sinistrâ parte pergit ad dextram: hæc est imitatio cœli, quod à dextra tendit ad sinistram. Concordia, inquam, satis nunquam laudata omnes homines mutuô amoris vinculo colligat. Christianos autem qui cœleste numen omnis concordiæ fontem ac originem seriò venerantur,

rantur, quàm maximè decet & ornat. Verum enimverò, cum in hac mortalium fragilitate contrario affectuum impetu animi persæpè turbentur, fieri aliter nequit, quin invicem collidantur, atque in discordias, quamvis propter levissimas offensiones, erumpant. Charitatis igitur remedio opus est, quod exulceratas mentes purificet, & in pristinum gratiæ statum, mediante amicabili transactione & perpetuâ præteritarum læsionum oblivione, restituat. Atque hoc generosæ animæ semper solenne habent. Quo enim quisq; est major, magis est placabilis ira; juxta *Ovidium Trist. Lib. III. Eleg.* 5. Nihil est laudabilius, nihil verò Christiano dignius placabilitate & clementiâ. Quare nullus eò impudentiæ venit, ut offendi posse, placari non posse dixerit. Summi Numinis impervestigabilis est essentia, & à distincta divinarum virtutum & perfectionum attributarum apprehensione immensum distamus; at nec explicari, nec animo concipi possit, quâ mente in totum genus humanum futurus sit Deus, si expiari peccata, aut Numen suum placari non sinat. Lex nobis ab ipso Salvatore præscripta est: *Esto consentiens Adversario tuo citò, dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te Adversarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris, Matth.* V. v. 25. Imò expresè peccata se nobis non remissurum prædixit, nisi ex corde proximis in nos peccantibus ignoscamus, *Matth.* VI. Numquid aliquis cum odio Paradisum intravit? Ad infernum ire odium habentem sæpè me legisse recordor, sed ad cœlum volâsse nunquam concedam. Cupimus ergò, fratres, cives esse cœlestis civitatis? Servemus novum mandatum novæ civitatis. Illa inquam civitas habet pacem, præcipit pacem, & diligit diligentes pacem, inquit *Augustinus, vel quicunque Autor sit sermonum ad fratres in Eremo, Serm.* XXVIII. Animus autem reconciliatus sese externis quibusdam signis communiter prodit, ut proximus illius internam habitudinem inde cognoscat.

§. II. Arteriarũ scaturigo ebulliens in corde, perpetuis æstibus agit hoc nobile viscus semper inquies, quia arteriarũ motus nullas patitur inducias, nisi morte quantocyùs imminente. Hæ autem arteriæ emergentes à corde, permeant totum corpus distinctæ in ramos, qui & ipsi suas propagines habent, unde &

alii

alii plures Surculi procreantur. In ea sobole arteriarum, Medici recensent præcipuè illas, quæ discurrunt toto brachiorum tractu, suosque tonos edunt in eo brachiorum flexu, quem subeunt manus. Idcircò in more positum est apprehendere manum, quandò est de cordis motibus augurandum, nimirum cordis & manuum motus, iisdem ferè momentis acti, ad eandem trutinam appenduntur. Illa cordis & manuum connexio & communio motionum, non in Physicis solùm, sed & in moralibus etiam locum habet: quippe volens aliquis explorare indolem, seu affectum alterius hominis, manum ejus palpat, id est, opera contemplatur. Alto scrutinio expendit actiones ejus, spirent amorem necne: inde nimirum maximè de amore ancipiti congruum Judicium possumus aucupari. Hinc effluxêre ritus varii plurium nationum ad conciliandas amicitias. Nulli namque genti fuit satis audire se amari, nisi & probaret amorem hunc assertum congruis argumentis. Hebræi conjiciebant amorem esse sincerum ex manu apprehensâ, ex mutuis amplexibus & osculis. Ita Jehu suspectam habens fidem Jonadab, petiit ab eo manum intesseram affectus indubii; textus inquit: *Invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei; & ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum.* II. *Regum* X. *v.*15. Hac dextræ porrectione injuria sepulta judicatur, nam DEXTRARUM COPULATIO ubique inter gentes ad nostra usque tempora pacis fideique Symbolum fuit; vel quod hac ratione, quandò junguntur duæ dextræ, numerus ternarius, quo nullus perfectior sit, efficiatur, ut vult *Alexander Aphrodisiensis Lib.* II. *Problem.* XLVII. Vel (cum, quo minus idem de sinistra manu dici, nihil obstet;) quod communi omnium hominum consensu dextera in corpore humano pars potior sinistrâ, atque hinc fidei, tanquam rei inter humana multò præstantissimæ, Signum non immeritò habeatur, ut placet *Cunrado Rittershusio, notis ad Guntheri Ligurinum Lib.* VIII. *v.*53. Quanquam, si Judicio *Baronii* standum est, dextra olim à Romanis, *Tomo* II. *Annal. ad Ann. Christi* DCXIII.

CCXIII. & postea quoque in conciliis quibusdam, *Tomo* III. *ad Ann. Christi* CCCXXV. sinistræ posthabita fuit, qua de re præmissa ad Baronium Epistolâ, prolixè agit *Iosephus Castalio Decade* VIII. *Observationum in Criticos, cap.* X. sed quidquid de eo sit, dubio caret, quod diximus, fidei Symbolum fuisse dexteram. De Assyriis hoc asserit *Alexander ab Alexandro genial. dier. Lib.* II. *cap.* V. De Hyrcanis Medisque, speciatim verò de Parthis, *idem Lib.* V. *cap.* III. *Et Flavius Iosephus Lib.* XIIX. *Antiquit. Iudaic. cap.* XII. *Artabanus Rex Parthorum Anilæo Iudæo, porrectâ dextra, per patrios Deos dejeravit, tutum accessum habiturum fratrem Asinæum, quod apud barbaros conventuros, certissimum esset argumentum fiduciæ. Nam post datam dextram, apud eos nec fallere fas est, nec diffidere cessantibus omninò suspicionibus. Ideoque cum instigaretur à Magistro Militum, Artabanus, ut Asinæum interficeret, negavit se hoc permissurum in hominem, qui se credidisset suæ fidei, datâ dextrâ confirmatæ, & juramento adhibito.* vid. *Philipp. Camerarius Horar. Subcisiv. Centur.* I. *cap.* XXXV. *Centur.* II. *cap.* XLVI. Idem de Trojanis videre est apud *Virgilium*, exemplo Anchisæ, *Aeneidos* III. *v.* 610. qui Achæmenidi, Trojanorum gratiam non sine diffidentiâ imploranti, porrigebat dexteram ut animum dubitantis firmaret; & Ilionæi, jurantis per Æneæ dextram, *Aeneidos* VII. *v.* 234. De Persis præter *Xenophontem Lib.* VI. *Cyropædiæ*, ubi Gobryas ideò commendat Cyri dextram, quod nihil eorum mentita sit, quæ promiserit, commemorant *Diodorus Siculus lib.* XVI. *cap.* XLIII. *Cornelius Nepos in Datame, cap.* X. §. I. *Polyænus lib.* VII. *cap.* XXVIII. *Strategi, Iustinus lib.* XI. *cap.* XV. & XIII. *Curtius lib.* V. *cap.* XIII. *lib.* VI. *cap.* IV. De Armenis, *Tacitus lib.* XII. *Annal. cap.* XLVII. & *Valer. Maximus lib.* IX. *cap.* XI. *exemplo* 3. De Romanis *Florus lib.* IV. *cap.* VI. *lib* 3. *cap.* XXI. *Cicero post reditum in Senatum* §. IX. & *Philippica* XI. §. 2. Unde formula *Per dexteram orare*, tanquam fœderis & fidei membrum. Apud *Plautum Amphitr. Act.* 3. *Scena* 2. *v.* 42. *Terentium Andriæ Act.* I. *Sc.* V. *v.* 54. & *Ciceronem pro Dejotaro*, §. 3. Campani jungebant quidem dextras, sed eo etiam ritu adjecto ut inde simul sacris epulis assiderent. Hoc *Livius* II. *Decadis, lib.* 3. *cap.* VIII. probat exemplo

Calavii hominis Campani, ita suum filium alloquentis: *Paucæ horæ sunt, intra quas jurantes per quidquid Deorum est, dextras dextræ jungentes fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis essemus.* Ætoli etsi immanes, jungebant dextras ad altare, arbitrati summum esse piaculum, hunc postea temerare ritum, quem servavêre fædus ineundo cum Romanis ut Autor est Alexander ab Alexandro, G.D. *lib.v.cap.3.* Confer *Polybium lib.v.cap.54. Livium lib.I.cap.I. & lib.*XXX.*cap.*XII.XIII. *Plinium lib.*XI. *Histor. Natur. cap.*45. *Cornel. Nepot. in Themistocle cap.*VIII. *Iosephum Antiquit. Iudaic. cap.*2. *Phœbadium contra Arianos cap.*IX. *Virgil. Aeneidos* IV. *v.*307.*&* 597. *Ovid. Epist.*2. *v.*21. *Valer. Flaccum Argonaut. lib.* V. *v.*444. *lib.*VI. *v.*12. *lib.*VII. *v.*344. Memorabilis & ad Christianam ferè pietatem accedens historia est, quam *Livius lib.* XXXIIX. *cap.*LVII. *& Gellius lib.*XII. *cap.*8. recensent, recolentes „ quomodo compositæ fuerint tragœdiæ excitatæ Romæ, ob „ acerba odia Scipionis Africani, & Tiberii Gracchi. Ajunt „ illi, duos hosce viros insignes coëunte populo convenisse in „ Capitolium, ad Jovis Capitolini sacra fieri solita ad mensam „ Jovis, ubi qui fecerant rem sacram, debebant accumbere. To„ to spectante Senatu eodem temporis articulo Scipio & Grac„ chus mensæ Jovis admoti sunt, ubi assidentes erubuêre aspe„ ctum Romæ astantis, revolventes animo quàm fœda hacte„ nus exercuissent odia, ut Scipio Africanus erat illustrior, se„ ipsum prior vicit, dextram prætendens Graccho, in signum „ reducis animi. Annuit ille, & rependens eandem tesseram a„ moris, ruit in Amplexus Scipionis, cujus amor ita incaluit, ut „ illic Corneliam filiam suam elegantissimam Graccho despon„ derit, in duro inimico nactus generum obsequentem. Eodem modo Christiani saltem accessuri ad mensam sacram, deponant odia incongrua mensæ, quæ concordes tantum homines admittit, utpote amoris epulo saginandos.

§. III.

Deindè & præcipuè osculum reconciliationis tessera statui-

tuitur, quia per osculum concordes sibi mutuò quasi uniuntur, & calorem, amorem, inque eo spiritum ipsum sibi inspirant atque communicant. *Videas igitur adversarium, quem vincere non potes blandiori alloquio, convertere frequentiori osculo: quem osculaAris, quandò frequenter illum à malo dehortaris*; monitum est *Tertulliani Libro de Patientiâ*. Notanter quoque *Chrysostomus Homil.* IV. *ad Thessalon.* scribit: Si quispiam abiens, protinus inimicum sit complexus, ambas conseruerit manus, ei circumfusus sit, osculatus & lachrymatus: etiamsi ille sit fera, etiamsi lapis, etiamsi quodvis, ab hâc benignitate mitigabitur. Ad hanc osculorum familiam oppidò quam rectè pertinere videtur locus *Genes.* XXXIII. 4. Cujus verba sic sonant:

Et cucurrit Esau in occursum ejus (*Iacobi*) *& complexus est eum; salutabat*, inquit, *Gesnerus, Commentar. super Genes. pag.* 610. *fratrem osculo, quem tollere prius volebat armis. David Pareus Professor Theologus Heidelbergensis in Comment. ad Genes.* Satis testatur Esau, se omni deposito rancore verè diligere fratrem: verbum Ebraicum osculatus est eum, desuper omnibus literis est punctatum, quo Hebræi volunt significari, Esau fictè osculatum fratrem, non ex animo. Sed non videtur; accipiamus potius in meliorem partem, quod seriò egerit cum fratre, vereque ei fuerit reconciliatus. Mansit quidem profanus: attamen non legitur inimicitias deinceps exercuisse cum fratre. Quamvis talem permansisse Esavum, atque simpliciter æternùm periisse sacræ literæ non asserant. Videsis peculiarem *de Salute Esavi Disputationem Theologicam, B. D. Christiani Chemnitii.* Similiter Josephus fratribus suis reconciliationis osculum obtulit, *Genes.* XLV. *v.* 15. *Augustinus Sermone* LXXXIII. *de tempore*: osculabatur singulos, & per singulos flebat, & irriguis lacrymis paventium colla perfundebat, itaque odium fraternum charitatis lacrymis abluebat. Tali intentione David degenerem Absolonem II. *Sam.* XIV. *v.* 33. Indulgentissimusque pater filium prodigium amplectitur, *Lucæ* XV. *v.* 20.

§.IV. Secularis historia densam hujus argumenti testimoniorum segetem expromit. *Petron. in Satyrico.* Exosculatus pectus sapientiâ plenum, injeci cervicibus manus, & ut facile intelligeret rediisse me in gratiam, & optima fide reviviscentem amicitiam, toto pectore adstrinxi. *Idem in eodem scripto*: tantum omnem scabitudinem animo tanquam bonarum artium Magister, deleret sine cicatrice. Incultis asperisq; Regionibus diutiùs nives hærent: ast ubi ea aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris levis pruina dilabitur. Similiter in pectoribus ira considit; feras quidem mentes obsidet, eruditas prælabitur. Ut scias, *inquit* Eumolpus, verum esse quod dicis, ecce etiam *osculo iram finio*. *Item*, in hæc verba fœderibus compositis arma deponimus, & ne residua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret præterita aboleri osculis placet. Exhortantibus universis odia detumescunt, Epulæq; ad certamen prolatæ conciliant hilaritate Concilium. *Plautus in Pœnulo Act.* I. *sc.* II. *v*: *192*. Non sum irata, *Age, da ergò ut credam, suaviũ scilicet*; ex prisca amoris post offensiunculas, integrandi consuetudine. De Mithridate & Sylla *Plutarchus in vita Luc. Cornelii Syllæ pag.* 467. Cum ei obviam prodisset Mithridates, & dextram porrexisset, rogavit eum, acciperetne quibus conditionibus pepigerat Archelaus pacem? Tacente Rege Sylla, atqui deprecantium est, inquit, priore loco dicere, victoribus satis est tacere. Ubi exorsus Mithridates excusationem est, conatusq; bellum partim ad Deos referre, partim ipsos culpare Romanos; excipens Sylla, jamdudum ait, se de aliis accepisse, nunc verò ipsum intelligere disertissimum esse Mithridatem, qui in factis adeò tetris & pravis non deficiatur speciosâ oratione. Indè cum ejus facinora coarguisset & exagitasset acerbè, quæsivit iterum, ecquid iis, quæ cum Archelao convenissent, staret; ubi stare respondit, ita demùm salutavit eum, ac complexu est osculatus. *Ammianus Marcellinus de Firmo* â Theodosio pacem impetrante *Lib.* XXIX. *histor.* ait; Præmissis muneribus Maurus ipse fidentius ad Romanum perrexerat ducem, equo insidens apto ad ancipites casus: Cumq; propè venisset, fulgore signorum

ſignorum & terribili vultu Theodoſii præſtrictus, jumento deſilit, curvatâq; cervice humi penè adfixus, temeritatem ſuam flebiliter incuſabat, pacem obſecrando cum veniâ. Suſceptusq; cum oſculo, quoniam Reipublicæ conducebat, bonæ ſpei jam plenus, ſufficientia præbuit alimenta. *Tacitus Annali* XV. *de Pace inter Corbulonem & Parthorum Regem glorioſa Romanis & Parthis non infructoſa Sancita.* Viſô Corbulone Tiridates Rex prior equô deſiluit; nec cunctatus Corbulo, ſed pedes uterq; dextras miſcuere. Exinde Romanus laudat Juvenem, omiſſis præcipitibus tuta & ſalutaria capeſſentem. Ille de nobilitate generis multum præfatus, cætera temperanter adjungit. Iturum quippe Romam, laturumq; novum Cæſari decus non adverſis Parthorum rebus ſupplicem Arſaciden. (Sic quod Romanus in votis habuit, diadema potentiſſimorum Orientis Regum faſtigio Romano ſubmiſſum:) Tum placuit Tiridatem ponere apud effigiem Cæſaris inſigne Regium, nec niſi manu Neronis reſumere, & colloquium oſculo finitum. (Ita Majeſtas Romana Pœti ignominioſâ pactione imminuta, vindicabatur. Sic verus bellorum legitimorum finis cum dignitate ad otium reductus.)

§. V. Juvat nonnihil de rebus Germanorum adſpergere. *Cyriacus Spangenberg in Chronico Mansfeldenſi cap.* CXC. *p.* 198. *fac.* 2. de Henrico Imperatore: Anno DCCCC. ward der Friede geſchloſſen / und zogen die Sachſen mit denen ſo den Frieden gemacht / häuffig dem Keyſer Heinrico entgegen / der ſie denn freundlich / wie gebräuchlich / mit dem Kuß empfing / und was die Unterhändler verabſchiedet / war mit einem Jawort bekräfftigt und beſtättigt / das geſchah gleich auf den andern Tag Februarii. Illuſtriſſimus Dn. *Iohann Iacobus Fuger*, im Spiegel der Ehren deß höchſt-löblichſten Keyſers und königlichen Ertz-Hauſes Oeſterreich / Anno MDCLXIIX. Operâ Nobiliſſ. Dn. *Sigiſmundi à Birken*, amici inter paucos chariſſimi, Norimbergæ recuſo, de Ludovico & Friderico Imperatoribus Rom. ſimultaneis An. MCCCXXV. *Lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 295. Endlich ward ſein Hertz (Keyſ. Ludwigs) gegen Keyſ. Friedrichen / als ſeinem nahen Vätter / gäntzlich er-

weicht / und machte ihn entschlossen / sich mit ihm aufs gütlichste zu versöhnen. Demnach macht er sich unversehens auf / und reisete mit etzlich wenigen Vertrauten in höchster Geheim nach Tausnitz / beredet und verglich sich daselbst mit Keyser Friderico, und ließ eine Uhrkund darüber aufrichten / welche von ihnen beyden mit Eyd bekräfftigt / unterschrieben und besiegelt worden. Zu mehrer Bestättigung dieses Vertrags / hat Bruder Conrad, Prior zu München / Keyser Ludwichs Beicht-Vatter (wie auch Albertus von Straßburg berühret) in Gegenwart Br. Gottfrieds / Priorn des Klosters Maurbach / Keys. Friderichs Beicht-Vatters / die Hostie des H. Sacraments entzwey gebrochen / und jedem ein Theil davon gereicht: Darauf sie einander freundlichst umbfangen / und ihre brüderliche Liebe mit dem Kuß des Friedens bezeuget. Non possum mihi temperare, quin de maximè memorabili conventu duorum potentissimorum Europæ Regum, Galliæ ac Hispaniæ, confirmandæ pacis causa, recentiorem narrationem subjungam, quandoquidem & hic *osculum crucis* juxta morem antiquum, uti ex Dissertat. IX. §. 27. supra innotuit, adhibitum fuisse, quilibet sibi facilè persuaserit. *Autor Diarii Europæi Continuat.* III. *ad An. 1660. pag.* 579. seqq. rem sequentibus verbis exponit. Die durch den Frieden und Heyraht zwischen Spanien und Franckreich gestifftete Freundschafft und Verträuligkeit / ließ sich von Tag zu Tage immer herrlicher spühren. Diesen 27. May als einem Sonntage / kamen beyde Könige selbst in Person in der Friedens-Insul (sonst genannt Fasanen Insul auf dem Fluß Bidassoa an den Pyrenæ schen Gräntzen) zusammen. Der König von Franckreich kam zu erst an bey der Insul / ließ derowegen an der Brücke halten / biß der König in Spanien / der allererst da anlangte / eben zugleich die Insul betratt / darauf er denn mit seiner Frau Mutter / der alten Königin / dem Hertzog von Anjou, der königlichen Princessin von Orleans, und den Princessinnen von Alançon und von Vallois, seiner Majestät dem König in Spanien / entgegen gieng. Beyde Könige schritten so fort in gleicher Herrligkeit biß an die Lini / so beyde Königreiche scheidet; allda setzte ein jeder ein Knie auf die Erde / und

umbfien-

umbfiengen sich freundlich miteinander: Nachgehends grüßte Se. Majestät in Franckreich / seine Braut die Königin / und küste sie / und der König in Spanien begrüste Se. Frau Schwester / die alte Königin in Franckreich. etc. Und nach diesem fiengen beyde königliche Majestäten an miteinander zureden. Inzwischen brachte man eine Taffel dahin / und breitete einen Teppich auf die Erde / auf welchen beyde Könige / jeder an seinem Orte / nieder knieten. Der Herr Cardinal Mazarini verrichtete das Amt deß Ober-Allmosen-Pflegers von Franckreich / und überreichte dem König das Evangelium und Crucifix: und der Patriarch aus Indien thäte dem König in Spanien dergleichen. Beyde Könige zugleich / ein jeder in seiner Sprach / thäten einen Eyd / den Frieden / worauf sie geschwohren / unverbrüchlich und ewig zuhalten. Der König in Franckreich setzte überdas auch noch dieses hinzu / nemlich er schwuhre der Catholischen Majestät auch eine treu- und ewige Freundschafft / worauf dieser jenen noch mehr umfassete / und näher an sich drückte.

§. VI.

De osculo reconciliationis *Sidonii* locus etiam accipi debet, quando *Epistola* XXIII. dicitur: Ex ore terribili convitium expectans, osculum excepit. *Petrus Ravennas Sermone* III. Sic pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Et *Sermone* XCIII. oscula sunt reconciliationis indicia. Dictum superiùs Dissertatione VIII. §. 3. de osculo Pacis veteris Ecclesiæ, quod quàm maximè locum in reconciliatione obtinet; Solebant quippe veteres non nisi sopitis simultatibus, qua de cunq; causa inter se obortis, ad sacram mensam accedere, & Christianæ dilectionis Synaxin celebrare. Ipsi Apostoli in primitiva Ecclesia antequam sacram Eucharistiam sumerent, sibi invicem osculum dederunt, in signum concordis susceptionis & adimpletionis admonitionum, juxta *Nicolaum de Gorran, Provincialem Ordinis Prædicatorum in Gallia, Comment. ad cap.* XVI. *Epist. ad Romanos, cap.* II. *Chrysostomus Homilia* LXXVII. *in Iohannem*: Ideò in Mysteriis invicem osculamur, ut multi unum efficiamur. Nam, ut *idem homiliâ*

homiliâ de proditione Iudæ ait, Sanctum osculum animas sociat, reconciliat mentes, & unum corpus ostendit, quia unum corpus videmur esse sortiti, & ideò miscemus nos in corpore uno, non in corporum mixtione, sed animorum charitate devincti, ut sic divinæ mensæ possimus fructibus satiari. *Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagogica V.* Ne putes osculum tale esse, quale in foro inter communes amicos esse consuevit, neq; enim hujusmodi est. Animos reconciliat & omnium injuriarum oblivionem spondet, signum ergò hoc osculum est, reconciliatos esse animos, & omnem ex iis eliminari offensarum memoriam. Osculum hoc reconciliatio est, atq; idcircò sanctum, de quo & Paulus clamabat, Salutate vos invicem osculo sancto; & Petrus, Osculo dilectionis. Scilicet ut Dionysius ait, non possunt ad unum colligi, atq; unius pacificæ unionis participes existere, qui secum ipsi dissident. Memorabile reconciliationis fraternæ exemplum effulsit in S. Platone, Abbate Monachorum S. Olympi, qui Anno DCCCXII. mortalitetem deposuit, de hujus obitu *Theodorus Studita, σύγχρονος*, imò rerum quas narrat, oculatus testis, cum multa præclara retulisset, præcipuè facilitatem in veniâ inimicis largiendâ, mirificè commendat: *sed quomodo*, ait, *sine lacrymis hujus viri finem enarrabo? Iacebat senex ille senio admodum honorato (ætatis anno undeoctogesimo) ad emigrandum animam habens paratissimam, tum verò fratrum societas circumfusa sanctarum ejus Orationum donum postulabat, quibus cum singulis benedixisset, ad sepulchrum suum videndum lætus abiit, quo viso gratias Deo egit, dicens: Hæc requies mea in seculum seculi! Post illa sanctissimus Patriarcha ad moribundum venit, & orationum ejus se participem fieri postulavit, quarum compos factus, AMPLEXUS illum fuit, eoq; omnis DISCORDIÆ suspicio remota est, cum olim tristia quædam inter ipsos accidissent. Omnes postea admonuit, pro omnibus Deum oravit, UNIVERSIS VENIAM DEDIT, qui inimicè se in ipsum gesserant, qui eum persecuti fuerant, & molestiis affecerant.* Hæc fecit divinus ille vir, Christum etiam moriens imitatus. His dictis, sonoro cantico: *Resurgent mortui tui, & qui sunt in monumentis lætabuntur? ardentiq; precenit salvus fieret, ad Dominum migravit.*

§. VII.

§. VII. Similiter apud Jureconsultos osculum inter diffidentes meliorem in partem accipitur. Quapropter celeberrimus *Cunradus Rittershusius in Novellas, pag.* 535. allegante *Christoph. Besoldo in Thesauro Practico, vocab. osculum, p.* 483. apposité pronunci „ at, signa odii, inimicitiæ & alienati animi sunt, si quis noluerit „ actum humanitatis erga aliquem exercere, v. g. Si recusat eum „ ad osculum Pacis admittere, si quidem in eo loco usitatum sit. „ Quemadmodum è contrario injuria remissa & sepulta censetur, si quis contumelia affectus adversarium extra Ecclesiam obviam sibi procedentem osculo excipere dignatur. *Iosephus Mascardus ICtus Sarzanensis, Volum.* II. *de Probationibus, conclusione* 902. *num.* 21. *fol.* 201. *facie* 2. Quandoquidem injuria non expresse tantum per pactum aut transactionem remitti intelligitur, sed etiam tacitè per omnes illos actus, ex quibus dissimulatio præsumi potest. Nulla autem certior dissimulationis præsumtio capi potest, quàm ex osculo unionis & amicitiæ Symbolo. Nisi jam injuriatus accusationem instituit, aut reum citavit, aut litem cum eo contestatus est, prout rectè limitat *Prosper Farinacius, Quæstion. Criminal.* 105. *num.* 375. tunc enim non alia quam expressa remissio tollit injuriam, nec sufficit tacita per osculum, salutationem, risum, aut similes familiaritatis actus. *Hostiensis in cap. olim.* 7. *num.* 8. *&* 10. *extr. de injur.* Malè autem amplius istud *gloss. in* §. *fin. verb. non revocaverit: Instit. de injur.* limitat eo in casu, quo injuriatus injuriam vel saltem ad animum revocavit. Læsus enim, si injuriam non statim ad animum revocat, sed dissimulat, eo ipso eam derelinquere videtur, & actionem amittit. §. *fin. Inst. l.* 2. §. 1. *ff. de injur.* Et sic osculum ad remissionem aliquid supervacaneum est. Quod si ad animum revocavit, id est, commoti aut alienati animi indicium fecit, cur non osculis aliisq; signis animi placati & reconciliati editis, injuriam condonâsse dicetur? Et ita *Viv. decisione* 330. judicatum refert de Anno MDLXXXIX. Idem de osculo pacis in fidelium congregatione valere docet *Anton. Matthai, tract. de criminibus, Tit.* IV. *de injur. cap.* 1. *num.* 15. eò quod sit fraternæ dilectionis signum.

 Ideoq;

Ideoq; judicem monet, ne eo in casu actionem det, nisi actor fortè doceat, sua lenitate atq; patientiâ nihil meliorem effectum Adversariũ. Cui tamẽ assensum dare non possumus propterea, quod omnes illi actus, ex quibus eliciendæ sunt conjecturæ condonatæ injuriæ, spontè factos esse oporteat & motu proprio. Nam si ex alia occasione fiant, præsertim ex officii aut honestatis necessitate, insufficientes ad suppeditandas ejusmodi conjecturas comũniter ab interpretibus Legum æstimantur. Qoniam igitur osculum pacis, (æq; ac cætera Christianæ charitatis Symbola) in Ecclesia denegari nequit, salvâ honestate & conscientiâ, concludendum est, injuriatum magis rancorem & odium remisisse, quam ipsam injuriam. Quemadmodum & qui sancta Cœnâ usurus, veniam offensori offert, saltem de rancore desistere, non verò de persequenda satisfactione in foro intelligitur. Conf. *Abbas in c. pacem. Olim. num. 6. vers. in gl. fi. de Tit. de injur. Aufrer. in addit. ad decis.* 233. *& volumine* III. *Conclus.* 1156. *n.* 5. *fol.* 41. *fac.* 1. *Iohan. Fab. d.* §. *fi.* ubi etiam *Angelus*, *p. c. fi. de sentent. excomm. in Clem. Aldobrand. ibidem super gloss. in verbo dissimulatione. Bartol. in l. non solum.* II. §. 1. *n.* 3. *ff. de injur. Robert. Maranta Tract. de ordine Iudicior. part.* 6. *de appellat. num.* 48. *Bajardus addit ad Clari* §. *injur. num.* 57. *Andreas Dinnerus, Antecessor Altorfinus, in conclus. & controvers. select. de Pace, conclus.* VII. *Balduinus Cas. conscient. Lib.* IV. *cap.* 17. *Casu* 4.

§. VIII. Exinde procul dubio veteres ansam arripuerunt, elegans quoddam concordiæ emblema concinnandi, per serpentes in caduceo Mercurii seinvicem osculantes, quo notabant Interpretem & Nuncium pacẽ prudenter conciliare debere, uti *Lælius Bisciola in horis suis subcisivis innuit.* Ut genuina antiquorum mens penitius penetrari queat, quorundam Scriptorum de hoc explicationes, dum sunt ad manus, congeram. *Phurnutus in Speculatione de Natura Deorum,* qui liber, *Hygini* fabulis annexus, Basileæ Anno MDLXX. *in fol.* prodiit, *pag.* 151. Angvium, *inquit,* circa virgam complexus, Caduceatoris typum gerens, innuit efferatorum ab ipso concordiam fieri, ac illum inter eos ortum dissidium indissolubili

lubili modo conjungere, siquidem per id etiam pacificum id esse apparet præconium. *Pierius Valerianus Hieroglyphicorum Lib.* XV. *cap.* XLI. *p. m.* 187. Caducei species prorsus Ægyptiaca est, quam Mercurio præcipuè veteres consecrârunt, Draconib9 duob9, mare scilicet & fœmina, parte media voluminis sui invicē in nodū, quem Herculis vocant, obligatis, quorū primæ partes reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, caudæ verò ad Caducei capulum revocantur, ornanturq; alis, ex eadem capuli parte nascentibus. Verùm si quid in longâ rerum hujusmodi indagine hariolari licet, putârim ego picturationem hanc in pacis & concordiæ significatum inde sumtam, quod Serpentis effigies plerisq; locis pro bello & odio, funestaq; alia quavis clade poni solita est. Osculum autem & Pacis & Concordiæ signum esse, negârit nemo. Quin & sacræ pietatis nostræ literæ pacis osculum identidem attestantur. Virga, ut suo loco latiùs ostenditur, tum disciplinam, tum eloquentiæ vim indicat. Si quis igitur pietate gravis & eloquentiâ potens, altercantes aggressus, nullam bello salutem esse docuerit, dubium bellorum omnium eventum dixerit, funesta perniciosaq; demum esse bella commonstrârit, & quæcunq; alia ad hujusmodi rem, pro loco, tempore, personisq; facientia excogitare & eloqui poterit, perfacilè is discordes animos in concordiam trahet, duosq; angues, hoc est, odia mutua doctrinæ suæ virgâ in unum obligabit, quibus ad osculum coeuntibus convenire animos, & ad concordiam conversos esse, meridiana luce clarius apparebit. *Lilius Gregorius Gyraldus*, *Historiæ Deorum Syntagmate* IX. *p.* 289. *Edit. Basil. in fol. Anno* MDLXXX. Κῆρυξ, id est Præco vel Caduceator, quoniam per vocem editam ea auditui assistant, quæ per orationem significantur. Hinc fit Κηρυκεῖον, id est, Caduceus. Hinc & *Caduceatores* dicti *Legati*, qui de pace mittuntur. Et Caduceus interdum invenitur pro Pacis Symbolo, in antiquis præsertim numismatibus. Plura de Caduceo *Phurnutus & Hyginus in Lyrâ*, quam (ait) Mercurius cum boves abegisse deprehensus esset, Apollini dedit, & ab eo virgulam quandā muneri accepit, quam manu tenens Mercurius, cum pro-

ficiſceretur in Arcadiam, & vidiſſet duos Dracones inter ſe conjunctos corpore alium appetere, ut qui dimicare inter ſe viderentur, virgulam inter utrumq; ſubjecit, itaq; diſceſſerunt. Quo facto eam virgulam pacis causâ dixit eſſe conſtitutam. Nonnulli etiam cum faciunt Caduceum, duos Dracones implicatos virgulâ faciunt, quod initium fuerat Mercurio pacis, unde *Martialis*:

Cyllenes cæliq; Deus, facunde Miniſter,
Aurea cui torto virga dracone nitet.

Hinc & Mercurii exemplo athletas & in reliquis ejusmodi certaminibus virgulâ uſos fuiſſe antiquos legimus. *Iſidorus* certè & ipſe ita ſcribit: Mercurius virgam tenet, quæ ſerpentes dividit, id eſt, venena, nam bellantes & diſſidentes interpretum oratione ſedantur; unde Legati Pacis Caduceatores dicti.

§. IX. *Iohannes Ferrus parte 2. Theatri Symbolorum* pingit Baſiliſcum objecto ſibi ſpeculo morientem, hoc titulo appenſo: NOXA NOCENTI. Quid innuat ille hoc ſymbolo non referat, incujusq; arbitrio relinquens hoc & alia omnia ſymbola aliis explicare. Commodè illud ſymbolum de Baſiliſco ſe necante ſuis adſpectibus explicari poteſt de homine vindicante, qui cum torvis oculis inimicum adſpicit, ille intuitus virulentus reſilit in eum lethali vulnere ſauciatum. Etenim ultionis genius ille eſt, ut appetitus ejus animam ultricem lædat antequam noceat inimico. Sicq; ultionis inſana cupido fit NOXA NOCENTI. Imò animus inquies ulciſcendi libidine gravior longè eſt ſibi, quam ſuis inimicis, quibus duntaxat inferre poteſt injuriam cute tenus, dum conficit animam ſuam lethali plaga, & plerumq; etiam corpori ſuo injurius eſt, dum appetitu vindictæ nimium exardeſcit. Non impunè hominem indulgere animo vindicanti ait *Seneca Lib.* III. *de ira* „*cap.* 26. hoc breviloquio: Maxima eſt factæ injuriæ pœna, feciſ- „ſe: nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad Supplicium „pœnitentiæ trahitur. Aurea planè ſunt quæ Emblematiſta ingenioſus *Alexander Luzon de Millares, Canonicus Regularis viridis vallis, in idea Politica veri Chriſtiani ſive arte oblivionis Iſagogica ad artem memoriæ, Bruxellis excuſ.* 1665. *fol. pag.* 104. ſubſche-

sub schemate navis cum inscriptione : *Nec trames restat*, tradit. Non debent, scribit, tantummodo celari odia aut occultari, sed omnino quoad fieri potest aboleri & extingui, ne vestigium vel indicium ullum relinquatur. Quemadmodum navis dum mare pertransiit, nullum est reperire tramitem. Indies hoc Deo promittimus recitando Orationem Dominicam: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; conditionem ponimus, & juxta eandem nobis ignosci postulamus, neque hoc tantum, sed & modum insinuare videmur, quem in remittendo proximo debita tenemus, cui si imperfectè duntaxat, & superficialiter injurias condonamus, odii, & iræ fomitem in corde retinendo, vel simulando nos intus reconciliatos, nulla tamen signa redintegratæ amicitiæ externa demonstramus, dedignando proximum alloquio, propinatione, salutatione, dum tempus & ratio similia benevolentiæ officia postulant; non est cur à DEO gratiam ullam speremus, qui dimidiatam salutem non præstat, sed integram: quantumvis enim peccatorum sordibus aliquis scateat, illum prævie dispositum per ministros suos eousque mundum reddit, ut ne vestigium quidem, indicium aut cicatrix peccatorum maneat, quod dicit per Jesaiam: *si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Ipsi omnia possibilia qui potest facere mundum de immundo, qui potest à capite ad calcem lavare æthiopem.* Integram igitur postulamus à Deo peccatorum remissionem, vulnerum medelam, & ex parte tantùm proximo volumus ignoscere; perfectam Deus & absolutam largitur abolitionem injuriarum, & nos inimicis nostris dimidiatum tantum charitatis officium impendimus? Consonet lingua menti, actus exterior interno, dicatur veraciter: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; exequamur conditionem quam pollicemur, modum, quem nobis præscribimus. Vespasianus Cæsar iniquis æquus fuit, injuriarum morsus lenivit oblivione. S. *Epiphanius Constantinensis* urbis
„ Præsul injurias beneficiis est ultus. *S. Gerardus* ex patricio Ve-
„ neto primus Hungarorum Apostolus, & Pannoniæ Martyr,
„ exemplo Protomartyris in profectione sua ad Albam Rega-

,, lem, cum à turba populi furiis iniquis agitata impeteretur, po-
,, sitis in terrâ genibus clamavit voce magna: Domine JESU
,, CHRISTE ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt. Hoc cum dixisset lanceâ percussus suaviter expiravit. Non desunt exempla, modò non desit animus ad ea imitanda. Hinc suadet *D. Ambrosius:* Ut quisque caveat motus animi sui, ipse enim sibi observandus, & circumspiciendus est. Passim tamen sine delectu sine discretione omnibus ignoscere, est vitia impunita relinquere, quod bono regimini mirum in modum repugnat. Non esse parcendum correptioni dum zelus honoris divini illud exigit præclarè Divus *Basilius apud S. Gregorium Nazianzenum* testatur; Cæteris in rebus, inquit, ô Præfecte, mansueti, & placidi sumus atque omnium abjectissimi: verum ubi Deus nobis periclitatur aut proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ & ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis potius sunt quam terrori. Quam emphaticè! in causa Dei ad instar generosi Leonis ignem spirare videtur, multum dissimilis ab illis, qui neque infirma confirmant, neque disrupta consolidant, neque depravata convertunt, dum neminem audent offendere. Nec assumunt sibi scutum inexpugnabile æquitatem, neque induunt zelum Eliæ & Mathatiæ Constantiam. Sed ubi delinquentes coercere negligunt, ipsorum sceleribus communicare videntur, & per nimiam conniventiam aliorum causam propriam facere, qui postposito omni humano respectu & affectu, muneri suo accingere se debent. Quasi enim gladio aciem, ita menti nostræ providus Creator iræ acumen imposuit, ut eo, cum oportet, utamur. Neque enim simpliciter lenitas semper est bona sed cum eam tempus efflagitat: quando vero id non adest, etiam ista vitiosa est, fitque inconstantia. Ita *Chrysostom.* Quæcunq; igitur supra allegata sunt de integra abolitione injuriarum; de privatis intelligantur. Hinc periniquum judicatur propter privatas simultates Rempublicam in discrimé adducere; quia non abutendum occasione ad explenda odia, sed potius Reipublicæ, sunt donandæ privatæ injuriæ. Quod & in Principe locum habet,

habet, quem maxime ornat Clementia, præsertim in causa quæ ad ipsius injuriam privatam attinet; in qua non audiatur illud, *Non possum diligere inimicum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum.* Nihil illo fœdius, nihil vilius, nihil insanius, nihil crudelius dici potest. Qua ratione cuiquam magis in pretio sunt vitia quam virtutes? neque enim officium probi & laudati viri est arroganter sese extollere, cæteros despiciendo. Insidiæ sunt & laquei Diaboli aliquos eousque sibi in propria complacere malitia, ut hoc modo nunquam desinat. Quosdam dicentes audivi, ait *S. Ioannes Chrysostomus*, quod nunquam ampliùs ad illum accesserunt à quo vel semel contemptui habiti sunt, quod tamen Redemptor noster honori sibi duxit. Quoties namque hunc homines conspuerunt, quoties aspernati sunt, quibus nihilominus ipse & opem ferre & subvenire non intermisit?

DISSERTATIO XVIII.

De

OSCULO SALUTARI.

SUMMARIA.

I. *Hominis varia Encomia. Ejusdem structura universi orbis Ideam exhibet. Certis familiis propter quædam πάθη diversa cognomina imposita. Tribunal Cassii.* II. *Notæ genitivæ quorundam hominum. Visus præstantia in quibusdam. Crux in nonnullorum dorso apparet: ut aquila nigra in humero. Balliolorum scientia Chirurgica.* III. *Vespasianus Imper. cæcum & alium manu ægrum restituit. Adriani Imp. & Pyrrhi Regis vis sanativa. Zvvinglii Cor igne nō absumitur. Hirpiæ super ignē ambulantes illæsæ manent.* IV. *Borellus confutatus. Vespasianus Magica arte usus. Adriano adulantur ministri. Arcanum Politicum. Pyrrhi sanatio fabulosa.* V. *Osculo lepra à nonnullis tollitur. Osculum contra balbutiē adhibitū. Potus adversus strumas. Osculum insaniæ medicina. Rudolphus Imp. Habsburgēsis puellarū osculis refocillatur.* VI. *Sympathiæ & Antipathiæ operationes. Exhalationes subtilissimæ seu Sp. è corporibus diffun-*

diffunduntur. VII. *Odore corpus propriè non nutritur. Oribasius emendatus. Aer nutrimentum præstat. Fabula de Astomis.* VIII *Ophiogenes & Psylli veneno resistunt. Puella napello nutrita Alexandro M. donata. Unde ista virtus Psyllis insit disquiritur.* IX. *Nutrix linctu infantem à periculosis variolis liberat.* Salivæ *humanæ inest occultum aliquod Alcali. Eduardi Regis Angliæ filius linctu uxoris sanitatem recepit. Hirudinum suctus tumores solvit.* X. *Spelunca serpentum in Italia varios morbos elidit.* XI. *Viperarum magnus usus in diuturnis morbis. Vinum viperinum. Carnes viperinæ vitam prolongant.* XII *Regis Galliæ tactu strumas sanant.* XIII. *Eodem charismate Reges Angliciani gaudent. Fabula de annulo contra morbum Comitialem à quibusdam Hierosolymâ venientibus Eduardo Confessori donato. Historia de utriusque Regis tactu plenariè recensita. Angelotti non præcisè semper strumâ laborantibus à Rege offeruntur. Tangendos à Rege Medici præparant.* XIV. *Strumæ origo & qualitas contagiosa. Unguentum strumis tollendis utile. Viperarum esus illas removet.* XV. *Reges Galliæ non gaudent strumas sanandi privilegio gentilitio. Quinque Regum Galliæ familiæ. Rosæ rubræ & albæ in Angliâ factiones. Elisabetha Regina Angliæ strumas tactu sanat.* XVI. *Fabula de ampulla Rhemensi scuto liliato & auriflammo sive vexillo Regum Galliæ excussæ.* XVII. *Consecratio Regis Galliæ certo loco non est alligata. B. Martinus ab Angelo sancto oleo ungitur.* XVIII. *Principia futura prænoscendi. Antonius* Abbas Arrianorum *hæresin prænunciat. Victoriæ & clades nonnullis prænotæ.* Antonii *genius sub oculis Octaviani Cæsaris ignobilis.* XIX. *Spiritus unius in alterum dominium. Majestatis & Serenitatis in vultum miri effectus.* Antiqui *Rhetores &* Sophistæ *ex temperamenti bonitate longævi. Sermo Imperatoris militum animos accendit.* XX. *Phantasiæ effectus. Quare oscitante uno & alter oscitet? Imaginatio secundum repræsentata movet, non ad extra penetrat.* XXI. *Imaginatio ægros sanitati restituit. Confidentia ægri de Medico multum valet. Aurum à Rege strumosis appensum imaginationem excitat.* XXII. *Salutatores & Impsalmatores Hispani, sanant osculo afflatu & contactu. Anselmus Parmensis Magus. Salutatores Itali pessimum genus hominum. Habent in corpore effigiem rotæ insculptam, sunt callidi Impostores.*

res. XXIII. *Salutatores de Pacto cum Dæmone suspecti. Cognati B. Pauli angues sine læsione contrectant.* XXIV. *Filii Parasceves & septimi in Flandriâ febres sanare putantur. Wilhelmus Palpator in Anglia & Valentinus Greatarixus multos tactu morbos curârunt. Primurosii Iudicium de Virtute septimi fœtus.* XXV. *Tactus naturaliter nullam sanandi vim obtinet. Maleficia à vetulis per tactum illata. Dantur tactus notabiles effectus ob antipathiam quandam.* XXVI. *Incantare quid? Empsalmus. Empsalmistæ verbis Scripturæ abutuntur. Rex* Salomon *non fuit incantator. Incantationibus morbi à veteribus sublati.* XXVII. *Sydera carminibus cœlo non deducuntur. Lunaris Eclipsis causæ olim incognitæ. Verba per se nec morbum inducere, neque tollere possunt.* XXVIII. *Rationibus firmis adstruitur.* XXIX. *Oratio Salutatorum ut blasphema & illicita à Simonio Episcopo Yprensi meritò damnatur.* XXX. *Verba & Characteres nullam habere efficaciam morbos pellendi, sed Dæmonem iis implicatum esse, demonstratur. Diabolus hominis hostis infensissimus.* XXXI. *Saliva humana adversus venenatos animalium morsus antidotum. Salutatores clibanum ardentem quandò prius in illum spuerint illæsi prorsus ingredi traduntur. Aquam sputo miscent, eique per impressionem ab imaginatione vim sanativam conciliant. Archeus idem quod calor innatus. Saliva benevolentiæ & aversionis* Subjectum & *Nuncia. Vis sanativa per ideas impressas liberis innascitur ex sententia Marci à Krohnland.*

§. I.

FOecunda Materfamilias Natura nunquam otiatur, sed suis quotidie operationibus intenta, consueta quidem tramite decurrit, haut tarò tamen novos parturit effectus, sive impedita à proposito deflectens, sive ignoto nobis consilio, non viam mutans, sed novam per ambages admirationem excitans. Conscia enim venustatis & industriæ suæ sollicitat quibus placeat, qui rimentur atque adspiciant tam pulchrum theatrum, tam compta, tam ordinata, tam varia, tam magna, tam multa, multis digna Spectatoribus. Inprimis autem in fabricando homine nulli industriæ, nullisque artificii conatibus parcit, ac in illum rerum orbe toto

diffusarum summa capita liberali manu confert. Habet enim homo esse cum rebus inanimis, vivere cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis, & præ Angelis habet sensibilē imaginē Dei; ac proinde dici potest, divini operis singulare compendiū, microcosmus, id est epitome mundi. Quæ nomenclatura ejusq; significatio eidē adeò quadrat, ut quidquid rerum universitas amplissimo suo sinu coercet, in homine tanquam in speculo quodam relucescat. Quasi Deus edito mundo instar magni voluminis, ultimò hominē condiderit, sicut indicē libri, qui breviariū est eorū omniū, quæ toto volumine fusiùs continentur. Ipsius hominis structura orbis universi ideā præfert; caput in globi modum effictum, nonne cœlū refert? cujus oculi gemini duo sunt luminaria magna, & ex cerebro humores qui defluunt, nonne imbres delineant, quibus mundi situs inferior alluitur? Anima in superiorem & inferiorē partem distincta à morali Philosophia, objicit mundum supremum & infimū. Quatuor mundi plagas habet homo; Oriens est dies natalis, sicut & Occidens est illi suprema dies. Meridies calet in adolescentia. Aquilo verò friget, annoso homine & grandævo. Quatuor humores quibus coalescit homo, affines sunt totidē elementis, quorū vis insita est unicuiq; humori: quippe ignis æstū bilis & ipsa incalescēs refert, alget pituita sicut aqua, madet sanguis velut aër, sicca est & arescit melancholia cū tellure, quę quia est siccitatis amās, ideò arida nuncupatur. Hinc varia hominū Encomia primitùs effluxerunt. *Mercur. Trism.* vocat eum miraculū magnū, animal adorandum & venerandū, Deumq; mortalem. *Pythagoras* μέτρον ἁπάντων, mensuram omnium. *Plato* θαῦμα θαυμάτων, mirabile mirabilium, *Theophrastus* Ἀντίμιμον παράδειγμα, Universi exemplar. *Synesius* Horizontem rerum corporalium & spiritualium. *Plinius* Mundi epitomen & naturæ delicias. Vetustissimus Philosophorū *Zoroaster* sui velut impos exclamat: Ω ἄνθρωπε πλημμεροτάτης ἄγαλμα τῆς φύσεως. O homo simulachrum audacissimæ naturæ. *Abdalas* interrogatus quid esset præstans in natura & dignum admiratione, respondit: Omnium rerum caput esse hominem. Atq; hæc elogia toti speciei humanæ convenire nemo forte inficias ibit. Alias autem solers natura lusum mirabilem ac jucundissimum suū exerce-

re

re,certisq; subinde familiis, imo singularibus individuis gentilitia quædam πάθη imprimere solet,quæ deinde ad hæredes transeunt. Id observarunt Historici Romani,in nonnullis familiis indigenis, quæ causa fuit cur diversa illis cognomina impōerēt. Sic Appii truces audiebāt & ambitiosi,ut autor est *Livius*.Consul ipse,*inquit*,in accusationē Appii,familiæq; superbissimæ ac crudelissimæ exors9. Sic Cassii severi & tristes dicebātur. Unde *Vulcatius Gallic*. Notū habes Cassiū hominē Cassianæ severitatis & disciplinæ. Et *Marcellin*. Imper. Julianum Judicibus Cassiis tristiorē fuisse dicit *lib*. 22. Unde tribunal olim Cassii,quod null9 ibi misericordię locus esset,scopulus reorūdictus. Rursū si semel promotos agere didicisset imaniter Lycurgos se invenisse prædicabat & Cassios. Intelligit autē sive innuit Historicus Lucium Cassiū,de quo *Cicero in Bruto*: Lucius Cassi9 multū potuit nō eloquentia,sed dicendo tamen,homo nō liberalitate,ut alii,sed ipsâ tristitiâ & severitate popularis. Valerii populares erāt,& primò Valerio Poplicolæ nomē accessit. De cassiis quod *Vulcatius* ait, Avidiū Cassium tacitè principatū odisse, accipiendū est de omnib9. Unde elegāter Clariss. *Scipio Gentilis*,illud tacite idē valere,quod natura & propagatione veluti gentis. Nā ejusdē animi C. Cassius qui Cæsarem interfecit. Et alter Cassius,quē Nero,quod sub C. Cassii imagine domi scripsisset,duci partiū. Bruti constantes dicebantur; Fabii patriæ amantes, de qua gente *Livius*: Gratū Patribus Fabiorū nomen,quamquā plebi invisū. Scipiones ambitiosi & bellicosi. Claudii superbi;undè *Tacitus* I. *Ann*. Tiberiū Neronem maturū annis,spectatū bello,sed vetere,atq; insitâ Claudiæ familiæ superbia. Asinii erāt feroces,testis iterū *Tacitus* de Gallo Asinio, invisus pridē Tiberio,tanquā ducta in matrimonium Vipsania Marci Agrippæ filia,quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plusquam civilia agitaret. Lælios passim hilares commendant Romanæ historiæ Scriptores. Hortensios plerosq; eloquentes. Unde Hortalus apud *Tacitum*,eloquentiam gentile domus Hortensiæ bonum nominat.

§. II. Alii notis genitivis tanquam Charactere externo ab aliis distinguuntur,ut ad excellentiæ intus delitescentis indagationē omniū ubiq; oculi invitentur. Memorabile quid narrat *Heliodorus l. X*. de Chariclea Hydaspis Æthiopiæ Regis filia,quā cū contra gentis indolē candidissimam pulcherrimamque pepererat,ex adspectu crebro pulcherrimæ imaginis Andromedę in cubiculo

 suspen-

suspensæ, sollicita mater, ne in suspicionem adulterii veniret, ad amicos misit, quæ post multa exilia tandem reversa, agnita fuit ex nota genitiva majorum in brachio, quæ erat, Orbiculus niger forma lapidis hebeni. Seleuco Antiochi Regis filio plurimi Scriptores notam genitivam tribuunt anchoram nauticam. *Magnus Ausonius Burdigalensis in urbibus de Antiochia*:

Illa Seleucum
Nuncupat ingenuum, cujus fuit anchora signum
Qualis inusta solet, generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Ubi ingenuum signum vocat αὐτοφυὲς sive σημεῖον σύμφυτον. Juxta *Aristotelem lib.* VII. *Hist. Animal. c.* 6. *de Poet. c.* XIV. Causa ejus signi à *Iustino lib.* XV. *Histor.* hæc assignatur: Seleuci mater Laudice, inquit, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi Duces viro, visa sibi est per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, gravidamq; factam munus concubitus à Deo annulum accepisse, in cujus gemma anchora sculpta esset, jussa donum filio, quem peperisset dare. Admirabilem fecit hunc visum & annulus, qui postera die ejusdem sculpturæ in lecto repertus est; figura etiam anchoræ in nato deinceps puero, cui Seleuco nomen, comparuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco eunti cum Alexandro M. ad Persicam militiam edocto de Origene sua, dedit. Originis ejusdẽ argumentum etiam in posteris mansit, siquidem filii, nepotesque ejus anchoram in femore, veluti notã generis naturalem habuere. Confer *Appiani Historiam Syriacam*, *Suetonius c.* 80. de Augusto Imperatore scribit: Corpore traditur maculoso dispersis per pectus atq; alvum genitivis notis, in modum & ordinem ac numerũ stellarum cœlestis ursæ. Idem Historicus *de Tiberio c.* 68. Colore erat candido, capillo pene occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur. Prægrandibus oculis, & qui, quod mirum esset, noctu etiam, & in tenebris viderent, sed ad breve: & cum primùm à somno patuissent, demum rursum hebescebant: *Ad d. Plin. Hist. Nat. lib.* XI. *c.* 37. *& Casaubon. ad Suetonii locum*. Eadem visus Præstantia se non raro exserebat in Antonio Sabellico, discipulo Pierii Valeriani, uti hic de ipso perhibet.

Philo-

Philosophi hujusce rei causam ntauralem indagantes demũ concluserunt, Spiritus animantes in cerebro fabricatos & oculis communicatos certa luce iis congenitâ, majori vel minori juxta naturam cujuscunq; dotatos fuisse, eamq; lucem connaturalem spiritibus posse accidentaliter augeri ob copiam spirituũ congregatorum. Dicunt itaq; hi Academici, Tiberii ac Sabellici Spiritus servientes potentiæ visivæ fuisse valde lucidos ac dotatos extraordinaria luce congenitâ, quæ ipsis dormientibus accidentaliter valde augebantur, eò quod tunc ad oculos hi Spiritus magno numero concurrerent, & dum adhuc ibidem hærerent, quando oculos aperiebant, foras erumpebant, & ac si essent faces, conclave irradiabant alias tenebrosum, ita ut omnia clarè in eo conspicere liceret. *Marius Bignoni Venetus in Quadragesimali Dominica* V. *pag.* 256. *Valerius Maximus Libro* I. *cap.* 8. narrat Lyncæum oculos tanta videndi acie præditos obtinuisse, ut à promontorio Siciliæ Lilybeo, naves è portu Carthaginensium prodeuntes videret. *Iulius Solinus in Polyhistore cap.* VI. Visiu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem superspexisse per centum XXXV. millia passuum, *Varro* significat, solitumq; exeuntem à Carthagine classem Punicam, numerumq; navium manifestissimè è Lilybitana specula denotare. In nomine tantum à *Valerio Maximo* varians *Felix Fabri Histor. suevor. Lib.* I. *cap.* 9. *&* 4. Audivi, *inquit*, à juventute, & hodie vulgus dicit, & fama publica est, quamvis scriptum non invenerim, quod Comites de Habsburg ab utero matris suæ crucem auream in dorso habeant, hoc est, pilos candidos & mirum in modum crucis protractos. Aliud affert *Abraham Bucholzerus in Chronologiâ*, scribens: Johannes Fridericus Elector Saxoniæ, Johannis filius in lucem editus trigesimo die Junii Anno MDIII. futuri sui fati omen ex alvo materno secum tulit: Nam ut ex hominum fide dignorum sermonibus accepi, nascenti visa est in dorso crux aureo colore fulgens, quam ubi conspexit à matronis aulicis accersitus Sacerdos, vir pius & admodum senex, pro omine hoc arripiens, hic puer, inquit, crucem gestabit toto orbe conspicuam, cujus indicium tam manifestum in ipsius ortu

us ortu sese exerit. Ejus rei initium quoddam hoc fuit, quod mater Sophia die post partum duodecimo extincta est. Nonnullos à natura Aquilâ nigrâ in humero ornari meminit *Felix Malleolus Canonicus Tigurinus, cap. 26. de Nobilitate.* Videatur quoq; *Alexander ab Alexandro Genial. dier. Lib.* II. *cap.* 19. *Andreas Tiraquellus, ICtus, cap.* 36. *de Nobilitate.* Balliolorum familia insigni divinæ providentiæ beneficiô ossa, seu prolapsu, seu violentiâ, seu ictu fracta, aut laxata, nervosq; contusos vel quovis modo sede sua amotos, vi tacitâ sanare, & in pristinum vigorem roburq; restituere in more positum habet, ut refert *Scævola Sammarthan. Elog. lib.* V. *pag.* 155. *in Elog. Nicol. Balliol.* Balliolos enim ad chirurgiam quasi natos accurata ejusdem scientiâ manuumq; agilitate & dexteritate cœteris in curandi methodo palmam præripere, ex iis, quæ dictus Familiæ Præco loc. cit. subjungit, colligere licet. Causam ejusmodi notarum investigare perquam difficile est. Qui ad vim imaginatricem referunt, quomodo solide defendant, ipsi viderint.

§. III. Sunt & alia signa συγγενικὰ sive gentilitia, quibus illustres familiæ vel prærogativa aliquâ, vel alia singulari notâ dignoscuntur. Tali Prærogativa ornatus erat T. Flavius Vespasianus Imperator, quem cœcis visum restituisse memorat *Tacitus*, *Histor. Lib.* IV. circa finem. „Per eos menses quibus Vespasianus Alexandriæ „statos æstivis flatibus, dies & certa maris, opperiebatur, multa „miracula evenêre, quibus cœlestis favor & quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrinâ quidam, oculorũ tabe notus, ad genua ejus advolvitur, remedium cœcitatis exposcens gemitu, monitu Serapis Dei, „quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabaturq; „Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere „oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut „pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primò „irridere, aspernari, atq; illis instantibus, modo famam vanitatis „metuere, modo obsecratione ipsorum & vocibus adulantium „in spem induci, postremò æstimari à Medicis jubet, an talis cœcitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici variè

differere.

differere. Huic non exesam vim luminis, & redituram, si pelle-„ rentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis ad-„ bibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Diis, & divino Mi-„ nisterio Principem electum. Deniq; patrati remedii gloriam, pe-„ nes Cæsarem: irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespa-„ sianus cuncta fortunæ suæ parere ratus, nec quidquam ultra in-„ credibile, læto ipse vultu, erecta quæ adstabat multitudine jussa,„ exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cœco reluxit di-„ es. Eadem reperias in *Dione*, eadem item, quà de cœco, proponit. *Suetonius*, quà de manco dissentit, debilem crure fuisse scribens. Tandē *Tacitus* ita concludit: Utrumq; qui interfuere nunc quoq; memorant, postquam nullum mendacio pretium. Simile quid *Aelius Spartianus in Adriani vita cap.* XXV. memoriæ prodidit inquiens: Ea tempestate supervenit quædam mulier quæ diceret somnio se monitam, ut insinuaret Adriano ne se occideret quod esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cœcatam. Jussam tamen iterum Adriano eadem diceret, atq; genua ejus oscularetur, receptura visum si id fecisset. Quod quum insomnium implesset, oculos recepit, quum aqua quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannoniâ quidam natus cœcus ad febrientem Adrianum, eumq; contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit. De Pyrrho Epirotarum Rege scribit *Plutarchus in vita ejus p.m.* 384. *Tomo* I. *Oper.* Lieno laborantibus salutem adferre credebatur, si Gallū album mactans supinatis illis, dextro pede leviter splenem premeret, neq; fuit quisquam ita pauper, vel vilis, cui rogatus eam medicinam facere dedignaretur. Gallum ipse Pyrrhus accipiebat atq; imolabat, isq; ei honor erat gratissimus. Et ferunt pedis ejus pollicem vim divinam habuisse, atq; etiam cremato post mortem corpore hunc illæsum intactumq; ab igne fuisse repertum, nec ætate contabuisse. Non ignobili ad Patrum nostrorum ætatem exemplo, quæ Hulderici Zvvinglii cor cadavere flamis ab hostibus tradito, exuri non potuisse vidit & memoriæ tradidit, teste *Melchiore Adamo in vitis Theologorum* superioris seculi *p.m.* 37. *Edit. Heidelberg. in* 8. *Anno* 1620.

Haud

Haud procul ab Urbe Româ in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur. *Plinius Lib.* VII. *Hiſt. Nat. cap.* 2. *Lib.* XXVIII. *cap.* 4. *Alexander ab Alexandro Lib.* VII. *cap.* 2. *Solinus in Polyhiſt. cap.* VIII.

§. IV. *Petrus Borellus cent.* 2. *obſerv. & curat. Medico-Phyſ.* 90. hæc quæ de Pyrrho, Veſpaſiano & Adriano ſunt relata, naturali quadam virtute facta eſſe, eademq; nonnullos homines, quosdam morbos præſentia & tactu ſuo curare poſſe ſcribit, quod plantæ, vel mineralis vires ab ortu nonnulli poſſideant, & contrà alii venenatis ſuis qualitatibus teneros pueros, agnos pullosq; recens natos interficiant. Sed revera hoc abſonum eſt, nulloq; nititur fundamento. Per illa enim Serapidis & ſomniorum monita pellucent fraudes Sathanæ, miraculorum verè divinorum gloriæ, qua Eccleſia Chriſti illâ tempeſtate fulgebat, præſtigiis ſuis inſidiantis. Quod ſi hiſtoriam conſulamus, nondum hac de re ita liquidò videtur conſtare. Sanè ſi quid conjecturis licet indulgere, Veſpaſiani illud magicâ arte factum ſit veroſimile, & quidem operâ magi famoſiſſimi, Apollonii Thyanei; fuit enim hic Veſpaſiano amicitiâ conjunctiſſimus, iisdemque, quibus hæc acta, diebus, Alexandriæ fuit, uti *Philoſtratus in vitâ* ipſius *Thyanei* docet. Quinimò dum hoc Dæmon ex oraculo Serapidis denunciavit, ut oris excremento cœcum ſanaret, omnino, ſibi ſolitâ κακοζηλίᾳ, Chriſtum imitari voluit, quem ſputo medicinam feciſſe, in ſacrâ hiſtoriâ legimus. Adriani vero factum ſimulatum tantum à miniſtris fuit, ut eum à deſiderio mortis removerent, *Mario Maximo apud Spartianum l. c.* aſſerente. Confer. *Salmaſii & Caſauboni notas ad eundem locum.* Nec fortaſſis temerè quis arcanum dominationis hic latere ſuſpicetur, cum enim ſciant Principes, majeſtatis Imperii ſalutis eſſe tutelam, ut *Curtius*, magisq; famâ, quam vi ſtare res ſuas, ut *Tacitus* loquitur, id unice agunt, ut ſe pluris eſſe quam alios quosvis, populo perſuadeant: regiumque faſtigium divino eſſe proximum, & cognatam cœlo imperatoriam majeſtatem:

ſtatem: cui fini obtinendo talia miracula, ut ita loquar, forte in medium ſparſa. Neque diſſimulat *Tacitus*, etſi hiſtoriam veram credat, feciſſe hoc Veſpaſianum, inductum vocibus adulantium & ut cuncta fortunæ ſuæ patere oſtenderet. *Conringius Exercitat. Philologico-Medica de Incubatione in Fanis Deorum theſi* XLIII. Exemplum Pyrrhi ſuſpectum reddunt verba *tradi* & *putari*, quibus in illius recitatione *Plinius* & *Plutarchus* utuntur. *Voſſius lib. 3. Idol. cap. 17. p. m.* 804. pro figmento habet eorum, qui adulabantur Regi; vel ſi qui verè liberati ſunt morbo, proveniſſe hoc putat ab ingenti fiduciâ, quam in Pyrrho reponerent. *Idem lib.* VIII. *de Phyſiologiâ Chriſtianâ cap.* 12. utcumq; eſt, inquit, plane cenſeo à Pyrrhi adulatoribus fucum eſſe factũ ſimplicioribus: & ſi quando verè ab eo ſplenetici ſanitati reſtituerentur, præcipuam fuiſſe cauſſam opinionem de Pyrrho conceptam. Splenetici enim abundant humore melancholico, quem lætitia de ſanitate recipienda diſcutiebat pellebatque. *Delrio Diſq. Mag. lib.* I. *cap.* 3. *Quæſt.* 4. cum *Anton. Mirandulano* mendaciis incredibilibus vel potius dæmoniacis hoc annumerandum eſſe cenſet. Graviora ſunt lienis mala, quam ut ſolo contactu citra agentis naturæ ſuperioris concurſum ſanari queant. Neque ea temperamenti reperitur in ullo excellentia, ut graves lienis affectus, vel cruris debilitatem brevi, ſolo contactu, domare queat. Tametſi inſolitus quidam ſtatus oriatur in temperamento, cui facultas ejusmodi deberi judicetur: tamen niſi longa & aſſidua illius perduret actio, quæ cauſam morbi removeat, & lentam alterationem promoveat, ſalus nulla erit, ait *Biermannus de Magic. Action.* §. 63. A toto corpore ſi pedis pollex vel calx iſtam medendi facultatem obtinuit, non ſolus pollex in iſto exemplo, & in hoc calx, ſed & reliquas totius partes eâdem inſtructas fuiſſe facultate fatendum erit. Unde autem ſpeciale illud, quo ſolum pollicem vel calcem natura donavit, provenerit, nemo dicere audebit. Cœlitùs vero pagani Regis pollici, & Imperatoris calci ſputoque eam ſanandi conceſſam eſſe poteſtatem, qui aſſerit, unde argumentum oſtendat, non habebit. Durum fortè fuerit dicere Deum verum prædicta dia-

bolo sub specie falsorum numinum sua virtute voluisse affirmare, ita *Bœclerus Differt. in Sueton. pag.* 136. Cujus ergò pretii sit illa ab Ægyptiorum Deastro, Serapidem puto, commendata per quietem medicina, facilè jam constat, ejusdem scilicet, cujus omnia sunt Magorum vel Dæmonis remedia. *Tertullianus in Apologetic. cap.* 22. credibile esse, non malè suspicatur, totum illum morbum fuisse à Diabolo, qui insidens in oculo unius, & alterius tibiâ impediebat usum eorum membrorum, idq; eo fine, ut videretur sanare, cum desineret nocere. Hirpios quod attinet *Servius* auctor est ad hos *Virgilii lib.* II. *Aeneidos versus*.

Summe Deûm sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus vestigia prunâ.

Quod operatione alicujus medicamenti vim ignis absq; læsione superent, veluti hæc verba innuunt. *Varro* ubique expugnator religionis, ait, quum quoddam medicamentũ describeret, ut solent Hirpini, qui ambulaturi per ignes medicamento plantas tingunt.

§. V. Sed ad oscula salutifera tandem descendendum est. Sanè lepram sanatã esse osculo à Severino Abbate prodidit *Surius Tom. I. sanctor.* Dum Lutetiam perveniens, inquit, in ipsâ urbis portâ leprosum conspicit valde miserum, & omni consolatione destitutũ. Eum igitur ad se vocat, osculatusq; peramanter dicit illi: quid tibi vis præstari, mi fili: simulq; sputo eum liniens, & Dominum invocans, lepram prorsus ab illo expulit. Obvio Elephantiaco homini cum osculũ obtulisset, extemplò pristinæ sanitati restituit. Gemina his de quibusdam Pontificibus Romanis narrat *Platina* p. m. 68. Deus dedit patriâ Romanus, Patre Stephano Subdiacono, Pontificatum omnium suffragiis adeptus, clerum mirum in modum dilexit & auxit, ferunt quidam hunc tantæ sanctitatis fuisse, ut quendã obvium Elephantiæ morbo laborantem osculo suo lepra statim liberaverit. Et *pag.* 76. Agatho primus, Natione Siculus, patre Romano, Anno Domin DCCII. ex Monacho Pontifex creatur, vir certæ sanctitatis, ut leprosum obvium factum osculo suo statim liberaverit. Principis de Habsburg osculum facultatem balbutientibus promptè & expeditè loquendi potuisse conferre creditur.

Felix.

Felix Faber Monachus Vlmensis una cum aliis Historicis rerum Suevicarum à *Melchiore Goldasto* editus, *Historiæ Suevicæ Libro primo, cap.* XV. *p.* 175. [legimus, *inquit*, in Chronicis Comitum de Habsburg, quod tantum donum gratis datum habeant, ut quicunq; strumosus, aut gutture globosus, de manu alicujus Comitis de Habsburg potum acceperit, mox sanũ, aptum & gracile guttur reportabit, quod sæpè visum est in valle Albrechtstaal in Allatiâ superiori, in qua sunt homines strumosi naturaliter, qui passim prædicto modo sanabantur, dum vallis adhuc esset illorũ Comitum vel Austriæ Ducum. Insuper notorium est, & sœpè probatum, quod dum quis balbutiens est, vel impeditioris linguæ, si ab uno Principe de præmissis sine alio quocunq; suffragio osculum acceperit, officium loquendi disertissimè ætati suæ congruum mox potenter accipiat.] Hæc ille. Osculo cujusdam insaniam sanavit Sanctus Romualdus, ut refert in ejus vitâ *Petrus Damianus c.* 54. Porrò salutarẽ ex osculo medicinam satis feliciter recepisse Rudolphum I. Imperatorem Habsburgicæ familiæ *Iohannes Cuspinianus in vita hujus Herois pag.* 442. scriptum reliquit. [Senio confectus Imperator febri hecticâ laboravit, propterea solitus fuit procerum uxores & filias sœpè ad mensam accersere, & præsentibus maritis osculari, dicens: se non posse præsentius invenire remedium, quo corpus suum vegetius redderet, quàm animas virginũ dulces & suaveolentes Spiritus ex ore puellarum haurire; quousq; adeò proceres ad risum comoti, ut sœpius uxores suas illi adducerent, ut Spiritus inde exsugeret, quas citra inhonestatẽ honorificè tractavit.] Didicerat forte hoc remedium à Rege Israelitarum Davide septuagenario, qui cum simili frigore torperet nec pellibus opertus incalesceret, medicorum consilio persuasus in spectati decoris puellæ Sunamitis Abisai castis amplexibus dormivit, quo ex ejus calore stomachi robur foveretur 1. *Regum. cap.* I. *vers.* 2.

§. VI. Quod quidem nemini mirũ aut peregrinum videbitur, qui modo secũ pensitaverit, è corporibus omnibus certa humorum temperie constantibus, insensiles quasdam & subtilissimas exhalationes diffundi, quæ dum aliud corpus in actionis suæ sphæra attingunt, miram habent alterandi facultatẽ & potentiam,

ut tum in magnete, tum in aliis multis patet. Atq; adeò ejusmodo effluvia sunt quasi esca, qua alliciuntur plures res naturales ad unionem & amicitiam, ut loquitur *Athanasius Kircherus lib.* III. *de Magnete part.* VI. *cap.* I. *p. m.* 517. Hoc idem contingit in humanis corporibus. Unde inter homines vivos & ignotos vel ad primum subinde occursum aut conversationem tanta oritur aversio, ut se mutuò tolerare nequeant, nec ullis motivis aut artibus inter se conciliari possint; econtrariò autem alii, etiam ejusdem sexus licet alioquin turpissimi ad primum mox conspectum tanto exardescunt amore mutuo, ut à se invicem avelli non posse videantur. Sic Cæsar convictus amavit Marium, Damon Pythiam, Orestes Pyladem, Esau odio habuit Jacobum, Etheocles Polinicem, lupum ovis, elephas Rhinocerotem, Crocodilus Ichneumonem. Tinnunculus accipitres terret, leonem gallus, torpedo simiam, aquila draconem, felis murum, cornix noctuam, milvus pullum; sic concordes reddidit natura pavones & columbas, turtures & Psittacos, merulas & turdos, hircos & equos, oves & capras, balenam & hegeterum; & inter stirpes, vitem & ulmum, rutam & oleam, myrtum & laurum. Sycilla occidit reliquas plantas, olea & quercus viciniam renuunt, vitis & brassica, felis & arundo, nux & quercus. Quod certè non propter solam imaginationem contingit, sed propter Physicam quandam qualitatum convenientiam aut contrarietatẽ, quã *Antipathiam* & *Sympathiam* nominant. Acutissimus *Kircherus* utrumq; in vulgari non autem stricto sensu aut rigore Philosophico vocat magnetismum rerum, per quandã analogiam ad magneticã vim operationesq; magnetis, quem scimus ab uno latere interdum ferrum attrahere, ab altero repellere, qui tunc Theamedes dicitur, teste *Iul. Cæs. Scaligero exercitat. subtil. contra Cardanum* CXXXI. *Vid. Sylvester Rattray in Theatro Sympatheticopag.* 58. *& Ludov. Forgius Tomo* II. *part.* I. *Ephemerid. Erudit.* XVIII. *p. m.* 207. Omnia in rerum universitate habent aliquid quod timeant & horreant tanquam inimicum & destructivum, & vicissim quidpiam quod ament, & sequantur, tanquam lætificans, confortans & cõservans, ait *Cornelius Agrippa Philosophia occulta L.* I. *c.* 17. *&* 18. Sympathetici effectus sunt duplicis generis. quidam

quidam fiunt interventione vel simplicis, vel reciprocæ actionis unius in alterum, ut est magnetis in ferrum, Solis in Heliotropium, Lunæ in cerebrum animalium, aliaq; humida quibus dominantur: Alii fiunt sine interventione talis actionis, ut cum in homine locomotiva potentia operatur ad voluntatis imperium, quamvis hæc in illũ nihil agat. Idem dicendum de Antipatheticis effectibus. Ex his sequitur, Sympatheticos oriri ex naturarũ peculiari cognatione, ob quam res naturales amico affectu seu amore inter se afficiuntur, ita ut una hoc aut illud agente vel patiente, vel solùm etiam præsente, altera quoq; aliquid agat vel patiatur, sive deinde in se mutuò agant, sive non: Antipatheticos verò effectus oriri ex inimicâ affectione unius rei ad alteram. Amica illa affectio nihil aliud est, quam inclinatio quædam naturalis rei in aliam rem tanquam suum bonum, oriturq; ex proprio cujusq; rei temperamento. Inimica verò affectio est naturalis quædam aversio rei ab alia re tanquam sibi noxia, & similiter ex proprio cujusque temperamento profluit. Etsi non in formis substantialibus quædam similitudo vel dissimilitudo rerum inter se, est saltem in temperamento & qualitatibus seu manifestis, seu occultis & nos latentibus, quæ à nobis non percipitur in se, sed solum ex effectu nobis innotescit, ut vis magnetis; vel certè emissione tenuiorum quarundam exhalationum, quas effundi à multis corporibus certũ est, ut patet in rebus odoriferis, fructibus, corpore luminoso, colorato, aceto, vino &c. quæ ideò etiam diuturnitate temporis marcescunt, nisi arctè claudantur. Diffusio istarum qualitatum & exhalationum fit sphæricè & uniformiter difformiter, instar radiorum luminosi corporis. Ipsæ autem qualitates aut partes tenuiores diffusæ vocantur communiter Spiritus propter subtilitatẽ & imperceptibilitatẽ à sensib9.

§. VII. Cæterum quod laudatissimus Imperator Rudolphus §. V. antecedenti à spiritibus, quos ex ore suavium puellarum haurire consueverat, corpus suum debile vegitius reddi affirmavit, à Verô non est dissentaneum. Quia amplexus adolescentium boni anhelitus est medicina temperata juxta Medicos. Imo dulcem odorem non tantum reficiendi sed etiam nutriendi vim habere, olim credidit *Hippocrates 6. Epid.* ubi odores in exhalatione fundatos nos

implere testatur. Quem locum explicans *Iohannes Alexandrinus*, ex quorundam relatione affirmat, Democritum Abderitanum Philosophum mellis odore vitam quatriduo sustentasse, vel, ut quidam alii dixêre, panis calentis odore. Cujus rei quoq; testis est *Oribasius p.affec.com*.12. inquiens: Philosophum quendam ad mellis odorem per quadraginta, dies vixisse, ubi tamen loco quatuor appositum quadraginta typographorum incuriâ, cum ex *Diogenis Laertii lib*. IX. *& Athenæi* II. habeamus, Democritum nonum & centesimum agentem annum, cum jam ex senio deficeret, & morti propinquus esset, mærentē sororē quod ille in celebritate Cereris moriturꝰ ipsa vota salvare nequiret, bono animo esse jussit, panesq; calidos sibi quotidie afferre, eos igitur cum naribus admovisset, vivum se, dum ea celebritas transiret, servavit, ubi autem dies illi transierunt, (tres verò erant) quietissimè ac minimo dolore obiit vitam, quod exemplum *Hippocrates Libro de Alimento* recensens, ait, non solum spiritus, sed & solidiora membra odoribus nutriri. Et *n.6*. subdit: qui celeri adjectione opus habent, iis humidum nutrimentum ad reparandas vires aptissimum est; qui autē adhuc celeriori, per odoratum nutriri debent. *D. Caspar Bravo de Sobre monte. Ramirez Tomo* I. *Resolution. Medicar*. V. *p.m*.150. *Edit. Colon. Agrippin. in* 4. *Anno* 1674. Et substantiæ, inquit, odorificæ aliquas suæ substantiæ partes tenues valent emittere, quæ in chylum à ventriculo mutatæ, materiam præbent pro nutritione, vel quæ ad cor, vel cerebrum delatæ materiam præbent pro Spirituum generatione. Eandem sententiam defendit *Hippocrates lib. de sens & iis quæ sentiuntur. Andreas Cæsalpinus l*. I. *de Medic. facult. c*.14. aliiq; apud *Zacutum Lusitanum de Medicorum Principum historia l*. I. *Hist*. IX. *quæst*. 8. *seqq. Conf. Francisci Baconis de Verulamio Sylvam Sylvarum centur*. X. *n*.934. Non sum nescius *Aristotelem* contrariam sententiam tueri, *lib*. II. *de sensu & sensili c*.5. circa finem, quia scilicet qualitas aut accidens, ut odor, substantiæ corporis apponi nequit, nec illā instaurare valet, ideoq; nec principium nec pars ejusdem esse potest. Vid. *Zabarella lib. de constit. Individ. c*.4. Imo ut *Scaliger Exercit*. 303. *Sect*. I. habet, ne corpꝰ quidem alitur odoratis, quatenus

nus odorata sunt, quandò quod admirabilius est, ne sapidis quidem quatenus sapida sunt, sed quatenus substãtia transmutabilis in substantiam corporis, quod nutriri debet. Quandò autem dicitur odoratis nutriri spiritus animales, respondent Aristotelici negativè, quoniã nil nisi vivens nutritur, *Arist. l. 2. de Animâ c.* 4. Jã autem Spirit9 nec vivunt, nec sunt animati, teste *Fernelio l. 2. Physiol. c.* 2. Ergò illa nutritio tantum est metaphorica & impropria, qua Spir. unicè recreantur & refocillantur. Cõf. *Scal. Exerc.* 103. *sect.* 17. & 146. *sect.* 2. 107. *sect.* 15. Quomodo aër condensatus põderari & nutrimentũ præstare possit, docuit *Verulamius Heros sylv. sylvar. cent.* 1. *n.* 29. De Astomis narrat ex *Onesicrito Strabo Geogr. l.* 16. & *Plin. l.* 7. *c.* 2. illos cũ sine ore sint, halitu tantum vivere, & odore quẽ narib9 trahunt: etsi id alia ratione fiat, si ingeniosum ratiocinium admittimus, quod vid. ap. *Marsil. Ficinum l.* II. *de triplici vitâ c.* 18. Quod si est, quid vetat vaporibus tantum ali, cum simile simili nutriatur? At vero de Astomis fabella est; autoritas autem *Onesicriti* parvi valoris. Nam imprimis quidem *Daimachus*, & *Megasthenes*, sed post eos *Onesicritus*, & *Nearchus*, multa sunt de Indis mentiti: ut *Strabo* ipse agnoscit *lib.* I. Democritus verò non tam odore est nutritus, quam imbecilles cerebri Spiritus odorato halitu ad breve fovit, & firmavit. *Vossius Idololatriæ l.* III. *c.* 30. *Kircherus de Peste cap.* LIII.

§. VIII. Longè mirabiliorem effectum lingua hominis sugendo & lambendo periculosis in morbis operatur. Tradit enim *Plinius Lib.* VII. *Hist. Nat. cap.* II. in Hellesponto circa Parium, genus hominum fuisse Ophiogenes vocatos, serpentum ictûs contactu levare solitos, & manu impositâ venena extrahere è corpore. Psyllos vi naturali venenis resistendi præditos esse, imò illa exsugere multi veterum memorant. *Plutarchus in Vitâ Catonis minoris; Tomo* I. *Oper. p.* 787. *Solinus Polyhist. cap.* XL. *num.* DXCI. *Strabo Geographiæ Lib.* XVII. *Suetonius in Augusto cap.* XVII. *Aelianus Lib.* XVI. *de Historiâ Animalium cap.* XXVII. & XXVIII. ex *Calliæ* Monumentis recenset, morsu Cerastris serpentis pestiferi, à quo non bestiæ tantum, sed & homines intereunt, nihil æque succurrere posse, ac Lybicum natione Psyllum. Hic namq; (ut ille ait) initio

plagam

plagam salivâ fovebat atq; curabat, deinde malo increscente multam intra dentes aquam hauriens, eaque os suum colluens ejectam in poculum vulnerato absorbendam tradebat. Quod si forte veneni acerbitas invalesceret acriùs, nudus ipse nudo ægrotanti accubans, proprio suo corpore morbi vim ita debilitabat atque frangebat, ut totum hominem liberaret. *Codronchius Libro* II.*cap.*IV. negat tales affectiones à natura innasci, sed aut divina virtute communicari, aut industria acquiri, vel Dæmonum auxilio exerceri. At verò ejusmodi per industriam aut consuetudinem introducta affectio naturalis alterique exitiosa esse potest, ut exemplo patet illius formosissimæ puellæ, quam Napello veneno præsentissimo, nutritam Rex Indorum Alexandro M. dolo muneri dedit; à quâ cum Rex ipse Aristotelis sagaci prudentiâ abstineret, alii virginis proci commercio ejus intoxicati obierunt, teste *Averroe in Proœm.*III.*Phys. & Galen.*III. *de Nat. Simpl.* Proinde non est impossibile quibusdam talem virtutem ingenerari. Vid. *Baldus Angelus Abbatius de Viperâ cap.*XXXIII. Si autem ingenitum est ex mente Plinii virus illud, ad Dæmonis præstigias *Delrio Lib.*I. *Disquisit. Mag. cap.*3. frustra recurrit. *Cornelius Celsus*,
„ causam quod Psylli innoxii tractent serpentes, ex fiducia longo usu confirmatâ deducit. Locus *Libro* V. *cap.* XXVI. habe-
„ tur, ubi adversus serpentium morsûs præscribit ut cucurbitulis
„ venenum educamus, prius verò scalpello incidamus, circa vul-
„ nus, quo plus vitiati sanguinis extrahatur. Si cucurbitula non
„ sit, adhibere jubet vas quodlibet, quod usum similem præstet.
„ Hinc ista subjungit: Si id ne quidem est, homo adhibendus est,
„ qui vulnus exsugat. Neque Hercule scientiam præcipuam ha-
„ bent hi, qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirma-
„ tam. Nam venenum serpentis, ut quædam etiam venatoria ve-
„ nena, quibus Galli præcipuè utuntur, non gustu, sed in vulnere
„ nocet. Ideo colubra ipsa tutò estur, ictus ejus occidit: & si stu-
„ pente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faci-
„ unt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in eâ
„ salivâ noxa est. Ergò quisquis exemplum Psylli secutus id vul-
nus

nus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. *Vossius Lib. IV. Idololatriæ cap. LXI.* ingenitum virus, salivam Psyllorum fuisse censet. Quia *Plinius* loco citato ait: omnibus contra serpentes inest venenum, feruntque ictu salivæ, ut ferventis aquæ contactu, fugere. *Levinus Lemnius de occult. Naturæ Mirac. Lib. 2. cap. 44.* venenum illud partim à dentium sordibus & uligine, partim ex humoribus vitiosis salivam consequi existimat. Cum autem omnibus hominibus à naturâ saliva insit, nec tamen similis in toto corpore alexipharmaca virtus ut in Psyllis facilè deprehendatur, sanè aliud quàm saliva principium indagandum erit. Inde *Vossius* non sine applausu conjicit tanquam vero maximè consentaneum, Psyllos, quoniam inter serpentes degerent, à primis incunabulis, quasi cum lacte à matribus, quò tutiores essent, remedia quædam non adeò vulgaria esse edoctos: neque ista alienigenis aperuisse, partim ne minus iis essent admirationi, partim etiam ne minus ex illis caperent lucri. Ac credibile est, nec alibi remedia fuisse tam præsentia, quia ubi locorum abundarent serpentes, iisdem præcipuè remedia venenis Deus produxit. Hinc *Lucanus* de iisdem canit *Pharsalic. Lib. IX.*

- - - - - Gens unica terras
Incolit à sævo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis,
Ipse cruor tutus: nullumque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. Natura locorum
Jussit ut immunes misti serpentibus essent.

Conferatur *Marius Bignoni in Quadragesimali Domin. 4. p. 214.*

§. IX. De linctu nutricis Variolas infantis curante, vir summæ experientiæ copiâ nobilissimus, *D. Thomas Bartholinus, Histor. Anatomic. Centur. 1. n. 29.* testatur his verbis: Linguæ humanæ & salivæ insolitum usum non ita pridem muliercula propalavit. Occupaverant variolæ Epidemicæ universam faciem tenelli filii Pl. Reverendi & Clarissimi in urbe nostra viri, & oculis minitaban-

tur exitium. Frustra aliis tentatis nutrix dolore infantis commota & commiseratione lingua propriâ oculos pueri lingebat, sicq; reseratis oculis, absterlaque sanie convaluit infans morti antea relictus. Ex quo colligendum, salivæ humanæ occultum aliquod Alcali, ejusque abstersivam vim ægroto medelam attulisse, non tamen absq; impressione amoris, quem linctus ille nutricis expressit, ejusque interventus curationis maximam partem absolvit. Juvat addere aliud fidem fermè excedens maritalis affectus mirabilisque curationis in Eduardo Anglo observatæ exemplum, quod *Rodericus Santius Part. 1. Histor. Hispan. cap. IV. pag. 292.* literis mandavit posteritatique seriò pensitandum reliquit: Cum, inquit, Eduardi Regis Angliæ primogenitus ad Domini sepulchrũ transfretâsset, fuissetque in viâ proditoriè à Mauro quodam gladio venenato percussus, Medicorumq; remediis non tam allevaretur, quàm alligaretur, tandem in Angliam sine salutis spe reversus est. Ejus igitur uxor, Regis Hispaniæ filia, novam atq; inauditam, sed amore & pietate plenam adhibuit medicinam; plagas enim mariti toxico infectas, quæ veneni vi claudi non poterant, linguâ dietim lingebat humorem venenosum, ut liquorem dulcissimum, cujus vigore, veriùs dicam fidei uxoriæ virtute, sic omnem materiem veneni attraxit, ut integratis coalitisque vulnerum cicatricibus, ille planè curatus fuerit, ipsa incolumi etiam manente. Quid hujus mulieris fide rarius? quid mirabilius audiri potest? ut uxoris lingua fide & dilectione maritali peruncta, venena à dilecto marito expulerit, quæ ab electo Medico trahi non voluerunt, & quod plurima exquisitaque non effecerunt medicamenta, una uxoris pietas explevit. Quomodo linguæ humanæ portentosus tumor hirudinum suctu curatus, & æger à periculo summo evaserit immunis, apud *Zacutum Lusitanum de Praxi Medica admirandâ Lib. I. Observatione LXXX. pag. 19. Tomo II. Operum, Edit. Lugdunens. in fol. Anno* MDCXLIX. legere potes.

§. X. Quidsi autem serpentes mediante suctione remedium morborum subministrent? Auditu quidem horrendum, propter innatam cum homine antipathiam, sed tamen verum, fidem enim facit modò laudatus Danorum medicus *Histor. Anatom. centur. II. n. 47. p. m. 145.* ita disserens: Spelunca serpentum ad oppidum Bracciani, vulgò Il Sasso dictum XII. Leucis Roma distat,

mil-

multorum narrationibus nobilis. Hanc ingressi morbis frigidis detenti, Paralysi, leprâ, arthritide, lue venerea, Hydrope, tumoribus doloribusque aliis vexati feliciter persanantur. Nudus æger humi se sternit nulloque vitæ indicio dato tam diu quietus cubat, donec ex suis antris hinc inde prodeant serpentes. Hi hominem arctissimè amplectuntur, corpore undique circumducto, sudorem proliciunt, lingunt & absorbent, donec omnem ex corpore ægro malignitatem exsuxerint. Cavendum verò sedulò, ne motus ullo indicio se prodat æger alioquin serpentes nec ex antris serpunt, nec si advenerint, diu morantur. Hinc quo quietiores morbi curationem exspectent, nonnulli Opium assumunt, quo remedio etiam timori suo consulunt. Ingrediuntur speluncam rustici mercede à viatoribus conducti simulantes morbum, qui referunt primò ex antris prodire Regem quendam serpentum, coronâ insignitum, omnia exploraturum, qui si quieta cuncta invenerit, convocat evocatque reliquos. Domuncula colli imminet, ubi caveæ binæ XI. pedes longæ, quinque latæ. In parietibus speluncæ nomina ægrotorum leguntur inscripta & figuræ serpentum effigiatæ. Foris grotta visitur, in qua si caput inferas, calorem senties à sulphureis vaporibus excitatum. Editior collis multis quercubus floret, petrosus & orientem solem prospiciens. Serpentes medicati mense præcipuè Majo comparent, ubi efficacissimi. Olim feruntur frequentiores semper ad speluncam confluxisse, sed ab invidis medicis antidoto quodam enectos. Innoxii cœtera sunt, nullique lethales; Undè referunt incolæ non serpentes nominandos, sed peculiare esse vermium genus, à Deo huic usui destinatum, & in mortalium salutem immissum. Lædentibus tamen exitium inferunt, id quidam expertus est suo malo, qui corpori suo hærentem serpentem ex spelunca celeri astu exportavit, ut pectori suo ægerrimo commodum applicaret, removeretq;. Salutis recuperandæ gratia speluncam hanc adiit prioribus annis Cardinalis Valence, lue venereâ & arthriticis doloribus miserè multorum annorum decursu divexatus & salvus restitutis viribus profligatisq; morbis inde est reversus. Senex quidam Podagricus in spelunca eadē sudans, cum sanitate in gratiā rediit. Alius Rosilius rusticus quatuor annis aqua intercute immensū tumens, in speluncâ ternis diebus per aliquot horas commoratus, subitò se sensit levatum, ventreque detumescente sanatum, quemadmodum ipse Bracciani nobis præsens

bonâ fide confessus est. Colubri esse speciem, exuviæ monstrant. Si quæras, quid colubros ex spelunca Bracciana eliciat, verbo dicã siccitas est soli, cœlique Romani, quæ ad humida corpora impellitur. Quomodo supra nominatos affectus gravissimos tollunt? sine dubio attractione humiditatum noxiarum, vel sui formidine, qua multi perciti speluncam ingressi sudant, antequam ullus coluber prorepat. Ita terrore multi & sudore diffluunt, & morbis liberantur. Deniq; saturi & humiditatibus repleti spontè decidunt, quemadmodum hirudines, levique corporis agitatione territi antra repetunt. Conf. *Petrus Servius Medicus Romanus in dissertat. de unguento Armario n.39. p.542. in Theatro Sympathetico Norimbergæ Anno 1662. edito.*

§. XI. Obiter hic nota, magnam viperarum pro curandis diuturnis morbis efficaciam & unà omnium Medicamentorum, quæ ex viperis parari solent miram esse potestatem; ea sunt Theriaca magna Andromachi, Pastilli Theriaci, sales viperini & alia. Vipera nativa quadam proprietate habet vim calefaciendi, exsiccandi, pravasque humorum qualitates emendandi; hinc cutem mundificat humoremque ad partes externas detrudit. Videatur *Aetius, tetra.3. Sermone 4. cap. 47. Gattinaria cap. de visus debilitate.* Viperarum esus omnibus podagricis, arthriticis, anhelosis & elephantiasi laborantibus plurimum conducit, ut testatur *Aëtius l. cit. conf. Hieronymus Cardanus in consilio pro patiente leproso. Gordonius Tractat. de Lepra, Zacharias Puteus eod. Tract. Sebastian. Aquilanus, Tract. de morbo Gallico, cap. 1. in fine. Iosephus Quercetanus in Pharmacopœa restitutâ, Massaria & Leonhardus Palmarius Lib. de morbis contagiosis cap. de Elephantiasi. Nicolaus Florentinus Serm. 7. Tract. 5. sum. 1. cap. 4. Zacutus Lusitanus, de Medicorum Principum historiâ lib. 6. Histor. 1. & 2.* Vinum viperinum sanat luem Gallicam, hoc paratur, si vinum vel mustum vipera prius lota adjecto sale bullierit, ex quo vino mane, prandio & cœnâ sufficiens quantitas assumi potest. Viperarum carne Antonius Musa Cæsaris Augusti Medicus ulcera insanabilia persanavit, *teste Plinio, lib. 30 Hist. Nat. cap. 13.* Extant celebres historiæ apud *Galenum lib. 11. Simplic. cap. 1. & Are-*

& Aretaum Cappadocem, lib. 2. de Causis & signis diuturn. morbor. quod quidam elephantici seu lepræ specie infecti, odoratu jam graves, ac aspectu fœdi, ebibito vino, in quo fortuitò vipera extincta erat, ab hoc miserando morbo mirabiliter sanitati restituti sint, quam postea curationem *Galenus* imitatus, & alii post eum Medici exercitatissimi, verissimam esse invenerunt, ut *Paulus lib. 4. cap. 1. Aetius tetrab. 4. Serm. 1. cap. 123. Cælius Aurelianus lib. 4. Passion. tandar. cap. 10. Et Porphyrius lib. 4. de abstinentiâ.* Gilbertum Medicum Romanum plures elephantia laborantes tali modo persanâsse refert *Vidus Vidius part. 2. de Curat. membrat. sect. 2. lib. 5. cap. 8.* Et *Porphyrius lib. 4. de abstinentiâ ab animalibus* scribit, servum quendam Crateri medicum, dum laboraret leprâ immanissimâ, ita ut carnes ab ossibus abscederent, potato vino in quo suffocata fuerat vipera, statim convaluisse. Ita & porrigo affectus, quem Græci Pytyriasin vocant, barbari furfurationem dicunt, passio cutis universæ, capiti tamen, superciliis barbæque communis, juxta *Cornelium Celsum lib. 6. c. 2.* è quibus partibus squamulæ furfurum instar decidere solent, anguium decocto feliciter curatur. *Zacutus lib. 1. de praxi medicâ admirandâ, observatione 2. Plinius* tenet *lib. 7. cap. 2. Hist. Nat.* quod Cirni & Indi ultra flumen & habitatores montis Athon, & Æthiopes Macrobii & Setæ alebantur carnibus viperinis, quæ non solum proderant pro victu, sed ad prolongandam vitam ad centum & quinquaginta annos conducebant, ideò *Dioscorides* huic videtur adhærere opinioni, quod caro viperina comesta prolongat vitam, & retardat senectutem, quem defendit *Aldrobrandus contra Ranodæum. D. Gaspar Bravo de Sobremonte Disputat. Apologetic. Sect. 5. Resolutione 2. p.* 177.

§. XII. Verum enimverò non oris solum, sed etiam manus contactu morbos sanari à quibusdam hominibus, curioso orbi dudum innotuit. Ita Reges Galliæ legitimè in regno succedentes, antiquis ceremoniis coronati, ac Equites Spiritus S. creati peculiare donum habent curandi strumas, pronunciatis his solennibus verbis: TANGIT TE REX, SANET TE DEUS. Postridie Coronationis in S. Spiritus militiam solitâ Ceremonia adi-

adſcribitur; Poſt veſpertinas preces ex S. Spiritus officio cantari ſolitas ante aram in genua procumbit,& contacto Evangel. libro privilegium ordinis conſervaturum ſe jurejurando promittit. Aureus torques collo injicitur,crucis figura ex auro efformata & candido incauſto picta in ſiniſtrum latus è vitta cœrulea demittitur. *Thulden.ad An.*1654.*part.*1.*p.*124.*& Continuator Thuani, Ioh.Tilius de Sacr.Regum Reginarumq;,& eor.Coronationibus lib.*2.ſcribit:Rex profectus Remis ſolet ad ſanctum Marcolphum novendiales ferias agere,nec ante curat eos tactu, quibus ſtrumæ infeſtæ ſunt: quod pervetus inſtitutum eſt. Rex Philip.Pulcher moribundus filium maximum Ludov.Huttinum Regem informavit, & rationem docuit tangendi eos,qui ſtrumis laborabant,exponens ſancta & religioſa verba,quibus inter tangendũ utebatur. Commendavit ſanctitatem vitæ,& ad hanc curationem tactus,& ex Scriptura demonſtravit,non exaudiri à Deo vitioſos,neque ab illis edi miracula. Hæc χαρίσματα & dona etiam durare, ſi Rex extra regnum & quidem captivus ſit, *Ferronus in vita Franciſci* 1.*fol.*203.ſcribit: In Hiſpania (inquit de Franciſco) ægros ſanavit, ſtrumis ſcrophulisque, quod ei ſingularis velut prærogativa à Deo Opt. M. conceſſum, vetus eſt opinio. Hoc teſtimonium etiam perhibet *Philippus Cominæus* Ludovico XI.*in comment.Lib.*9. quod ex more Galliæ Regum curaſſet ægrotos,qui ſtruma vexabantur. *Papirii Maſſonii* teſtimonium annal,lib.3.tale legitur: Chærades Græci,inquit,nos ſtrumas vocamus,quæ nihil aliud ſunt, quàm glandulæ induratæ. *Nangius in vitâ Ludovici* narrat,cum deceſſores Regis,in tangendis ſtrumoſis,ſigno crucis uſi non eſſent,illum primò uti cœpiſſe. *Cœlius Calcagninus in Hiſtoriâ Genuenſi p.*411.refert,ſe vidiſſe Bononiæ Franciſcum primum ſalivâ tantum pollice in decuſſem allitâ ſtrumis mederi. Ejus rei Originem Galli modò à Clodovæo I. & ampullæ Rhemenſis miſſione arceſſunt. *Forcatulus de Imper.& Philoſoph.Gallor. lib.*1.*cap.*59. modo precibus S. Marculphi tribunt, *Papir.Maſſon.*in Annal.*Franciſc.Robert Cœnalis Lib.*1.*Diſcr.Gall.Periochâ*14.*f.*110. Alii non niſi tertio Capetinæ Regum Galliæ familiæ tranſcribunt; veluti *Scipio Dupleix Reg. Galliæ Hiſtoriographus* in Ludovico

dovico nono apertè fatetur, se nullum adhuc vestigium ejus gratiæ in duabus primis Regum Galliæ familiis vidisse, nec verisimile esse, si ea prædíti fuissent, quin ejus temporis Historici in scribendis multis miraculis minoris momenti satis curiosi, præteriissent istud tam nobile & gloriosum Regum Galliæ miraculum. *T.11. Hist. Gall. edit. Paris. Anno* 1624. *in fol. Thomas Lansius in Consultat. Orat. contra Galliam* refert *Petrum de Crescentiis* Medicum Gallum testari, multoties se quidem Reges vidisse pro more tangere strumosos, sed qui indè sanatus fuerit, vidisse neminem. *Hubertus Morus de S. Un. Lib. I II. cap. V.* refert Henricum III. Franciæ Regem hominem sibi dilectissimum, strumarum morbo graviter laborantem, sæpius licet repetito contactu sanare tamen nunquam potuisse. De reipsa hodienum usitata ne dubitemus, testatur *Thuldenus* Ludovicum XIV. *Anno 1654.* tria millia Rhemis tetigisse, & iterum Anno 1660. apud S. Johannem Lugienlem mille ducentos. Ludovicum XIII. Burdigalæ se mille quingentis impertiisse, tradit continuator Thuani ad An. MDCXV.

§. XIII. Eadem excellentiâ prædíti sunt Reges Angliæ, hoc tamen observato discrimine, quod hi etiam ante Inaugurationem tactam se ei accingant, quemadmodum Carolus II. jam tum Hagæ comitum eam perfecit, quod prolixè recenset *Thuldenus* ad Annum MDCLX. pag. 413. Angli originem hujus doni ab Eduardo Confessore ultimo Anglo-Saxonum Rege deducunt. *Polydorus Vergilius Histor. Anglic. Lib. VIII.* aliique id genus scriptores tradunt, Eduardo jam à viginti quatuor annis dono strumas sanandi instructo allatum fuisse à quibusdam Hierosolyma venientibus annulum, quem ipse diu antea pauperi cuidã clam dederat, qui pro amore, quem erga D. Johannem Evangelistam, habebat, Eleemosynam petierat, cumque multa veneratione posthac servatum, quod salutaris esset membris stupentibus, valeretque adversus Comitialem morbum, si tangeretur ab illis qui ejusmodi tentarentur malis. Verũ hæc ab otiosis palponibus conficta videntur, & pientissimorũ Monarcharũ autoritatẽ valde imminuunt, ideoq; tutius inter fabulas recẽsentur, quã pro stabiliẽdo

cha-

Charismate adducuntur. Historiam ipsam rei gerendæ de utriusque Regis tactu plenariam exhibet *Thuldenus Histor. Ennead. 2. lib. 3. ad ann. 1660. De tactu quidem Gallico p. 436.* ait: Ludovicus Rex Lugiæ celebravit, & sexto decimo die Maij (Dominicus is erat Pentecostes) in Franciscanorum qui Recollecti appellantur, templo mille ac ducentos strumis laborantes homines, ut moris est, attigit manu. Pridiè Dominici in primis vesperis, & postero mane in precibus matutinis, quæ duplicantu solennissimè peraguntur, Ludovicus Rex fuerat, & animo per exhomologesios Christianæ Mysterium peccati conscientiâ expiato, corporis & sanguinis Domini sub sacrificio divino, cui magno adversus Deum pietatis sensu interesse tum maximè consuevit, participem se faciebat. Interea strumosi ab Archiatro regio, collegisque ejus ac cheirurgis in peristylio Andronis Franciscani ordine disponebantur suo, dextra videlicet lævaque. Principem inter laborantes locum Hispanis dabant, secundum Belgis, aliarumque nationum hominibus, tertium Francis. Ac tantum in medio ab utroque dispositorum latere intercapedinis relinquitur, ut quaterni ambulatores juncti commodè se per illud spatium inferre queant. Tum verò lustrantur singuli & amiculum eorum diligenter excutitur, non modo nequis avaritiæ nomine ut numismatis, quod addi solet, causa, morbum simulet; verum etiam, ne quid ferramenti, ut culter, forfex, sica, gladiolus, quibus instructus quispiam vel suâ sponte, vel aliorum præmio inductus, in tam familiari contactu, Regi nocere possit, apud eos relinquatur. Id contactis ab Rege, nummoque donatis redditur. Quum in procinctu Regem esse, & jam adspirare ad strumosos nunciatur, in genua provolvunt se omnes, palmasque conjunctas ritu supplicum tollunt. Præcedunt cohors Regii corporis, tribuni, Mastigophori: Rex sequitur nudato capite, gestu corporis universi, sed manibus inprimis & ore preces fundente, Christi fidem atque opem implorantis religiosissimum habitum præferens. Imminent à tergo ægrotis Medici eosque capillo modicè arreptos prætereunti admovent regi, qui brachii dextri nonnihil extenti manu decussatim

tim in crucis formam ducta, frontem singulorum contingit, utens his vocibus: TE TANGIT REX, SANUM FACIT DEUS, IN NOMINE PARRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. Eleemosynarii subinde, quoscunque tetigit Rex, stipe collatâ afficiunt, ac ne se eidem illi rursum inferant, porta peristylii emittunt. His peractis, aqua loturo manus Regi præbetur. *De Anglico tactu pag.* 413. sequentem in modum disserit: Medicorum Regis Princeps ad se admittit primum strumarum valetudine laborantes, ac ubi cognovit *malum* esse *Regium* (ita enim Angli vocare audent morbum istum) fanum iis vel conclave dicit, in quod conveniunt ad Regem. Demegoriæ igitur funiscum esset impositus morbosi, quibus id pridiè significatum ab Archiatro erat, in conclavi præsto fuerunt. Posita est sedes Carolo, in quam se raptim contulit; à dextra illi Epistolarum Magister adstabat, tot manu Angelottos (est id nomisma anglicanum aureum &c.) ex holosericolicio albo dependentes retinens, quot strumosos Rex contacturus est. Hi ad lævam sedis locabantur, viam illis & modum monstrante Archiatro, ut ad Regem cum trinis capitum inclinationibus progrederentur. Legi consuevit à sacris Præfecto ex Bibliis versiculus aliquis in eam ceremoniam conveniens, quem hoc tempore Evangelii Scriptor Marcus oratori ex novo Instrumento suggerebat, ubi Christus Apostolis promittit, imposituros eos ægris manus, futurumq; ut ex morbo evadant. Medicus cum quolibet strumoso sigillatim accedens ante Regem genibus nititur, Rex lævâ dextram dextrâ verò palmâ lævam hominis affecti genam contingit. Quotiescunq; id fiebat, toties versiculum eundem repetebat sacris Præfectus. Medicus interea genibus nitens à pedibus Caroli non abscedebat donec omnes attigisset ex ordine. Quo facto sacer iste Lector ex primo Evangelii S. Johannis capite verba, quæ sunt ad versum usque sextum recitare incipit, Morbidi illi nondum sanati iterum ad Regem alter post alterum adducuntur. Tum ipse Rex Angelottum singulis singulum ex collo suspendit, missosque facit, Dominica precatione & collecta, quam vocant, ritus iste finiebatur, Subinde Carolo ut manus elue-

ret, è malluvio frigida affunditur, mantileque ut abstergeret, superinjicitur. Neque est ferè, quod hic desideres, nisi quod de Angelottis dicit, horum vice enim alios cujuscunque generis Aureos etiam extra Angliam cusos adhibent, ac proinde minus rectè de solis Angelottis *Thuldenus* loquitur, quod hoc loco monendum erat. *Gisbertus Voetius Disput. Select. Tomo III. p.*1030. dubium suggerit scribens: se à quodam Theologo simul & Medico Anglo audivisse, homines curationem illam petentes prius fuisse visitatos à Medicis Regiis & medicamentis ad curationem præparatos, si non curatos: illos autem quorum morbum putabant huic scenæ non inservire, ablegatos cum hoc judicio, non esse genuinas strumas, seu morbum à Regibus curari solitum.

§. XIV. Struma morbus Herculeus, rebellis & insuparabilis passim à Medicis vocatur, videatur *Galenus* 14. *Method.* 11. *& 2. ad Glauconem ult. Paulus AEgineta lib.* 4. *cap.*3. *Aëtius tetrab. 1. Serm.* 2. *cap.* 95. *Albucasis Lib.* 2. *cap.* 2. *Haly.* 9. *Pract. c.* 11. *Avicenna* 3.4. *tract.* 2. *cap.* 9. *Guido Cauliacus Tract.* 2. *doct. Johannes Vigo, lib.* 1. *cap.* 7. *Petrus de Argelatâ Lib.* 1. *Tractat.* 2. *cap.* 4. *Ambrosius Pardus lib.* 2. *cap.* 22. *Tragaultius lib.* 1. *cap.* 13. *Gabriel Falopius, Tract. de tumor. præternat. cap.* 18. *Eustachius Rudius lib.* 5. *de tumor. pituitos. cap.* 17. *Dionys. Daca lib.* 2. *de Apostemat. cap.* 67. *Hieronymus Fabricius ab Aqua pendente, lib.* 1. de tumoribus *cap.* 21. *Nicolaus Nicolus Florentinus Serm.* 7. *tract.* 5. *sum* 1. *cap.* 37. *Petrus Forestus lib.* 3. *observat. Chirurg. Andreas Laurentius lib. de strumar. sanatione admirandâ, Iulius Cæsar Claudinus, consultat.* 112. quos omnes *Zacutus Lusitanus de medicorum Principum historiâ lib.* 1. *hist.* 84. *pag.* 148. allegat. Singuli autem hujus pervicacis morbi causam statuunt humorem pituitosum, mucilaginosum, lentum, tenacem & viscosum, cui multa Melancholici portio est permixta. Refertur à Medicis inter morbos contagiosos, juxta *Arnoldum Villanovanum in specul.*

intro-

introduct. Medicinal. cap. 88. quem ſequitur & citat *Iohannes Fragoſus in gloſſ. de Apoſtemat. quæſt.*63. approbat inſignis *Thomas à Veiga, in comm. cap.*4. *lib.*1. *de diff. febr. verbo calidiores autem, nam tertiana* cum habeat calorem multò acriorem, propter defectum tamen lentoris minus contagioſa eſt, quàm ſtruma. Inde colligit *Zacutus* ſtrumas ulceratas & non ulceratas fomite & contactu contagioſas eſſe, ſuamque ſententiam ex conditionibus ad contagium requiſitis confirmat. Quia nempe ſtrumis ineſt putredo, quæ fœtidiſſimum vaporem exhalat. Secundò oriuntur ex humore lento & viſcoſo, patet ex *Gal.* 3. *aphoriſm.* 26. qui eas non à calida materia, ſed frigidiore & pituitoſiore originem ducere aſſeverat, quæ eſt conſtans omnium autorum ſententia, & interpretum ibi, *Muſæ, Argenterii, Leonhardi Fuchſii & Thriveri* 3. Quia ſtrumæ habent malam qualitatem ſunt contagioſæ. Habere autem ſtrumas malam qualitatem conſtat ex *Paulo lib.*6. *cap.* 35. §. *Quæ igitur indolent attactu & medicamentis impoſitis deteriores redduntur, malignæ ſunt*, &c. & *Aëtio tetrab.* 4. *Serm.*3. *cap.* 5. §. Malignæ verò ſtrumæ inflammationes & dolores pulſantes inducunt, & tumorem inæqualem præ ſe ferunt. Firmat *Fernelius lib.* 7. *Pathol.* 2. Quod autem verum ſit, experientia demonſtrat, cum ſæpiſſime hic morbus non niſi Alexipharmacis ſuccumbat & refrænetur, qualia ſunt Ebenum, ſmilax aſpera, radix Chinæ & Mercurius, ex quibus varia parari ſolent præſidia & unguenta, quæ non ob id proſunt, quoniam humorum craſſitiem attenuant, & liquant, ſed quia pravam eorum qualitatem retundunt. Idem *Zacutus de Praxi Medica Admiranda, Obſervat.*101. *pag.*24. ſtruma morbus eſt Herculeus inſuperabilis. Si hunc tumorem ſaxeum non ulceratum emollire intendas, medicaris fruſtra. Lapideus enim humor omninò renititur. Si iterum fortioribus medicamentis operi inſiſtas, abſumpta parte tenuiori, reliqua magis indurata relinquitur. Si cauteria aut cauſtica medicamenta imponas, pituitoſo humore acriori reddito & magis exuſto, exulcerataque

parte ulcera fiunt sæva, dolorosa, quæ dolore, punctione, vigiliis ægros conficiunt. Si strumas ulceratas levibus medicamentis pertractes, nihil efficies, tenacissimus enim humor nulli auxilio succumbit. Si ferrum aut urentia applices exasperato ulceri, confluente ob dolorem & calorem ubertim humore, fiunt inflammationes, Gangrænæ, carcinomata, febris excitatur valida, quæ ægrum ad extenuationem imo mortem deducunt. Quare miserrimi ægri hoc diro morbo oppressi Medicorum operâ delusi, aliam curandi viam affectant, & coacti accedunt ad Gallorum Regem, quem contactu suæ manus supra tumorem, hunc dirum morbum persanare fama est vulgatissima, quod non Annaliũ modo, verum etiam aliorum testimoniis certum est, ut retulere *Guido tract. 2. doct. 2. cap 5. Chirurg. Magn. Mercurialis lib. 1. de morbis pueror. 5. Tragaultius* lib. 1. Instit. Chirurg. & inter omnes probat *Andreas Laurentius libro de strumarum sanatione admirandâ*: Inventum est à me remedium summum, quod nunquam (testor Deum) me fefellit, & est unguentum, quod parabis in hunc modum ℞. Radicis Bryoniæ magnæ, bene nutritæ & rotundæ lib. ß. seca in minutissimas taleolas, frige in lib. iij. olei olivarum si fieri possit insulsi, quousque contabescant & siccentur. Cola : adde Therebinthinæ abietinæ ℔ ß. ceræ ℥v. & vase remoto ab igne unguentum fiet viscidissimum. Hoc in panno lineo appones supra strumam bis in die mane & vesperi; si sit sine ulcere, ipsam emollit & vel resolvit, vel ad suppurationem deducit. Hoc ergò unguentum humorem in saniem versum paulatim ad se attrahit, abstergit ulcera, mundificat, & attracta semper sanie incarnat. Si autem saniosus quidam Ichor, & lentum pus attrahantur, relicta radice tenaciter impacta, fidissimo experimento adinveni, super unguentum granum sublimati, sinapi instar, ulceri apponere. Hujus enim ope mucus impactus attrahitur, durus seminis malvæ instar. Quod si ex medicamenti hujus calore, ardor & inflammatio sequantur, per aliquot dies quiesce, unguento solum imposito, Si verò valde urgeat ardor, affectam partem cum toto ovo lacte muliebri & rosacea commixtis illine. Sicque paulatim etsi longo tempore, feliciter

liciter curationem absolves. Inter Veteres *Cornelius Celsus lib. V. cap.28.rubr.6.tit.de struma & ejus curatione* meminit, quem struma malè habet, eum si anguem edit, liberari. Per angues hic intellige serpentes, *Arist. Lib.8.de Histor.animal.cap.17.* Viperas vocat, quibus huic vitio nullum præstantius auxilium inveniri potest. Nam viperarum esus increscentes stumas reprimit ex *Dioscoride lib.2.cap.16.* Sive enim carnes earum coctas edas, jus potes, aut eo strumosam partem laves, aut vinum assumas, in quo ipsæ fuerint extinctæ, vel Martios panes, aut pastas regales, adjectis pulli ut caponis pectore, saccharo, amygdalis aut zingibere permixtis edendas præbeas, ultimum & efficacissimum pro strumis aliisque cutaneis affectibus experieris auxilium, prout *Fallopius de tumoribus prater naturam cap.9.* affirmat. De vino viperino pro strumosis parato videatur *Ludovicus Mercatus lib.2. de Morbo Gallico.c.8.* Idem præstat oleum viperinum si sebo hircino vel pinguedine ursi admisceatur. Parabis illud hoc modo: ℞. olei olivar. lib.x. & duas viperas integras dissectas in oleum impone, & ad solem in diebus canicularibus relinque, donec subrufum acquirat colorem.

§. XV. Nunc ad sanationem strumarum regiam revertor, cum autem Medicis & Physicis ex Senatusconsulto *Galeni* cura de veritate imposita sit, non de fabulis, *lib.3.de usu partium* 1. idcirco altius negotium pensitandum erit. Causæ quidem hunc effectum producentes à variis variæ afferuntur. Quidam enim jus quoddam gentilitium congenitamq; proprietatem prætendunt. Verum frustra, quandoquidem nullo tibicine hoc assertum suffulcitur. Regnum enim Galliæ non una familia tenuit, sed diversis successivè ad imperii clavum sedentibus paruit. Prima prosapia Merovinorum, quorum primus nominatur Pharamundus, initio seculi quinti floruit, & seculo octavo in Childerico tertio, vel quarto, juxta alios, defecit. Secunda CAROLINORUM à Carolo Magno incipiens Anno DCCL. cum Ludovico V. sine prole, sub finem seculi decimi, anno nempe DCCCCLXXXVI. mortuo, extincta est. Tertia CAPETINORUM *nomen & exordium* sumsit ab Hugone Capeto, Hugonis Magni filio, Comite

Parisiensi, Anno DCCCCLXXXVII. & sceptrum servavit usq; ad annum MCCCXXVII. cum Carolus IV. Mortalitatem exueret. Ei successit Philippus VI. ex gente VALESIORUM, quæ cum Henrico III, Anno MDLXXXIX. exspiravit. BORBONII in Henrico IV. à Ludovico Comite de Clermont & Beauvois descendente Solium occupârunt, & ab iisdem ad hodiernum usque diem illustria novi splendoris incrementa accipit. Æqualis varietatis sors Angliam exercuit, ubi Regum ex eadem familiâ continuâ serie descendentium numerus oppidò exiguus reperitur. Seculo undecimo Wilhelmus Normannorũ Dux dictus CONQUESTOR, Regnum Eduardi Confessoris testamento sibi donatum suscepit, ex cujus posteris Richardum III. ultimum Normannicæ progeniei hæredem masculum, Henricus VIII. Comes Richemontis vi bellicâ delevit, simulq; Rosæ rubræ & Rosæ albæ, sivè Lancastrensium & Eboracensium periculosissimas factiones obliteravit, An. MCCCCLXXXV. Tandem Regina Elisabetha Henrici VIII. filia defuncta An. MDCIII. regnum opibus florentissimum & pace beatũ reliquit hæredi Jacobo Scotorum Regi Sapientissimo, qui primus intra omnem annalium memoriam Britanniæ totam Insulam uno Imperio complexus est. Porrò non omnis ex familiâ Regiâ satus, sed tantum Regni moderator hoc sanandi dono pollet, quod etiam in gloriosissimâ Regina Elisabethâ comparuit. Etsi enim aliquamdiu moraretur, sive de successu, sive de legalitate rei subdubitans, deinceps tamẽ, præsertim immoderatius jactantibus Pontificiis Deum Reginæ subtraxisse illud donum, quod à cœtu Romano defecisset, se ei accinxit, successu ab antecessoribus nullatenus dispari. Quod si verò speciali naturæ liberalitate id Regibus indultum esset, tota ipsorum familia eadem frueretur, quemadmodum Psylli & Myrsi olim, qui hoc ipso suppostitios familiæ suæ à genuina prole discernebant, si à serpentibus læderentur, si læsis suctu & tactu mederi non possent. *Plin. lib. VII. cap. 1. Petrus de Andlo lib. 1. de Imper. Roman. cap. 2.* Charismatum isti generi accenset, quibus Reges singulariter dotavit divina Providentia, statuitque, illos plus valere in

re in natura Entis quàm Personæ privatæ, cum gerant vicem quasi totius Entis, cui præsunt. Verba ejus ita habent: Quo magis participant de naturâ Entis, tanto quoque magis ad suum adpropinquant Principium, plusque de divina participant influentia, cujus rei exemplo est Saul ille Regum Israel primus, quem mox ut per Samuelem assumtus esset in Regem, insiliit Spiritus Domini & prophetavit, ut I. Regum cap. X. legitur. Et Salomon ordinatus in Regem divinam meruit Sapientiam. Claret illud quoque & in quibusdam moderniori ævo Principibus, quod ex ampliori participatione Entis singularem quandam virtutem in ægrotos habere dicuntur, ut de Regibus Franciæ fertur, & Angliæ. Hæc ille. Si autem istud procederet, omnes certe Reges, cum ubique privatos antecellunt, tali privilegio gauderent, quod hactenus nondum innotuit.

§. XVI. Alii hic miracula effingunt. A Gallis quidem communiter tria miraculosa cimelia jactantur, Ampulla Rhemensis, Scutum liliatum, & auri flamma, quæ Clodovæus I. cœlitus accepisse fertur. Undè *Stephanus Forcatulus Lib. VI. de Gallorum Imperio*: Tria pignora de cœlo missa Imperii Gallici sempiterna, Scutum liliatum, Phiala odorata, & vexillum splendidum, purpuram æthercam confitens pro certo. Quæ tamen sensim ab ipsis Gallis in dubium vocari cœperunt. Et ut ab ultimo exordiar, Auri flamma fuit vexillum Ecclesiæ S. Dionysii, quo utebantur Monachi ad statas & solennes pro Regis ac regni incolumitate supplicationes, de quâ *Scipio Dupleix in Clodovæo I.* ita judicat: Fabulosum est, auri flammam Clodovæo Regi è cœlo missam fuisse. Erat enim vexillum Ecclesiæ S. Dionysii, quod olim Reges nostri ad bellicas magni momenti expeditiones deferri jubebant. *Marlotus Lib. II. c. 5.* Chronica antiqua silent, videturque antiquitas aut veneratio, quæ olim vexillo illi exhibebatur, hujus miraculi fidem simplicibus impressisse, qua in literatorum animos se tandem insinuavit. De Scuto liliato *Bernhard. Girard du Haillan. l. 1. Rer. Francic.* Fides illa Francorum de liliis, nulla probati Scriptoris autoritate confirmatur. *Iohannes Tillet de dignit. Franc.* Fabula de Scuto Francico, quod

quod Clodovæo Regi è cœlo missum fuerit in Cœnobio Gaudii Vallis, ubi Scutum cum tribus liliis ostenditur, adinventa fuit post Carolum VI. Regem. *Claudius Farchet Senatus Monetalis Præses. L. de Insign.* de Scuto Regio per Angelum ad Clodovæum Regem delato nihil invenitur in historiâ *Gregorii Turonensis.* Alibi apud nullum bonæ notæ Scriptorem legi illam Scuti Francici divino nuncio significationem, creduntque viri docti insignia familiarum recentiora esse, *Scipio Dupleix l. cit.* Quod attinet ad Scutum cœruleum liliis pictum, neque historia, neque traditio ullam fidem facit, quod è cœlo transmissum fuerit. *Marcus Zuerius Boxhorn. Histor. univers. ad An.* CCCCXX. p. m. *343.* Monachos aut tales alios viros, quorum olim Ingenio Judicioque plurimum in aulis tributum fuerit, autores fuisse Liliorum in Scuto Francico, existimat. Legisse illos in Evangelicâ Historiâ *Lilia non nere.* Itaque cum nere vel lanam tractare, quod lilia non faciant, fœminarum proprium sit, & ipsis Principibus Matronis id tribuant Homerus, veterumque Poëtarum alii, lanam facientes, hoc est, fœminas arceri à successione in Regno Francorum per lilia significare voluisse. Ampulla Rhemensis est exigua ex vitro rudi phiala, ficus mediocris magnitudine, quam oleo plenam circa annum CCCCCS. Remigio, cum Clodovæum Regem baptisaturus esset, alba columba attulisse traditur, indeque Reges Galliæ adhuc ungi unguento ejus cum oleo consecrato mixto, & quidem citra ullam defectus notam communis traditio est. *Thuldenus ad Ann.* M DC LIV. de coronatione Ludovici XIV. *Guilielmus Brito lib.* II. *Philippidos de Inauguratione Philippi II.* canit:

- - Sceptrifero fulsit redimitus honore
Magnanimus sacro Rex delibutus olivo,
Quo Deus Angelicis manibus virtute parato
Divina nostris concessit Regibus uti.

Huic unctioni *Petrus Blesensis* sanandi virtutem transcribit, quasi sanctum Chrisma cœlestis medelæ facultatem Regibus Franciæ instil-

instillet, & supra solitam hominum naturam attollat. Nec in vacuum, inquit, *Epist.CL.* ad Clericos Aulæ Regiæ Anglicanæ, accepit unctionis Regiæ sacramentum, cujus efficacia si nescitur, fidem ejus planissimam faciet defectus pestis inguinariæ, & curatio Scrophularum.

§.XVII. Responsio ad allata est in promptu. I. Alii Reges plerique unguntur, qui tamen ejusmodi qualitate salutifera prædití non sunt. Neque miraculum huc trahere licet, siquidem ejus finis in contrarium militat, nempe fidei veritatisque divinæ confirmatio. Per Dei enim Omnipotentis gratiam in fide & veritate Christiana tot olim miraculis asserta, hodie vivimus, ut amplius miracula qui desideret, monstrosum aliquid moliri velle videatur.
„ Introitus ad fidem sunt miracula inquit *Augustinus Lib. XIII.*
„ *Confession.cap.*21. Qui illis etiam qui hodie miracula exigunt, *lib.*
„ 22. *de Civitate Dei cap.* 8. nervose respondet: Miraculis opus
„ erat, priusquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus.
„ Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse
„ prodigium, qui mundo credente non credit. Consonat *Chryso-*
„ *stomus homilia* 22. *in Iohannem, Tomo* 3. *Oper.p.*828.*c.* Nonne &
„ nunc quoque signorum petitio tentantium est? Sunt sane &
„ hac nostra ætate, qui quærunt, quare & nunc signa non fiunt? Si
„ fidelis es, ut oportet, si Christum diligis ut diligendus est, non
„ indiges signis. Signa enim incredulis dantur. *Ambrosius* deniq;
„ *in cap.*12.*Epist.ad Corinthios* exclamat: Inter initia fieri opor-
„ tuit miracula, ut fundamenta fidei acciperent firmitatem.
Nunc autem non opus est quia populus populum adducit ad fidem, cum videntur eorum bona opera, & prædicatio simplex.
II. Oleum istud decantatum simulque ampulla Henrici IV. temporibus suspicionem, ne dicam vilipendium incurrit, adeò ut ipsa præterita, Oleum S. Martini loco alterius adhiberetur. Nam quia Comitiis Blæsensibus An. MDLXXXIX. fœderati legem inter fundamentales, sicut eas vocabant, ferendam proposuerant, *ut nemo Rex legitimus in posterum haberetur, priusquam Durocortori Rhemorum sacro oleo, quod in B. Remigii cœnobio religiose asservatur, more-*

 reso-

re solenni inunctus esset. Henricus verò Anno MDXCI. Autrici Carnutum coronabatur, ideò decretum illud ut insolens, & astu Guisianorum, qui urbem & insignia Regia in Potestate habebant, ab emissariis suis propositum prudentiores arguebant, & iniquum esse dicebant, legitimam regni successionem, quæ proximo agnato lege Regni defertur, loco certo includi; itaque tunc magno consensu decretum fuit, nihil causæ esse, cur minus solennis inauguratio dici deberet, etsi minime Durocortori facta esset, nam exemplis constare, id in Imperatorum & Regum consecrationibus secundum tempora semper variâsse, *Thuano* teste, *Historiar. lib. CVIII.* ad Annum Domini MDXCIV. Mox de oleo quo Rex inungendus esset, idem ita pergit: Si Rhemensis Ecclesiæ cancellis minimè conclusa est Francorum Regum consecratio, qua ratione dici posset, San-Remigianum oleum ad eam necessariò requiri? Nam præterquam quod à multis de eo ambigitur, quippe cum de illo ipse S. Remigius in suo testamento sileat, nec Gregorius Turonum præsul, aliusve ex veteribus fide dignus autor mentionem ejus faciat, Chrisma, quod ab Episcopis conficitur, ad id sufficere, etsi cœleste oleum, quo major veneratio consecrationi concilietur, adhiberi oporteat, longè certioribus testimoniis de oleo cœlesti, quod majori in monasterio Cæsaroduni Turonum religiosè asservatur, constare, quippe quo CXII. annis ante Clodovæum sacro lavacro à S. Remigio susceptum, B. Martino per scalas fortè prolapso, cum exanimis jaceret, in cellulâ, Angelum nocte visum tanquam salutari unguento ejus vulnera eluisse, & contusi corporis superlevisse livores, tradit *Sulpitius Severus*, atque ita postero die restitutum sanitati Martinum, ut nihil unquam pertulisse incommodi putaretur. Idem & à *Venantio Fortunato* Pictavii, & *Pontio Paulino* Nolæ Episcopis tradi, & ab *Albino* sive *Alcuino* Car. M. Præceptore, cum de B. Martini miraculis agit, confirmari. Itaq; oleum illud ex Turonibus afferri placuit, ut cum Chrismate admistum ad unguendum Regem adhiberetur. *Scipio Dupleix Histor. Franc. General. T. 1.* Quod attinet, inquit, ad sacram ampullam, quæ hodie magna veneratione servatur in Ecclesiâ S. Remigii Rhemensis, *Gregorius Turonensis* Episcopus, qui sub

sub filiis Clodovæi in lucem editus est, nihil adfert de tanti momenti miraculo, quamvis ejus historia aliis absque numero miraculis sit instructa. Totum negotium *Iohannes Iacobus Chifletius disquisitione de Ampullâ Rhemensi Antverpiæ in folio excusa An.* 1651. diligenter excussit. Confer *Michaelem Ritium de Regibus Francorum lib.* 2. *Dionys. Petavium, rational. tempor. p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 11.

§. XVIII. *Cardanus lib. Contradict. Medicar.* prodidit, Reges Francorum ex longo aromatum usu vim sanandi strumas habere: cujus asserti vanitas quia vel manibus palpari potest, nullâ refutatione indiget. Cum igitur in mirando hoc sanationis modo nulla virtus supernaturalis delitescat, consultum fuerit intra limites naturæ subsistere, ex ejusque profundissimâ abysso causas huic actui determinatas investigare. Per naturam intelligo potentiam cuiq; rei insitam ad sui conservationem. Hanc *Hippocrates* vocavit medicatricem morborum, & judicat artificem esse animalibus consulentem, ut instinctu operentur per sudores, per lotium, per dejectiones & alias evacuationes, præcipuè per insensilem halitum humores infectos continuò profundit, copiosius & majori conatu, dum magis gravatur. *Galen. lib.* 6. *de morbis vulgaribus.* Primo loco admittendus videtur secretus naturæ transitus ac instinctus, nec non influxus immateriatæ virtutis, mirabiles imò sæpè fidem excedentes operationes producens. Ille inquam instinctus occultus animo prænotionem insculpit, qua quis res priusquam ipsæ suâ præsentia & ordinaria communiq; vi naturæ cognosci possint, apprehendit. Sanè sunt in nobis quædam Principia prænotionis, quæ notitiâ sui aut per se aut per ideas Symbolicas nobis largiuntur, & quid boni aut mali in nobis lateat, quidque inde timeri aut sperari debeat, longè antequam fiat, nos docent. Quod potissimũ contingit dormientibus. Nam ut *Aristoteles* ait *libro de Insomniis cap.* 1. qui in die motus, nisi magni valdè fuerint & fortes, latent, secus majores, qui in vigilando fiunt motus. In dormiendo autem contrarium, etenim parvi magni videntur esse. Arbitrantur enim fulgura cadere, ac tonitrua fieri, cum parvus sonus in auribus fit. Non quidem ipse sonus in aure factus proximè causat illud phantasma terribile, nam dormientes non magis vocem

sonoram, dum à somno excitantur, quam in vigiliâ percipiunt, verum ab aliis speciebus, quæ à primâ excitæ sequuntur. Ejusdem instinctus motu alicujus ex cognatione gravem morbum, sive aliam calamitatem, imo ipsam mortem tacitè præsentimus. Quâ de re *Ludovicus Lavaterus part. 1. de Spectris c. 16.* & *Franciscus Bacon de Verulamio in Sylvâ Sylvarum centur. X. n. 986.* agit. Quoties experimur in nobis citra ullam causam manifestam cor angi, & malum longè absens præsagire? R. P. Vadingus vir solide doctus & minimè superstitiosus confirmabat suo experimento, eos de quibus intentiùs cogitamus, si nullis cogitationibus tum illorum mens sit præventa respicere ad nos quasi vi conversos. *D. Marcus Marci à Krohnland in Philosophia Vet. restituta parte 5. Subsectione 6. pag. 497.* Multa quoque (inquit *Iohannes Franciscus Picus Mirandulanus Lib. 1. de Rerum Prænotione cap. 6.*) & Reges & Duces, Imperatoresque vel pro ineundo bello, vel pro firmandâ pace veris Prænotionibus freti gessere feliciter. Et præter paginam utriusque testamenti historiæ temporum & illustrium in religione virorum perscripta gesta, satis abundèque testificantur, Prænotiones ipsas magnis rebus gerendis usui fuisse, magnoque adjumento veritati & sincerius & certius percipiendæ. Sic & sublimis ille Abbas Antonius Arrianorum hæresin sub mulorum specie altare dejicientium & prænovit & prænunciavit. Hoc magnus *Athanasius* in ejus vita aliis virtutibus adscribit. Sic & Constantino Maximo (à quo fama est, traxisse originem Picam domum nostram) prænota fuisse multa de præliis atque victoriis & novæ Romæ exstructione legimus, cœlitus etiam ostensa cruce, in cujus vincendum signo foret. Sic & seniorem Theodosium, Johannem Anachoretam Ægyptium & sciscitatum, & consultum de futuris misisse comperimus, & senis consilia secutum, & maximis è periculis liberatum victoriam de hostibus obtinuisse. Eundem quoque Romanum alium ducem juxta Cyrenem cum hostibus præ paucitate militum congredi non ausum, & diem ineundi prælii docuisse, & victoriam quam postea consecutus est, prædixisse. Legimus & Benedictum Monachorum Parentem Totilæ Gothorum Regi in-

gi inter monendum reprehendendumque, & annos, qui reliqui erant vitæ, & trajectionem in Africam, & mortem prædixisse. *Hæc ille*. Archiepiscopus Viennensis Epiphaniæ die, præsente Ludovico Rege missam celebrans in æde S. Martini Turonensis, quando pacem Regi osculandam præbuit, hæc verba pronunciavit: Pax tibi o Rex! hostis tuus est mortuus: & hora eadem compertum est, Carolum Ducem Burgundiæ in prælio Gransoniensi adversus Helvetios occisum esse, teste *Iohann. Georgio Godelmanno Tractatu de magis, veneficis & lamiis lib. 1. cap. 2. Ex Philippi Cominæi Lib. 7. de vita Ludovici IX.* Pius Quintus ipso puncto, quo Christianis obrigit memoranda adversus Turcas victoria navali ad Echinadas prælio, cum in Consistorio causis cognoscendis vacaret, repente exiliit, proximeque adsidentibus dixit: Tempus requirit, ut Deo gratias agamus pro insigni victoriâ nobis contra Turcas concessa. Similia indicia olim inter gentiles extitisse, *Herodotus* est auctor, scribit enim *libro* 8. ad Pedasenses super Halicarnassum Antistitem Minervæ certa signa habuisse, quæ demonstrarint, quoties Amphictyensibus, qui circa eam urbem habitârunt, aliquid adversi intra certum tempus eventurum esset. Historiæ memorant, pueros tenella ætate parentibus subtractos & expositos, si ignoti in conspectum Parentum venissent, occulto eos gaudio aliave alteratione perfudisse. Ægyptius augur olim persuadere conabatur Antonio, ipsius genium (magnanimum alioquin & præfidentem) sub oculis Octaviani Cæsaris ignobilem & veluti degenerem esse; consultum fore ratus, subducere se quantum liceret, & fugere ejus conspectum. Augurem hunc à Cleopatra subornatum fuisse creditur, ut in Ægypti successu viveret Româ procul. *Plutarchus in Pompejo*.

§. XIX. Quidquid tandem sit, sententia de prædo minante & imperioso alterius in alterum spiritu, vetus est & vulgata penitus. Homines Melancholici putantur pravam & sui similem dispositionem transfundere in id, cui intersunt, consortium; & contra alios excitatioris ad festivitatem genii parere consimilem in aliis præsentibus effectum. Præterea alii in negotiis felices,

alii infelices. Certè ratio non abnuit, dari saltem leviuscula effluvia Spiritus in Spiritum, quos propior sociat conventus, æque ac de corpore in corpus. Hoc pacto certa Majestas è Principum vultu elucens, imò & vultus serenitas magnas operationes præstat. Tale quid *Tacitus Lib.2. Annal. de Agrippa* narrat: Tiberii principatus novi primum facinus fuit posthumi Agrippæ cædes, quem ignarum inermemque quamvis firmatus animo Centurio ægrè confecit. Quæ verba *AnnibalScotus* non tam ad robur Agrippæ referenda censet, quàm ad hanc è vultu relucentem Majestatem. Idem *Scotus* Alphonsum Estensem I. Ferrariensium Ducem sæpissimè conjuratos suos Majestate vultus frustratum esse commemorat. Nobilis historiæ Gallicæ scriptor *Paulus AEmilius de Divo Ludovico* scribit: Eum irruentibus impiis Sultani Ministris, quamvis decumbentem, Majestate tamen Regiâ atque oris & vultus dignitate furorem eorum cohibuisse. Tantum scilicet valet Majestas, de cujus naturâ *Casaubonus ad Trebellium Pollionem in Gallienis* nervosè differit. Estque hæc Majestas Deorum donum Principibus concessum, quò subditi probiores ad parendum excitentur, improbi à nocendo deterreantur. Hac divinæ gloriæ participatione Deus præsides suos majores omnibus aliis in hominum cœtu constituit. Porrò multis vultus serenitas & benigna comitas saluti fuit, quemadmodum *Suetonius de Augusto* confirmat *cap.79.* his verbis: Vultu erat, vel in sermone, vel tacitus adeò tranquillo serenoque, ut quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quo minus ut destinârat, in transitu Alpium per simulationem colloquii propius admissus in præcipitium propelleret. Non minori moderatione animi fuit miles Turcicus, qui Bajazetis Filium jussu avi Solymanni necare per Eunuchum inductus fuerat, quam historiam *Nobiliss. Busbequius Epistola IV.* ita describit: Solymannus ubi cognovit de Bajazete actum, Eunuchum cui fidebat, Prusam misit, ut minimum quoque natu Bajazetis filium (aliorum enim jam idem quod patris misserri-

ferrimi Fatum fuerat) interficeret. Sed cum Eunuchus esset animo teneriore, sibi de numero janitorum quendam adsciverat, obfirmati ad quodvis facinus animi, cujus opera puerum extingueret. Is cubile ingressus, cum collo puerili laqueum aptaret, infans ei arridens, seque quod poterat attollens, apertis ulnis complecti & ferre OSCULUM conabatur; quæ res ferum alioqui hominem sic commovit, ut ferre non posset, animaque defectus concideret. Moram admiratus Eunuchus qui foris adstabat, eodem se infert, janitorem in solo stratum offendit; tum ne suscepto muneri deesset, suis manibus infantis pueruli animam elisit. *Hac ille.*

Observatum quoque est, inquit *Bacon de Verulamio Sylva Sylvar. Centur. X. num.* 942. Senes qui Juvenum congressui frequentes se miscuerunt, conversatione non interruptâ longævos evasisse, cum Spiritus eorum ex tali consortio fuerint recreati. Tales antiqui Rhetores & Sophistæ fuerunt, semper inter auditores & juvenculos discipulos versati, ut Gorgias, Pythagoras, Isocrates &c. qui ad centesimum annum vixerunt; Grammaticorum quoque plurimi ut Orbilius. Verùm hæc Sophistarum longævitas non frequenti inter Juvenes discipulos conversationi, ut *Bacon* opinatur, sed potius propriæ naturæ bonitati tribuenda fuerit; alias enim plures qui totam Juvenculis ætatem consecrarunt, & hodie diuturnioris privilegio gauderent. Quod audacia & confidentia in negotiis civilibus admirandæ virtutis sint, firmo fundamento nititur. Ita audaciores & industrii magis reddimur à superiore excitati. *B. Hieronymus in Epist. de servanda virginitate ad Demetriadem virginem*, Equorum cursus, *inquit*, fervore penicior fit; pugilum fortitudo clamoribus incitatur; paratas ad prælium acies, strictos mucrones Sermo Imperatoris accendit. Fuga unius alii quoque fugam meditantur, & pudore in unum transeunte alter

eodem

eodem suffunditur, non nisi ex occultâ constrictione & inclinatione prædominante, ac imperiosâ alterius in alterum spiritus. Idem inclinationis & contractionis spirituum influxus in actu sanandi strumas, procul dubio attendi debet.

§. XX. Neque tamen hinc imaginationis vires exulare jubemus. Cesset autem *Pythagoricæ* Imaginationis monstrum, quod de recto rationis tramite palantes cogit, ut statuant: si Spiritus in homine commodam facturus impressionem influat in spiritum mundi, quem unum integrum & perfectum animal vitâ præditum censent, vim & efficaciam imaginationis, & firmam persuasionem, sola quam naturæ parit consensus, unitate, naturæ dominari posse. Cesset *Theophrasti Paracelsi* imaginatio exaltata, cui virtutem tribuit fidei miraculosæ. Cesset quoque stolidum dogma *Alchindi Arabis, qui libro de effectu projectuque radiorum* tradit, imaginationem habere radios mundi radiis apprimè conformes, quo fieri, ut facultas ei sit in rem extrariam imprimere, quidquid concipitur, actualem, ut inquit, existentiam habere in spiritu imaginatio, quapropter extra produci posse quod conceptum est, quibus si desiderium jungatur, effectum rem sortiri, non secus ac operatur medica potio, cui Scammonea jungatur; juxta *Mirandulanum Lib. VII, de Pranotione, cap. 6.* Contenti sumus ea animæ vi, quam Græci φαντασίαν (sensû Philosophico pro corporis sensitivi proprietate) Latini imaginationem nuncupant, ab officio, ex imaginibus scilicet quas concipit & effingit in sese. In eam namq; advehuntur per quinque exteriorum sensuum instrumenta, visum nempe, auditum, tactum, gustum, olfactum, rerum quæ forinsecus sunt, similitudines speciesve, imaginationum seges uberrima. Sicut autem in sensu tria sunt, sensibile, virtus sensibilis & virtutis ejusdem functio; ita & in intellectu ac in imaginatione tria sunt, intelligibile, intellectus & intellectum, imaginabile, virtus imaginaria, & illius virtutis functio circa imaginabile. Videatur *Alexander Aphrodisæus in Paraphrasi de Animâ, cap. de Phantasia.* Hæc imaginatio circa phantasma aliquod versans, multiplices effectus parere valet, ut vulgari verbo dicatur: Imaginatio facit casum.

ſum. Quomodo hoc fiat, Philoſophi diſcrepant. *Ariſtoteles Libro de communi animalium motione* dicit: Viſio & imaginatio rerum agendarum vim obtinent, etenim ſpecies, vel caloris vel frigoris, & rei jucundæ, vel formidabilis mente percepta quodammodo talis agnoſcitur, qualis quæque res eſt, idcirco motione ſolum affecti, tum horrore, tum metu perculſi videmur. Alii ſtatuunt imaginatricem facultatem verſantem circa Phantaſmata movere ad libitum inferiores ſibi facultates omnes corporis noſtri. Quemadmodum enim inter vegetantium facultates naturales aliæ ſerviunt & miniſtrant, ſicuti attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix; aliæ imperant, ſicuti nutrix & genitrix; ita quoque par & major etiam eſt obſequentia naturalium & ſenſitivarum ad animales facultates, hinc fit, ut imaginationi nobiliori facultati naturales obtemperantes pateant: *quod & experimento comprobant: videntes enim alium oſcitantem & nos oſcitamus, quia ſenſus movet imaginationem, imaginatio verò imaginatur illum oſcitantem, & ſic movet inſtrumenta, quæ tendunt ad ipſius os, & oſcitationem gignit. Sic quoque intuentibus comedentem res acerbas, movetur imaginatio, & naturalium facultatum ope imprimit ſaporem in lingua & dentibus ita, ut illos ſibi re acerbâ perfundi videatur. Alexander Aphrodiſæus l. Problem. parte XXXIV. Problem.* Hinc *Avicenna de Med. Cordialibus cap.* 8. ſcribit: homines vel abhorrere, quandò apud eos aſſimilatur cholera evomitæ choleræ, ſic & cibos ſapidos averſari, quandò eorum colores aſſimilantur coloribus corporum abominabilium; movet enim imaginatio ſecundum repræſentata & non ſecundum exigentiam rerum. *D. Auguſtinus Lib. XIV. de Civitate Dei cap. XXIV.* meminit ſe noviſſe hominem, qui quotiescunque volebat, copioſiſſimè ſudabat, movente imaginatione virtutem expultricem. Alii ex ſolo Medicamenti aſpectu absque ejuſdem deguſtatione vel olfactu ex imaginatione ita purgantur, ac ſi Medicamentum aſſumpſiſſent. *Bartholin. Hiſtor. Anatomic. & Medic. Centur. 5. num. 64. p. 135. Marcellus Donatus Libro 2. de Medic. hiſtor. Mirabili cap. 1. p. 91. ex Nicolao Florentino.* Atque hæc operatur imaginatio in corpore proprio, cujus partes movet,

ut tenet *Aristoteles Lib.8.Physic.cap.4.textu 19. Lib.1.de Animâ cap. 2.textu 19. 3.de Animâ cap.4.textu 16. Plato Lib. X. de Legibus & in Phædro.* Neutiquam enim concedimus imaginationem ad extra penetrare & consimiles effectus in alienis corporibus prodere, ceu visum fuit *Avicennæ, Paracelso, Alberto Magno, Andreæ Cathanæo Lib. de Mir. effect. Causar. & Petro Pomponatio Mantuano Libro de incantationibus cap.3.p.m.36. Cap.4. p. 50. Edit. Basileensis in 8.* An. MDLXVII. Nempe ut acutè *Deusingius Exam. pulv. Sympath. p.545.* disserit: Percepta visu specie oscitationis, vel etiam cogitatione solâ, natura ipsa (nisi distrahatur ἐνεργείᾳ aliqua animali, ad quam studium & intentio accedat major;) suscitatur per conceptam imaginationem ad expellendum id, quo sentit se gravari, quodque interim est fluidum atque ad motum facile, nempe vapores, quibus obsidentur musculi. Est enim oscitatio Spiritus seu vaporis & humidi motus, ut est in exemplari antiquo, atque hinc non succedit oscitatio talis, nisi in dispositis; at qui interim minus intenti sunt rebus seriis, fluida autem quæ sunt, ea facilius moventur: unde etiam mingente uno sæpe mingit & alter; quod inprimis in brutis animantibus locum habet, quæ ipsa quoque non solo visu, sed & odoratu excitantur, (quod & ab Aristotele notatum) hinc ubi minxit canis unus, ibidem & alii commingunt. Nequaquam ergò ab unius hominis aut animalis imaginatione commovetur vel excitatur imaginatio alterius, sed per objectum quodcunque sensus movens, adeoque vel visu vel odoratu &c. perceptum, vel per memoriam denuò repræsentatum phantasiæ. Hæc *Deusingius.*

Ratio thesis nostræ est, tum quia non solum in animæ passionibus, sed pro nutu moveret imaginatio sanguinem & spiritus, & moverentur alimentum & reliqua excrementa aut vitiati humores, qui redundant in corpore, sine aliâ facultate aut medicamento operante. Tum etiam poni debet in

ima-

imaginatione virtus locomotiva, quâ moveat. Licet enim intra corpus, quod informat anima, cujus est potentia, moveantur partes aliquæ ad ejus nutum, non tamen nisi quæ habent facultatem locomotivam, quæ nec reperitur in spiritibus; ergò non valebit eos movere. Nam anima non movet corpus, nisi quod informat; quod latius demonstrat *Thomas prima primæ, quæst. CXVII. artic. XVII. & Libro III. contra Gentes Cap. CIII. Conferatur Fienus de viribus Imaginationis, Libro de fœtus formatione, & Apologiâ adversus Sancta Cruz, Tostatus in Genesin cap. IV. Medina Lib. 2. de rectâ in Deum fide cap. 7. Valesius de Sacrâ Philosophiâ cap. 2. Bravo de Sobre Monte Ramirez Resolut. Medic. part. 2. Resol. 3. Sect. 3. pag. 489. Donatus l. c. pag. 103.*

§. XXI. His suppositis credibile utique est, dum humilis plebs tantam summorum Monarcharum demissionem perpendit, qua vilissimis etiam sui copiam faciunt, eosque malè affectos contactu dignantur gratioso; dum summam clementiam & communicationem cum Rege suo devotâ mente veneratur, dum admirationi & imaginationi liberius indulget, ad præsentiam Dominorum suorum, etiam propter aëris locique mutationem, spiritus concitari, atque occulta quadam transmissione recreari, ut tandem oborta alteratione in corpore commoti adversantia vincula feliciter perrumpant. Verba gratiæ plena à Rege data phantasia attentius recolit, & hinc facultatem concupiscibilem, præsertim lætitiam, quæ circa bonum aut præsens, aut futurum occupatur, suscitat. Nemo enim est, qui in Regis aut Principis gratia suam salutem, quæ bonum est maximum, contineri sibi non persuadeat, & unusquisque boni sui augmentum & continuationem naturæ ipsius impulsu quærit. Siquidem *gravis est bonarum rerum sitis, cui sola fruendi assiduitas medicinam facit*, ait *Symmachus Lib. 3. Epist. 46.* Itaque ex gratiæ assiduitate à Phantasiâ cognitâ, ratio salutis assiduitatem colligit & imaginationi reddit: natura interea erigitur, vitalis virtus roboratur, sanguisque ac spiritus celerius mo-

ventur, partesque omnes suaviter refocillantur. Magici characteres, verba, sigilla, incantationes & id genus alia successu aliquandò non carent, quia imaginatione excitati & corroborati Spiritus ægrorum extrema moliuntur & carceribus suis se eximunt. Quod cur non in summis Regibus, à quibus omnis profanitatis suspicio longissimè abest, admittamus, ratio nulla dissvadet. Tantam profectò facultas imaginatrix efficaciam habet, ut multi ex ægritudine cum se sanos firmiter imaginarentur, convaluerint. Proinde *Avicenna IV. Naturalium 6.* jure scripsit, Confidentia ægri de Medico plus valet, quam omnia Medici instrumenta ad salutem inducendam. Quod pariter *Galenus primo Prognosticorum cap.* 11. confirmat, scribens: Ille plures sanat, de quo plures confidunt. Nimirum ut pulchrè exponit *Sennertus de Consens. & Dissens. Galenic. p.* 233. Confidentia reddit ægrum Medici præceptis & Consiliis obsequentem, præcipuè verò, quia imaginatio aliquos animi affectus inducit, per quos humores & Spiritus moventur, qui moti ad morbum vincendum & debellandum faciunt. Ita confidentia in animo ægri generat lætitiam, lætitia autem excitat calorem nativum & spiritus, undè fit, ut cibi rectius concoquantur, humores vitiosi vincantur & morbus expugnetur. *Cardanus Lib. XIX. de Subtil.* cujusdam nobilissimæ mulieris mentionem facit, quæ cum sævissimo Urinæ ardore aliisque Symptomatis crudelissimis laboraret, nec quidquam ope Medicâ juvaretur, & jam in extremis laboraret, technâ quadam à Josepho Nigro parata juvatur. Hic enim filium ejusdem ægrotantis jussit, ut affirmaret se in cristallo, in quem prospiceret, tres Dæmones videre, ac majorem supervenientem illos fugare, quo facto sanata fuit, cum Dæmones mali sui causam disjectos firmiter & constantissimè existimaret. Quidam qui se mortuum putabat & cibum aspernabatur, socii comitate, qui cum eo se in sepulchro mortuum esse asserebat, & quod ipse mortuus cibum caperet, ad escam capiendam persuasus fuit referente *Hollerio, Lib. de Morb. intern. c. XV.* Annulus vel armilla ex crinibus amasiæ gestata pascendo amori conducere creditur, quia scilicet imaginationem excitat.

Eadem

Eadem ratio in processu curandi strumas valet. Ideò aurum appenditur, ideò numus erogatur, ut imaginationem instauret & renovet. Ac sæpius recidivam patiuntur ægri isti, & quidem primo morbo periculosiorem, si contingat aurum à Rege appensum amitti, non aliam ob causam, quàm quia Spiritus incitamento suo carentes ac sequiores redditi pristinæ naturæ contumaciæ de novo se submittunt. Deinde nec omnes sanantur, quia languidior ipsorum, præprimis si longa peregrinatio vires exhauserit, imaginatio impar est excitandis tot spiritibus, qui mali gravitatem removere possint. Et hæc de Dono sacratissimis Capitibus concesso sufficiant.

§. XXII. Cæterùm inter vulgus quidam, ut plurimum milites, vel Rustici Hispani Alexiacos seu salutatores vocant, qui passim solo afflatu, visu, Osculo, contactu, verbis aut nuti lintei applicatione, non tantũ strumas, sed etiam alia immedicabilia vulnera sanant, de quibus magnorum autorum luculenta testimonia prostant. Ex horum numero sunt *Iulius Alexandrinus Lib. 2. Salubrium cap. 12. Pomponatius de Incantation. cap. 4. p. 44. Matthiolus comm. ad Lib. 6. cap. 40. Dioscoridis. Victoria in Relectione de Magiâ. Crucius Lib. 1. de Anim. Speculatione 2. Navarrus in Manuali cap. 12. Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. historiâ Lib. 1. Quæst. 53. p. 156.* Hanc sanandi artem S. Anselmi denominant. Sed ita sentientes alios falluntipsimet falsi. Nam istum morbos curandi modum nunquam Sanctus Anselmus docuit, sed est Magi illius Anselmi Parmensis commentum, uti *Martinus Delrio Lib. 1. Disquisit. Magic. cap. 3. qu. 4. Conclus. 3.* testatur. Salutatores, seu Saludadores & Ensalmadores illi Hispani & Itali, utroque enim nomine appellantur, eo tamen discrimine, ut Ensalmadores (Impsalmatores) dicant se sanare mediâ cerimoniâ confictâ ex certis verborum formulis. Salutatores verò utuntur virtute personali illis propria, dependente aliquandò ab aliâ re exteriori, ut halitu, quem ægro inspirant, vel salivâ. Dicunt quidem se habere donum sanandi & homines & bestias, & de facto passim sanant multos, at non dicunt donum illud esse naturale, sed concessum à Deo aut S. Catharinâ, ut recen-

ſet *Cirvelus Libello de Superſtitione* Hiſpanicâ linguâ conſcripto *p.3. cap. 7.* Hos Medicos uti non ſimpliciter & in univerſum damnare velim, cum à Deo donum hoc aliquibus communicari poſſit, nam Apoſtolus I. Corinth. XII. docet: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu confertur, alii operatio virtutum, tum quia non eſt abbreviata manus DEI, ne hanc gratiam, quibus vult, largiatur: ita nec indiſtinctè ad unum omnes admittendos cenſeo, cum raro ſicubi utuntur illo dono, licitè utantur, nec credendum ſit tot hominibus peſſimis, hoc donum à Deo collatum. In eadem ſententia eſt *Victoria, vera crux, & Navarrus apud Delrium l.c. Cirvelus* tamen loco allegato, *Iohann. Lazarius Gutierrius Opuſc. de faſcino, Dub. VII. n. 18. & Iohannes Bravus Petraſinatus de Hydrophobeæ naturâ, aliique*, audacter eos condemnant, ajuntque bonam eorum partem eſſe genus hominum flagitioſorum, incontinentium, vino & gulæ deditorum, qui malis artibus utuntur, & in foris triviisque ſcabella aſcendunt, ut rudi plebeculæ imponant. Iidem in curatione obſervant certos modos tangendi, numerum & alias cerimonias plenas ſuſpicione & periculo. *Ianus Iacobus Boiſſardus de Divin. & Mag. Præſt.* eos vivis quaſi coloribus ita depingit: Eſt quoddam Magorum genus in Italiâ, ii ſe SALVADORI, hoc eſt, SERVATORES nominant. Ex his aliqui ſe dicunt habere gratiam S. Pauli, aut à Deo accepiſſe virtutem peculiarem medendi morſibus ſerpentum venenatorum, ne poſſint obeſſe hominibus vel pecori. Et hi creduntur habere ſculptam in palato, vel aliâ parte ſecretiore effigiem rotæ S. Catharinæ. Reſiſtunt etiam Incantatorum præſtigiis, & oculorum illuſiones tollunt, diſſolvunt verba magica, morbos à ſagis motos propulſant, & mirabilia deluſis mortalibus ſua arte videnda proponunt. Sed quia ferè omnes ſunt homines abjectæ conditionis, pannoſi & vitæ pollutæ, quodq; ſtupida ignorantia faciant & loquantur omnia, (ut in eorum precibus & exorciſmis cognoſcitur,) temeraria quoq; audacia jactitent paſſim, ſe inſilire poſſe in fornacem ardentem ſine ulla læſione, pro ſtultis & impoſtoribus habendi ſunt. *Gaſpar à Reies in Elyſio jucundarum*

Qua-

Quæstion.Campo, Quæst.24.n.10. Notabilem de ejusmodi Impostoris calliditate & fraudulentia historiam exhibet his verbis : Cum aliquandò carcere detentos quosdam amicos inviserem, forsan ibi incarceratus tenebatur unus, qui dominica illa appropinquante ergastuli custodem rogabat, ut se foris exire permitteret, quod ita pecuniam, quam illi dare oportebat, facilè acquirere posset, suis in frequenti hominum cœtu benedictionibus utens; quo factum est, ut amici hoc audientes, ab illo sciscitari cœperint, undenam habuerit notitiam, se tali ac tantâ præditum esse virtute ? Quibus respondit, se à propria matre hoc accepisse. Rursus interrogatus, undè mater hoc agnoscere potuisset? Dicebat, quod, dum puer esset, & cum matre ad ostium domus sederet, rabiosus canis à pueris insecutus fortè præteriret, tunc illi matrem audacissimè dixisse, ut obviam cani rabido exiret, ac in illum expueret, ac exsufflaret, quod cum audacter fecisset, protinus demortuum cecidisse canem. Sed cum postremò illi instarent, & mera omnia mendacia videri dicerent, cum mater nulla ratione aut certitudine ducta illud facere potuisset, ut ultro rabido cani filium objiceret, cum nullam talis illius virtutis notitiam ante habuisset, tandem convictus respondit : Domini, vos verum dicitis, sed cum opificium nullum habeam, undè victum acquirere possim, me facilè ex alterius Consilio huic technæ accommodavi, sicq; multorum inscitiam deludens victum quæro, & otiosè agens, singulo die festo, quo reliquum septimanæ optimè degam, sine labore lucror & fruor. Hæc fuit hominis confessio, qui ex alterius consilio dolosam fallendi artem profiteri se fassus est, quod similiter & alios facere dicere non erubuit.

§.XXIII. Ex his citra difficultatem colligitur, illam salutatorum curationem non esse naturalem, sed fieri ope Diaboli & involvere pactum cum ipso, sive explicitum sive implicitum, præprimis quandò illa solum obligatione vulnerum aut murmure aliisque superstitionibus absolvitur. Hoc patet ex eo, quod sic à vulneribus & morbis cu-

rati postea in dolores gravissimos & sæpè morbos sæviores reincidant, & utplurimum vitæ exitum pessimum sortiantur, quod *Ananias Libro 4. de Dæmon. naturâ* ex longa multorum notorum experientia comprobat. *D. Caspar. Bravo de Sobremonte, Ramirez in Disputat. Apologet. pro Dogmatica Medicinæ præstantiâ, Resolutione 19. Tomo 3. Operum pag.* 70. Manifesta signa proponit, per quæ Salutatores de pacto cum Dæmone suspecti, ab aliis, qui gratiam „ gratis datam jactant, discerni possint. Nimirum qui panem à „ se admorsum porrigunt morsis à cane rabido, vel infectis to„ xico, aut dicunt indigere largiori vini potu ad hydrophobiæ „ vim, præstant indicium maleficii aut superstitionis, ut tenent *Delrio, Lib. 1. Disquisit. Magic. cap. 3. quæst. 4. Raphael Torre. Tomo 2. de Vitiis oppositis Relig.* ut probat *Torreblanca*, qui a gratia gratis data cum divina sit, nequit minui, nec augeri naturalibus remediis. Hæc ratio etiam probat, quod vulneris venenati suctio, aut cujusvis alterius remedii applicatio est indicium superstitionis, cum divina virtus illis non indigeat. Tum pacti subôritur suspicio, ut tenet *Sanchez libro 2. Decalogi.* si unus salutator in præsentia alterius nequeat operari, quia una virtus gratis data non imminuit aliam, & virtus cum uno Dæmone potest imminui à virtute alterius habentis pactum cum superiori Dæmone. Tum sunt suspecti Salutatores, qui distantiores aut res futuras dicunt cognoscere; hoc enim potest facere Dæmon, non autem virtus gratis data ad curandum, quæ nihil ultra curationem præstare potest, ut tenet *Picus Mirandulanus Lib. 2. Prænotion. cap. 3.* Tum eadem convincit ratio, ut cognoscamus habere pactum cum Dæmone Salutatores qui ferrum ignitum sine læsione applicant manibus, pedibus aut linguæ. Tum convincit hæc ratio, quod illi qui dicunt cognoscere alios Salutatores, qui fuerant antea illis ignoti, sint Magici. Potest enim Dæmon facere, ut illi alios magos cognoscant, non tamen virtus gratis data ad curandum præstat aliorum similium cognitionem. Tum signa quædam, quæ aliquibus sunt, præstant dignotionem pacti cum Dæmone, à quo solent signari,

qui

qui illi offeruntur. Sane plerisque rotæ vestigium inest, ut dictitant ipsi, *S. Catharinæ* vel *Quiteriæ.* Virtus enim gratis data ad curandum, non ad signandum datur, nec illa cum spiritualis sit virtus, designatur nisi ab effectu. Tum quia procurationibus exigunt pretium, gratis enim Deus dedit virtutem ad curandum, qua gratis debent uti, & dogmatica Medicina horum omnium curationes debet fugere tanquam à Magicis operatas, ob pactum cum Dæmone, ut tenet *Torreblanca* & ab ipso citati *Alphonsus Veracrux, Lib. 2. de Anim. Specul. 2. Delrio Lib. 1, Disquis. Mag. Cap. 3. Quæst. 3. Svarez Lib. 2. de Relig. cap. 15. Malderus de Virtute Theolog. Tract. 10. cap. 8.* Quoad illos autem qui genus & cognationem B. Pauli tumidis buccis crepant, se angues sine læsione contrectare posse, jam plerisque impostura cognita est, solere prius contra morsum sese antidotis præmunire. Itaque si alios solo tactu aut halitu sanant, id naturaliter non faciunt, sed vel fraudulentè vel Dæmonis ope.

§. XXIV. Curationis donum sed à febribus tantum sanandi, quod in Flandriâ habere putantur, quotquot ipso die Parasceves in lucem editi sunt; item, quotquot nullo fœmineo fœtu intercedente septimi masculi legitimo thoro sunt nati, nequit ad naturalem causam reduci, quare prodigiosa est curatio, & si nihil superstitionis accedat, reducenda est ad donum conferendæ sanitatis supernaturale. Ante decennium in Anglia vixit, hodieque fortassis vivit ex infimâ plebe oriundus vir vocatus *VVilliam the Stroker*, id est, Wilhelmus ille Palpator, quoties ille manibus suis Paralyticum, Arthriticum, ulceribusque sordidum aut lethali hæmorrhogia ex sangue membrū corripiebat, toties solutæ alioquin partes movebantur, aliam faciem induebant ulcera, quasi fascino repressus stabat cruor. Viderunt hæc aliquoties non sine stupore viri fide dignissimi. Sed publica auctoritate postea cautum est, ne ulli ad ipsum admitterentur ægroti. Interrogatus olim à Magistratu, qua virtute ejusmodi miracula patraret, se quidem hæc nescire respondit, nisi forsan vera essent, quæ ab amicis suis audiverit, qui hæc omnia indè deducerent, quod inter septem

filios, quos sua mater ex ordine peperisset, ipse esset ultimus. *Paul. Heigel Disputat. Theolog. de Miraculis, cap.* 5. Protulit Hibernia quendam *Valentinum Greatarickum*, virum morum patriorum tenacissimum, nec superstitione aliquâ notum, qui sinistræ manus frequenti applicatione, complura morborum genera Londini in Anglia discussit, & Cancrum, morbum Regium, Lepram, Quartanam &c. in universum omnem heterogeneam fermentationem, seu ebullitione, seu coagulatione & fixione sanguinis ac spirituum causatam vel planè repulit, vel saltim mutavit, ut pulsu faciles essent. Eum voce quadam tribus vicibus admonitum dextram suam stupefactam primò omnium restituisse communis rumor fuit, & manum ac sinum ejus suave oluisse, ipsamque urinam odorem violarum habuisse testati sunt, qui ipso familiariter utebantur, quâ de re prostat *Henrici Stubbes Dissertatio de Valentino Greataricko Edito An.* M DC LXVI. *Anglicè*. Sed hunc ei vigorem haut ita pridem decrevisse recentiores Relationes nunciârunt, seu quod nimiis laboribus circumfusæ plebi impendendis fuerit defatigatus, seu aliam aliundè ortam ob causam. Ingeniose satis & argutè de potentiâ hujusmodi singulari judicium exposuit celeberrimus Medicus *Iacobus Primirosius Libro* 4. *de Vulgi in Medicinâ Erroribus cap. ult.* Id, *inquit*, naturale esse vix quisquam credet. Quod enim naturale est, ab intimis pendet principiis, omnique individuo illius speciei, si incolume illud sit, & naturaliter sese habeat, convenit, ut omne Rhabarbarum purgat bilem, omnis homo risibilis est. Nec pendet à numero, siquidem numerus nullam habet agendi vim secundum Philosophos: Actiones enim sunt suppositorum, & à formâ rerum dependent. Verùm septimus iste fœtus vim habere dicitur peculiarem, quæ sex prioribus fratribus denegata est, quia scilicet septimus est. Necesse igitur ejusmodi vim aliundè dependere, cum nec à formâ nec à numero proficiscatur. Non quidem à contactu, quoniam tactus qua tactus vim solam habet tangendi. Quod si virtus quædam vel noxia vel saluta-

ris

ris inest corpori, ea per tactum quidem communicatur, verum ipse tactus eam vim non possidet. Præterea cum omnium morborum curatio solius causæ depulsione perficiatur, strumas pariter isti thaumaturgi non nisi sublatâ causâ tollunt. Cum autem strumarum causa secundum Medicos pituita sit, in glandulis confirmata, quæ in aliis partibus alios morbos parit, eodem contactu, eadem virtute aliis morbis ab eadem causâ profectis posset opitulari. Quod cum non fiat, necesse est, vel miraculosam esse curationem, vel ægrotantis imaginatione totam inniti. At cum ægrotantium imaginatio variè sese habeat, ac in quibusdam fortior, in aliis imbecillior sit, incertus haud dubiè ex incertâ causâ eventus sperari debet. Miraculosam igitur necesse est, aut falsam & Dæmoniacam. Miraculosam esse non facilè credendum est; Contactu olim sanabant Apostoli & primi Christiani ad majorem Dei gloriam & Christianæ religionis incrementum. Verùm non temerè ad cujuslibet Arbitrium miracula fieri vult Deus, sic quod olim fecerunt Apostoli, non propria virtute, sed Domini N. J. C. nomine se perfecisse docuerunt. Nec reperitur ulla promissio à Deo facta septimo fœtui, nec ante religionis Christianæ prima incunabula, nec postea, & mirum, nullos fuisse tempore Apostolorum septimos fœtus, qui cum ipsis de virtute patrandi miracula concertarent, cum tamen haud dubiè plurimæ familiæ numerosissima sobole luxuriarint. Propterea certius est, Diabolicam esse ejusmodi curationem, si ulla est.

§. XXV. Dicunt autem alii adhuc extra dubium esse positum, quod à solo contactu tam in hominibus quàm in brutis notabiles effectus promanent, veluti curiosa experimenta comprobant. Ita Serpens quernis contacta frondibus emoritur, vipera arundinis vel faginæ virgulæ percussione obstupescit, vespertilio folio platani abigitur, Eryngiũ capræ sumptum ore totos greges sistit, pennæ aliarum aviũ pennis aquilæ permixtæ absumuntur, lepore marino viso vel tacto necãtur nõnulli, lupinis fidibus junctæ agni-

næ dissiliunt. Phalangium & Tarantula insectum pestilens tactu inficere solet. *Baptista Codronchius Lib. 2. de Morb. Venef. cap. 3.* scribit: Cum vetula quædam ventrem puerperæ tetigisset, eam post sex menses gravissimos in ventre dolores percepisse, tandem per alvum spinas, ossa, ligni frustula & multa alia ejecisse. *D. Hector Schlanbovius Physicus VVormatiensis in Epistola ad D. Gregor. Horstium; Marcelli Donati histor. Med. Mirab. subjuncta.* Præterita æstate, *inquit*, in foro publico Vangionum puella quædam octodecim annorum pro conficiendis infantum pultibus farinam coemptura; vetulæ cujusdam manu circa mamillam sinistram contrectatur. Famula domum reversa, inter prandendum acerbissimos persentiscit dolores, quibus indies ingravescentibus, tertio die sanguis una cum frustulo vitri longiore ex papillâ egreditur. Vetula multorum opinione habita saga, carceri inclusa, examini torturæ submittitur &c. Respondeo, solus contactus aut afflatus hominis nullam virtutem naturalem habet, ad sanitatem aliis verè conferendam. Hominem enim non creavit Deus, ut foret materia Medicinæ; cum ipse morbis obnoxius sit, nec temperamentum hominis proprium, quod calidum est & humidum, virtutes istas continet. Quare si aliqui hoc modo alios vel olim sanârunt, vel etiam nunc sanant, id fecerunt ac faciunt vel virtute Dei supernaturali, vel Dæmonis ope sanitatem occultis modis procurantis. Ratio prima est, quia tactus quatenus tactus nullam vim habet nisi tangendi; virtus autem tangendi non est virtus sanandi, vel morbum inducendi. Idem de afflatu sentiendum. Ratio secunda est, quia virtus sanandi alios per manuum Impositionem (& consequenter per tactum multò magis per afflatum) est donum & gratia gratis data à Deo, ut S. Paulus asserit, 1. *Cor. 12. v. 9.* Supernaturale ergò est donum nonnaturale. Alias rationes ex Medicinâ petitas proponit *Gutierrius Opusculo de Fascino, dubio 4. num. 58 & Dubio 7. num. 2.* Vetulæ quæ per tactum maleficium intulerunt, aliis astutâ promptitudine Diaboli dolores illos excitârunt, variisque & admirandis rebus, tumores à causis naturalibus ortos, majoris doloris creandi gratia replerunt. Ad exempla de Animali-

malibus respondendum, pleraque contingere ob antipathiam & ob diffusionem qualitatis cujusdam occultæ; de quâ *Caspar Schottus* prolixè *parte 4. Magiæ Curiosæ Lib. 4. cap. 3. & Caspar à Reies in Elysio jucundar. Quæstion.* campo agit.

§. XXVI. Deinde considerandum venit, an verbis Empsalmistarum quibus peculiarem in curatione morborum efficaciam tribuunt, aliquid transscribi debeat? Pro affirmativâ sententiâ innumera fermè incantationum exempla reperiuntur. Est autem propriè *incantare*, juxta *Nicolaum Perottum in Cornucopiæ super Martialem columna 515.* Verbis solis, vel etiam rebus quibusdam adjunctis aliquid supra naturam moliri, à quo incantatio dicitur & incantamentum. Solet etiam appellari incantatio Empsalmus, & in cantatores Empsalmistæ, quoniam verbis subinde ex Psalmis Davidicis desumtis abutuntur, ut notavit *Gutierrius Lib. de Fascino, dubio 1. Num. 7.* Ex *Iohanne Bravo Lib. de Medendi corp. malis.* Incantatio est Oratio vel precatiuncula solennibus verbis concepta, quæ ad Dæmonem dirigitur, ut *Torreblanca* deducit ex *D. Augustino, in Cap. Igitur 26. quæst. 3.* Incantatores suam artem peragunt verbis, ut tenet *D. Hieronymus in Danielis cap. 2.* Magi sunt, qui verbis rem peragunt. Incantamentorum potentiam omninò mirabilem esse asserit, *Agrippa Lib. 1. Philosophia occultæ cap. 27.* Adeò ut penè omnem naturam subvertere credantur, additque ex *Appulejo*, Magico susurramine omnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos unanimes expirari, solem inhiberi, Lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri. *Virgilius* etiam, *Ovidius, Lucanus, Tibullus, Seneca Tragicus, Horatius, Claudianus, Nemesianus, Lucilius*, aliique apud *Agrippam & Delrium Lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 1. & 13.* ajunt carminibus seu incantationibus pelli segetes, cogi fulmina, curari aut procurari morbos, levari senectam, ventos pelli atque procellas, cieri pluvias aliaque multa. Audi *Virgilium Eclog. 7.*

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam,
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

 Cam-

Cantando, id est incantando, inquit *Perottus* loco ante memorato. Idem *Virgilius Lib.7. AEneidos*:

Quin & Marrubiâ uenit de gente Sacerdos,
Fronde super Galeam & felici comptus olivâ,
Archippi Regis missu fortissimus umbro;
Vipereo generi & graviter spirantibus hydris,
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat.

Ovidius Lib.2. Amorum Elegia 1.

Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ,
Et revocant niveos Solis euntis equos,
Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues,
Inque suos fontes versa recurrit aqua.

Lib.14. Metamorph. postquâm narâsset Ulyssis socios in Sues mutatos de Carmente seu Canente Pici Regis uxore hæc addit:

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi
Unde Canens dicta est, sylvas & saxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

Apud *Petronium* gloriatur Saga mulier:

Quidquid in orbe vides, paret mihi, florida tellus,
Cum volo, spissatis arescit longuida succis;
Cum volo, fundit opes scopulique atq; horrida saxa
Niliacas jaculantur aquas, mihi pontus inertes
Summittit fluctus: Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hyrcanæque tygres & jussi stare Dracones.
Quid leviora loquor? Lunæ descendit imago,
Carminibus deducta meis, trepidusque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.

Conf. *Tibull. Lib.1. Eleg.2. & 8. Lucanus Lib.6. Carmine Thessalidum* &c. *Seneca act.4. Medea. tracta* magicis Cantibus, *Horatius Epod. Od.5.* Exempla varia incantationum allegat *Delrio l. c. Quæst.*13. Verba verò plurima superstitiosorum hominum recenset *Bravo de Ramirez Disput. Apologet. pro Dogmat. Medic. Præstantiâ, Resolut.*

lut, 17. §.1, qualia hic repetere indignum æstimamus. *Iosephus* autor est *Lib*.8. *Antiquitat.Iudaic.cap*.2. Sapientissimum Regem Salomonem præcantatione &, conjurationibus ut Dæmones fugarentur & morbi curarentur, usum fuisse; quæ tamen cum grano salis debent accipi. Ecquis enim existimet sapientissimum virum incantationes adhibuisse; quoniam tamen divinâ sapientiâ instructus, ut ibidem Josephus notavit, callebat artes solvendi veneficia, quibus uti licitum erat, idcircò à multis, sed falsò incantatoris nota illi est imposita. *Plato Lib*. 4. *de Republicâ* in universum morbos incantationibus sanari asseverat, teste Platonicorum Principe *Marsilio, Lib*.3. *de vitâ cœlitus comparandâ*. Idque apud *Lucianum* Dinomachus Stoicus, Ion Platonicus, Cleodemus & alii opinantur. Imò Pythagoras, Empedocles, Apollonius Thyanæus non tam verbis, quàm carminibus morbos sanari tradunt. Plinium eandem sententiam habuisse, eamque plurimis appositis exemplis confirmâsse probat *Andreas Tiraquellus Lib*.2. *de Nobilitate quæst*.7. *num*.302. *Alexander ab Alexandro Genial.dier. Lib*.2.*cap*.17. *Alexander Trallianus* non contemnendæ autoritatis Medicus *Lib*.9. *cap*. 4. Ex sententiâ *Galeni* id firmat, §. *præterea etiam divinus Galenus*, qui nec quidem incantationes putavit, longo tempore multoque usu plurimum ipsas posse deprehendit. Audi verba ipsius quæ de Medicâ Homeri tractatione scripta reliquit in hunc modum: Nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulis esse persimiles, quemadmodum ego quoque diu existimavi, temporis autem progressu ab eis, quæ evidenter apparent, persuasus sum, vim ipsis inesse. Nam in percussis à scorpio adjumentum sum expertus, nihilò autem minus in ossibus gutturi infixis, quæ incantatione statim exspuebantur, ac multa præclara singulæ habent incantationes cum institutum consequuntur &c. Quæ sententia *Galeni* licet non extet, extitisse tamen autoritate hujus viri potest comprobari. Deinde ille autor *Lib*.11. *in fine cap. unic. de Podagrâ* characteribus utitur ad coli dolores persanãdos. Videatur *Marcell.*

Donat-

Donatus Lib.2.de Medicâ Histor. Mirab. cap.1. Fernelius Lib. 2. de abditis.16. Cardanus Lib. 2. Tract.2. Contradict.7. Andreas à Cruce Lib.1.de Vulneribus, Tract.2.cap.17. de Vulneribus curandis Orationibus & aquâ. Marinus Mersennus in cap.1. Genesis v.1.cap.19. Rodericus à Castro Lib.de Med.Polit. Santorellus Lib.2. Antepraxis, Paul. Zacchias Lib.2. Quæst.Medico-Legalium; Tit.2.quæst.ult.

§.XXVII. Verùm enimverò salva tantorum virorum auctoritate, negativa sententia & tutior & certior hominibus non proletariæ eruditionis ac dignitatis visa & defensa est, quorum ego vestigiis insistens dico: Verba sive carmina ab incantatoribus vel sagis prolata nullam habent vim naturalem ad ejusmodi effectum præstandum, ut cœlo sydera vel Lunam deducant: Grande illud falsum ex ignorantiæ fraudisque abysso derivatum detegit *Sosiphanes in Meleagro apud Eliam Schedium*, de DIS German. pag.169.

Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα θεσσαλὶς κόρη
(Πάντες λέγουσιν ὡς) καθαιρεῖ. Καὶ γδ ἂν
Ψευδὴς Σελήνης αἰθέρος καταιβάτις.

Magicis carminibus quævis Thessala puella
(Omnes uti dicunt) abolet, Sed hoc mendacium
Quod Luna ex æthere labatur.

Lunaris deliquii ratio cum adhuc esset incognita, magorum carminibus & incantationibus Lunam cœlo deduci, detractamque eò adigi credebant, ut in herbas despumaret, & vires pro magicis operationibus effunderet. Hinc *Lucanus Lib.6. Pharsaliæ*:

Et patitur cantu tantos depressa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas.

Non enim Eclipsis lunaris causas indagare ulli concessum erat. Non ferebant eo tempore, inquit *Plutarchus in Niciâ*, eos, qui naturam rerum, & cœlestia sublimiaque explicare profitebantur, tanquam qui divinum numen in absurdas causas efficaciasque, nullum certum finem propositum habentes, & affectiones necessitate constrictas discerperent. Illas Magicas Artes *Propertius* quoque explodit *Lib.1. Eleg.1.*

At

At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis.
En agedum Dominæ mentem convertite nostræ;
Et facite, illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis & sidera & amnes
Posse Cytæinis ducere Carminibus.

Hippocrates etiam *Lib. de Morb. Sacr. pag. 366.* eorum temeritatem reprehendit, qui se scire profitebantur expiamentis, carminibus & incantationibus, adeoque potestate humanâ Solem Lunamq; obscurare, tempestates, tranquillitatem, pluvias, siccos æstus inducere, mare terrasque perturbare, & multa his similia. Si hoc esset possibile, tum, inquit Senex ille, Divinitatis potentia ab humanâ voluntate superaretur, & in servitutem esset redacta.

Porro neque verba valent, ut vel inducant morbos, aut mortem, vel Sanitatem restituant. Hæc est communis mens Dd. Evolvesis *Thomam secunda sec. Quæst. 96. Artic. IV. Torreblancam Lib. 2. Practica Iuris Spiritualis cap. 10. Cajetan. Roset. Tabienam, Armillam, Sylvestrum aliosque* Summistas *in cap. Incantatio. Azorium Tomo 1. Moral. Lib. 9. cap. 25. Casparum Cirvelum Dorocensem, de superstitione p. 3. Victoriam in Relect. de Magiâ num. 34. Delrium Lib. 1. Magic. Disquisit. cap. 3. Quæst. 4. Lessium Lib. 2. de Iure & Iustitia cap. 43. dub. 10. Stephanum Pabulum in D. Thom. p. 1. quæst. 50. Artic. 1. Disput. 2. Soncum de Religion. Tract. 3. cap. 8.* Ex JCtis videatur *Martinus de Arles Tract. de superstit. ex. num. 9. Oceanus Iuris Tomo 10. Epist. Simancas de Catholic. Institut. tit. 63. Paulus Grillandus de Sortileg. qu. 6. n. 8. Azpilcueta in Manuali cap. 11. Iacob. Graffis Lib. 2. Decision. cap. 3. & cap. 5. num. 1. Zerola in Praxi Episcopor. Tomo 1. qu. 20.* Ex Medicis, *Hippocrates Libro de sacro morbo. Galenus Lib. 2. & 7. Simplic. Fernelius Lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 26. Horatius Augenius Lib. 2. cap. 7. Andreas Laurentius Lib. 1. de virtute Regis Galliæ, cap. 5. Cæsalpinus Lib. 6. de Investigation. Dæmon. cap. 22. Codronchus Lib. 6. de Morbis Venefic. cap. 2. Petrus Forestus Tomo 1. Observa-*

tion. cap. 15. Bayrus, Lib. de Fascinat. c. 11. Daniel Sennertus Tomo 3. Tit. de fascinat.

§. XXVIII. Possunt autem verba in ordine ad effectus prædicatos dupliciter considerari, Primò nempe *formaliter*, prout significativa sunt, aut signa alicujus internæ affectionis, ad placitum conceptuum mentis, ad quæ omnia passivè se habent pro nutu audientis, vel placito gentium significando. Juxta *Aristotelem Lib. de Interpretat. cap.* 4. Ergò in illis nulla est agendi virtus, morborum curatrix. Quia sonus ille ab ore prosiliens ex aëre verberato à linguâ & larynge, eique adjuncta significatio nihil reale & positivum addit verbo prolato aut scripto. Secundò accipiuntur verba *materialiter*, quatenus aut quidam sonus sunt dearticulati, aut characteres quidam scripti sive picti. Sed neque sic verbis, ulla vis curãdi morbos inest. Certè sonus est qualitas adeoque accidens; nunquam autem accidens est principium principale productivum accidentis, sed semper instrumentale, ut habet *Fonseca Lib. 5. Metaphysic. cap. 11. Quæst.* 11. *pag.* 6. Effectus qui morbos curat, non producitur nisi à motu locali aut physica ac vehementi alteratione ac mutatione, aut naturalium agentium cohibitione ac impeditione, ad quæ tamen præstanda nec materialis verborum sonus, neque eorundem scriptio aut pictura quidquam valet. Verba scripta sunt aliquid mortuum & omnis energiæ expers; verba autem ore prolata tantum contactum aerem feriunt, ut animalium reliquorumque inanimorum soni. Sed sonus tactum non magis potest immutare, quàm color auditum, quoniam non sunt sensuum istorum objecta. Porrò sonitus est res fluxilis & in transitu consistens seu in viâ, qualia entia nequeunt causare effectum naturalem permanentem, nec permanentes exserere virtutes. Quare cum ad sanationem necessarium sit tactum immutari, fateri oporter, sanationi morborum solam verborum prolationem nihil conferre. *Si esset in ipsis verbis insita potestas, quisquis ea & quæcunq; modo, loco & tempore pronunciaret, voti compos fieret*, benè ratiocinatur *Thomas Erastus de Lamiis p.* 14. Horum autem omnium vanitas à vanitatum auctoribus inventa, ab Epicuræis Cynicisq; Philosophis antiquitus pariter vexata atque derisa, non

modo

modo viris doctis, verum etiam rudibus ac pebejis notissima existit *Vid. Abulensis in Levitic. cap. 19. & Exodi 20. Tomo 1. quæst. 1. & 8. Robert. Holcot in Sapient. Sect. 189. Cirvelus de Superstit. P. 3. cap. 12. Simon Majolus Tomo 2. Canicular. Colloqu. 5. Suarez. de Relig. Tomo 2. cap. 15. Num. 26. Picus Mirandulanus Libro proprio de Magiâ. Bernhardus Veronensis Lib. 7. cap. 25. de Veneficiis Symphorian. Campegius in Annotament. contra Conciliator. Tarraga quæst. 36. in Lit. P. Iohann. Bravus Petrafitanus Lib. de Marsis & Psyllis. Iohann. Bravus Chamicus Lib. 2. de Vulner. Curat. cap. 5. Caspar Peucerus Libro de Incantat.* à Principio. *Caspar Schottus de Magia Naturali part. 2. Lib. 4. cap. 2. p. 217. D. Iohann. Christian. Frommann. Tract. de Fascinat. Lib. 1. part. 2. Sect. 2. cap. 2. Alchindus Arabs Libro de Effectu projectuque radiorum, qui Magicarum Artium Theorica* prætitulatur, somniavit voces ex se certos radios emittere, qui mirabiles edant operationes: Voces, *inquit*, aliæ faciunt radios differentes à radiis aliarum vocum, qui effectum suum ex harmoniâ cœlesti nanciscantur. Hunc futilem errorem confutat *Mirandulanus Libro 7. de superstitiosâ prænotione cap. 6.* luculenter, nec non *Nicolaus Eymericus in directorio Inquisitorum, p. 2. qu. 4.*

§. XXIX. Oratio ad depellendos morbos inter milites Salutatoribus Hispanis quibusdam, ut ferunt, sanctè viventibus & omnes ægrotos gratis curantibus, cum solâ linteorum impositione, sine ullius naturalis Medicamenti accessu usitata, ex lingua Hispanica à *Majolo Tomo 2. Colloqu. 3. p. 201.* ad verbum Latinè ita exprimitur: Per Christum & cum Christo & in Christo est tibi Patri omnipotenti in unitate Spiritus S. omnis honor & gloria per omnia secula seculorum. Oremus salutaribus præceptis moniti & divina Institutione formati audemus dicere: Pater noster qui es in cœlis, &c. Amen. Jesus, Potentia Patris, Sapientia Filii, virtus Spiritus S. sanet hoc vulnus ab omni malo. Amen. Jesus. Domine mi Jesu Christe, credo, quod nocte Jovis Sancti in cœnâ, postquàm lavisti pedes sanctorum tuorum discipulorum, accepisti panem in sanctissimis manibus tuis, & benedixisti, & fregisti, & dedisti tuis sanctis discipulis dicẽs: Accipite &

comedite, hoc est enim corpus meum. Similiter accepisti calicem in sanctissimas manus, & gratias egisti, & tradidisti illis dicens: accipite & bibite, quia hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obsecro te, Domine mi Jesu Christe, ut per hæc sanctissima verba, & per virtutem illorum, & per meritum sanctissimæ passionis tuæ sanetur hoc vulnus & malum istud. Amen. Jesus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Jesus.

Sed hanc formulam & curandi methodum ut blasphemam & prorsus illicitam *Simonius Episcopus Yprensis* apud *Majolum* loco allegato meritissimè propter sequentes rationes rejicit: Primò quia hic effectus totus exspectatur per modum miraculi à Deo. Sed miracula sic assiduè & quasi ex consuetudine poscere, est Deum tentare. Deindè sancti viri ad miracula edenda non sunt usi certis & quasi conceptis verborum formulis, sed modò sic, modò aliter prout Spiritus S. suggerebat. Tertiò sanctitas hujus non satis probata: fit enim plerumque ut malefici præclarè specie externâ sanctitatem mentiantur: neque in hâc re milites satis idonei Judices, quibus sancti videntur, qui extrinsecus peccata gravia non produnt. Quartò qui donum sanationum à Deo acceperunt, illi nunquam accipiunt cum conditione, ut talibus utantur verbis; sed tales commentitiæ formulæ sunt indicia pacti saltem latentis. Quintò, non licet privatis comminisci formulas, quas nec sacræ literæ, nec Ecclesiasticus usus approbavit. Denique applicat verba consecrationis rei, ad quam instituta non fuit; (quod non est permittendum:) & præterea petit effectum sibi concedi per vim prædictorum verborum, quæ vis non ad vulnerum corporis consolidationem, sed ad panis & vini consecrationem à Salvatore nostro directa fuit. Hæc Episcopus.

§. XXX. Vis sanandi in rebus naturalibus debet esse virtus morbo contraria, cum contraria contrariis curentur. At quæ in radiis ex verbis resultantibus virtus moralis opposita morbo? Cum igitur verba ab incantatoribus prolata, vel per characteres de-

descripta, non habeant vim operandi à Deo, nec à se, eandem necesse est obtineant à Dæmone, quippe qui ad incantationem tanquam ad tesseram vocatus advolat,& quodcunq; mancipium ejus intendit,astutè perficit. Eruditâ hoc ipsum demonstratione proponit *D. Guernerus Rolfinck Chimiæ Lib. 5. Sect. 14, cap. 1.* sic scribens: CHARACTERES VERBAQUE iis conjuncta, si agant aut præstent aliquid, præstant id ut Instrumentum quoddam. Instrumentum reducitur ad causam efficientem. Ergò ad efficientem per se, vel per accidens. Si PER SE agant verba & Characteres, agunt vel insitâ vi, vel naturæ, vel rationis. Non agunt VI NATURÆ, quia nulla agnoscitur latens virtus. Quamvis enim VERBA naturalibus Instrumentis proferantur, voxque hoc modo naturalis sit ipsa,significant tamen οὐ φύσει, ἀλλὰ θέσει, non natura,sed pacto & ex hominum instituto: Neque ullo modo concedi potest Paracelso, quod natura vires ullas iis imposuerit. CHARACTERUM materia, quamvis naturalis sit,metallica,lapidea vel vegetabilis,adscriptas illas vires à naturâ non habet. Nec etiam forma & figura eorundem ullius est efficaciæ. Non agunt RATIONE, quia rationis & Consilii characteres sunt expertes. NON PER ACCIDENS, quia non agunt necessitate coactionis ab aliqua causa sublunari vel cœlesti. SUBLUNARIS nullum habet locum. Artifex & idea in mente ejus concepta,à quâ fiunt verba & characteres,in exteriora non agunt. Imaginatio etiam artificis,vel confidentia,cogitatio aut firma animi persuasio hic nihil habent virium, sunt enim hæ actiones immanentes, neque ex animo in Subjectum patiens transeunt. A COELO etiam aut stellis, astralive Spiritu influente vim impressa verba aut characteres obtinere probabile non est. SUPERNATURALIS causa etiam non admittitur: nullam enim DIVINAM characteres & verba talia habent promissionem bonorum temporalium aut cœlestium. Si à DÆMONE,malo aliquo genio, tacitoque pacto & latente fœdere hæ deriventur vires, apage! Tandem etiam neque CASUS,aut FORTUNA hic ullum habent locum. Ergò characteres,figuræ, verbaque amuletis

 im-

comedite, hoc eſt enim corpus meum. Similiter accepiſti calicem in ſanctiſſimas manus, & gratias egiſti, & tradidiſti illis dicens: accipite & bibite, quia hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obſecro te, Domine mi Jeſu Chriſte, ut per hæc ſanctiſſima verba, & per virtutem illorum, & per meritum ſanctiſſimæ paſſionis tuæ ſanetur hoc vulnus & malum iſtud. Amen. Jeſus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Jeſus.

Sed hanc formulam & curandi methodum ut blasphemam & prorſus illicitam *Simonius Epiſcopus Yprenſis* apud *Majolum* loco allegato meritiſſimè propter ſequentes rationes rejicit: Primò quia hic effectus totus exſpectatur per modum miraculi à Deo. Sed miracula ſic aſſiduè & quaſi ex conſuetudine poſcere, eſt Deum tentare. Deindè ſancti viri ad miracula edenda non ſunt uſi certis & quaſi conceptis verborum formulis, ſed modò ſic, modò aliter prout Spiritus S. ſuggerebat. Tertiò ſanctitas hujus non ſatis probata: fit enim plerumque ut malefici præclarè ſpecie externâ ſanctitatem mentiantur: neque in hâc re milites ſatis idonei Judices, quibus ſancti videntur, qui extrinſecus peccata gravia non produnt. Quartò qui donum ſanationum à Deo acceperunt, illi nunquam accipiunt cum conditione, ut talibus utantur verbis; ſed tales commentitiæ formulæ ſunt indicia pacti ſaltem latentis. Quintò, non licet privatis comminiſci formulas, quas nec ſacræ literæ, nec Eccleſiaſticus uſus approbavit. Denique applicat verba conſecrationis rei, ad quam inſtituta non fuit; (quod non eſt permittendum:) & præterea petit effectum ſibi concedi per vim prædictorum verborum, quæ vis non ad vulnerum corporis conſolidationem, ſed ad panis & vini conſecrationem à Salvatore noſtro directa fuit. Hæc Epiſcopus.

§. XXX. Vis ſanandi in rebus naturalibus debet eſſe virtus morbo contraria, cum contraria contrariis curentur. At quæ in radiis ex verbis reſultantibus virtus moralis oppoſita morbo? Cum igitur verba ab incantatoribus prolata, vel per characteres de-

descripta, non habeant vim operandi à Deo, nec à se, eandem necesse est obtineant à Dæmone, quippe qui ad incantationem tanquam ad tesseram vocatus advolat,& quodcunq; mancipium ejus intendit,astutè perficit. Eruditâ hoc ipsum demonstratione proponit *D. Guernerus Rolfinck Chimiæ Lib.* 5. *Sect.* 14. *cap.* 1. sic scribens: CHARACTERES VERBAQUE iis conjuncta, si agant aut præstent aliquid, præstant id ut Instrumentum quoddam. Instrumentum reducitur ad causam efficientem. Ergò ad efficientem per se, vel per accidens. Si PER SE agant verba & Characteres, agunt vel insitâ vi, vel naturæ, vel rationis. Non agunt VI NATURÆ, quia nulla agnoscitur latens virtus. Quamvis enim VERBA naturalibus Instrumentis proferantur, voxque hoc modo naturalis sit ipsa,significant tamen οὐ φύσει, ἀλλὰ θέσει, non natura,sed pacto & ex hominum instituto: Neque ullo modo concedi potest Paracelso, quod natura vires ullas iis imposuerit. CHARACTERUM materia, quamvis naturalis sit,metallica,lapidea vel vegetabilis,adscriptas illas vires à naturâ non habet. Nec etiam forma & figura eorundem ullius est efficaciæ. Non agunt RATIONE, quia rationis & Consilii characteres sunt expertes. NON PER ACCIDENS, quia non agunt necessitate coactionis ab aliqua causa sublunari vel cœlesti. SUBLUNARIS nullum habet locum. Artifex & idea in mente ejus concepta,à quâ fiunt verba & characteres,in exteriora non agunt. Imaginatio etiam artificis,vel confidentia,cogitatio aut firma animi persuasio hic nihil habent virium, sunt enim hæ actiones immanentes, neque ex animo in Subjectum patiens transeunt. A COELO etiam aut stellis, astralive Spiritu influente vim impressa verba aut characteres obtinere probabile non est. SUPERNATURALIS causa etiam non admittitur: nullam enim DIVINAM characteres & verba talia habent promissionem bonorum temporalium aut cœlestium. Si à DÆMONE,malo aliquo genio, tacitoque pacto & latente fœdere hæ deriventur vires, apage! Tandem etiam neque CASUS,aut FORTUNA hic ullum habent locum. Ergò characteres,figuræ,verbaque amuletis

impressa, nullam habent efficaciam. Hactenus ille. Non intempestivè igitur quærit *Gisbertus Voetius Theologus quondam ultrajectinus Tomo 3. Disput. Select. Theolog. Tit. de Magia p. 578. quæst. 9.* Undè est mediorum illorum efficacia, si non semper, saltem ut plurimum? Siquidem verba, actiones & res illas aliquid posse docet experientia. Resp. Procedit hoc ex arbitrio Diaboli, non ex constanti aliquâ mediorum illorum aptitudine. Novit Diabolus simulare, superstitiosis illis mediis præsto esse, tanquam efficacibus cedere, fucatè se subjicere, ut homines fallat. Deus autem hoc permittens punit hominum curiositatem, superbiam, ingratitudinem & infidelitatem, qui ductu verbi & Spiritus ejus, suaque vocatione non contenti, nec acquiescentes in Dei voluntate & providentiâ Deum tentant; atque ita immitit illis erroris & Diabolicæ illusionis efficaciam. Deuter. 13. v. 3. 2. Thess. 2. v. 10. 11. Optimè etiam ex nostris Dd. *D. Martinus Geier Duquisit. Theolog. de Superstitione cap. 7. §. 5.* concludit: Quod si verò reperiri vel adhiberi videris verba ignotum quid significantia, characteres tibi incognitos, circumstantias ad præsens negotium parum facientes, imò sacra etiam nomina vel dicta, minus honorificè vel extra locum saltem tempusq; usurpata; è vestigio conjicias, periculum cujusdam tacitæ, illicitæque collusionis subesse, proindeq; abstinebis cautissimè. Qui militiæ non vult implecti invitus, non modo cum militibus non conversabitur, sed ne nummulum ab iis, inscius etiam, reportet, anxiè providebit. H. I. Quis autem cordatorum Christianorum tali Medico utatur, cujus curatio, ut scitè advertit *Fallopius Tract. de Vulneribus in genere cap. 14.* nec certa, nec tuta, sed fallax & captiosa, imò recidivatione & periculo plena est. Neque licet uti verbis divinis ab incantatoribus prolatis pro morborum curatione, quia vel sunt in malum finem directa, vel sensus eorum invertitur, aut cum profanis & nihil significantibus rebus permiscentur. Notanter proindè *Chrysostomus in Matthæum* scribit: Quod si Evangelii verba ab iis hominibus prolata curarent morbos, melius eos curarent audita in Ecclesiâ. *Augustinus in Evangelium S. Iohannis* dicit: Illi qui seducunt per ligamenta,

menta, precationes & per machinamenta inimici, suis precationibus miscent nomen Christi, ut lateat ipsa seductio. Nec ipsi Dæmones perfectam præstant per hæc verba sanitatem, quam semper contendunt auferre ab hominibus, ut *Fernelius* habet, *Lib.2. cap.16. de abditis rerum causis*. Nam licet Dæmon ægrum persanare possit, tantum beneficium in hominem, quem perpetua insequitur invidia, conferre nequaquam vult, & si quandò præstat, id est ad tempus, & vehementior postea morbus redit. Vitate, *inquit Cyprianus Lib.1. Epist.5.* linguam Diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & mendax, mentitur, ut fallat, blanditur, ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut perimat, pacem pollicetur, ne perveniri possit ad pacem, salutem promittit, ne, cui promittit, ad salutem veniat. Confer. *Franus à Reyes, quæst.22. apud Bravum in Disput. Apologet. Resolut.17. §.5. Annæus Robertus ICtus Lib.1. Rer. Iudicatar. cap.5. Benedictus Pererius Lib.1. de Magiâ Thomas à Veiga in Comm.85. Art. Medic. Galeni, Iohann. Hucher Lib.5. de Malefic. Iohann. Georg. Godelmann, Lib.1. cap.8. De Magis Veneficis & lamiis.*

§.XXXI. Denique dictum est, quosdam Salutatores Salivam in curatione ægrorum illitam adhibere, neque sine fructu, si rem æquâ lance ponderemus. Magnā enim eidem inesse vim Physicorum nullus facilè inficiabitur. Inde non absq; ratione saliva humana præsentaneum antidotum adversus mortiferos animaliū ictus *Galeno* vocatur, *Lib.10. Simplic. cap.16.* Si scorpius ictum infligere velit, salivam in eum exspuere oportet, quam à proprietate Scorpionum aliorumq; animalium venenatorum ictibus valenter resistere probat idem *Galenus, Lib. de bonit. & vit. Succor. cap.2. & Lib. de Inæqual. Intemper. cap.18. Plin. Lib.28. cap.8. Lacuna in Præfat. Lib. 6. Dioscorid. in Med. Arnald supra Qu. de malâ complexione diversa. Calius Calcagn. Lib.1. Epist. Lev. Lemn. Lib. 2. de Occult. Nat. Mirac. c.44.* Est vi concoquendi prædita, hâc de causa lichenas, mentagram, impetiginē variolas, serpiginem, omnesq; alterius generis pustulas abstergit. Lepræ jejuno illius illitu assiduo arcentur. Lippitudines matutinâ quotidiè unctione, carcinomata & cæteræ deterrimæ inflammationes hoc auxilio curantur, & alii tumores inve-

inveterati solius salivæ contactu mitescunt, vid. supra. Jejunam salivam contra serpentes auxilio esse, *Lucretius Lib. 6.* probat:

> Est itaque ut serpens hominis contacta saliva
> Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.

Maximum inter hominem & serpentem est dissidium, temperationisque repugnantia, ut scribit *Martio Smyrnæus*, qui de simplicium effectibus disseruit, & rumpi scolopendras marinas sputo tradit, rubetas aliasque ranas. *Plinius Lib. 28. cap. 4.* Serpentes emori dixit, si quis in hiatum earum expuat, ut tradit *Verulamius Lib. de Sympathia & Antipath. Med.* Valida autem & acris est saliva eorum, qui ingenti aut inediâ aut siti premuntur. In medio est eorum qui probè concoxere, nondum tamen cibum potumve ingesserunt, juxta *Galenum loco supra citato.* Ergò citra incantationem saliva humana mutua quam cum serpentibus habet repugnantia, scorpium & cætera animalia venenosa interficit. *Sylvester Rattray in aditu ad Sympath. & Antipath. causas, pag. 18.* Singularia de Salutatorum sputo *Marcus Marci à Kronland in Philosophia veterum restituta parte 5. subsectione nona, pag. 554.* hoc ordine & verborum tenore proponit: Magna vis inest sputo illorum quos Salutatores vocant. Nam si aqua illa quam sputo adsperserint, bibatur, sanat momento quævis venena, seu sumpta seu per vulnus recepta, quin etiam clibanum ardentem, ubi prius in hunc spuerint, ingrediuntur prorsus illæsi, extincto protinus igne hujus vi, prout retulerunt mihi testes oculati, inter quos illustris Comes Franciscus Verdugo. Neque tamen de ullo pacto cum Dæmone quovis suspectos Sancta Inquisitio invenit, licet vitæ nō omnes sint usque adeò inculpatæ. Undè sequitur hanc vim purè naturalem, & non moralem esse. Erat ex illorum numero quispiam Religiosus, qui cum per forum obambularet, (urbem non memini, habeo autem ab illo qui præsens fuit,) ubi viperæ venales erant: apprehensa una ejusdem os pectori suo, caudam verò ori admovit, quam cum morsu læderet, se ipsum morderi & vulnerari coëgit,

git, & dum qui aderant, hominem perditum conclamarent, ille sumpta aqua & sputo adspersa mox ebibit, & absque omni noxâ fuit. Vocantur hæc dona gratis data, in quibus tamen est magna latitudo. Magis verò probabile est hanc vim sanativam non esse moralem, qualis fuit Apostolorum aliorumque, qui super ægrotos manus ponebant & benè habebant, quia tum manus illæ ad sanitatem nullam vim naturalem obtinebant, sed cura illa per Angelos peragebatur, sputum verò illud aquæ vim confert, qualem habent alia Medicamenta, quandoquidem effectus infallibilis indè sequi solet. Tertiò verisimile illud sputum seu salivam non habere ejusmodi vim sanativam ex se, sed per impressionem ab imaginatione illam concipere. Nam si ex se illam haberet, ad quid necesse prius aquam illa aspergi? annon magis efficax si absque aqua deglutiatur. Atque hæc ratio esse videtur, quod saliva hominis jejuni serpentem necat, quia nimirum ab imaginatione illa & appetitu nocendi sigillum sibi impressum habet, quod Archeo (Aristoteles calorem vitalem, Galenus calidum innatum, alii Spiritum appellant) perturbationem & ex ea perniciem affert. Quia enim tum imaginatio concipit ideam serpentis & hujus privationem, fit ut ideam hujus seminalem ea ratione invadat. Annon spuere solemus quandò aliquid detestamur? & tamen idem facimus dum laudamur! atque ita saliva eadem benevolentiæ & aversionis fit Subjectum & nuncia. Sanatio eodem modo fit per illud sputum & per quodvis aliud arcanum. Sicut ergò perturbatio fit per speciem expressam, ita necesse illius quietem per similem speciem Archeo induci. Neque verò aculeus scorpii lædit, nisi vulnus à cupiditate nocendi sigilletur. Et morsus à dente humano illatus, venenum ex eodem appetitu habet, qui si absque animo nocendi fiat, est innoxius, quandoque etiam salutaris. Neque quomodocunque spuunt, sed mentem quasi totam in hoc sputum colligunt & per illud auferre intendunt, quidquid est sibi infestum. A virtute imaginativa utriusque progenitoris principia nostri ortus immutari constat, undè illorum vitia & mores hæreditare dicimur. Atque eò magis, quo illius actus vestigium magis impressum

manet, juxta illud *fortes nascuntur fortibus*, quia nimirum sui ortus principiis illam ideam fortitudinis impressam & intextam habent. Undè jam elucere videtur qua ratione illa virtus sanativa innasci possit, nimirum per ejusmodi ideas, à quibus anima ex se indifferens limitatur, ad hoc vel illo modo agendum. Sputum illud rationem habet arcani, ipsumque Archeum eo modo affectum restituit, suoque Archeo similem reddit. Et licet in homine sola anima rationalis sit principium vitale, atque illius actus incommunicabilis, non tamen hunc elicere potest, nisi dependenter ab animâ sensitiva, quæ prius natura elicit suum actum, à quô proximè anima rationalis ad suum quoque actum determinatur. Inde sequitur Archeum in sputo quantumvis anima rationalis ab eo tum separetur, retinere tamen illum actum in omni sua perfectione, quam prius habebat, cum anima rationalis eidem unita esset, neque mutationi & passioni subjectum esse, quoniam ex se principium non est ullius actus interni, neque aliundè hunc recipere potest, neque proindè passionibus Archei, si eidem uniatur, ulla ratione moveri. Quæ etiam ratio est, quod sanatores illi tametsi Sputum in ore habeant, non tamen per illud juvari possunt, quantumvis appetitum intendant & juvari cupiant, nisi prius in aquam spuant. Propterea quod quamdiu in ore continetur ob principium vitale, quod eidem tum inest, variis passionibus subjectum manet, & illâ pace rursum exui potest. Hactenus D. Marci, satis argutè Salutatorum causam peroravit, quid autem illis opponi possit, ex antecedentibus satis constat, quare hic nihil repetimus sed potius Sputatores illos res suas sibi habere jubemus animo penitus ab ipsis remoti & alieni.

DISSER-

DISSERTATIO XIX. DE OSCULO CONTAGIOSO.

Summaria.

§. I. *Aristotelis & Galeni de medio inter sanum & ægrum dissensus conciliatus. Calor naturalis Medicinæ Minister.* II. *Contagionis causa putredo. Contagii quadruplex considerandi modus: Effluviorum è corporibus magna vis & varietas. Arcula in Templo Apollinis Græciam & Italiam peste inficit.* III. *Morbi contagiosi. Albaras sive elephantiasis. Morborum contagiosorum requisita.* IV. *Ad actum inquinationis concurrentia. Diversitas corporum respectu contagii suscipiendi.* V. *Morbi parentum ad liberos in generatione transeunt. Contagium mediante copula carnali propagatum. Varii illius recipiendi modi.* VI. *Osculo morbi contagiosi disseminantur in Belgio & Daniâ.* VII. *Cautela de osculis in Anglia & aliis regionibus lue Venerea infectis observanda.* VIII. *Fascini origo & varia significata. Incantator Hebræis audit congregator. Homines vultu & laudatione fascinum inferentes an & ubi sint, disquiritur.* IX. *Ildephonsi exempla de visus fascino examinata. Saturninus venenatus. Oculus noxius.* X. *Modus fascinandi physicus. Felis veneato halitu homines enecat. Visio qua visio non lædit, sed mala qualitas ex oculo egrediens.* XI. *Oculus invidi nihil valet. Vetularum Oscula & commercia teneris infantibus serio vitanda.* XII. *Fascinum naturale veneni naturam habet. Nobilis ex adspectu vetulæ moritur. Quidam homines naturâ alios inficiunt. Notabilis in quibusdam animalibus proprietas observata.* XIII. *Infantum collo res turpes appensæ ad avertendum fascinum. Fascinus Deus. Priapus. Obscœnum unde? Præfiscini. Pace vestra, vel citra invidiam hoc dictum. Caligula Livori*

ſacra facit. Dea Cunina. Ter in ſinum deſpuere. Infamis digitus. Saliva luſtralis. Saliva virgo. Lutò è balneis frontes puerorum inuncta. XIV. *Faſcinationis Magicæ effectus. Ex faſcino febris ephemera putris & mors. Icuncula cerea ad Diabolica maleficia. Duffus Scotorum Rex mirè à veneficis vexatus.* XV. *Marcus Marci in puncto faſcinationis notatus. Infans non niſi in propinquo à noxiis effluviis naturaliter læditur. Contactus operationis & quantitatis, corporalis & virtualis. Eberhardus Epiſcopus Trevirenſis veneno perit. Morbi trans naturam incurabiles.* XVI. *Sagæ in Perſia hominum corda devorant, eosdem dirè intuentes.* XVII. *Cadaver ſine auxilio caloris alteri noxium eſſe nequit.* XVIII. *In morientibus & demortuis aliquamdiu Spirituum reliquias remanere ratione & exemplis oſtenditur. Motus in demortuis obſervati. Peſtis ex cadaveribus mortuis in bello orta.* XIX. *Contagionis ſeminaria extincto calore nativo non delentur prorſus. Lædens ſine patientis aptitudine non lædit. Oſculum cadaveroſum.* XX. *Puella cadaveroſum fœtorem ex ſingulari corporis proprietate emittens. Epileptici pueri oleo ſuccini inuncti ſepulchrale quid redolent. Remedium contra oris fœtorem.* XXI. *Puella ex oſculo mortua. Paſſiones animi, dolor, indignatio, lætitia, amor, timor & pudor multis mortem afferunt.* XXII. *Defectus caloris vitalis in corde proxima mortis repentinæ cauſa. Caloris vitalis defectus unde? Calor vitalis flammæ externæ comparatus.*

§. I. NOtiſſimum eſt Philoſophi axioma: *ἐναντία παράλληλα μάλιστα φαίνεται* III. *Rhetoricor. cap.* 2. Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Sanè inquit *Ariſtoteles Lib.* 5. *Ethic. cap.* 1. ſæpenumero è contrario habitu, habitus intelligitur contrarius, ſæpè verò etiam ex rebus habitui ſubjectis, habitus ipſe. Nam ſi bona corporis habitudo & firma conſtitutio nota ſit, nota erit & mala, & cognitis iis, quæ firmam corporis conſtitutionem efficiunt, firma quoque corporis conſtitutio cognita erit, & rurſus ex hac ipſa, ea quæ bonam corporis habitudinem efficiunt. Si enim bona corporis habitudo ſoliditas carnis eſt, neceſſe eſt malam corporis habitudinem, carnis raritatem eſſe; & quod vim habet efficien-

efficientem firmæ constitutionis corporis, id ad carnis soliditatem gignendam necessariò valebit. Sunt ergò sanum & ægrum respectu hominis contraria immediata, inter quæ nullum est medium, quæq; circa proprium naturale & utriusq; susceptibile Subjectum ita se habent, ut alterutrum eorum ipsi semper ex necessitate Subjecti inhæreat. Natura enim hominis sibi semper alterum eorum determinat. Quia fieri nequit, ut inveniatur homo sine sanitate aut morbo. Idem confirmat Aristoteles *Lib*.4. *Topicor.cap*.3.& ratio suadet. Nam si genera non habent medium, nec species illud habebunt. At verò æquale & inæquale, naturale & innaturale sunt genera sanitatis & morbi, sed illa ceu contradictoriè opposita nullum habent medium. Ergò nec sanitas & morbus. Porrò sanitas est proportio, morbus improportio; at inter proportionatum & improportionatũ nullum datur medium. Ergò nec inter morbum & sanitatem. Contra Ἰατρῶν παῖδες ex mente *Claudii Galeni* contra Aristotelem inter sanum & ægrum medium dari statuunt. Si verò penitius negotium examinetur, patebit, litem non de re, sed de verbis tantum agitari. *Aristoteli* ægritudo est malitia & intemperies complexionis, sanitas verò est debita conservatio & bonitas ejusdem. At apud Medicos quælibet complexionis intemperies non dicitur ægritudo, sed illa quæ cum operationum animalium aut vitalium aut naturalium læsione conjuncta est. Nam etiamsi statim ac morbi incipiunt, suam essentiam obtineant, ut docet *Galenus Lib.de loc.affect.cap.2.& Lib. de Morb.temp.cap.1.* Rationem tamen morborum non subeunt, quousque manifesta sit ad sensum in operationibus læsio. Idem *Lib.1.de Sanitate tuendà cap*.5. Sanitas enim habet latitudinem secundum quam potest in homine reperiri, juxta eundem Medicum ac Philosophum acutissimum, *Lib. Art. Medicin.cap*.7. ubi hæc leguntur: Quo fit ut tota latitudo sanitatis inter partes, quarum singulæ latitudinem habent non parvam, dividatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur, quæ jam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur.

Quare sequenti *cap.*8. ægra corpora vocari non patitur, quæ ab optimâ constitutione brevi tempore defecerunt. Sed hæc constitutio optima non est, quæ ab optimâ deflectit, neque morbus, quia sensibilium operationum læsionem non habet, ergò erit media dispositio, neutra dicta. Quare si sensum fecerimus Judicem & non rationem, inter sanitatem & ægritudinem neutra dispositio est constituenda. *Galen. Lib.* 1. *de dif. Sympt. cap.*1. *Lib.*5. *de sanitate tuendâ cap.* 4. *Art. Medic. cap.* 82. Imò nulla est ægritudo tam contraria vitæ,quæ omninò sanitatem excludat, quia ut optimè docuit *Aristoteles Lib.* 7. *Metaphysic. cap.* 9. In quocunque corpore ægri manente vitâ semper aliqua sanitas vel portio sanitatis remanet, id est, calor naturalis, qui præcipuè sanitatem efficit. Medicus & Medicamenta sunt tantum Instrumenta, ille autem est artis Minister, teste *Hippocrate Lib.*1. *Epid. Sect.* 2. *textu* 51. Sicut natura medicatrix. *Id. Lib.*6. *Epid. Sect.*5. *textu* 1. *Conf. Caspar Bravo de Sobremonte Ramirez, Resolut. Medic. part.* 3. *Disput.*1. *Resolut.*5. §. 2. *Laurentius Scholtzius à Rosenau, Epistolar. Medicinal.* CCXCII.*columnâ* 518. *Edit. Hanoviensis in fol. Anno* M DC X. *D. Zacutus Lusitanus de Medicorum Principum historiâ Lib.*5. *Quæst.* XXXII.*p.m.*866. *Edit. Lugdunens. in fol. An.* M DC XLIX.

§. II. His prælibatis post Considerationem OSCULI SALUTARIS ad CONTAGIOSI speculationem & examen accingor. Contagium generaliter acceptum est affectus transiens de Substantiâ in Substantiam eamque destruens mediatè per convenientiam materiæ & contrarietatem formæ,interveniente alteratione caloris indebitè concoquentis humidum, ut celeberrimo Medico *Iohanni Baptistæ Montano in Lection. super artem Curativam ad Glauconem de febre pestilentiali & de Contagione in* 2.1. *Avicennæ* placet. Statuit nempe putredinem causam contagionis, & hunc modum corruptionis esse dicit, ut in febre pestilentiali cum materiâ putre-

scerent

ſcerent humores cordis : In febre ſine materiâ vel incaleſceret ſubſtantia cordis propter putredinem, & quaſi peſtilentem hecticam fieri, vel putreſceret ipſum cor, & tum quidem ſtatim homines extingui, ut docet *Galenus*, inquiens : Quod Medicamentum excogitabis ad putredinem quæ cor occupavit ? Alias etiam contagium quadruplici ratione conſiderari poteſt, vel prout eſt morbus impreſſus , denotans præternaturalem affectum, introductum per communicationem vel contactum, ab alio corpore taliter affecto : vel abſtractè, quoad naturam ſuam , hoc reſpectu eſt venenoſa qualitas: vel prout eſt in actione, effluxu & operatione, atque hoc reſpectu eſt actio inficiens & contagioſa : vel tanquam medium communicationis & contactus atque hoc reſpectu eſt inquinamentum *μίασμα* ſeu effluvium Magnam autem *μιασμάτων* quæ è corporibus exhalant varietatem & miram vim eſſe , res ipſa demonſtrat. Quædam è propinquo & contactu ſolo lædunt , quædam mediante aëre , cui quod lenta ſunt & glutinoſa, inhærent , detrimentum afferunt, quædam etiam univerſum corpus, quædam partem, quemadmodum in phthiſi afficiunt. Morbus Gallicus ſolo contactu, ſicut converſatio quarundam vetularum junioribus maritis nocet , quia ex his omnibus vis maligna à putredine vel venenata qualitate orta emanat. Cæterum ut corpus à corpore, natura à natura juxta *Hippocratem in Libro de flatibus* differunt, ita & ea quæ à corporibus effluunt. Quæ enim hominibus nocent, alia animantia non lædunt & è contra. Conſtitutiones aëris intemperatæ, ſordes etiam quæ ex terrâ vel aquis , vel aliis locis exhalant, corpora quidem poſſunt ad morbos ſuſcipiendum prædiſponere, imo cauſam præbere, ut putredo iſtum gradum, qui *περιττὴν ἀπόκρισιν* habeat, conſequatur, ſed niſi *μιάσματα* è corporibus exhalent, & aëri communicentur, contagioſos morbos, qui mediante aere de corporibus in corpora feruntur , non efficere valent. A primò verò, in quo putredo ad iſtum gradum pervenit, ut morbidam expirationem exhalet corpus , tantum mali

poteſt

poteſt emanare, quod integram domum inficiat, & mille hominibus afficiendis ſatis ſit, ita ut in progreſſu mali non ſolum integræ urbes, ſed regiones aërem malignum & plenum inquinamentis habeant. Quemadmodum M. Antonii temporibus, ex arcula in templo Apollinis μιάσματα primò emanarunt, & univerſæ Græciæ & Italiæ pernicioſa fuerunt. Et ſæpe ex una veſte vel alia re exhalâſſe, hiſtoriæ docent. Foventur autem & multiplicantur inquinamenta illa in aëre craſſo & impuro, ſicut fervore nimio acuuntur, & aëris impulſione de loco in locum feruntur, ac puriſſimo etiam aere, dum perflatur, franguntur.

§. III. Quapropter omnes illi morbi (verba pono *Arnaldi Villanovani in ſpecul. Introduct. Medicinal. cap.* 88. *de rebus contra Naturam*) ſunt contagioſi, qui corporibus imprimunt ex approximatione ipſorum ad corpora patientia, morbos illos, & hi communiter ſunt lepra, ſcabies, variolæ, febres peſtilentiales, apoſtemata venenoſa, maximè in locis anguſtis, epidemia, phthiſis, ſcrophæ &c. *Avicenna* 2.1. *doct.* 1. *c. ult.* §. Et eſt præterea ex ægritudinibus quædam, quæ denuo ad alium tranſit, ſicut lepra, & ſcabies & variola & febris peſtilentialis, & ulcera putrida, & præcipuè cum domus ſtrictæ fuerint. Similiter cum vicinus fuerit ſub vento, & ſicut ophthalmia & præcipuè ei qui oculis eum intuetur, & ſicut congelatio, cum imaginatur aliquis, quod acetoſum illud operetur, & ſicut phthiſis & Albaras (ubi ſub nomine Albaras antiquus codex legit impetiginem) cætera cutanea vitia comprehendit. Nam ſub uno exemplo reliqua intelliguntur, ex *Galeni* 3. *acut. com.* 42. Maximè quod Arabes, ut conſtat ex *Avicenn.* 7.4 *Tract.* 2. *cap.* 9. ſub nomine Albaræ nigræ elephantiaſin intelligant, Affectum ſcilicet, qui cutem craſſam atque inæquabilem reddit, livor adeſt tum cuti, tum oculorum albis exeduntur partes manuum ac pedum ſummæ, ex quibus ſanies livida, ac fœtida emanat, fit ut ex hac virulenta ſanie exhalet halitus, tetra eminentique conditione, præditus, vicina corpora fœdaturus, ut *autor definitionum* habet apud *Zacutum de Medic. Princip. hiſtor. Lib.* 6. *hiſt.* 1. *p.* 908. *conf. Marcell. Donat. Hiſtor. Medica mirab. Lib.* 1. *cap.* 4.

cap.4.p.41.seqq. Ejusmodi autem morbi peculiaria habent requisita: Primum quidem est *Putredo quam habet humor, in loco determinato conculcatus & transpirari prohibitus*, qui cum sit lentus & humidus, putredini multo magis est obnoxius. Necessariam vero ad contagium esse putredinem hinc patet, quod nullus morbus possit dici contagiosus (hoc est sibi similem affectum in alium inducturus) nisi communicet vaporem ita notabiliter infectum, ut sufficiat alterius humores vitiare, quod probat *Arist.7.problem.* 4. Sed ea vaporis ita infecti copia à solo putrido calore moveri potest, ut ab uno corpore alteri communicetur. Igitur putredo necessariò concurrit in omni affectu contagioso. Suadetur, quod licet aliquid è corpore effluat, benigna aut prava infectum qualitate, ut tantus, qualis requiritur exsurgat vapor, magna requiritur humorum agitatio, (non enim exsurgere potest à quieto) quæ non nisi à putrescente calore efficitur. Nam innatus emendat malitiam fomitis, nec ita movet aut agitat, nec patitur ita infectum producere vaporem. Non exurens, qui etiam dicitur extraneus ab *Arist.4.Meteor.2.* cum validus sit nimiumque intensus, quare hic dissipat, attenuat, & dissolvit seminarium mali, qua ratione sub fervidæ æstatis calore plerumque sedatur pestis. E. solus calor putredinosus necessarius est ad omne genus contagii, quod spectatur in morbis per viciniam, exspirationem, transpirationem, decubitum aut quemvis alium adhærentiæ contactum, aut fomitem seminarii relicti in veste, in stragulis, domo aut quavis aliâ materiâ apta ad suscipiendum, diuque servandum. Est E. putredo præcipua & communis contagii causa, ut sine illa contagium fieri non possit in morbis. Secundum requisitum, est *elevati vaporis lentor, quo hæreat, permisceatur & immoretur per tempus sufficiens ad agendum inficiendumque.* Nam si facile transeat, dissipetur aut exhalet, non potest esse contagionis seminarium in alio, sed tantum perexiguum aut debile. Tertium est *eminens qualitas in elevato vapore qua valdè immutet humores alterius.* Cum enim hæc qualitas contagii naturam & actionem sequatur, neque hæc fiat, nisi à proportione majoris inæqualitatis, videtur magni-

tudo contagii ad eminentiam seu majorem efficaciam suæ qualitatis referenda. Quartum requisitum est *ex situ humoris desumptum, ex quo inficiens vapor exsurgit.* Nam si locus cutaneus sit & externus, quia magis integra minusque mutata afflat aura, facilius inficit vicinum corpus. Hinc strumæ, tinea, scabies, elephantia, Gallica lues, impetigo & multi alii cutanei morbi promtius contagium inducunt, quoniam præter vaporem lentum & pravum, partem occupant externam.

§. IV. Ad actum infectionis vel inquinationis tria requiruntur: *Persona, seu corpus inficiens, quod communicat. Secundò* μίασμα *virulentum transmissum, sive communicatum. Tertia persona recipiens infectionem.* Persona communicans contagiosum morbum, non alienat eum à se, communicando alteri, sed emittit virulentas quasdam exhalationes, quæ invadunt alterum, inficiente non existente libero ab hoc malo. Personæ communicantes non sunt æquales, sed quædam majori cum vehementia imprimunt ideam mali sociis suis, quædam autem remissiore noxa illud propagant. Miasmata illa, sive inficientia seminaria, quæ de corpore in corpus transeunt, à nonnullis vapores vocantur, ab aliis Spiritus, propter eorum subtilitatem & penetrationem, non verò quod expertia sint corporeitatis. Quid enim vetat illa pro corpusculis subtilioribus invisibilibus, exhalantibus ex infectis corporibus ejusdem naturæ, & inficientibus pro ratione corporum infectorum ex quibus emittuntur, accipere? Particulæ istæ venenatæ materiam habentes contagiosam agiles sunt & penetrativæ, ut insinuent se ipsas per poros aliorum corporum, alterataeque fermentantur & operantur ad alterationem & mutationem novi receptandi, tingendo id labe simili, referente naturam earum virulentam. In personis infectis ingens differentia & varietas occurrit. Sicut enim corpora inficientia quoad virulentiam differunt, & vel magis vel minus sunt contagiosa, ita & recipientia ad recipiendum contagium inæqualiter disposita offenduntur, quibusdam fortiter malum rejicientibus, aliis facilè cedentibus & imbibentibus virulenta ista pollutorum corporum effluvia.

fluvia. Nulla enim causa tam efficax est, quæ citra patientis aptitudinem agere possit, ut *1. de diff. febr. c. 45. & lib. de causis morb. 1.* testatur *Galenus.* Cum actus sint in patiente disposito, *Arist. lib. 2. de anima c. 2.* Hæc est causa, quare in constitutione pestilenti, quæ maximè est contagiosa, *Problem. 7.* aliqui non incidant in pestem, ut Senes Melancholici, & qui laudabiles habent in corpore humores, hi enim maximè resistunt. Et sicuti seminarium contagionis semper lædit, quando tamen est imbecillum, morbos concitat leviores, & quandò corpus ad dissimilis morbi generationem dispositum est, tunc similis morbus in specie non generatur, sed in malignitate. Atque hæc diversitas est omnium corporum respectu contagii cujuscunque naturæ id fuerit, quod experientia in contagio pestilentiali multoties docuit. Etsi enim eidem diversi æqualiter fuere expositi, nihilo tamen minus aliis pereuntibus quidam salvi evaserunt. Imo quidam socii fuerunt lecti peste infectorum, & tamen illæsi manserunt; alii magnâ distantia remoti & aversi ab infecto, peste corrupti occubuerunt. Exemplo sit infans qui duabus nutricibus, peste infectis lactatus, superstes remansit, ut observavit *Ioachimus Camerarius*, relatus *à Iohanne Schenkio lib. 6. Observat. de Peste.* Indè ne mireris, si adstantes coram cadavere peste emortuo, lue pestiferâ non fuerint infecti, cum ad recipiendum venenum pestiferum non essent dispositi.

§. V. Porrò quoq; modus recipiendi contagium tam in morbo hæreditario & per generationem propagato, quàm in adventitio varius est, & juxta hunc partes recipientes suam determinationem admittunt. Quod autem morbi contagiosi §. *3.* enumerati hæreditarii sint, quotidiana experientia, valida ratione suffulta comprobat. Si enim ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus gignitur, ex lienoso lienosus, cur ex Gallicato Gallicatus, ex elephantico elephanticus, ex epileptico epilepticus, ex podagrico podagricus, & ex phthisico phthisicus non progenerabitur? Semen enim à sanis sanum, à morbidis morbosum decidit. Et ex vitiis in parentibus fixis & radicatis similia vitia in filiis, nepotibus &

 descen-

descendentibus oriuntur. Quippe quocunque morbo pater cum generat,tenetur,cum semine transfert in prolem, ita ut non minus morborum, quam possessionum hæredes fiant. Hoc modo maternus sanguis primum fætus alimentum, ut altera est temperamenti & constitutionis causa, ita & morborum & affectuum, quos mater eo tempore patitur. Traducuntur enim in his duabus substantiis parentum vitia, quæ licet in primis annis, dum vigent ac præsunt humiditates & principia naturalia sint robusta, delitescant & non appareant, postea tamen per adolescentiam absumpta nativa humiditate, tunc ea elucent, & in actum morbosum deducuntur. Quare si hæreditaria vitia insunt in toto corpore,partibus præcipuis,cerebro, corde, jecore, ventriculo, cur in aliis ignobilibus partibus & infimæ sortis membris ea conspici negabimus? Quia nempe Spiritus genitivus, qui est instrumentum facultatis formatricis,omni spirituum genere illustratur. Hac ratione non solum in mēbris nobilibus, sed & infirmis, ut pilis, artubus & aliis stigmata & mille defectuum sortes à parentibus derivatæ in filios,nepotes & familiam totam sæpe transeunt. Aliter se res habet in morbo adventitio,post nativitatem acquisito. Si infans inficiatur à nutrice labe fœdata, tunc virus illud intus latens certam partem afficit, & externis quibusdam notis vel insolitis Symptomatis se ultro prodit. Potest etiam à depravato corpore malum in purum subjectum mediante copula carnali transfundi,quem modum contagii contracti *D.Daniel Sennertus pract. lib. 6.part.4.cap.4.* his verbis exponit: Et quidem viri à fœminis infectis hoc malum contrahunt, quia in Venere propter Spirituum concursum & per motum utero calefacto, vapores ex malignis humoribus in utero elevantur, qui à membro virili raræ constitutionis absorbentur,& in venas recipiuntur. Vir verò infectus sanam mulierem inficere potest,vel per membrum virile, si id infectum & exulceratum habeat,vel per semen, etsi membrum virile ulceratum non sit,vel utroque modo. Quamquam enim semen in viris non semper plane corruptum est, cum videamus multos viros infectos hac lue (venerea) generare: alteratum tamen &

infe-

infectum est. Unde non solum soboles hanc luem contrahit, sed & fæmina infici potest. Nonnunquam contagium communicatur alteri vel per sudorem aut vaporosam transpirationem corporum socialium nulla præcedente vel antegressa copulatione, ut inter virum & uxorem, sive uxorem cum marito cubantem; vel per lectum & vestimenta cui venenata effluvia inhærent; vel per lactationem & lactitionem infantum. Quandoque enim infans illud nutrici communicat, non raro etiam ab infante ex infectæ nutricis mammis recipitur: idem tamen contingit ubi os ori arctius applicatur, aut poculorum commercium exercetur.

§. VI. Ex his quilibet procul dubio capit, quid per *osculum contagiosum* intelligi velim. Sane illud cum morbis contagiosis æquè latè patet, vastas regiones pervagatur, & non nisi iisdem terminis includitur, quibus principium & origo ejusdem mali terminatur. Tali modo Scorbutum & luem Veneream propagari longè certissimum est, uti *Gregorius Horstius observation. Medicinal. singular. part. 2. append. ad librum secundum sectione prima de Scorbuto, asserit pag.* 213. scribens: Manifestum hinc est, in quonam potissimum *Scorbutici mali contagium* consistat, & in alios dispositos tamen, propagetur, nimirum *in osculis mutuis*, *poculorumque commerciis*: illis alterius halitus oris fœtidus, instar bene olentis Moschi trahitur, quo Spiritus omnis actionis autores inficiuntur: his saliva fœtida communi potus materia diluta ebibitur. Quid ergo mirum, quod in Hollandiâ malum scorbuticum facilimè serpat, & in exteros etiam hospites grassetur, cum ibidem *tot oscula, quot salutationes*, præsertim apud fæminas, easque non solum Juvenculas (à quibus exosculatis fortè minor expectanda noxa, tum quod malo dicto non admodum obnoxiæ, tum etiam quod, sicut Poeta dicit; *Mollia* semper *oscula* delectent: atquo quid jucundum ac delectabile magis, eò minus noxium, propterea quod appetitus sequatur imaginationem, cujus in humores & Spiritus vis maxima non contemnendis rationibus statuitur) sed, proh dolor etiã vetulas, exsuccas, exsangues, solo aspectu infantibus, æstimativæ facultatis operatione destitutis adhuc,

horrendas; quæ si absque *osculo* salutarentur, de maxima injuria, contemptuque insolito conquererentur? Quid mirum quod in Civitatibus Anseaticis & inferiori Saxonia tam uberi proventu Scorbutus seminetur, cum rarius in una mensa convictores aliquot inveniantur, inter quos non quidam sint scorbutici? At hoc non obstante, mos nihilominus communis observatur, ut pocula sint communia, plerumque tantæ magnitudinis, ut vix impletione secundâ sit opus, in quæ non semel, d. multoties interbibendum saliva scorbutica deponitur, & à vicino ad vicinum, (nefas enim est & inhonestum in his locis apud plebejos extra ordinem cuidam haustum propinare:) unà cum potulenta materia communicatur. Hæc ille. Consonat *D. Thomas Bartholinus de Medicina Danorum domestica*, *Dissertat.9.p.386.* hæc proponens: In usu poculorum vulgaris error est, à paucis observatus, quod uno scypho vel cantharo omnes convivæ contenti sæpe sint, ampla enim & capacia cum sint nobis poculorum genera, antequam evacuetur unum, ordine mensæ accumbentes circumit omnes. Dici non potest, quam id propagando Scorbuto inserviat, si quidem & halitu & saliva Scorbuto infectus cantharum inficit potumque, vicinoque labem istam, si ea careat, communicat

- - - Sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.

§. VII. De morbo autem Gallico *Zacutus Lusitanus in Praxi Historiarum admirandâ, lib.2. cap.1. p 266.* ita disserit: Morbus hic à diversis causis emanat, quæ vel universales sunt, vel particulares. Illa est maxima cœli in caliditate & tumiditate intemperies, aut malignus alicujus Planetæ aspectus; hæc enim omnia ad putredinem disponunt. Particularis causa, est vel externa vel interna. Ob illam interdum Gallicum venenum venereo obscæno contrahitur concubitu, quod frequenter accidit; aliquandò à nutrice ab infante, sæpè *solo osculo*, sola vestium aut indumentorum conversatione, *poculo*, sed ferè ex concubitu emanat. Quando ex nutrice *aut osculis* contrahitur, tunc lingua cum sit mollis, spongiosa

&

& laxa,& cum ea ob viciniam gingivæ,palatum & guttur inficiuntur primò. Si ex infante virulenta ejaculetur,tūc mammillæ & papillæ nutricum afficiuntur, & hac de causa virulento humore in altas sedes serpente, totum corpus deinde labe conspurcatur. Quapropter hunc morbum esse contagiosum contactu & fomite experimento fit manifestum. *Eduardus Maynvvaringius Medicus & Practicus Londinensis in Historia & mysterio Luis venereæ cap. 7. Si contagium hoc*, inquit, *recipiatur per osculum, ut si inficiens scabiosa habeat labia, vel os ulcerosum, tunc genitalia salva evadunt & infectus characterem accipit in ore vel labiis. Quapropter audax quædam & temeraria est consuetudo salutandi per oscula quosvis peregrinos & hospites.* Si autem honestatis causa oscula ut inter Batavos, Gallos & Anglos distribuenda sunt, nec absque humanitatis læsione negliguntur, consultum utique fuerit, in actu osculandi non apponere os apertum ori, ne halitus & saliva commisceatur, d. potius ore genas contingere; hoc enim modo absque ullo valetudinis præjudicio non solum consuetudini gentium satisfacere, sed etiam periculum infectionis evitare licebit. Similiter in compotationibus peregrinus caute mercari poterit, si convivarum turbæ immixtus vitrea pocula, quoties evacuantur, toties aqua frigida elui curet, id quod politioribus Gallis, Belgis & Anglis in diversariis publicis nitoris & sanitatis gratia frequenti in usu esse observavi. Alia remedia præservantia contra istiusmodi oscula hic non attendo. Non sum Medicus, nec pharmaca misceo, nec medendi methodos docebo. Videant, quibus talia sunt curæ, illustrium Medicorum lucubrationes de memoratis morbis evulgatas. De Lue Gallica sollicitè egerunt *Sebastianus Aquilanus, Caspar Torella, Antonius Musa Brassavolus, Iohan. Baptista Montanus, Vlricus Huttenius, Iohannes Benedictus, Nicolaus Massa, Petrus Andreas Matthiolus, Nicolaus Leonicenus, Hieronymus Mercurialis, Ludovicus Mercatus, Hieronymus Capivaccius, Ludovicus Isla, Christophorus Guarinonius, Iohann. Almenar, Aloysius Lobera, VVilhelm Rondeletius, Victor Trincavellius, Rodericus à Fonseca, Balthasar Brunerius, Felix Platerus, Reinerus Solenander, Iulius Cæsar Claudinus,*

Anto-

Antonius Maria Venustus, Wilhelm Fabricius Hildanus, Gregor. Horstius, Iohan. Schenckius, Nicolaus Fontanus, Paulus Renealmus, Zacutus Lusitanus, aliique à Matth. Morono, in Directorio Medico-Practico p. 155. seqq. allegati, *edit. Lugdunens. in* 8. *An.* 1650. De Scorbuto prostant primarii, *Rembertus Dodonæus observat. cap. 33. Fonseca, tom. 1. Consil. 2. Iohan. Iacob Genathius Disputat. Dec. 4. Disp.* 8. *&* 10. *Decad. 6. Hildanus centur. 5. Observat. 5. Horstius Observat. part. 2. append. tractat. special. Schenck. Observat. l. 7. fol. 920. Daniel Sennert. inter opera. Iohan. Vittichius consil. 72. f. 521. Balduin. Ronsseus Epist.* 31. Cur Scorbutus familiaris sit apud Amstelredamum? Hieron. Reusner, exercitationibus singular. *Petrus Forestus Observat. l.* 19. *&* 20. *Bartholinus de medicina Danorum Domestica, Dissertat.* 3. & alibi passim in eodem libro.

§. VIII. Idem Judicium de aliis morbis contagiosis PER OSCULUM alteri communicatis, ferendum erit. Ecquis enim dubitet phthisin à conjuge ad maritum mediante Osculo, vel inhalatione morbidorum effluviorum devenire? Sed ex oculis & naribus etiam prodeuntes halitus aliis corporibus maximum sæpenumero detrimentum inferre, quin imò Fascinum procurare, experientia, quæ sola κριτήριον ἁπάντων ἐστὶ βεβαιότατον, *certissima omnium judicatrix* juxta *Galenum lib. de simpl. Medic. facult. cap. ult.* testatur; & hic pluribus illustrare nobis haud grave erit. Primò quidem à Fasce vel Fascia videri potest dicta Fascinatio, Fascinus vel Fascinum, quasi id genus Incantationis vox significet, quod certis ligaturis, quas περιάμματα & περίαπτα Græci dicunt, obligamenta *Eutropius lib.* 3. nuncupat, perficitur; aut quod quasi ligentur iis, quos fascinum læsit, quia & Hebræi Incantatorum vocant חובר quasi congregantem, quod Magicis nexibus & adjurationibus congreget & societ animalia magna & parva, ne noxam ullam afferant, vel quod ipse consortium cum Dæmone quærat, vel addat venenis verba, non istis minus metuenda ut *Dionysius Vossius in notis ad R. Maimonidæ de idololatria lib. cap.* 11. *p. m.* 155. conjicit, Festus à *fando* originem deducit, quam illa veterum persuasio credentium verbis, fando tum ab invidis malevolisque imo & benevolis

nevolis impensius laudantibus, tum à laudaturis fascini avertendi gratia factis, in vexisse videtur. Fascinum post varias acceptiones quas *Iohan Lazarus Gutierrius Medicus, opusculo de fascino, Lugduni Anno 1653. excuso, dubio* 1. evolvit, quandoque pro ludificatione sensus & læsione per artes magicas factâ accipitur, ut cum magi faciunt hominem apparere aliorum aspectibus Leonem, cornutum, aut in aliam figuram mutatum: deinde pro maleficio, oculis verbis aliisque rebus alteri illato: rursus alias pro infectione, contagione, virulenta lue, tabe, aliove morbo per oculos aut verba aliis immisso. Illam ultimam acceptionem hoc loco præcipuè attendemus, secundum quam dicuntur homines & alia animalia fascinari, ipsa visione seu aspectu fascinantis, vel etiam sola laudatione aliisque verbis. Dari hujusmodi fascinum, hoc est visum solum & verba quorundam hominum vim habere naturalem ad alios dicto modo fascinandos, maxime pueros & pulchros, Græci, Latini & Arabes argumentis evidentissimis coacti constanter asseruerunt, quæ opinio apud Christianos quoque in hodiernum usque diem altas radices egit. *Plinius* certè ex *Isigono & Nymphodoro Lib. 7. hist. nat. cap. 2.* affirmat, in Africa familias quasdam effascinantium esse, quarum laudatione intereant probata (πρόβατα id est pecora, putant interpretes dicere velle, *Muret. var. lect. l. 1. c. 3.*) arescant arbores, emoriantur infantes. Esse ejusdem generis in Triballis & Illyriis, adjicit & *Isigonus*, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis: Quod eorum malum facilius sentire puberes. Itaque hi oculo, illi fascinabant lingua. Idem narrat *lib. 9. cap. 4.* Hoc fascinandi maleficio præcipuè fæminæ pollent, duplices in oculis pupillas habentes, ut loco ante citato commemorat. *Plutarchus lib. 5. συμποσιακῶν quæst. 7.* ex Philarcho tradit Thibios qui olim circa Pontum habitaverunt, non infantibus modo, sed adultis etiam exitium attulisse: Obtutu enim eorum spiritu ac sermone affectos tabuisse & ægrotâsse, idque senserunt, ut apparet, convenæ servos inde emptos educentes.

Riolanus in Appendice Epistolarum Reinesio Daumianarum pag.6. ista quæ de Triballis & Illyriis in historiam *Plinius* congessit, fabulis accenset, fabulæque hoc dedisse locum existimat quod aspectu fero & truculento fuerint, ex oculis enim iratorum veluti scintillæ micant. Ut enim Arimaspi crediti sunt Monoculi, quod ad Cynosuram collimando (erant nempe insignes sagittarii) oculum unum clauderent, & Psylli crediti sunt resistere serpentibus, quod usu confirmata audacia venenum suctu mox retraherent, Thessali, quia primi ex equo pugnârunt, falsam de Centauris opinionem invexerunt: ita Triballi & Illyrii crediti sunt fascinare, quod visus ferocia aspicientes terrerent. Hæc *Riolanus*. Ejusdem sententiæ est *Henricus Nicolai de Magicis action. exercit. 9. p.* 212. ubi inter causas quæ fascinum inferre creduntur, & hanc refert, persuasionem nimirum & imaginationem teneri timidique animi, vetulam deformem & quandoque horrida nota, ut Triballi & Illyrii, geminâ pupillâ conspicui insignem intuentis. Familias quasdam laudatione effascinantes in Africa fuisse nos Plinio ex *Isogono & Nymphodoro* referenti, quia *Gellium* habet consentientem, admittimus, fuit enim terra illa, & præcipuè in ea Ægyptus Magiæ sedes, è qua superstitionum monstra in alias regiones migrârunt, ut nullum dubium sit familias quasdam dæmoni magis addictas, veneficio magico, quæ fascini monstra ediderunt, produxisse, dæmone ex pacto nocere volentibus cooperante.

§. IX. *Iohannes Ildephonsius apud Gutierrium opusc. cit. dub. 3. num.* 40. testatur, memoriæ fide omni dignæ proditum esse, inventos fuisse, qui ubi attenta mente marmora adspicerent affabrè elaborata, illa protinus in partes dissiliisse. Idem asserit, notissimam esse historiam cujusdam Valentini Equitii, qui cum ex gravi morbo convaluisset, & patinas in mensa appositas adspiceret, solo adspectu illas findebat in partes. Idem tamen *Gutierrius* ad hæc Ildephonsi sequentia reponit: *Valesius* inquit, *pag.* 147. cordatè aliquandò dixit: mirabilia audiuntur multa, videntur pauca. Neque mihi vitio daretur, si illorum eventuum testimonium optarem, cum Joh. Ildephonsus ex aliis nobis illas dederit historias, in

qui-

quibus utrique credendis facilè decipi possumus. At demus comiter casus illorum hominum marmoreas columnas visu solo confringentium, non credam id virtute naturali factum; undenam illud probari potuit? Non divinâ, ut evidens apparet. Ergò si tale accidit, Dæmonis operâ accidit. Sic contigisse dabo alterius Equitis Valentini historiam, qua ratione compellar credere, distantem horum hominum visionem, marmoream opulentamque fabricam naturaliter comminuere posse, præcipuè cum actio sit immanens? Præterea jurejurando affirmat Ildephonsus quendam convalescentem cum à muliercula de vi fascinandi suspecta aspiceretur, illico in cibi fastidium, & alia fermè lethalia accidentia incidisse, nec ab illis liberari potuisse, nisi per antidotum contra fascinum adhiberi solitum. Alium vero honestæ vitæ Sacerdotem, ex gravi ægritudine ita infectum esse, ut omnes sibi appropinquantes, nisi robustissimæ forent complexionis, statim malo affectu inficeret. *Philostratus in Apollonio Thyaneo* scribit fuisse quendam Saturninum in Ephesο, qui intuitu homines necavit. Quamvis autem tactu, lingua, aliisque membris fascinatio fiat, oculus tamen præcipuum ejusdem organum est. Nam ab oculis animalium noxii quidam ac maligni halitus prodeunt ad res quæ videntur, non quia apprehensio unius immediatè vi imaginationis corpus immutet alterius, ut plurimis visum est, sed per motum cordis, cujus immutatio transit ad oculum, à quo infici potest aliquid extrinsecum, præsertim mutationi valdè obnoxium; quemadmodum menstruatæ mulieris oculus inficit speculum maculisque adspergit; eodem modò infecti & tabidi, quorum oculis aer inquinatur, flores corrumpuntur, & bestiolæ quædam aut enecantur, aut vehementer offenduntur. Quapropter Arabes jure affirmant, mulieres menstruatas solo adspectu præsertim intento, infantes teneriores que pueros, puberes, adultos, maximèque pulchros valde lædere. Oculis autem maximè fascinatio fit, quod quæ venenum habent, magna ex parte in extremis gestant, quæ morsu feriunt, in capite ut chersydrus, muræna, vipera &c. Deinde quia facilius conceptum venenum intenti ad

nocendum ex oculis ejaculantur, quod ſine cute ſint. Vide *Ramirezium in Pentecontarcho cap.31. Dionyſ. Carthuſian.lib.1.de venenis cap.17. Fracaſtor. lib. de Sympath. & Antipath. Valeſium lib. 4. Cont. c. ult. & in libro de ſacra Philoſophia in com. c. 68. Iohan. Bravum lib. de Pſyllis & Marſis fol.* 81. *Valleriolam lib.2. obſervat. 4. & 7. Antonium Carthaginenſem, lib. de faſcinatione. Thom. à Veiga lib.1.de dif.febr.c.4. Paulum Zacchiam lib.2.quaſt.medico-Legal.tract.2.q.6.*

§. X. Faſcinatio ergo ex ſpiritu faſcinantis per oculos faſcinati ad cor ipſius ingreſſo provenit, qui ſpiritus à calore puriore ex ſanguine progignitur, & quidem talis ſpiritus eſt, cujusmodi eſt in nobis ſanguinis humor, qui ſimiles ſibi radios per oculos quaſi per vitreas feneſtras emittit. Hujus argumentum, quod *Ariſtot. Libro de Inſomniis cap.2.* refert, mulieres nempe menſtruatas ſanguineis guttis ſpecula ſæpe fœdare. Eſt enim vapor ſanguinis tenuiſſimi, qui aſpectum fugit oculorum, & in ſpeculi ſuperficie craſſior factus apparet, cum in rariore, aut minus terſa materia non appareat. Eſtque ut violentus aculeus, ſanguineus ille vapor, quem ſpiritum nominamus, qui oculos diverberat, & cum à percutientis incitatur corde, percuſſi præcordia, quaſi ſedem propriam repetit, & cor repercutit, & ut peregrinus ſanguis, atque alienus proprium faſcinati inficit ſanguinem, unde ægrotatio faſcinationis, quæ idcirco teneriorem ætatem magis lædit, quod molliori ſit corpore, & minus renitenti queat reſiſtere. Modum faſcinationis *Plutarchus Lib.5. ſympoſiacon quæſt.7.* attigit, explicatius autem *Heliodorus lib.5. AEthiopicæ Hiſtoriæ* his verbis proponit: Sic ſe res habet; Hic aër nobis circumfuſus per oculos, nares, halitum aliosque meatus ad profunda penetrans, & ex qualitatibus exterioribus eò ſecum ferens, qualis influxerit, talem etiam quibus excipitur, habitum ingenerat. Itaque ubi aliquis livore percitus res pulchras intuetur, circumſtantem aërem maleficâ qualitate replet, ac proprium ſpiritum acerbitatis plenum in proximum quemque contorquet. Spiritus autem utpote ſubtilis ad ſpiritum uſque & medullas ipſas pervadit, ac pleriſque morbus fit invidia, ac proprium

acce-

accepit nomen fascinationis. Jam vero illô etiam considera, charides, quam multos sanè oculorum ægritudo, quam multos etiam pestis tabes corripiat, cum tamen nunquam tangant eos, qui iis morbis laborant, nec aut lecto aut mensa eadem participent, sed cum eundem tantum hauserint aërem H. I. Quibus verbis innuere vult res singulas habere suam sphæram radiosam quâ ambiuntur, magis minusve diffusam. Neque eandem potestatem agendi & patiendi, neque semper eandem vim noxæ radiis inesse. Hyæna nonnisi in umbra nocet, Catoblepa & lupi demum si radii antevertant. Sphæram hanc radiosam majori ex parte constituunt effluvia quæ ex corporibus exhalant, & vel natura sua ac per se, vel per accidens fiunt perniciosa, veneno aliunde assumto. Ita felis bufonem lambendo halitum lethalem quo homines necabat, contraxisse ferunt, *Salmuth. Centur. 1. Observat. LIX.* At verò ratio veneni per ideam constituitur, undè intoxicari idem erit, quod ideam recipere à veneno, quæ vel necat extinguendo vitæ flammam vel corrumpit ideas seminales abolendo, vel depravat actiones illarum idearum transplantando. Ex quibus omnibus tandem sequitur, quod fascinatio sive infectio, quæ duo hic nobis pari passu ambulant, non ab ipsa visione, qua visio est, proveniat, nec visio per se ullam in alio alterationem faciat, sed potius quod alteratio oriatur ab aliqua venenata qualitate, manente in putridis humoribus, aut vitiosa ipsius intuentis complexione. Quæ qualitas intensa imaginatione propter odium vel amorem spiritibus vitalibus communicatur, & non tantum pervenit ad os & nares, sed etiam ad oculos, & ex oculis, seu potius eorum cavitatibus erumpens aerem proximum malo suo inficit, & una cum aere infecto devehitur usque ad eum, qui fascino inficitur. Vide *Delrium Lib. 3. Disquisit. Magicar. part. 1. quæst. 4. sect. 1. & ibidem Franciscum Valesium de sacrâ Philosophiâ cap. 68. Gutterrium l. c. nec non Athanasium Kircherum de Magnete Lib. 3. par. 9. cap. 2. Anton. Mizaldum memorabilium Centur. 2. num. 33.*

§. XI. Nihilominus tamē verū est, trucē vetularū aspectū deformi suo squalore ac tetritudine infantulos posse terrere, & terrore

postea ac timore concitare humores, ac facere ut citius morbi erumpant, ad quos tenellum corpusculum jam erat dispositum ac præparatum. Et hæc verissima causa est, cur vulgus dicat, vetulas aspectu suo fascinare pueros, cum tamen non aspectus quà talis, id faciat, sed solum quatenus causa est concitationis, humorum & morbi inde secuti. Præclarè *Basilius M. Concione de Invidia apud Matthæum Dresserum Lib. 2. Rhetor. p. m. 513.* disserit: Invidos opinantur nonnulli solo aspectu nocere, ut benè alioqui habentia corpora, & vigore ætatis ad summam pulchritudinem erecta, ab invidis colliquescant. Undè sanè moles tota universim contrahitur, quasi perniciosus aliquis fluxus ab illis derivaretur, quo homines marcescerent & corrumperentur. Verùm ego ista relinquo, utpote quæ fabulosa, & ab aniculis in gynecæo confecta esse videntur. Hoc tamen affirmo, cum mali dæmones animos sibi conformes in hominibus reperiunt, tunc suo arbitrio illis abutuntur: undè fit, ut oculis etiam invidorum, tanquam administris pro sua voluntate utantur. Quærit *Valesius, Delrio, Gutierius* & alii: Unde vulgaris illa fascini nata sit opinio de oculo fascinante per visionem, & ore fascinante laudando? Idem respondet & cum ipso alii hac rationi: quod puere qui solito crassiores pulchriores-que sunt, à fœminis virisque occurrentibus solent attentius adspici, laudari, palpari, motitari, in ulnas & palmas accipi, & quia verissimum est dictum *Hippocratis*, habitum qui ad summum bonitatis attigit, esse periculosum, nec diu in eodem statu permanere, infantuli illi ob teneritudinem facilè ex inopinato in magnum aliquod vitæ discrimen incidunt, quod cum fit, vulgus non intelligens causam tam repentinæ mutationis, & suspiciosum in malum, culpam in adspicientium ac laudantium oculos & verba conjicit, quos cum quotidiè pueruli pulchelli & obesuli plurimos habeant, facilè anus aliqua rugosa & deformis in hoc numero reperitur, & quia hoc genus tetrum, morosum & odiosum est, ei potius adscribitur noxa quam cæteris. Ab infantibus itum ad agnos, equos, segetes, arbores & alia. Unde pecudes partu & lacte privantur, equi contabescunt, segetes uruntur, arescunt arbores, ac tandem omnia

omnia ruunt in pejus. Aliquandò tamen vetulæ malignæ, uti *Bartholomæus de Spinâ Quæst. de Strig. cap.* 8. observat, Diabolum invocant, verbis inordinatissimis, & in nomine ejus OSCULANTUR pueros ad perdendum eos, ut per earum legitimas confessiones cognovimus. Qua ex re debent omni studio prohibere parentes, ne vetulæ infames vel suspectæ pueris appropinquent, vel eosdem osculentur, aut quidquam eis offerant vel tradant. Hoc enim maleficæ valdè desiderant, ut eos inficiant, & Dæmonibus obsequantur.

§. XII. Proinde omnis fascini perniciosa qualitas proximè ad veneni naturam accedit. Sicut enim venenum totum quod invasit ad sui virulentiam convertit; ita quæcunque corpora fascino correpta sunt, in venenatam & corruptam transeunt substantiam. Qualitas in fascinatione duplex est, alia occulta, quam internam vocamus, alia manifesta, quæ in primis quatuor qualitatibus sedem occupat. Calida vel calefaciendo corrodit, & usque ad cor penetrans, corpus dissolvit, vel inflammat & paulatim calefacit. Frigida stuporem inducit, cor immobile reddit, viscera obstruit & refrigerat. Sicca humiditatem absumit. Humida per putredinem partem à parte separat. Unde varias fascinationis differentias cognoscere licet. Ex his omnibus consectarium deduco: dari quosdam à nativitate fascinatores qui etiam non volentes aliis noceant. *Weinrichius Comment. de Ortu monstror. cap.* 15. fuit, inquit, in nobili familiâ, qui ne adspectum quidem ferre potuit intuentis ipsum vetulæ, ex eoque casu aliquandò è convivio mortuus elatus est, cum vi ad intuendam pertractus esset. Quemadmodum enim inter animalia quædam sunt, quæ reliqua ferè omnia odere & persequuntur, ut serpentum genus; ita & inter homines quidam sunt, qui reliquos odio habent, ob alienissimam constitutionem humorum & complexionis, verba sunt *Fracastorii de Sympath. & Antipath. cap.* 18. Cæterum præter *Plinii* adductum testimonium de quibusdam in Africâ familiis fascinantibus, ratio firma est in promptu: Primò sicut in herbis, lapidibus & animantibus inveniuntur admirabiles virtutes sanan-

dis;

di; secundò sicut reperiuntur plures homines qui ingenitâ facultate & nativâ quadam contrarietate ferarum morsibus resistunt, earumque venena infringunt, vel etiam sanandi dono præditi sunt, quemadmodum *antecedenti Dissertatione* demonstravimus: Ita & in aliquibus hominibus malefica & noxia qualitas nocendi à nativitate est ingenita, ut visu etiam nocere credantur, quorum in oculis & toto corpore venenum nascitur, *Plinio loco citato* asserente. Concors enim est Philosophorum acroama, *si in naturâ rerum unum contrarium reperitur, dari quoque debere alterum.* Quod verò reperiantur Psylli & Marsi quibus gratia juvandi & benefaciendi concessa est, ex Historiarum conditoribus innotuit. Ita *Matthiolus* novit complures, qui simpliciter nullo artificio, nullisque verbis, aspides, viperas prorsus citra incommodum capiebant, quamvis serpentes ipsas pedibus calcarent & manibus comprimerent, aut diutius in nudo pectore gestarent. *Lib. 6. in Dioscoridem cap. 40.* Ex regno animali novimus ictis à scorpione scorpium ipsum qui vulnus inflixit, tritum & percusso loco impositum suæ plagæ ob cæcam quandam naturæ proprietatem, remedium esse, juxta *Dioscoridem Lib. 6. cap. 44.* Sic dens ille qui caninus dicitur, à cane qui momordit, exemptus, aquæ pavores arcet. *Dioscord. Lib. 2. cap. 39.* si folliculo indatur, proque amuleto brachio annectatur. Sic jecur canis, qui rabie exagitatur, tostum, & in cibo à demorsis sumptum hydrophobiam curat. *Dioscorid.* ibidem.

§. XIII. Ad Antidota fascinationi naturali resistentia quod attinet, videatur *Dioscorides Lib. 3. cap. 87. de alysso. Ruellius Lib. 3. de naturâ stirpium, cap. 38. Aristoteles Problem. 20. quæst. 34. Plinius Lib. 14. cap. 4. Lib. 28. cap. 8. Matthiolus in Dioscorid. Lib. 3. à cap. 135. ad 139. Gardanus Lib. 3. de Venen. cap. 15.* Hic solùm unum vel alterum antiquitatis ritum attendere juvat. *Hieron. Mercurialis Lib. 1. de morbis pueror. cap. 3.* in medio, ex Varrone prodit morem fuisse veterum, ad omnes fascinationes avertendas, de infantum collo res turpes suspendi; ubi per res turpes intelligit quamcunque rem turpem, & hoc non sine ratione erat factum: quia si ulla sit fascinatio in infantibus, secundum Medicos & Philosophos ea est,

quæ

quæ fit per oculos, quotiescunque aut viri venenati aut mulieres attentè intuentur ipsos infantes. Veteres ergò illi ſapientiſſimi, ut averterent oculos iſtorum ab aſpiciendis infantibus, jure voluerunt res turpes appendi collo ipſorum, ut hæc fœda & turpia ſpectra facerent, ſicque mulieres attentè non adſpicerent. Hic FASCINUS DEUS ſive *Priapus, Mutinus à mutone, Tetinus à tenſione* dictus utramque paginam faciebat, quem pudendi maſculi formâ repræſentatum ceu faſcini fugatorem è collo pueris, velut amuletum, ſuſpendebant, ut intuentium oculos ſic depellerent, & omne faſcini genus averruncarent. Omnia enim turpia teſte *Plutarcho, Sympoſ. Lib.5. Problem.7.* malos invidorum oculos avertere crediderunt. Idcircò *inquit*, etiam faſcini genus putant ad tabem conducere exſerto ad incommodum viſu, ita ut imbecillius ſuſtineant dolores. *Iſaac Hortibonus Lection. Theocrit. cap.5.* hic notat προβασκάνιον vocare *Plutarchum*, quod Latini amuletum, vel *mutinum*, recteque Gloſſarii autorem *mutinum* explicare προβασκάνιον ſeu προβασκάντιον. Sic *Varro Lib.6. de Linguâ Latinâ*, Quare turpe id obſcœnum, quod niſi in ſcenâ palam dici non debet. Poteſt vel ab eo, quod pueris turpicula res in collo quædam ſuſpenditur, ne quid obſit bonæ ſcævæ cauſâ. *Ioſeph. Scaliger in conject.* in hunc *Varronis* locum, *p.152.* ſic ſcribit: Faſcinus vel faſcinum dicitur veretrum. *Horatius*: *minusve languet faſcinum.* Videtur ita dictum, quod depelleret faſcinationes, ut ex hoc loco cognoſcimus. Itaq; pro amuleto è collo pueris ſuſpendebatur.

Alii peculiari voce faſcino occurrebant, cum ſe vel alios laudarent, dicentes: Græce ἀβασκάντως, Latinè *præfiſcini*, ex præ & faſcino, ut ad verbum ſonet, præter faſcinum, ἀβασκάντως, citra invidiam. *Appulejus in Floridis*: Igitur quod difficile factu erat, quodque revera arduum nobis exiſtimabatur, gratum eſſe populo, placere ordini, probari Magiſtratibus & Principibus, id *præfuſivè* (*præfiſcinè* legit *Muretus Variar. Lect. Lib.9. cap.3. Præfaſcine Florentinus apud Elmenhorſtium pag.382.*) dixerim, jam quodammodo mihi obtigit. Utrumque præfiſcine & præfiſcini Latinè dicitur, quia *Macrobio teſte Lib.1. Saturn. c.4.* conſuetum id veteribus fuit,

ut his literis plerumque in fine indifferenter uterentur, sicut pristinè & pristini, proclivè & proclivi, die quinti, modò die quintè pro adverbio copulatè dixerunt, cujus indicium hoc est, quod Syllaba secunda corripiatur, quæ natura producitur, cum solum dicitur de die. Confer *Gellii noct. Attic. l.10. c. 24.* huc pertinent & illæ formulæ: pace vestra hæc dixerim; quod citra invidiam dictum velim; absit invidia dicto; venia sit dicto ut inquit *Plinius l.5. epist.6.* bona veniâ dixerim, ut habet *Mamertinus in panegyri ad Maximianum.* Bona hora hoc exaudiat, ut *Querolus Gildæ* quo de *Taubmann. in Comment. ad Plautum p.1268.* nostri dicunt, **Gott gebe daß ichs zur guten Stunde rede/ &c.**

Alii rursus certa quadam adoratione fascinum solebant amoliri, græcam Νέμεσιν invocantes, ut constat ex *Plinio l.28. hist. nat. c. 2.* item Neptunum. Quod propitia audiat Νέμεσις Dea Rhamnusia! Cajus Caligula sacra Neptuno, aliisque Diis faciebat, quin & Livori, ne qua invidia, ut agebat premeretur. *Dion Cassius l.29.* Deæ Cuninæ meminit *Lactantius lib.1. divin. instit. c.20.* atque à cunis dictam ait, eo quod infantes in cunis tueatur & fascinum submoveat.

Sed & despuendo repercutiebant invidas aut invidiosas laudes, & spei audacioris, si qua pulsassent mentem, veniam petebant in sinum despuendo, quod non dubitem ex sanctiore aliquo instituto profluxisse & in superstitionem tandem vertisse. Vid. *Plin. l. 28. c.2. & 4. Theocritus Idyllio 6.* ternæ despuitionis mentionem facit Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον. Ne vero fascino læderer, ter ipse in gremium meum inspui. *Tibullus l.1. Eleg.2.*

Ter cane ter dictis despue carminibus.

Et in fine ejusdem Elegiæ:

Hunc puer, hunc juvenis, turbâ circumstetit arcta,
Despuit in molles & sibi quisque sinus.

Persius Satyra 2. v.33. seq.

Ecce avia aut metuens Divûm matertera, cunis
Exemit puerum frontemque atque uda labella

Infa-

Infami digito & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Uda labella vocat, quia pueris edentulis saliva continuo fluit. *Infami digito*, i.e. medio, qui & impudicus, item verpus dicitur, quia cæteris contractis extendi solet in cinædorum & mollium notam, quod penem repræsentet. *Lustralibus salivis*, i.e. expiatoriis, nam lustrare, expiare & purgare significat, unde festa lustralia quæ quinto quoque anno veteres celebrabant, ad quam puerorum lustrationem *Persium* allusisse sentit *Foquelinus in Comment. ad h. l. p.* 80. *Saliva* autem *virgo*, h.e. quæ stomacho jejuno manavit hic intelligitur, eam enim fascinationes repercutere & serpentes necare autor est *Plinius*. *Urentes oculos* i.e. lumine & radiis fascinantes, quos inhibere, sive sistere & avertere mater altera seu matertera potuit.

Cæterum nutrices & ancillæ è balneo olim lutum ad averruncandum fascinum adhibebant, eoque digito suo frontem pueri inungebant. Id *Chrysost. hom.* 12. *in 1. Cor.* 4. *apud Ursinum Analect. sacr. Volum.* 1. *Lib.* 1. *num.* 14. *p.* 25. his verbis innuit; Dicamne quod risu majori dignum sit? at at nemo accusat nos intempestivitatis, si eousque sermo nobis procedat. Certe qui sordes velit expurgare, non gravabitur suas prius ipsius inquinare manus. Quid vero illud adeo ridiculum, mihi sane non tale videtur, nam & ideo ingemisco: lutum è balneo nutrices & ancillæ accipiunt eoque digito suo frontem pueri inungunt. Si roges, cui bono lutum? cænum? averruncando, inquient, malo oculo, invidiæ, fascinationi. Conf. *Ursin. Analect. Vol.* 2. *Lib.* 3. *num.* 9. *p.* 132.

§. XIV. Deinde alia est fascinatio Magica, à Dæmone pendens, qui strigi aut venefico ex pacto sive tacito sive expresso nocere volenti cooperatur. Hujus enim consortio fascinum, maleficia, incantationes, præstigiaturas fieri, ligari homines, ut cum propria uxore non concumbant, cum aliis maximè, fieri impotentes, steriles, philtris, poculis amatoriis, verbis prolatis, orationibus appensis, gestatis figuris, conjurationibus,

characteribus & aliis mille modis mille experimenta ac testimonia confirmant. Vid. *Paulus Grillandus tract. de sortilegiis quæst. 3. num. 19. Baptista Codronchius l. 3. c. 6. de morbis venefic. Delrio, Disquisit. magic. part. 1. quæst. 3. Iohan Hucher l. 4. de Maleficiis. VVierus, l. 3. de præstigiis dæmonum c. 18. Gemma geminus l. 2. de divin. Characterismis c. 4. Langius Epist. 38. l. 1. & 34. lib. 2. Fernel. l. 6. Patholog. 13. & lib. 2. de Abdit. cap. 16. Cardan. lib. 2. Contrad. tract. 2. cons. 7. Santorellius lib. 2. Anteprax. cap. 15. & 16. Marcell. Donat. Lib. 2. de Medic. hist. mirabili c. 1. Garcia Carrerius Disputat. 37. ad libros de loc. affect. Paulus AEmilius lib. 2. Histor. Franciæ. Martinus Cramerus Lib. 8. de rebus Polonis. Iohan. Cuspinianus de Cæsaribus in Anastasio. Franciscus Georg. Venetus lib. 1. Problem. Scripturæ S. 216. 228. Iohan. Tritthem. lib. 1. breviarii annalium Francor. 18. Plin. Hist. nat. lib. 9. c. 3. Cassiodorus lib. 4. Variar. Epist. 23. Iohann. Hassius Lib. 5. de passionib. mulier. tit. de concumbendi impotentia. Iohan. Marcus Marci à Kronland Phil. & Medic. D. nec non Prof. Acad. Pragensis Celeberr. in sua Philosophiâ quam veterem restitutam* nominat, *parte 5. sect. 3.* Philosophis supra citatis modo non usitato de fascino philosophatur, *p.* 565. ita differens: Maleficium quandoque requirit irradiationem & certam distantiam objecti, unde necesse illud quod patitur, esse sub radiis illius, quod in ipsum agit, ad cujus maleficii genus refertur fascinum. Cum ergo fascinum requirat certam distantiam quo illius vis eo pertingat, non videtur per radios visibiles aut idealiter hæc contagio fieri. Tametsi enim oculi præ aliis partibus lædantur, cujus indicium lacrymæ atque tumor, corpus tamen totum etiam dormientis infantuli, aut visu in aliis objectis occupato, fascinum sentit. Unde necesse effluvium quoddam corporeum eousque produci, quod non aliter corpori incidit, quam halitus mulieris menstruatæ speculo, spiritumque insitum atque hujus Archeum labefactat, vi narcotica oppilando, eo modo, quo umbra Hyenæ canes, cujus indicium oscitatio crebra cum pandiculatione. Quam quidem oppilationem adducit idea ex admiratione individuo sa eidem effluvio impressa. Et nisi remedium citò adhibeatur, febris ephemera inde putris ac demum mors sequitur;

quitur; confirmat hunc affectum illius remedium, suffumigatio nimirum ex certis herbis, & abstersio per urinam seu aquam nitrosam, quam mulieres hic injectis carbonibus ignitis parant, eaque halitu illo à superficie corporis deterso ipsum purum ac perspicabile reddit. Amuleta vero & periapta, quæ contra fascinum appendi solent, cujusmodi peciæ panni rubri, dentes apri & similes phantasiæ, partim ideas narcoticas cum effluvio dissipant, partim objectum fiunt admirationis, quo in iisdem imaginatio malefica sistat; quod si vero in majori distantia, & unde objectum aspectabile non est, nec medium ejusmodi effluvio spirituoso pervium læsio proveniat, & imaginatione malefica, cum appetitu nocendi, non dicetur fascinum; sed actio antipathica, quantumvis per aliud medium fieri videatur, cujusmodi icunculæ in nomine illius personæ quam lædere volunt, de cera vel alia materia fabricatæ, quod nefarium opus tametsi plerumque à sacrilegis opera Sathanæ fiat, uti ex abusu rerum quæ his admiscentur, constat, fundamentum tamen habet in natura. Ex identitate enim Archei sunt ideæ communes, à quibus subjectum mutatur. Et fabrica quidem ex intensa imaginatione & hostili effectu per effluvia hac idea sigillata rapitur in consensum, prout fœtus in utero. Ab his vero Archeus maleficati mediante re aliqua, quæ ejusdem corporis fuit, patitur eo modo, quo ab unguento armario Archeus vulnerati. Idque potissimum contingit in otiosis, quibus mens occupata non est, nam qui suis abundat, extraneos motus non sentit. Duffo Scotorum Regi, ut refert *Hector Boëthius Lib. 11. Histor. Scotor.* Moraviæ, regionis Scoticæ apud Forres, proceres, veneficorum arte perpetuas vigilias nocturnas cum sudore incredibili intentavere, sic ut lenta tabe conficeretur. Militis indicio, cui concubina matris suæ arcanum scelus detexerat, deprehensæ noctu veneficæ ceream Regis Duffi simulacrum, ligneo affixum veru ante ignem torrere, & carminibus recitatis, liquore Medicato perfundere. Dum simulacrum igni adhibitum torreretur, Rex in sudorem solvebatur, carminibus autem recitatis perpetua tenebatur vigilia & ad liquescentem ceram macie con-

ficiebatur. Consumptâ cerâ Regi mors imminebat. Perfracto simulacro veneficæ supplicio flammæ sunt affectæ. Ea ipsa nocte qua hæc in Forrensi arce sunt acta, Regem languore levatum & nocte absque sudore quievisse, postridieque redeuntibus viribus omnibus prompte omnia egisse, perinde ac si nulla adversa valetudine fuisset detentus. H.I.

§. XV. Ego salvâ tanti viri auctoritate illa quæ de certa distantiâ ad fascinum requisita proposuit, ad fascinationem naturalē referenda esse censeo, si scilicet radii visibiles sive effluvia oculorum noxia corpus infantis inficiendum attingunt. Quod si verò infans à fascinante propter locorum distantiam conspici nequeat, & tamen malè habere incipiat, alterius potentiæ in maleficium ex proposito influenti tribuendum erit, auxilio nempe Dæmonis, quia nihil sive corporeum, sive corporis expers agere potest in distans, nisi simul per media corpora agat. Proinde firmissimum axioma *Aristotelis Lib.* 1. *de Generat. & corrupt. cap.* 6. Omnem actionem naturalem fieri per contactum, æternæ manet veritatis. Contactus est affectus corporis alterum tangentis. Actio autem & contactus inter se dum miscentur, in suo permanere nequeunt integritatis & perfectionis gradu. Itaq; necessariò alterantur. Nam alteratio nulla est absq; actione & passione. Undè contactus *Arist. Lib.* 1. *de generat. cap. cit.* est duplex, operationis & quantitatis. Contactus operationis seu alterationes est quidem corporum sublunarium, sed non eorum, quæ sunt ejusdem generis, & quorum alterum tangit, sed non tangitur, movet, sed non movetur, ut qui quendam offendit, tangere eum dicitur, sed non tangi vicissim ab illo. Sed hic contactus casum de infante fascinato nō tangit. Contactus quantitatis iterum duplex est, corporalis & virtualis. Contactus corporalis est corporum quorum extrema sunt simul, ut in se agere & pati possint, *Arist. l.* 1. *de generat. c.* 6. Et hic ad fascinationem physicam requiritur. Contactus virtualis est corporum à se invicem separatorum, quorum unum agit in alterum virtute sua, ita ut nihil repatiatur, quomodo Sol in hæc inferiora agit. Qui contactus homini naturaliter fascinanti non competit, quia ab

inter-

interjectis corporibus mediis dissipatur & frangitur, ut firmus consistere non possit. Constat igitur, si subjectum ab altero remotum inficiatur, illud non vi naturali, sed concursu mali spiritus fieri. Deinde, quando fascinum in majori distantia per icunculas cereas illatum dicit, fundamentum habere in natura, vereor ne cordati viri judicent Doctorem Marcum Lamiis patrocinari velle, quasi omnes illarum intentiones per media naturalia tantum in effectum deducantur. Sed doceat quæso Philosophus acutissimus, undè icunculæ cereæ maleficâ ideâ sigillatæ tanta vis suppetat, ut statum sani hominis pervertere, imo ipsam mortem accelerare queat. Naturaliter id contingete, nunquam, satis scio, probabit, ergò ab alio principio efficaciam recipiat necesse est. *Cardanus* equidem *l*.15.*c*.80. *de varietate rerum*, & *Iohannes VVierus l.3. c*.14. allegatam de Scotorum Rege historiam fabulis accensent, quemadmodum omnia, quæ à veneficis perficiuntur vel pro meris somniis & phantasiæ depravatæ erroribus, vel figmentis habent. Quod autem tali maleficio detestandi dæmonis satellites aliis, quibus irascuntur, sæpe numero mortem inferant, vel sequens relatio priori concordans ex *Christoph. Braveri annalibus Trevirens. l.* 2. ad ann. M LX VI. indicabit: Refert ille Eberhardum Archi-Episcopum Trevirens. obstinatam Hebræorum gentem ad Christiana sacra redigere voluisse, quare necem ejus quæsivisse Judæos. Excussis igitur diligenter consiliis ante diem XVIII. Cal. Mart. quo die proximo paschali sacro fonti, ex ritu Ecclesiæ Pontifex operam daturus erat, facta ex cerâ ad Episcopi similitudinem imagine, Clericum ædis Paulinæ nomen ei erat Christiano, sed PseudoChristianum ego potius dixerim, corrupere pretio, ut adstygias has machinationes, imaginem eam undæ salutari immersam ablueret, ac veluti infantem sacro fonte tingendum, expiaret. Ubi igitur dies sanctioris hebdomadæ extremus illuxit, Archiepiscopus Pontificali habitu ornatus & stolâ incinctus ad sacrosanctum lavacrum, cum honesto Clericorum agmine prodit, tum vero Judæi præparatam jam maleficiis iconem lychnis infe-

inferentes accendere, ea porro absumpta & dimidiata Pontificem sacris mysteriis insistentem, vires omnino subito liquere. Elanguidus Antistes veneni afflatu, fascinoque propemodum enectus abcessit in sacrarium; ibi positis coram Christi in cruce pendentis effigie genibus, fusus in preces, caputque in Archidiaconi sinum reclinans, spiritum exhalavit, cujus Epitaphium:

PAUSAT HIC EBERHARDUS TREVIRORUM ARCHIEPISCOPUS, QUI IN VIGILIA PASCHÆ SACRIS INSTANS OFFICIIS, EX CEREA IMAGINE PER JUDÆOS ACCENSA INFIRMATUS, AD SACRARIUM DUCTUS IBIDEM FLEXIS GENIBUS ORANS IN SACRIS VESTIBUS EXSPIRAVIT. ANNO DNI. MLXVI. XVII. KAL. MAJI.

Ego totum istud negotium Magia illicita perfici, in eoque diabolum choragum agere securè assero. Nam ex plurimorum bonæ fidei scriptorum consensu innotuit, magicis artibus per certas ceremonias & actiones incendi posse libidinem, elementa turbari, aquam de cœlo pluere, aerem mutari, homines in alia corpora transponi, & morbos ferinos insuperabiles induci, transmutatis noxiis succis, à partibus ignobilibus ad nobiles, vel instrumentorum figura vitiata, vel immediatè per motum localem, vel illudendo sensibus, vel applicando activa passivis, vid. *Tholosan. Lib. 34. Syntagm. jur. univ. c. 34. Christoph. Landinus in Virgilii locum.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Ex hoc venenato fonte scaturiunt morbi immanes, atroces, admirabiles, qui licet naturalibus similes appareant, cum tamen causam habeant medendi arti haud quaquam obsequentem, jure à *Fernelio lib. de abdit. rer. caus. c. 16. trans naturam* appellantur; Qui remediis naturalibus applicitis in pejus ruunt, aliis vero trans naturam admotis consanescunt.

§. XVI. Unicum adhuc idque memorabile de maleficio per intuitum parato addam. Cum nuper animo à feriis subducto

amæ-

amænitatis pabulum quærerem, variis exoticarum gentium historiis intentus, Arabicam forte fortuna veneficam offendi, quæ propter perpetratum scelus, quo juvenis Ormusini cor devoraverat, in præsentia Petri Della Valle carceri inclusa fuit. Res uti gesta est, cum circumstantiis lectori à laudato auctore Itinerarii parte 3. epist. 17. p. 218. his verbis exponitur: Es wurde ein altes Arabisches Weib Nahmens Meluk gefänglich eingezogen/ welche der Hexerey beschuldiget worden/ und daß sie einen Jüngling/ von Ormus gebürtig/ welcher vor diesem ein Christ gewest/ zu Combru aber erst neulich ein Machometaner worden/ bezaubert/ oder wie sie es in gemein nennen/ sein Hertz gefressen habe/ welches sie auß Rachgier gethan/ weil dieser Jüngling/ anjetzo von den Machometanern Mahammed genannt/ mit ihrer Töchter einer eine Zeitlang in Unehren zugehalten/ dieselbe aber hernach/ auß weiß nicht was für Ursachen verlassen/ gestalten dann dieser Jüngling/ welcher sich in einem jämmerlichen Zustand/ und in Gefahr seines Lebens befande/ selbst einer von den Anklägern gewesen. Was die Weise derselben Zauberey betrifft/ so geschicht sie durch die Augen/ und den Mund/ in deme die Zauberinnen den jenigen/ dessen Hertz sie fressen wollen/ eine gute Weile mit unverwendeten Augen ansehen/ und weiß nicht was für Teufflische Worte heimlich bey sich brummeln; wormit sie durch Krafft solcher Bezauberung/ und deß Teuffels Mitwürckung so viel zu wegen bringen/ daß dieselbe Person/ ob sie schon frisch und gesund ist/ in einem Augenblick in eine unbekandte und unheylsame Kranckheit fällt/ wodurch sie wie ein Schwindsichtiger/ in kurtzer Zeit dergestalt außgezehret/ daß sie endlich darvon sterben muß. Und diese ihre Würckung thun sie bißweilen so geschwind/ daß ein Mensch/ wann sie sein Hertz/ wie sie zu reden pflegen/ gantz außgefressen/ (dann sie können es nach ihrer Kunst/ entweder gantz/ oder nur zum Theil verzehren/ und machen/ daß ein Mensch gantz und gar/ oder nur halb/ und entweder bald/ oder nach und nach außdorret) zum öfftern in wenig Tagen seinen Geist auffgeben muß. Die Inwohner nennen diese Art der Zauberey das Hertz fressen; weil sie in der Meynung sind/ daß der Teuffel der Zauberin Augen

dergestalt verblende / daß sie vermeyne / daß deß Bezauberten Hertz und Eingeweid in Krafft ihrer Zauber-Wort / unsichtbarer Weise auß seinem Leib herauß gehen / und sie dasselbe essen / woran sie dann / wie sie vorgeben / einen über alle massen angenehmen Geschmack empfinden / so gar / daß sie manchmahln / ohne allen vorhergehenden Haß und Feindschafft unschuldige Personen / ja ihre nächste Bluts-Freunde auff solche Weise tödten : wie man dann von dieser gefangenen Hexen außgegeben / daß sie vor etlichen Jahren ihre eygene Tochter auff solche Weise hingerichtet habe. Dieses alles geschicht / wie sie sagen / weil sie ihre Lust hierzu antreibt / daß sie das Hertz einer Person / als eine ihnen sehr annehmliche Speiß / ohne ansehung einiger Freund- oder Verwandschafft fressen müssen / und sich dessen nicht enthalten können.

Diesen verfluchten Leuten nun gibt der Teuffel solche Personen in den Sinn / über welche er / wegen ihrer schweren begangenen Sünden grosse Macht bekommen. Und daß deme also seye / daß der Teuffel / in dergleichen Fall / diesen Unholden den Lust zu einer solchen Speiß eingebe / nehme ich von einer gleichmässigen Geschicht ab / welche mir von dem P. Sebastian d'Jesu, einem Augustiner auß Portugall / und glaubwürdigen frommen Mann / welcher zu meiner Zeit Prior ihres Convents zu Hispahan gewest / erzehlet worden ist : Dieser sagte mir / daß einsmahls an einem den Portugiesen zuständigen Ort / an den Gräntzen deß glückseligen Arabien / (ich weiß mich nicht mehr zu entsinnen / ob es zu Malcat oder Ormus gewest) ein Arabier umb dergleichen Verbrechen willen gefangen worden / den der Capitain oder Statthalter dieses Orts / ehe er ihn hinrichten lassen / umb sich der Warheit dieses Zauber-Wercks / welches in diesem Land für so gewiß gehalten wird / zu erkündigen / als er vor ihn gebracht worden / gefragt / ob er das inwendige auß einer Cucumern ohne öffnung derselben herauß nehmen könne ? welches der Zauberer mit Ja beantwortet / als er nun einen Cucumern bringen lassen / und der Zauberer in deß Capitains gegenwart denselben eine Zeitlang steiff angesehen / und seine Zauber-Wort heimlich gesprochen / hätte er endlich gesagt / er habe ihn gantz und

gar

gar auffgegessen/nachdem man nun die Cucumern auffgeschnitten/ wäre dieselbe inwendig gantz lär gewest. Dieses ist nichts unmügliches/weil der Teuffel/dessen Hülffe sich die Zauberer bedienen/ auß Gottes Verhängnuß / grosse Macht über die untere Geschöpffe hat/solches und noch ein mehrers ausser allem Zweiffel thun kan. So ist auch kein Wunder nicht/daß die Menschen/welche vernünfftige/und von Natur so edle Geschöpffe seyn/dergleichen Würckungen zu wegen bringen können / alldieweilen es gar leicht geschehen kan/daß wo nicht die Seele wegen ihrer Vortrefflichkeit/jedoch zum wenigsten der Leib/als der unedlere Theil/dergleichen Würckungen deß Satans unterworffen sey Hierbey erzehlte mir dieser Pater ferners / daß als ein solcher Zauberer / nicht weiß ich/ ob es eben dieser oder ein anderer gewest/den man umb dergleichen Verbrechens willen eingezogen/gefragt worden/ ob er das Hertz deß Portugiesischen Capitains essen können? Er geantwortet/ Nein/und darbey gesagt/ daß die Francken (worunter er alle Europeische Christen verstunde/ welcher Name denselben/ohne Unterscheid/in Orient gegeben wird) etwas in der Brust hätten / welches sie wie ein starcker Harnisch beschütze/und von solcher Härtigkeit seye/ daß die Zauberey keines weges durchdringen könne. Dieses kan ausser allem Zweiffel nichts anders seyn / als die Krafft der H. Tauffe/ welche die Rüstung deß Glaubens/und die Freyheit der Kinder der Kirchen ist/wider welche die Pforten der Höllen nichts vermögen.

§. XVII. Hactenus de effluviis vivorum corporum. Porrò quæritur, an ex jam demortuis corporibus noxia effluvia exhalent nec ne? De iis qui in confinio mortis positi sunt tetros halitus exire nemo facilè dubitabit, num idem in defunctis accidat, de eo Medicorum sententiæ dissonantes reperiuntur. Quibusdam contra sanam rationẽ videtur, statuere, quod ex cadavere omni activitate innatoque calore prorsus destituto, meatibus adstrictis & ob frigiditatem constipatis, per quos fuligo aliàs transit, putres humores perspirare, aliosque contaminare possint. Nam tanta est inter symbola Sympathia concedentibus omnibus cum Philosopho, ut non nisi inter vivos homines existat. Undè etiam auctoritate Galeni exemplo posito in Scorpio 3. *de loc. cap.* 7

 dicunt

dicunt, cætera vulnera venenata etsi lethalia sint, non tam sæva parere symptomata, quàm quæ ex animalium venenosorum morsu accidunt. Conf. *Gal. Lib. de Inæqual. intemp. 6. Dioscorid. Lib. 6. cap. 35. Fernel. Lib. 2. de abditis rer. causis, cap. 11.* Quod ipsum pulchrè exponit *Iohann-Andreas à Cruce, Lib. 3. de Morsibus venenosis, tract. 5. Tit. de Curat. morsus venenosi* his verbis: Nonnulli opinantur, quod vulnera illata ab animalis venenosi viventis morsu sunt multò graviora ac periculosiora illis, quæ à venenato telo causantur. Nam venenum quod ab animali provenit valdè acutum ac penetrabile est, cum autore *Celso* quilibet morsus virulentia quadam lædere soleat, quæ propria malignitate membri complexionem turbat & corrumpit, ac intrinsecâ qualitate cordi nocumentum afferre quærit. *Hæc ille.* Atque hoc dubio caret, quoniam in partem de morsu apertam, vel salivam vel humorem caloris interventu eructat, cum quo virus in arterias, in omne denique corpus obrepit, & primùm spiritus, deinde humores, postremò ipsam partium substantiam inquinat & labefactat. Ut ergò cadaver noxium sit & contagiosum, in proximique corporis ruinam & damnum sui furoris proferat incommoda, debet habere adminiculantem calorem, ut vapore emisso vicinum corpus brevi admodum tempore afficeret, quo cum careat, & contagionis seminaria sint finita, contagiosum esse nequit. Eandem thesin *Fracastorius*, Medicus & Poeta clarissimus, qui rectius omnibus de contagio fuit ratiocinatus, confirmat, *Lib. 1. de Contagione cap. 12.* dicens: Mortuum autem animal contagionē eam non servat, qua tenebatur vivens, quoniam seminaria contagionis una cum calore innato extincta sunt &c. Et in *initio capitis*, postquam dixerat, contagiones non uno modo se habere, nam aliæ promtissimè inhærent & afficiunt, aliæ seriùs, aliæ statim se manifestant, subdit: omnes autem in vivo corpore natæ infectionem disseminare, in mortuo non. Ejus forsan consilio & auctoritate ductus *Rondeletius* manifesto experimento hanc sententiam illustrare voluit, *Lib. de febribus, cap. de febre pestilentiali* ita pronuncians: Quare corpora illa mortuorum, quæ amplius non exspirant, nullum venenum

nenum ejaculantur, quod si aliquid contrahatur, id potius ab eorum pannis contrahitur, quàm ullâ alia re. Siquidem dissecuimus aliquandò corpora mortuorum ex peste, multis spectantibus studiosis, sine aliquo damno, propterea, quod in animali perit omne venenum. Quam ob rem si hæc vera sunt, & tot eruditissimorum hominum expressis testimoniis comprobata, cur cadavera emortua vitiosos aut contagiosos halitus effundere posse asseremus?

§. X V I I I. Verum enimverò, rationes & testimonia in contrarium solida satis & evidentia prostant, quibus innixi affirmativam sententiam hoc loco defendendam suscipimus. Videmus in ipsis morientibus, interdum etiam in demortuis Scorbuticas maculas efflorescere, quatenus copiosa materia peccans, vi superstitis etiam post mortem caloris à centro ad circumferentiam corporis movetur. Non enim absurdum est, in demortuis quoque aliquamdiu caloris effecta superesse posse, licet mors extinctio caloris dicatur. Vid. *Gregor. Horst. de Scorbuto Sect. 2. thesi 5.* Imò à spirituum vaporumque reliquiis in demortuis tremulos motus excitari videas, sicuti sequentia exempla edocebunt. Cum nobilis grandæva virgo in Daniâ extremum spiritum edidisset, officiosa mulier cauponarii oculorum supercilia claudebat, dumq; operi huic religione consuetâ accingitur, ingens ex ore sonitus prodit, quem ructum (inquit *Thomas Bartholinus Histor. Anatomic. & Medic. Cent. 6. n. 4. p. 203.*) credo ex vaporibus in ventriculo conclusis ex hypochondriaco affectu emergentem. Postea in ferali mensa funus adornatur; consuuntur à mulieribus amicis seu præficis sepulchralia lintea, inter quas occupationes supercilia aperit cadaver, interturbatque susceptas mulierum operas improvisa, terrorisque plena oculorum apertio, quam illæ nescio cui miraculo, ego Spirituum reliquiis adscribo, vel ciliis rigentibus serius clausis. Aliud memorabile *Marcellus Donatus Lib. 2. de Medicâ historia mirabili cap. 3. pag. 144.* recenset. Monialis quædam in Cœnobio D. Vincentio sacro, cum per sex menses phthisi laborâsset, apoplexiâ repentè correpta, quæ in dextræ partis paraplegiam

terminavit, triduo post exanimata feretro imponitur. Monacha altera affinis ingemiscens & lachrymabunda demortuæ manum DEOSCULATUM accipiens, ter validè constringi persentit, tanquam miraculo perculsa, reliquas adstantes moniales advocat, accurrunt, manum à mortua, validè comprehendi intuitæ mirantur. Nos causam naturalem indagantes censuimus, mulierem Deo dicatam non prorsus animam exhalâsse, sed remansisse vitæ fomites & igniculos quosdam, quales in præfocatis, & validâ apoplexiâ detentis non semel observatos scimus, licet sensus, motus, pulsus & respiratio sint aboliti, undè motus illos constrictionis convulsivos excitatos in extrema extinctione putavimus, quod veritati consentaneum esse magis affirmare possumus ex historia *à Matthæo Villano hist. sui temporis l.3. cap. 46.* descripta, ait namque Florentiæ Gualterio Bustaccii Ubertini filio dissecto publicè à carnifice capite, atque cadavere arcæ imposito, dum ad Ecclesiam sanctæ crucis humandum gestaretur, adeo repente concussione valida sponte exagitatum ut arcæ tabulata invicem disjungerentur, ac pene ex gestantium humeris decideret, quod ad jactum balistariæ sagittæ dum funus progrederetur perseveravit, non sine omnium adstantium ingenti admiratione. Conf. *Fortunatus Fidelis de relationibus Medicorum lib. 4. cap. 6. p.m. 523. edit. Lips. in 8.* Anno MDCLXXIV. Porrò notissimum est, vel etiam iis qui prima Medicinæ limina salutârunt, ex cadaveribus mortuis in bello pestem oriri posse, quare unanimi consensu Medici illa illicò esse cremanda imperârunt. In illis enim licet cesset calor innatus, refrigeratum sit corpus, deficiatque exspiratio arteriarum & minor sit exhalatio, ratione tamen putrescentis materiæ in corde, in venis, arteriis per transpirationem sit sufficiens evaporatio ad inficiendum aërem. Hujus rei manifestum signum præbet fœtor ingens, non nisi ab effumante calore plurimâque vaporum copiâ exsurgens ex sordidâ circa viscera putredine natus, quæ ad absentiam nativi caloris, à quo antea coërceba-

cebatur, ſeſe inſolenter eructat. Idcirco ſi fœtentes vapores à cadavere elevati aerem putredinoſè inficiunt, quid mirum ſi ipſi à cadavere peſte emortuo elati corpora vicina inficiant peſte dira? Perniciofius ergò multò ex peſtilenti lue emortuum corpus, quam ipſum ægrotantem attingere. Illud enim cum vehementiorem arguat cauſam, eminentiori quodam perdendi modo inficiendi vim habet. Nam quod in vivis calor effumans per patentes minimeque occluſas vias, reſpirationem videlicet & tranſpirationem efficere poteſt, id calor putredinoſus per hanc partem peragere valet efficacius.

§. XIX. Deinde, ſi canis rabidus emortuus inficit alios rabie dirâ, licet extincta animali emortuo contagionis ſeminaria videantur, cur homo peſte emortuus alios etiam non inficiet? Primum probant illuſtria eruditiſſimorum hominum teſtimonia. Nam *Cælius Aurelianus lib. 3. acut. cap. 9.* narrat, Sartricem quandam cum chlamydem ſciſſam rabidis morſibus ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & lingua pannorum ſuturas lamberet aſſuendo, quo tranſitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem veniſſe. *Palmarius lib. de morb. contagioſis pag. 266. 267.* animalia ſtramentum in quo rabie perciti ſues decubuerant, deguſtantia contractâ primò rabie periiſſe vidit. Quare contagionis ſeminaria extincto calore nativo deleta non ſunt, ut perperam dicebat *Fracaſtorius.* Conſule *Sennertum lib. 4. de febr. cap. 2.* ad Rondeletii experimentum reſponſio hæc inſervit: Licet ſit veriſſimum, attamen non concludit. Nam ut bellè dicebat *Galenus lib. 1. de dif. febr. cap. 4.* nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt, alioquin omnes cum peſtilentibus converſantes morerentur, quoniam non quævis demorſa à rabidis aguntur in rabiem, ſed diſpoſita tantum. *Nicolus ſerm. 4. tract. 4.* ait: Ego vidi canem rabioſum mordere quendam anſerem, & dilaniavit de cute ejus multũ, cum ſanguinis effuſione, & tamen nullum malum accidens inde anſer paſſus eſt, & tamen erat canis ille valde rabioſus, quia

poſt

post valde parvam moram momordit quendam juvenem, qui inde factus rabiosus, mortuus est. Confer supra §.4. hujus dissertationis, item *Zacuti Lusitani praxin medic. admirand. lib. 3. observat. 43. p. 105. & observat. 44.* Ubi sanguinem secta vena fluentem totum cubiculum ægroti infecisse bis se observasse testatur. *Rodericus Castrensis Lusitanus lib. 3. de meteor. Microcosm. cap. 4.* Nam si fætidus & graveolens est, mortem præsagit, ut notat *Petrus Forestus Lib. 1. de febr. 16.* Vocatus tempore pestis ut inviserem ægrum febri arreptum parum febrientem inveni eum aspectu hilari, tactu miti, urina bona, jussi secare basilicam, nam plethoricus erat. Vesperi ad eum invisendum è mola descendo, ecce casum mirum vicini narrant, ex sanguinis extracti fætore horrendo, tres ministros infectos veluti sideratos occubuisse, subito & ægrum animam efflare inculcant. Hoc audito discedo. Confer *Valleriolam lib. 3. loc. com. cap. 18. Salium lib. de peste cap. 5. Gemmam lib. 1. Cosmocritic. 13.* Insuper observavit excellentissimus Dominus *D. March. Archiater Electoralis Brandenburg.* cum in Holsatiâ ageret, juvenculam civis Eccelferdensis uxorem quam tenerrimè amabat, immaturâ morte obiisse. Hæc cum feretro imposita esset, maritus suavissimæ conversationis cum vivâ inviolabiliter cultæ recordatus, illiusque desiderio mirum in modum accensus, emortuæ adsistebat, ejusque hianti ori subinde multis delibutus lachrymis, non sine forti amoris impressione, OSCULA figebat; inde mæstus viduus exspirantem cadaveris halitum tantopere imbibit, ut CADAVEROSUM FOETOREM HORRIDIS OSCULIS contractum toto vitæ decurrentis spatio exhalaret. In hunc notabilem casum Nobiliss. & Excell. Dn. *D. Iacobus Barner. S. R. M. Pol. Medicus & Reip. Elbingensis Physicus meritissimus, mecum propter singularem à multis retrò annis inter exteros intemeratè* exercitam amicitiam benevole communicatum, promptissimâ Musâ, tale Epigramma effudit.

Quam vitæ sociam vivam spiravit & alsit,
  Hanc etiam spirat morte ubi tacta cadit.
Sic mixtæ haud pereunt animæ, post fataque durant,
  Non tantum in mortem, sic superatque fides.

Ex

Ex quibus nemo non vel manibus palpare poteſt, etiam poſt egreſſum animæ ex corpore morbido vaporum aliquid per intus retentum calorem remanere, quod nobis probandum ſuſceperamus.

§. XX. Aliud exemplum fœtoris cadaveroſi exhibet *D. Sigismundus Schnitzerus apud D. Gregor. Horſt. Archiatrum Ulmenſ. Epiſt. Medic. lib. 2. Sect. 10. p. m. 500.* Virgo annorum XVII. in monaſterium ſancti ſepulchri Bambergæ Ann. MDCI. miſſa eſt, ut anno (quem ſic ſuo more vocant) probationis peracto, habitum monialis induta, ordini iſti manciparetur. Hæc prædictum monaſterium vix dum ingreſſa, fœtorem cæteris monialibus ſummè intolerabilem eructare animadvertitur, fœtorem inquam, quaſi putreſcentis cadaveris, ſive in eodem cum cæteris verſetur contubernio, ſive in ſua lateat crypta, (quam cellam vocant) hanc enim prætereuntes quoque odorantur, ita ut inprimis hujus virginis σῶμα quaſi σῆμα haud immeritò dici queat. Colore eſt florido, omnes functiones bene obit, de nulla corporis parte querela ulla, nulla, referentibus cæteris monialibus, menda: concludit tandem epiſtolam ſtatuens, putorem illum, non ab oris, ventriculi, uteri, aut alterius corporis partis vitio manare, ſed eam eſſe univerſi corporis ἰδιοσυγκρασίαν, ideoque malum omnem Medicamentorum adhibitorum efficaciam eluſiſſe. Ad hæc reſpondet *D. Andreas Libavius D. Schnitzero:* Sed ſi ideo Syncraſia eſt, incepit malum in prima ſeminis ad conſtruenda membra miſtione, dependetque tam fœdus odor ex ipſa craſeos forma, quaſi ſingularitate ſui inexplicabilis commiſtionum ratio effeciſſet, ut deinceps hujusmodi ἄῤῥητος ποιότης ſequeretur ſemper conſtitutionem, nec deleri poſſet, niſi ſoluta miſtione. Sit ita, an non, exploratu cognituque eſt difficilimum, ultraque captum humanum poſitum. Proinde affirmans negansque pari fruuntur jure, cum tam proclive ſit negare, quod ſine demonſtratione dicitur, quam affirmare, præſertim cauſis in conſpectum & contemplationem venientibus aliis. Quidni enim dicamus, non in craſi fuiſſe vitium, ſed acceſſorium quoddam forinſecus iſtam ſubſtantiæ alteratio-

nem induxisse, vel talem aspersisse labem ut non hominem sed cadaver spiret? Nec semper brevis ea contagio est, nonnunquam commoritur, usq; ad extremam dissolutionem compagis indivulsus comes. In hoc genere est, contaminato sanguine semineq; & constitisse, & nutritum esse intra parentem: aliquid passum esse matris nausea & consternatione, affectuq; gravi, quales maculas nosti inuri indelebiliter, malaciâ correpti matribus, & valido animi motu, quin & membrorũ, utpote manuum, concussis, Spirituq; cogitationibus directo in conceptum, aut utero latitantem tenerum embryonem. Consternata sit illa sepulchro; supervenerit unctioni cadaveris: sordibus putridis ex alvo decumbenti cum redditis nauseam conceperit, & similibus fuerit graviter affecta. Inde nota infanti esse potest. Memini Epilepticos pueros, oleo succini inunctos, sepulchrale quid olere. Cum fœminæ operam dant parturientibus, ægrotis & aliis, facile concipere seminaria, dum uterum gerunt, possunt; ne quid dicam inter menstrua putrida sat diu morari conceptum, aut etiam eo tempore primordia sui accipere potuisse: Undè primis fermentationibus graves halitus, sed postea etiam leprositates & hujusmodi emergere. Novimus ab utero dispositos ad Gallicum, Cancros, Elephantiasin, &c. nihil spirare jucundum, etiam tunc cum videntur belle habere. *Idem aliâ Epistola ad eundem p. 505.* dicit: Apud nos compertum est quandam juvenculam in matrimonio viventem tempore fluentium mensium fere pejus cloacis olere, maritumque tunc afflictim degere. Non est difficile judicatu, talem quandam discrasiam totum occupare, quæ in sanguine corrupto aliquando existit. Est autem sanguis πρὸς τὸ ὅλον. Quale nutrimentum in utero, tale nutritum: quod cum primum fuit tam tetrum, substantiam reliquit talem, quæ semper sibi simile ex alimento facit. Tales puellæ nisi arte medicâ restituantur, plerumque spe matrimonii excidunt. Ut enim bona merx facile emptorem allicit, ita putris ingrato pedore vel è longinquo terret accedentes. *Oscula fragrantia & suaveolentia expetuntur; sordida, olida, rancida, ubique sunt ingrata.* Sed ut omnibus in familiæ Veneris versantibus solatium aliquod impertiam, Amasiisque virguncular. consulam, ecce pro fœtore oris

opti-

optimum præsidium *Zacuti Lusitani Lib.1.de Praxi Medica admiranda Observat.87.p.20 adscribo*: Illustris quædam matrona adeo fœdo horribilique oris fœtore continuo premebatur, ut assistentes circa ipsam immorari non possent, pro quo domando vitio, à corruptis putridisque humoribus in ventriculo genitis suborto, cum plurima tentâsset auxilia, quæ tum inutilem stomacho vacuarent humorum copiam, unaque suavitatem & robur ori ventriculoque conciliarent, & cauterium in crure, incassum tamen affigeret; tandem pilulis his unius mensis spatio assumptis inposterum suavem spiravit odorem, nam binas duabus horis post cænam devorabat, quæ gravem oris halitum emendant, suavitatem conciliant, & ructûs tædiosos abolent. ℞, Myrobalanor. emblic. Chebulor. an ℥ß. Rorismarini, semin. citri, Myrrhæ, sem. Myrti, an. ℥j. Cinnamomi, ℥j. Galangæ Malobathri, Hydropiper. Nucis Myristicæ, an. ℈ß. Caryophyllor. ℈ß. Galliæ Moschatæ, ℈j. Aromatic. rosati, Diamoschi dulcis, an. ℥ß. Mastichis, Coriandri, Anisi, sem. fænicul. an. ℈j. Moschati odorati, Ambari, an. gr. xx. Agalloch. elect. ℈jß. Pulverisanda pulverisentur, & deinde ad umbram exsiccentur, prius vino odorifero, & aquâ flor. Aurantior. irrorata, deinde cum balsami guttulis, & Rhodomelite fiant pilulæ ad modum ciceris, & deaurentur.

§. XXI. Superest ut de *Osculo Mortifero* agam, cujus mentionem facit *Sim. Majolus tom.1. dier. canicul. colloq.3.* ego novi, *inquit*, adolescentulam ingenuã, quam cum delectus à parentibus in ejus noxam sponsus, ipsa insidiosi amoris incuriosa, furtivâ quadã familiaritate deosculatus esset, intra unius horæ intervallum illa, tametsi compositissimâ esset valetudine, virginales suas exuvias ad mortẽ deposuit, tanta se affecerat vi imaginationis, velut temerato pudore famosæ libidinis hostia evasisset, Quamobrem, ne cognatio quã modo cum adolescente panxerant parentes morte filiæ eluderetur, alteram sororem minorem natu ei desponderunt. Sic unus binas sorores desponsatas habuit, atq; uno horæ momẽto geminata fuere sponsalia. Causa externa tam repentinæ mortis citra dubiũ fuit dolor propter admissum osculum firmiter impressus, qui totã corporis structurã vehementi alteratione concussit ac Spir. vital.

adeò coarctavit, ut vim omnem penitus amitterent. Passiones enim animi corpus nostrum maxime afficere posse, quilibet nostrum quotidie in seipso, dummodo velit advertere, ubertim cognoscet. Quod autem ex iisdem repentina mors subsequatur, vel Symptomata prava contingant, aliquot miris exemplis demonstratum ibo. Ex dolore Wilhelmus Roschildiensis cadaveri Regis Daniæ Svenoni amicissimo ipsius illacrymans, statim extinctus est, relatore *Alberto Krantzio lib.4. Hist. Dan.* Narrant historici ferè omnes, anno MCCCCXCIV. vel ut Sabellicus MDXCV. dum Gallica nobilitas è Neapolitano Regno recederet, Domini Monpensierii filium super patris tumulum plorantem dolore extinctum fuisse. Raisciacus Suevus cum filium strenuè contra Turcas dimicantem in Budæ obsidione occubuisse ex cadavere ad se relato cognovisset, repentino dolore ad vitalia profundius pervadente, cum rigentibus oculis stetisset, paulo post, nihil effatus interiit, quemadmodum Historici testantur, & inter cæteros *Paulus Iovius lib. 39. historiarum sui temporis.* Quosdam præ lætitia & amore periisse etiam constat. Sic Sophoclem cum victor in Tragico concursu declaratus esset, statim exanimatum esse tradit *Plinius lib.7. cap.37.* cui *Valer. Max. Volaterranus & Pontanus* subscribunt. Sic & mulieres binas Romanas filio utroque vivo conspecto, quos in pugna Cannarum occubuisse existimabant, gaudio extinctas, tradidit *Livius lib. 22. hist. ab urbe condita.* Philippidem Comœdiographum, cum in certamine Poetarum vicisset, inter gaudium repente mortuus est, autore Gellio. Et Diagoram Rhodium cum duos filios Athletas, ut *Cicero primo Tusculanarum quæstionum,* vel tres, ut *Gellius 3. Noctium Atticarum,* testantur, publicè victores coronatos conspiceret, nimia lætitia expirâsse, apud prædictos Auctores legimus. Polycratam nobilem fœminam Navo insula cognita repente insperato gaudio animam expirasse Plutarchus de claris mulieribus est testis. Narrat *Antonius Bontinius rerum Ungaricarum lib. 3. Decad.3.* memorabile duorum amantium exemplum: Eurialus equestris ordinis juvenis, & Comes Augustalis mira pulchritudi-

ne spe-

ne ſpectatiſſimus, commorante apud Senenſes Sigismundo Imperatore, Bohemiæ, & Ungariæ Rege, primo obtutu in Lucretiæ Senenſis amorem exarſit, pari quoque ardore correpta virgo, quam ob venuſtatem & formæ præſtantiam, alteram Venerem appellabant; amoris æſtus brevi utrumque voti compotem fecit. Sed abeunte Romam Imperatore cum Eurialus amicam deſerere cogeretur, ſecundum digreſſum altera ſexus imbecillitate parum conſtans, præ amantis inopia expiravit, alter amicorum conſilio, & ſolatio aliquantiſper inſtauratus, quamvis vitam diſtulit, nunquam tamen amplius ridere viſus eſt. Miranda quoque ex indignatione eveniſſe memoriæ mandatum eſt. *Val. Max. Lib.* 1. *memorabilium c. ult.* tradit uxorem Nauſimentis Athenienſis, cum forte fortuna vidiſſet filium & filiam invicem venere commixtos, præ ira, & indignatione mutam effectam. E contra vero Eglo Samio luſtratori accidiſſe, cum enim in ludo luctæ victor fuiſſet, eique præmium & honorem ſubripere vellent, indignatione commotus loquelam recuperavit. Narrat *Saxo Grammaticus hiſtoria Danicæ lib.* 14. Eskillum Epiſcopum ex animi mærore linguæ debilitate contracta parum vocalem evaſiſſe. *Gaſpar Bugatus lib. hiſt.* 7. ſcribit Muccium Sforciam, Caravagii comitem, à primo ortu in loquendo vitium habuiſſe, ut non ſine notabili impedimento loqueretur, attamen die quadam dum maxima excandeſcentia detineretur, itaque animum occupans, linguæ impedimentum augeret, tanto conatu impetuque commotum fuiſſe, ut poſthac ſemper multo expeditius loqueretur: quod de Crœſi Regis Lydiæ filio plerique ex antiquis ad notarunt, de quo *Iulius Solinus lib. Polyhiſt. cap.* 5. Cum Olympia die octava & quinquageſima victor Cyrus intraſſet Aſiæ oppidum Sardas, ubi tunc Crœſus latebat, Atſis filius Regis mutus ad id uſque temporis, in vocem erupit vi timoris, exclamaſſe enim dicitur: Parce patri meo, Cyre, & te hominem eſſe, vel caſibus diſce noſtris. Ex timore pariter nonnullos periiſſe legimus. Scribit enim *Benivenius cap.* 63. Puerum qui dum in rure paterno degeret, ſingulisque diebus ad vicinum Sacerdotem ſtudendi cauſa, ut fit, ſummo mane

 mitte-

mitteretur à patre, accidisse semel, ut prope jam intranti illi Sacerdotis ipsius ædes, essetque cœlum paululum adhuc subobscurum, præsto fuerint duo viri nigris vestibus obvoluti, quibus adeo perterritus est puer, ut exinde in mortem inciderit. Pudore quoque extinctos nonnullos memoriæ proditum est. *Diodorus Cronus teste Plinio lib.* 7. Sapientiæ Dialecticæ Professor lusoria quæstione non protinus ad interrogationem Stilibonis dissoluta pudore expiravit. Idem de Homero scribit *Valer. Max.* tum propositam à piscatoribus quæstionem solvere nequisset, nec mirum, nam pudor timor quidam est, *teste Arist. probl.* 53. 11. *part.* Undè & Philosophi auctore *Aulo Gellio lib.* 19. *cap.* 6. pudorem definiunt esse timorem justæ vituperationis. *Aretæus lib.* 1. *c.* 7. hæc scribit: Cæterum & animi immodicæ perturbationes, ut repentè incussi pavores, timores, animi consternatio & mæror, præterea & in pueris terrores, interdum inopinatum, atq; ingens gaudium, item risus usque ad mortem implacabilis, nervos resolvere consueverunt.

§. XXII. Sed utrum aliæ adhuc sint causæ proximæ & internæ ex quibus subitò mors repentina accidat, dispiciamus. *Dominicus Tirillus Libello in hunc finem dicato*, supponens ex *Galeno Lib.* 1. *de Præsagit. ex pulsibus cap.* 4. quod vitæ conservatio debet tribui calori, hujus defectum in corde constituit proximam & immediatam causam mortis repentinæ, dum subitò corrumpitur aut suffocatur; mox alias superaddit à quibus hæc provenit. Et statim explicans qualis sit hic calor ex cujus extinctione vita repente deficit, dicit, quod hæc doctrina debet intelligi de innato calore implantato & insito in parte solida cordis. Sed immeritò hæc profert tantus vir. Si enim subitò deficit hic calor, ut statim admittit, quia resolvitur, quia suffocatur, quod expanditur, quia spiritus comprimuntur aut contrahuntur, frustra hoc tribuitur substantiæ viventi solidæ cordis, quæ nec subitò resolvi, nec reponi aut generari potest, expandi aut contrahi; undè potius dicendum, quod Galeni doctrina intelligi debet de calore spirituum, qui vitalis dicitur, quia simpliciter necessarius est ad vitæ conservatio-

vationem, nec solum in ipso corde, sed & in reliquis corporis partibus; & ideò vivificum vocatur nectar, quo cor & reliquæ partes conservantur, aptæque redduntur pro suis eliciendis operationibus, præcipuè naturalibus, quorum fit instrumentum. Hæc autem vitalis caloris necessitas maximè relucet in corde, quod illius est origo, & causa simul & fons, à quo per universum corpus diffunditur, ex quo provenit, quod si subitò cor spiritibus vitalibus privetur, mediis quibus vitali fruitur calore, illum communicat per universas corporis partes, homo subitò privatur vitâ, & ideò proxima & immediata causa mortis repentinæ est defectus vitalis caloris, vitæ conservativi, in corde ac reliquis corporis partibus. Hoc præcipuè intelligendum venit de morte repentinâ proveniente in corpore integrè constituto, in sua conformatione & unitate: si enim repentè totum corpus, aut partes principes scindantur aut contundantur, aut compressione aut alio modo, debitam amittant conformationem, illi procatarcticæ causæ tribuenda est repentina mors, sicut & manifestis morbis, dum ab illis provenit, ut in apoplexiâ suffocante cerebrum. Quandò autem ab intemperie potius provenit repentina mors, hæc ex caloris vitalis defectu fit. Hic verò deficit ex variis causis, quas *Tirillus* reducit ad quatuor causarum genera. Primum est alteratio contrariæ qualitatis: secundum est suffocatio: tertium est marcor, seu defectus pabuli: quartum est digestio sive dissolutio ipsius calidi. Hanc doctrinam deduxit ex *Galeno, Libro de utilitate respirationis cap.3.* Ubi similem proponit doctrinam sumptâ similitudine à flammâ externâ, quæ deficit vel ob materiæ combustibilis defectum, vel quia privatur altero ex duobus motibus contrariis, quorũ alter est sursum, quo ignis ad propriam sphæram tendit, & fuligines expellit; alter est deorsum, quo versus idoneum pabulũ movetur: Undè flamma deficit, si deficit pabulũ, versus quod moveatur deorsũ, & etiãsi suffocetur, & impediatur illius motus sursũ, debitus levitati, vel in circũferẽt. debitus raritati. Sed falso nititur hoc fundam. *Tir.* cum

cum supponat, quod calor insitus & implantatus partium solidarum cordis, est qui repentè ob has quatuor causas corrumpitur. Calor enim, ut calor est, solum corrumpitur à suo contrario, vel defectu subjecti, ut dum flamma suffocatur, à cujus formâ producitur, & conservatur. Calor autem insitus & implantatus partibus solidis cordis, nequit suffocari, neque illius motus sursum, aut deorsum impeditur, quia cor non informatur formâ ignis, cui est proprium sursum moveri, & deorsum materiam quærere, seu pabulum: Undè sicut calor inhærens in alio quocunque subjecto præter ignem sine iis motibus conservatur; similiter in corde. Et ideò causæ propositæ ab illo pro corrumpendo vitali calore & causanda morte repentinâ falso fundamento comprobantur. Plura videantur *in Resolut. Medic. part. 6. D. Casp. Bravo Consultatione 15. p. 656.*

DISSERTATIO XX. DE OSCULIS VALEDICTORIIS ET EMORTUALIBUS.

SUMMARIA.

I. *Amicitiæ sinceræ laus & dignitas.* II. *Osculum separationis sive valedictorium. Exempla ex historia Græca & Romana discedentium amicorum.* III. *Alia recentioris ævi.* IV. *Os animæ ostium. Oscula morientibus impertita. Osculo animam tradere & sorbere vel excipere quid?* V. *Mors inter oscula valedictoria ingeniosè procurata.* VI. *Lucta animæ in morientibus ex mente gentilium osculis citius absolvi credita. Animam in ore tenere. Extremum Spiritum excipere. Deus omni tempore pœnitentes recipit.* VII. *Hebræi morientes osculati sunt æque ac Christiani quondam.* VIII. *Justi in complexu Dei moriuntur. Oscula gentiles cadaveribus jam jam comburendis figunt. Salve*

Salve & vale mortuis dictum quo sensu? Ioseph defunctum patrem osculatur. Exempla alia hujus moris adducta. IX. *Mors abitus vel abitio. Causa cur mortuis oscula adhibita. Clausula valedictoria in Sepulchrorum Inscriptionibus.* X. *Græci ante sepulturam defunctos osculo salutant. Ex Orationibus veteris Ecclesiæ pro mortuis, frustra fundamentum petunt Pontifici: pro Purgatorio. Dionysius Areopagita duos è vitâ discedentium ordines constituit. Lutheri de precibus pro mortuis sententia.* XI. *Mortui, urnæ, monumenta & sepulchra variis coronarum generibus ornata inter Græcos & Romanos.* Ἐφας. *Rami arborum ad coronas. Duces bellici lauro redimiti. Mortui Reges coronis aureis coronati. Corona mortuis imposita significabat è victoria seculi securitatem. Pictura Mortis coronata cum lemmate*: Victoria limes. *Mortuos coronandi mos Patribus valdè improbatus.* XII. *Marcelli urna argentea, Demetrii aurea. Monumentum Metidis à Sacerdotibus sacrificio ibi peracto coronatum. Numæ sepulchrum publicis muneribus & coronis decoratur. Saxis sepulchro impositis idem honos ab ethnicis & Christianis habitus. Proverbium: Opus habet apio. Hiacynthi, lilia, violæ, rosæ aliiq; flores in sepulchris anniversariâ quadam celebritate cumulati. Feretro Remi frater Romulus osculum imprimit. Idem fratrem interemit ductus ratione Status. Cleopatra Antonii tumulum osculatur. Imperatorum statuæ in exequiis ad oscula prostantes.* XIII. *Deductio funebris Clericorum cujuscunq; ordinis apud Græcos cum osculis.* XIV. *Osculum istud precum pro defuncto faciendarum promissio est. Os Orationis officina. Osculum & Eucharistiam mortuis præbendi consuetudo apud Latinos Seculo VII. sublata, Zonaras notatus. Russorum funerandi modus multis Indiæ occidentalis habitatoribus communis.* XV. *Lex Cibenicensis de cadaveribus non osculandis. Mulieres capite discooperto post cadavera ire prohibentur. Tetri halitus ex morientibus egredientes deosculantibus exitiosi. Osculum consanguineo cadaveri fixum dentibus obest. Superstitiosa de matre defunctam prolem osculante opinio.*

§. I. QUantam amicitia, sive honesta animorum conspiratio ac naturæ conjunctio, vim habeat ac efficaciam, nullus facile discere, nec oratio ulla explicare potest præter ipsam experientiam, rerum omnium Magistram. Exceptâ Sapientiâ nihil melius datum esse homini à Diis immortalibus amicitiâ, Romanæ Eloquentiæ Dictator *Cicero* non sine causâ quondam pronunciavit, *Lib. de amicit.* Ecquid enim dulcius in molestâ hac vitâ quàm habere, cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum? quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Adversa etiam ferre difficile foret, sine eo, qui illa gravius etiam quam tu ferret. Profectò amicitia res plurimas continet, quocunque te verteris præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiva, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igne locis pluribus indigemus, quàm amicitiâ. Secundas enim res splendidiores facit, & adversas patiens communicansque leviores. Elegantissimum est encomium, quo *Chrysostomus* fidelem amicum exornat, *Homilia 2. ad Thessalonicenses*, dicens: Fidelis amicus revera est vitæ Medicamentum. Fidelis amicus est revera validum tegumentum, quid enim non fecerit verus & germanus amicus? quam non attulerit voluptatem? quam non utilitatem? quam non securitatem? Etiamsi thesauros dixeris innumerabiles, nihil vero & germano amico potest æquiparari. Primùm autem dicamus, quantam voluptatem habet amicitia. Gestit gaudio eum videns & diffunditur. Cum eo conjungitur quadam conjunctione, quæ ineffabilem animo habet voluptatem. Et si solum ejus meminerit, mente assurgit & attollitur. De germanis loquor amicis, qui sunt unanimes, & qui pro amicis mori elegerint, & qui ardenter amant. Ne mihi cogitantes eos, qui leviter amant, & sunt mensæ socii & amici nomine, existimetis arguere, id quod dicitur: Si quis habet amicum, qualem dico, verba agnoscet, & si eum quotidiè viderit, non satiatur. Eadem ipsi quæ sibi ipse optat & precatur. Tanta res est bonus amicus, ut & loca & tempora propter ipsos amentur. Quomodo enim à splendidis corporibus flos emanat in loca vicina, ita etiam amici ad loca ad

ca ad

ca ad quæ accesserint, suam emittunt gratiam, & sæpè cum absq; amicis in illis locis fuerimus, flemus, recordantes dierum in quibus cum illis versati sumus, & gemimus. Verbis explicari non potest, quantam affert voluptatem & lætitiam præsentia amicorum. Soli autem sciunt, qui experiuntur. Et gratim petere, & gratiam accipere ab amico licet, citra suspicionem. Quandò nobis imperant, tunc eis habemus gratiam. Quando dubitant & verentur, tunc tristitiâ afficimur. Nihil habemus quod non sit illorum. Omnia quæ hic sunt sæpè despicientes, propter illos nolumus hinc recedere. Illi etiam luce magis desiderabiles. Revera ipsa quoq; luce est amicus desiderabilior: loquor de sincero & germano. Nec mireris melius enim est, ut Sol nobis extinguatur, quam ut privemur amicis. Melius est degere in tenebris, quam amicis privari. Et quomodo? Ego dico, multi Solem videntes sunt in tenebris. Abundantes autem amicis, ne fuerint quidem in afflictione. Omnes voluptates exuperat voluptas amicitiæ, etiamsi mellis voluptatem dixeris. Nam id quidem affert satietatem, amicus autem nunquam, dum fuerit amicus. Sed augetur potius desiderium, & satietatem nunquam affert voluptas. Vita quoque præsente est amicus jucundior. Multi quidem certè post mortem amicorum ne optant quidem amplius vivere. Cum amico etiam exilium tulerit quispiam, absque amico autem ne suam quidem patriam habere voluerit. Cum amico etiam paupertas est tolerabilis. Absque eo autem & sanitas, & divitiæ sunt intolerabiles. Alterum habet seipsum. Angor, quod non possim exemplo rem ostendere. Idem loco adducto. Quoniam autem amici, quos morum bonorum similitudo ac confirmata virtus conglutinavit, ab se invicem divelli admodum ægrè quidem patiuntur, quandoque tamen talem separationem nullo modo intervertere valent, tum molliores animi partes præsenti virtute consolidant, & discedentem certo charactere ceu Symbolo sibi postremum devincientes, intermixtis lachrymis & *osculis* tristissimè comitantur. *Oscula* in hâc occasione veteres *distribuebant*, procul dubio propterea, ut cultam hactenus amicitiam sartam tectamque ser-

ſervatam, perpetuæ mandarent memoriæ, ac iis propenſam benefaciendi voluntatem quaſi obſignarent.

§.11. Sed Exemplis negotium amat illuſtrari, ergò manipulum ex hiſtoria Sacrâ & ſeculari depromam: Epheſii & Melitenſes fideles magno cum fletu in Pauli Apoſtoli collum illapſi, eum deoſculabantur, cum Hieroſolymas iturus, ſe poſthac viſuros præſentem negâſſet, *Actor.20.37.* Jacobus Apoſtolus Martyr emiſſario eum ad judicem ut gladio cæderetur, deducenti oſculum dedit ac vale nunciavit, poſtea uterque capite truncatus eſt, Anno Domini XLV. *Clemens Alexandrin. Lib.3. Hypotheſ. VVenceslaus Sturm. in Calendario Sanctorum & Hiſtoriar. ad diem 15. Iunij, p.566.* Oſculum quod Raguel & Hanna Sacræ fixit *Tob.* 10.*v.*12. Tobias item & Hanna Tobiæ Juniori, *Tob.*11.*v.*11. elegantioribus ab Hebræis נשיקת פרישה. hoc eſt, *diſceſſus Separationis, ſeu Valedictorium* nuncupatur, teſte *Daniele Feſſelio, Adverſ. Sacror. Lib.3. cap.7.§.6.p.*280. *Druſ. Miſcellan. Centur.*1.*c.*60. Sic Hector apud Homerum *Lib.6. Iliados v.476. ſeqq. p.m.* 237. jam jam iturus ad bellum, filium blandè complexus & oſculatus legitur:

Ζεῦ ἄλλοι τε θεοὶ, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
Παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν.
Ὦ βίην τ' ἀγαθὸν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν,
Καί ποτέ τις εἴπησι, πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων.

Jupiter aliique Dii, date jam & hunc fieri
Filium meum, ſicut & ego, valde clarum inter Trojanos,
Sic viribus valentem, & in Troja fortiter regnare:
Et olim quis dicat, Patre autem hic multo melior.

Simili modo Æneas ad caſtra properans, filium ſuum Aſcanium exoſculatur uti *Virgilius* innuit *l.12. Æneidos v.433.* ſequentibus:

Aſcanium fuſis circum complectitur armis:
Summaque per galeam delibans Oſcula fatur:
Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis. ——————

Poſtquam Horatii & Curatii pro principatu patriæ certamen ſuſcepiſſent, Horatiorum pater cognitâ filiorum mente, gaviſus, ſub-

sublatis ad cœlum manibus gratias egit Diis immortalibus, quod tam egregios sibi dedissent liberos; deinde singulos benignissimè complexus & suavissimè exosculatus, accipite inquit, meam quoque sententiam optimi filii, & pulchrum hoc piumq; responsum Tullo referte. Teste *Dionysio Halicarnass. Antiquit. Roman. Lib. 3. c. 20. p. 149.* Paulò post Albanus Imperator produxit Curatios, Romanus Rex Horatios, præter egregiam armaturam ornatos, sicut qui morti destinati sunt. Ut verò congressi sunt propius, gladios tradiderunt armigeris, ipsi ruebant in complexus mutuos, flentes, suavissimisque se appellationibus consalutantes, ut nemini non cierent lacrymas. *Idem ibidem.* Charicles Medicus egrediens è convivio, manum Tiberii Cæsaris osculandi causa adprehendit. *Sueton. in Tiberio cap. 72.* Navem Cratesiclea mater Cleomenis cum nepote conscensura, seduxit Cleomenem remotis arbitris in fanum Neptuni, ibi complexa deosculataque mœrentem & commotum, age, inquit, Rex Lacedæmoniorum, cave, ubi foras egressi erimus, quisquam nos lacrymantes conspiciat, aut quid Spartâ indignum admittentes. *Plutarchus in Agide & Cleomene, p. m. 815. Dionys. Halicarnass. Antiquit. Roman. Lib. 11. cap. 40.* de Virginii filia: Claudius verò puellam abduxit hærentem in patris amplexibus, eumque deosculantem, & suavissimis vocibus appellantem. *Petronius in Satyrico*: forsitan ignarus tempestatis filius, aut patrem utique reliquit aliquem, cui proficiscens osculum dedit. *Iustinus Histor. Lib. 23. cap. 2.* de Texenæ in Agathoclem conjugali observantiâ. Ex altera parte uxor maritum non amplius visura, osculis fatigabat. *Statius Thebaidos Lib. 12.*

Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis
Jungit ———
----- ignem miseræ post ultima quærunt
Oscula. - - - -

Ovidius Tristium Lib. 1. Elegia 3.

Sæpè valedicto, rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

Conf. *Plaut. Asinar. act. 3. Sc. 3. v. 24. seq.*

§.III. Româ secundùm à Totilâ Gothorum Rege capta Paulus equitum præfectus ex Siciliâ cum quadringentis Equitibus pontem & molem Hadriani insedit. Ejus verbis incensi equites, complexi & invicem osculati, certissimo moriendi proposito, in proximam Gothorum stationem irruere volebant, factaque permagnâ hostium cæde pugnando interierunt. *Albertus Crantzius, Lib. 4. Sveciæ, cap. 18.* Memorabilem quoque *Caspar. Peucerus* narrat historiam de materno in liberos affectu, quæ omninò sedem hic obtinet, Verba *Autoris lib. 5. Chronicorum* sequentia leguntur: Albertus Comes Provincialis Thuringiæ, Henrici optimi Patris degener filius, cum ex MARGARETHA Friderici II. filia suscepisset filios duos, Fridericum & Ticemannum, generosissimæ indolis adolescentes, spreta conjuge nobilissimâ exarsit amore pellicis tanto, ut etiam vitæ conjugis insidias struxerit, de quibus illa certissimis indiciis edocta, ut cederet furoribus & sceleri mariti, & vitæ consuleret, hortantibus amicis prudentibus ac fidelibus, consilium cepit de fugâ. Ostenditur adhuc locus in arce Isennacensi, ubi non magna est altitudo à scopulo extra arcem ad fenestram, ex qua Domina cum quinque comitibus dimissa fuit. Nocte cum migratura esset, priusquam à filiis discederet, assidens ad lectulos, & calamitatem suam deplorans, cum consiliarius senex & matronæ eam comitaturæ hortarentur, ut properaret, tandem valedictura filiis à quibus avellebatur invita, quod eorum pericula sciret non fore leviora suis, Fridericum natu majorem, lacrymis & ejulatu materni doloris magnitudinem ostendens, OSCULIS crebris complexa, postremò mirabili animi motu genam ejus mordicus prehendit ac læsit. Vulneris cicatricem Princeps quoad vixit, retinuit, & cognomentum inde *admorsi* consecutus est. Quis non detestabilem monstrosi hominis lasciviem diris devoveat, & è contrario tenerrimam matris probæ erga sobolem propensionem, quæ, juxta *Horatii* effatum *Lib. 1. Ode 13.* tanquam *furens*, impressit memorem dente labris notam, dignis laudibus prosequatur? Cum anno MDCLXX. Comes Frangipanius propter atrocissima in Sacratissimam Cæsaris Majesta-

jestatem admissa delicta capite plectendus esset, ultimamque gratiam à commissariis postulâsset, ut liceret sibi coram Zerin valedicere, qui jam pridianâ nocte Frangipanio malorum Auctori condonarat universa, etsi per eum in eum calamitosum statum deductus, quoniam nunc una veherentur navi, consentit Confessarius, impetrat ea lege, ut Germanico idomate se, & Confessario præsentibus fiat, quod & facit: ubi in genua & mutuos amplexus ruentes, alter alteri manum vultumque exosculatur, veniam orat, atque ad mortem generosè subeundam hortatur. *Histor. Brachelio-Thuldenanæ continuatæ part. 7. Lib. 2. cap. 5. p. 158.*

§. IV. Atque hæc de osculis valedictoriis inter vivos, nunc de aliis inter morituros usitatis differendi materies suggeritur. Universi naturâ duce populi putârunt, *os nostrum* esse *animæ ostium*, & aditum sacrosanctum, quo divinitus vel ad nos intret, vel ad alios iterum egrediatur. Mos itaque communis fuit olim carorum atque affinium, ut suorum mortem osculo comitarentur, eorumque Spiritum qui diem obibant, quasi haurirent, quod summæ charitatis erat indicium atque documentum. Quandoquidem animum, qui in Domicilio corporis habitabat, perennem sibi vellent esse comitem, & abesse nunquam, magnam in eo beatitudinis suæ partem collocantes, si dulci illius communione possent perfrui, quem insigni amore complecterentur. Quod si verò illa consuetudo à natura ipsa est inducta, mirum minimè videtur, quandò frequens ejus apud diversas gentes usus atque observatio occurrit. Nam non tantum Judæi & Romani, sed alii etiam homines quilibet eam tenuerunt, ne scilicet morientes hoc supremo amicitiæ officio privarentur. Loquuntur hoc autores Ethnici, tam Latini quàm Græci, quin & Christiani, quibus crebra *osculorum* mentio injicitur, cum de *morientibus* agunt. Apud *Euripidem in Phœnissis* Antigone morientem patrem ita compellat.

O amantissime, quin os tuum applicabo ori.

Heliodorus in Erotic. προσαφῄρηταί με καὶ τὰ τελευταῖα περιβαλεῖν ἀγκαλῶν φιλημάτων καὶ ἀψύχων ἀπεστερήθην. Id est: *erepta est mihi facultas extremi complexus, ultimisque osculis & exanimis orbatus sum.* Apud Latinos

id

id multò frequentius occurrit, quibus receptâ loquendi formulâ per illa oscula dicebantur morientes *animam tradere, transferre, effundere, superstites verò extremum morientium spiritum legere, colligere, sorbere*, Græcis ψυχορροφεῖν apud *Suidam & Hesychium, excipere*. Huc respexit *Seneca* his verbis: Non judicabam me cum illos superstites relinquerem, mori, non effundere mihi Spiritum sed tradere videbar. *Quintilianus Junior*: Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutavi, non spiritum excepi. Disertissimus quoque Romulidarum *Cicero*, talem complexum matres ad carceris ostium pernoctantes anxiè ambiisse *Verrinâ* V. perhibet, & ex hoc capite Verrem perstringit, quod desiderantes matres ab hoc complexu exclusisset: *Nihil, inquit, orabant aliud, nisi ut filiorum extremum halitum excipere sibi liceret. Manilius Lib. 5. Astronomic.*

Pernoctesque Patres cupiant extrema suorum
Oscula, & in proprias animam transferre medullas.

Add. *Nonius c. 4. in excipere. Philipp. Caroli, Antiquit. Rom. Lib. 4. cap. 12. Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. 3. cap. 7. Petronius in Satyrico*: Igitur si verè Eucolpion dilexisti, da osculum dum licet, & ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape. Hæc ut ego dixi, Gniton vestem deposuit, meaque tunicâ contectus exseruit ad osculum caput. Patior ego vinculum extremum, & veluti lecto funebri aptatus exspecto mortem jam non molestam. *Chrysost. homilia 9. in 2. ad Thessalonicenses*: Amico omnium maximè vel mœstissimum est, ne vicino quidem mortis tempore frui posse carissimo suo, non enim ita præterito tempore gratificamur contuberniis, sicut graviter fecimus, cum defunctis propinquâ mortis horâ destituimur. *Seneca de brevitate vitæ*: Cæsar patruus meus Drusum intima Germaniæ recludentem, & gentes ferocissimas Romano Imperio subjicientem in complexu & osculis suis amisit. *Ausonius in Parentalibus, carmine 23.*

Illa manus inter genetricis & oscula Patris
Occidit, Hispanâ tum regione procul.

§. V.

§. V. Notabile mortis exemplum non minus ingeniosè quàm astutè inter oscula valedictoria procuratæ recenset *Tiberius Decianus Vtinensis ICtus lib. 9. tractat. Crimin cap. 4. n. 14.* His verbis: Erat Venetiis Aromatarius quidam ad insigne pomi aurei, qui habebat amitam vetulam, & in regione B. Mauritii habitantem unâ cum famulâ tantum: quæ vetula parsimoniâ sibi singulari ad tria millia Ducatorum comparaverat, huncque nepotem suum, ut sibi valdè dilectum, hæredem instituerat. Verum Aromatarius, qui vitam infamem ludendo & scortando ducebat, pecuniâ indigens & moræ expectandæ hæreditatis impatiens, assumto molendinario quodam amico suo, ad scelera promto, una die domum ingressus, cujus fores semper illi patebant, & amitam & famulam atrocissimè jugulavit circa dimidiam horam noctis, pecuniamque omnem surripuit, ob quod facinus & parricidium, ita dirigente justissimo judice DEO captus & condemnatus est à Senatu Veneto, ut equo per Venetiarum regiones tractus, manuque ad locum perpetrati delicti abscissâ, securi ancipiti percussus publicè in quatuor divideretur parteis. Fratres verò duo, quos habebat, ut tantam ignominiam evitarent, dum impetrâssent, ut possent pridiè quam sententia in eum executioni mandaretur, fratrem damnatum alloqui, & extremo vale dato ipsum osculari, alter eorum condito veneno in nuce avellana, sive coryli, dum exosculatur fratrem, ejus ori nucem illam indidit, prius monito, quid ei agendum de eâ esset, qui posteà fracta dentibus nuce venenum hausit, & in carcere mortuus est. Illustrissimi autem Domini videntes eo modo justitiam eludi, graviter mulctatis fratribus & bannitis, censuerunt cadaver dicti Aromatarii publicè per magnum ejus civitatis canale, in patenti navicula duci, & à Carnifice ardenti forcipe frustatim cadaver ipsum discerpi, quod & factum est. Conf. *lib. 9. Tract. criminal. c. 2. n. 34.*

§ VI. Optabant autem hoc osculum, morientibus gratum erat, ut *Liviæ* verba in *Pedonis Albinovani* elegiâ testantur:

Eeeee Sospi-

Sospite te saltem moriar Nero; tu mea condas
Lumina & excipias hanc animam ore pio.
Item: At miseranda parens, suprema nec oscula fixit,
Frigida nec movit membra tremente manu.
Non animam apposito fugientem excepit hiatu.

His & similibus loquendi formulis superstitiosam opinionem exprimentes supremum humanitatis officium fœdabant. Somniantes nimirum morientium animam per os quasi patulam quandam januam evolare, in ore verò veluti in vestibulo diutius hærere, quod ægrè à corpore divelleretur; in quâ morâ luctantis animæ pugnam consistere existimabant, & cruciatus diuturniores morientis, propterea ut facilius & citius lucta absolveretur, animam eductam, & in summo quasi ore tum versantem, apposito hiatu excipere propinquos, & elicere quodammodo debere osculando, & os ori admovendo, quemadmodum Prosaica & Metrica scriptorum testimonia evincunt. *Statius Sylv.* 1. *lib.* 2. *de Glaucia Atedii Melioris Delicato v.* 171. *seq.*

Nunc torvus, pariter vestes & pectora rumpis,
Dilectosque premis visus, & frigida lambis
Oscula. - - - -

Et *Thebaidos lib.* 5. *v.* 259.

- - Positique patrum super ora gementum
Semineces pueri, trepidas in limine vitæ
Singultant animas. - - - -

Unde & Proverbio usurpatum, ut morti proximi *animam in ore tenere* dicantur. Sic Antigona ad Herculem in *Seneca Hercule furente v.* 1310. fatur:

Hanc animam levem
Fessamque senio, nec minus quassam malis,
In ore primo teneo.

Et *Seneca Philosophus, Epistola* 30. Non dubitare autem se, quin senilis *anima in primis labris esset*, nec magna vi abstraheretur à corpore. *Virgilius lib.* 4. *Æneidos*:

date,

:-- date, vulnera lymphis,
Abluam, & extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. - - -

Ubi *Donatus*: Hoc dixit, quia hunc charissimi colligere se posse arbitrabantur. *Seneca Tragicus de Alcumenâ ad Herculem Oetaeum* v.1340. seqq.

Membra complecti ultimum
O nate, liceat, Spiritus fugiens meo
Legatur ore; brachia in amplexus cape.

Apud *Justinum lib.* 23. *Historiar. cap.* 2. Texena uxor Agathoclis ait: se nec invitam periculo spiritus sui emturam, ut extremos viri Spiritus exciperet. Similes formulas in sacris Scriptoribus habes. *Cyprianus Sermone de cœnâ* perquam notanter: Sed in eodem articulo temporis, cum jam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam Clementissimi DEI benignitas non adspernatur, nec serum est, quod verum, nec irremissibile, quod voluntarium: & quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à veniâ. Sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit reverentes, & velit nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.

§. VII. Eadem naturâ duce Hebræi morientes amicos osculati in sacris leguntur. Ita Jacobus Patriarcha in osculis Josephi vivere desiit, *Genesis cap.* 50. *Philo Judæus* in vitâ Josephi Jacobum patheticè mortem filii deplorantem introducit: *Non tam mortem tuam, mi fili, doleo, quam sepulchri jacturam. Nam si tibi sepulchrum contigisset in terrâ propriâ, nec mihi deesset solatium. Officiosè assedissem ægrotanti, ante mortem impressissem morienti extrema oscula, clausissem oculos, mortuum lacrymis profudissem.* Idem Christianos etiam suo tempore fecisse auctor est *Chrysostomus, Homilia 1. de patientia Jobi* differens: Qui secundum carnem parentes sunt, cum natum ultimo Spiritu laborantem habuerint, circumsident, ultimaque

ejus audiunt verba, manus circumpalpant, adhortationes fomentaque alia de industria adhibent. *Os deosculantur ultimo parentum osculo.* Exindè cum reddiderit puer animam, quemadmodum desiderant, jubent parentes officia adhibere. Manus componunt, oculos claudunt, caput directò statuunt, pedes reducunt, lavant, sepulchroque condigno dignis funeralibus condunt, atque propria calamitate solantur. Quod autem à Sanctis ad contestandum pium mentis affectum in his amplexibus & osculis observabatur, illud ab Ethnicis ad exceptionem animæ emigrantis superstitiosè admodum & vanè usurpatum deprehendimus. Inde ortum est, ut quos feliciter ac beatè mori significare volebant, eos in amicorum & charorum osculis exspirare dicerent. Accedente insuper persuasione, osculis amantis in media morte animam hominis commorari paulum debere. *Bion* Epitaphio Adonidis:

> Δύσποτμε μεῖνον Ἄδωνι πανύστατον ὥς σε κιχείω
> Ὥς σε περιπτύξω καὶ χείλεσι χείλεα μίξω.
> Ἔγρεο τυτθὸν Ἄδωνι τὸ δ᾽ αὖ πύματόν, με φίλασον
> Τοσσοῦτόν με φίλασαν ὅσον ζώει τὸ φίλαμα.

Epitaphium Phœbo liberto positum à *Gellio* maximo:

> Hic situs est quondam Gelli pars maxima Phœbus,
> Adfectus omnes possidet iste lapis.
> Vix consummavit septem quinquennia lustris,
> Oscula ferventem nec tenuere animam.

Barthius Adversar. lib. 4. cap. 17. pag. 192. Suetonius de Augusto Cæsare, cap. 99. Omnibus, inquit, deinde dimissis, dum advenientes ab urbe de Drusi filia ægra interrogabat, repentè in osculis Liviæ (uxoris) & in hac voce defecit. Roberti Bellarmini Cardinalis moribundi manus nonnulli osculabantur, *Vid. Marcell. Cervin. in Imagine virtutum Bellarmini, capite XLII. pag. 116.*

§. VIII. In Sacris literis è contrario beata mors justorum inde censetur, non quod in amicorum amplexibus deficiant, sed quod in ipsius Dei complexu & osculis animam reddant, uti Moses

ses mortuus esse perhibetur, vide supra *Dissertat.* 1. §. *10*. Beati mortui qui in domino moriuntur *Apocal.14.v.13.* Ita mortuus est Proto-Martyr Sanctus Stephanus, de quo *Actorum 7.v.6.* dicitur, quod obdormivit in Domino. Hoc explicans *Augustinus sermone nonagesimo secundo de diversis*: absorptus est, *inquit*, in charitatis abyssum, & inter Dei sui brachia requiescens dormivit securè. *Iohannes Hieronymus Sopranes in Davidem, digressione* 11. *cap.1.p.m.*462. *Iohannes Stephanus Menochius de Republica Ebræorum*, *Lib.* 8. *cap.* 4. *p.* 764. Sed præter adductam rationem alia adhuc hujus moris causa indagari debet. Nam si ad colligendum spiritum evolantem tantum id egissent, moribundos duntaxat essent osculati: ast insuper certum est, exanimatis & jam jam in rogum ponendis cadaveribus inter gentiles osculum imprimi solitum fuisse, quomodo apud *Euripidem in Medea* filiam mortuam osculabatur Creon. Apud *Ovidium Lib. 6. Metamorph.fab.5.* filios occisos Niobe:

—— —— Ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes.

Meleagrum mortuum sorores. *Metamorph.*8.*fab.4.*

Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto.

Tibullus Lib. 1. *Elegia* 1.

Flebis, & arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus & lachrymis oscula mista dabis.

Propertius Elegia 10. *Lib.2.*

Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.
Salve æternum, mihi maxime Palla,
Æternumque vale. ——

Dicit *AEneas Libro* 11. *AEneidos Virgiliana v.97.* seq. Quod imitatus *Statius* 3. *Sylvar.*

Salve supremum, genitor, nitissime patrum
Æternumque vale. ——

Servius ad Virgilii locum: *Varro* in libris Logistoricis dicit, ideò mortuis *salve* & *vale dici*, non quod aut valere aut salvi esse

possint, sed quod ab his recedimus, eos nunquam visuri. Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum *Vale* obtineat, ut *Terentius*: Valeant, qui inter nos dissidium volunt, hoc est, ita à nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur adspectum. Ergò cum mortuo dicitur VALE, non Etymologia considerandaest, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus nisi à quibus recedimus. Quin etiam Judæi, pariterque Christiani defunctis oscula fixerunt, exemplo Josephi, super faciem patris sui Jacobi jam demortui ruentis, eumque non sine lachrymis deosculantis, *Genes.50.v.15*. Osculatus est Joseph patrem, & ejus compressit oculos, non quasi mortui, sed tanquam dormientis, ait *B. Lyserus in Iosepho. Corippus de Iustino Iuniore*, JUSTINIANI cadaver adeunte:

> Ut prius nigrediens corpus venerabile vidit,
> Incubuit lachrymans, atque *oscula frigida* carpsit
> Divini patris - - - -

Non repetam hic altius, quomodo multi præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes defuncti Othonis Imperatoris exosculati sint, teste *Suetonio in Oth.cap.12*. Cum Agesistrata filium Agidem spectaret humi jacentem, & exanimem è resti pendentem matrem, in filium ruens & faciem ejus osculata, nimia tua te, (inquit) fili, modestia, lenitas & humanitas nobiscum perdidit. *Plutarch.in Agide, pag.804. Idem ibidem pag.822.* de Pantheo quoque|tradit, quod & Cleomenes Rex, apud quē propter formæ elegantiam & morum rectitudinem plurimum valebat, præceperit, cum ipsum (Regem) atque alios vidisset jam occubuisse, tum sibi consciscerct mortem. Omnibus jam humi stratis accedens Pantheus, & pugione singulos fodiens, tentavit, num quis fortè adhuc spiraret; Cum Cleomenem quoque in Planta pedis punxisset, atque advertisset, faciem eum contrahere, osculum illi tulit, inde assedit ei, hinc exanimem jam complexus, semetipsum super eum confodit. O sinceram æternoque monumento dignam amicitiam, quæ & rebus prosperis & adversis illibata atque inconcussa perstitit! Videatur insuper incomparabilis Antiquitatis

stator

stator *Caspar Barthius*, *in operosissimo suo super Statium Commentario, Lib. 2. Thebaidos p. 185. Lib. 3. p. 717.* Ubi de his elegantem telam texuit. *Emericus Cruceus, Commentar. ad eundem Poëtam. Antonius Contius in horis subcisivis.* Doctissimus *Bourdelotius*, de politiori literatura præclarè meritus, *in notis ad Heliodori Eroticon. D. Iohann Andreas Quensted, de sepulturâ veterum*, pag. 66.

§. IX. Causa verò præter allatam certior vix adferri potest, quam quod ex hâc vitâ migrantes, quasi abeuntes osculo dimittendos esse rati sint. Solebant enim Romani peregrè profecturos, urbemque repetentes, osculo excipere & dimittere, ceu in antecedaneis docuimus. Quia igitur iisdem mors quædam peragratio est habita, unde mortem ad vitandam ἀποδημίαν *abitionem*, sive *abitum* dixere, & illud frequens in tumulis, *abiit non obiit*, uti peregrè abiturientibus, sic mortuis osculo discedendi veniam concedebant. Quod Hebræorum defunctis osculum datum sit, probat Historia Mosaica de Jacobo extincto, *Genes. Quinquagesimo Capite.* Propter eandem autem rationem id fecere Judæi necnon Christiani. Nam quod ad prodeuntem è corpore Spiritum minimè illud præstiterint, satis abundè liquet. Habebant scilicet cognitum, animam cujuslibet materiæ expertem esse, & illud alterum ridiculum, per os tanquam januam egredi. Contra affatim constat, consuevisse eosdem cum discessuros osculo dimittere, tum redeuntes occursantesque, sive amicos, sive cognatos excipere osculo. Est pariter indubitatum, Christianos eadem causa impulsos mortuis osculum impressisse. Ad hujus positionis probationem apprimè facit Testimonium *Iacobi Gretseri, Lib. 1. de funere Christiano, cap. 10. p. m. 46. Edit. Ingolstad. in 4.* Habeo, inquit, *tractatum manuscriptum de primatu Pontificis contra Græcos*, in quo hæc reperi: Cum Græci ad mortuum sepeliendum conveniunt, noti, amici, & cognati accedentes ei *osculum præstant*, singuli tanquam licentiam accepturi, & hæc verba adjiciunt: *vade, cum natura nos vocaverit, sequemur te.* Osculati porrò sunt mortuos testandi amoris ergò, quia osculum tum inter Hebræos, cum Christianos symbolum amoris extitit. De S. Huberto Episcopo Leo-

Leodiensi acta vitæ ejus; omnes adstantes genibus curvatis, cervicibusque submissis, plantis ejus grata oscula libant, *Hac ille.* Obiter heic velim observes, in Latio verbis *salve* & *Vale*, de quibus præcedenti §. VIII. actum, plerumque clausulam valedictoriam à Gretsero allatam subjungi, communiterque Inscriptiones antiquas eadem concludi, uti vel ex hocce exemplo patet; VALE ET|SALVE. ANIMA OPPIÆ FELICISS. NOS. EO. ORDINE. QUO. NATURA. PERMISERIT. TE. SEQUEMUR. VALE. MATER. DULCISSIMA. *Kirchmann. de Funer. Roman. Lib. 3. cap. 9. p. 248.*

§. X. Cæterum reticendum non est, simile quid in funerum deductione ante sepulturam apud Græcos quondam fuisse adhibitum, & adhuc hodiè observari. Primò enim è Sacerdotibus, quem reliqui indè sequuntur, proprius ad cadaver accedente, & orationem recitante à cunctis amplexu & osculo mortuus excipitur, cui fidem faciendi causa mihi non erit Senio *Dionysium Areopagitam* in scenam producere, in cujus *Hierarchiâ Ecclesiasticâ cap. 7. pag. 218. Edit. Parisina,* sequentia leguntur: προσελθὼν ὁ θεῖος ἱεράρχης εὐχὴν ἱερωτάτην ἐπ' αὐτῷ ποιεῖται, καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν αὐτὸς δὲ ὁ ἱεράρχης ἀσπάζεται τὸν κεκοιμημένον, καὶ μετ' αὐτὸν οἱ παρόντες ἅπαντες. Hoc est: Pontifex sacer accedens sacram super isto facit precem, & post precem ipsemet defunctum osculo salutat, postque ipsum cuncti præsentes cœteri. *Hæc ille.* Quoniam verò ex hoc loco Pontificii fundamentum pro stabiliendo purgatorio desumere solent, operæ pretium fuerit accuratius pensitare quo sensu vetus Ecclesia pro mortuis orârit; & quomodo orationes illas intellexerit. Quando igitur *Dionysius* ritus sui temporis circa defunctos describit, non status aut anniversarias pro mortuis orationes habet, non addit sportularum oblationes, nec mysteriorum celebrationem, sed tantum funus in templum defert, atque ibi ante sepulturam Pontifex semel sacram precem super mortuum facit, deinde illum osculo salutat, quod reliqui præsentes etiam faciunt, postea infundit defuncto oleum, & corpus recondit. Hæc ipsa rituum dissimilitudo & varietas ostendit, non esse divinas sanctio-

ctiones, ſed humanas liberas & indifferentes conſuetudines ſeu obſervationes. *Dionyſius* enim oblationes, anniverſaria, & myſteriorum celebrationem, quæ alibi in exequiis fuerunt, non memorat. Oſculum vero defuncti ut cujus etiam cadaver ſuave & pretioſum debeat eſſe, & infuſionem olei habet, quæ alibi non fuerunt uſitata, quæque ne hodie quidem Pontificii obſervant. Orationis verò ſupra mortuum dicit, hoc fuiſſe argumentum, ut divina bonitas cuncta dimittat peccata, quæ per humanam infirmitatem defunctus admiſerit, eumque collocet in luce & regione viventium in Sinum Abrahæ, Iſaac, Jacob, in locum unde aufugit dolor triſtitia & gemitus. E tali verò orationis formâ Pontificii ſtatim ſolent inferre, animas defunctorum nondum eſſe in regione viventium, ſed in loco tenebrarum, doloris triſtitiæ & gemitus, unde orationibus ſint liberandæ, hoc eſt, in purgatorio. Sed conſequentiam hanc *Dionyſius* diſertè negat, & expreſſè contrarium adſtruit, non enim tres, ſed duos tantum ordines ponit eorum, qui ex hac vita diſcedunt, ἱερῶν καὶ ἀνιερῶν, *ſanctorum & profanorum*: Profanos vocat illos, qui vel inquinamentis Ethnicis pleni, vel qui ſacramentis quidem initiati, ad damnabiles vero concupiſcentias transfugerunt: Eos, quando ad finem hujus vitæ perveniunt, dicit miſerabiliter & invitos ex hâc vitá avelli, nulla bona ſpe ſubnixos propter peſſimam vitam. Alterum autem ordinem morientium vocat Sacrorum, qui pie quidem vixerunt, ſed tamen pro remiſſione peccatorum orant. Eos dicit cum firma & certa ſpe in divinâ (εὐφροσύνῃ) lætitia & hilaritate tendere ad mortis terminum, tanquam ad finem certaminum, cum animæ ibi non poſſint ad deteriora converti, & corpora beatam exſpectent reſurrectionem. Propter hæc, inquit, obdormitio ſanctorum eſt in lætitia & ſpe immobili, quia pervenerunt ad finem certaminum. Item norunt ſe totos percepturos (χριστοειδῆ λῆξιν) Chriſtiformem requiem, quando ad terminum hujus vitæ pervenerunt. Qui igitur, inquit, ad terminum ſuorum certaminum venit, ſacrâ impletur lætitiâ, magnaque cum (ἡδονῇ) jucunditate ſeu voluptate viam feliciſſimæ regenerationis ingreditur. Propinqui verò defuncti (μα-

καρίζουσι) beatum illum prædicant, ſicut & eſt, ut qui ad optatum victoriæ finem pervenerit. (πρὸς τὸ νικηφόρον ἐυκλεῶς ἀφικομένον τέλος) & autori victoriæ perſolvunt hymnos gratulatorios: (χαριστηρίους) ſeipſos quoque orantes ad ſimilem requiem admitti &c. Fuerunt itaque veterum orationes pro mortuis non ſatisfactiones pro peccatis mortuorum, non redemptiones animarum ex igne purgatorii, ſed publicæ celebrationes, applicationes & obſignationes divinarum promiſſionum, de remiſſione peccatorum, requie & ſalute piè defunctorum, fuerunt inſtitutiones & exhortationes viventium, fuerunt conſolationes & confirmationes lugentium, & fuerunt declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. In hanc ſententiam etiam *Apologia Auguſtana Confeſſionis de Orat. pro mortuis* dicit: Nos non prohibere orationem pro mortuis. Et *Lutherus in confeſſione ſua dicit*: pro mortuis, quia Scriptura nihil meminit, exiſtimo non eſſe peccatum, ex libera devotione, ita vel ſimiliter orare, ut Deus animæ, ſi in tali ſtatu ſit, miſereatur, utque ſatis ſit, quando ſemel vel bis illud factum fuerit. Vigiliæ enim, Miſſæ pro animabus, & anniverſaria in Papatu prorſus inutilia ſunt, imo ſunt Diaboli nundinationes. *Hactenus Lutherus.* Neque tantum ſolius *Dionyſii Hierarchia* memorias mortuorum ita interpretatur, ſed & reliqui antiquiores ita ſenſerunt. *Origenes* quidem Platonicum Purgatorium alias ſtrenuè urget, ſed ritum ſuarum Eccleſiarum deſcribens. *Lib. 3. in Iobum* ait: Non celebramus diem nativitatis, cum ſit dolorum & tentationum introitus, ſed diem mortis, utpote omnium dolorum depoſitionem, & omnium tentationum effugationem, quia non moriuntur, ſed perpetuo vivent, hi qui mori videntur. Propterea & memorias ſanctorum facimus, & parentum noſtrorum vel amicorum in fide morientium devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes. Item, celebramus memoriam defunctorum, religioſos cum ſacerdotibus convocantes, fideles una cum Clero invitantes, adhæc egenos & pauperes, pupillos & viduas ſaturantes, ut fiat feſtivitas noſtra

nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. Audis Christianos celebrâsse diem mortis suorum eleemosynis & orationibus, non quod existimârint eos doloribus cruciari, undè exequiis illis liberandi essent, sed quia fuerunt gratulationes in memoriam, quod defunctorum animæ, per mortem ad omnium dolorum depositionem, ad omnium tentationum effugationem, & ad requiem pervenissent. Confer. *Metrophanes Critopulus in Confessione Ecclesiæ Oriental. cap. 20. Martinus Chemnicius Exam. Concil. Trid part. 3. p. m. 536. Edit. Genev. in fol. B. Meisner. de Purgat. p. 280. seqq. AEgid. Hunn. Tomo 1. Oper. fol 1538. Mentzerus contra Pistor. p. 599. 605. Gerhard. LL. Tom. 8. de morte §. 224. Dorscheus Myst. Miss. p. 329.*

§. XI. Denique benevolentiam haut proletariam erga defunctum superstites variis modis declarârunt, non solum mortuos verum etiam illorum urnas, monumenta & sepulchra diversis coronarum generibus exornantes, uti Scriptores Sacri juxtim ac seculares evidenter comprobatum iverunt. Quod enim non tantum mortui corónis inter gentiles & Christianos ornati sint, à Græcis sæpissimè memoratur, ab illisque ad alios populos descendisse videtur. Hinc *Hercules apud Euripidem* de liberis suis à Lyco interfectis querelas instituit

--- τί χρῆμα; τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων
στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα.

Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita, mortuorum ritu. Ita *Lucianus de Luctu Tomo 1. p. m. 767.* producit gentiles στεφανώσαντας τὸ σῶμα τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι, *Coronantes cadaver pulcherrimis floribus.* Qui mos quam sit priscus, inde licet intelligere, quod cum Corybantes suum fratrem occidissent, caput mortui purpurâ contexerunt καὶ καταστέψαντες ἔθαψαν, & coronatum sepelierunt. Lycurgus etsi defunctis dempserat illum ambitiosum luctum, & pompâ tumulorum, eos tamen voluit ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντας, τὸ σῶμα περιστέλλεσθαι κατ' ἴσον ἅπαντας. In purpur. amictu & foliis oleæ positos corpore contegi ex æquo omnes, *Plut.*

in Laconicis & in Lycurgo. Itaque quamvis alibi mortui ſumptuoſius efferrentur, tamen hic mos Lacedæmone ſervatus. Et verò Cleomones, quamquam Lacedæmonius Lydiadæ corpus ἐκόσμησε πορφυρίδι, καὶ στέφανον ἐπιθεὶς, πρὸς τὰς πύλας τῶν Μεγαλοπολιτῶν ἀπέστειλεν, Ornavit purpurea veſte, & impoſita corona, ad portas Megalopolitanorum miſit. *Plutarch. in Agide & Cleomene.* In hanc ſententiam Solon aureis illis verbis quæ in os Crœſo dixit, addidit, coronam hominis, qui adhuc vita fruitur, ſicuti certantis præconium ſive renunciationem eſſe incertam & irritam. *Idem in Solone.* Hic certè mos & Athenis viguit, nam ibi quoque ab amicis coronæ conjiciebantur in mortuos. Quo exemplo Paralo mortuo, Pericles adferens defuncto coronam, in illius adſpectu fregit priſtinam illam & inflexibilem animi ſui conſtantiam. *Idem in Pericle.* Qui coronarum conjectus & Lacedæmone in uſu fuit, ubi Pelopide interfecto certatim congeſta ſunt trophæa & coronæ, & omnis generis armaturæ aureæ. *Id. in Pelopide.* Is quoque mos coronandi mortuos à cæteris gentibus Romam translatus eſt, ibique uſque eo invaluerat, ut corvo illi percelebri, qui Tiberium, Germanicum, Druſum, & tranſeuntem populum Romanum ſalutabat, interempto funus celebratum ſit innumeris exequiis, & coronis omnium generum. *Plin. Lib.* 10, *cap.* 43. Ideo permiſſu *Legis* 12. *Tabularum* mortuus coronabatur, ut eſt apud *Ciceronem Lib.* 2. *de Legibus.* Illa jam ſignificatio eſt, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute paratam (vel *partam* ut alii Codices habent) & ei qui peperiſſet, & ejus parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam jubet. *Conf. Plin. Lib.* 21. *cap.* 3. *Halicarnaſſ. Lib.* II. *Antiquit. Roman. cap.* 42. *p. m.* 689. De funere filii Virginii: Proſiliebant ex ædibus, tum mulieres tum virgines, caſumque lamentantes, aliæ flores & coronas in lecticam conjiciebant, aliæ faſcias & vittas, aliæ virginales è comâ luſus, nonnullæ etiam delectos è crinium plexu cincinnos &c. Cæterum hæ mortuorum coronæ plerumque è floribus frondibusque omnis generis nectebantur. Et corona tali modo concinnata à Græcis vocabatur ἔρως, inquit autor Etymologici, παρὰ τὴν ἔραν τὴν γῆν, τοῦτ' ἔστι, στέφανος ἐκ γῆς ἐρανισμέ-

νος,

nes, ſicuti corona è terra, collecta, nempe è floribus ſpecioſiſſimis, uti locus ex *Luciano de luctu* initio hujus §. citatus declarat. Sed & ex ramis variarum arborum coronas ejusmodi plexas reperio. Lycurgus enim Olea Lauro aliisq; frondibus mortuos ornari inſtituit. *Vid. AElian. Lib. 6. Var hiſtor. cap. 6.* Mortuum Idmonem albâ fronde, ſive populo coronatum teſtatur *Valerius Flaccus Libro 5. Argonaut.*

——— Pars auguris alba
Fronde caput vittisque ligant, poſitumque feretro
Congemuere.

Ducibus quidem bellicis defunctis caput redimiebatur lauro. Exemplum in Polynice ſiſtit *Statius Thebaidos Lib. 12. v. 64. ſeqq.*

-- hoſtiles ſuper ipſe & victor acervos
Paciferâ lauro crinem, vittasque decorus
Accubat.

Annibal M. Marcellum interemptum legitimo jure elatum, Punico quoque ſagulo, & coronâ donatum laureâ rogo impoſuit. *Valer. Max. Lib. 5. cap. 1. exemplo 6.* Mortuis Regibus corona tantæ Majeſtatis faſtigio conveniens imponebatur. Ita Cleopatrâ mortuâ Charmion altera ex ancillis adornavit inſigne regium circa caput ejus. *Plutarchus in Antonio.* Auguſtus Imperator teſtimonio *Suetonii in vita ejus, cap. 18.* conditorium & corpus M. Alexandri cum prolatum è penetrali oculis ſubjeciſſet, coronâ aureâ impoſitâ ac floribus aſperſum veneratus eſt. Ejusdem Alexandri corpus *Curtius Libro 10. cap. 10.* memorat purgatum repletumque odoribus fuiſſe, aureum ſolium, & capiti adjecta fortunæ ejus inſignia. Scipio Africanus cujus in bonis cum non eſſet funeris impenſa, aſſes populus contulit, ac funus elocavit, quaque præferebatur flores è proſpectu omni ſparſit, teſte *Plinio Lib. 21. cap. 3.* Mortuorum autem coronæ apud Ethnicos ſignificabant ipſorum ex victoriâ ſeculi ἀόχλητον ἀμεριμνίαν, id eſt à turbâ remotam ſecuritatem. Sic enim interpretatur *Clemens Alexandrinus Lib. 2. Stromatum cap. 7. hic verbis*: ἀοχλήτου ἀμεριμνίας ὁ στέφανος σύμβολον. Ταύτῃ καὶ τοὺς νεκροὺς καταστεφανοῦσιν, ᾧ λόγῳ καὶ τὰ εἴδωλα ἔργῳ προσμαρτυροῦντες

 ἀθέοις

ἀυλοῖς τὸ εἶναι νεκροῖς. H. e. à turbâ & negotio remotæ securitatis signum est corona. Qua ratione idola coronant, sic & mortuos. Quo facto id agunt, ut ostendant Idola esse rem mortuam. Nihil aliud designat pictura mortis coronatæ, quam *Paradinus* inter sua Symbola Heroica retulit cum hâc epigraphe: VICTORIA LIMES. Interrogatus, inquit ibi, ab Adriano Cæsare Epictetus Philosophus, quam ob causam mortui coronis insignirentur? respondit, ut sic indicarent, quod labores & ærumnas, seu molestiarum immensum pondus hujus vitæ superâssent. Quem tamen coronandi morem Sancti Patres, qui nihil cum paganis sibi commune esse volebant, acriter improbarunt. *Tertullianus de Corona militis cap. 13.* Quid, *inquit*, tam indignum DEO, quàm quod indignum Idolo? quid autem tam dignum Idolo, quàm quod & mortuo? Nam & mortuorum est ita coronari; vel quoniam & ipsi idola statim & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda Idololatria est. *Minutius Felix in Octavio:* Sanè quod caput non coronamus ignoscite; auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus. At enim nos exequias adornamus eadem tranquillitate, quâ vivimus, nec adnectimus arescentem coronam, sed à Deo æternis floribus vividam sustinemus. Coronarum de floribus ad capita virginum collocatarum meminit *Casal. de Ritibus Veterum Christian. cap. 66. f. 265. Add. Iohann. Kirchmannus de funeribus Rom. Lib. 1. cap. 11.*

§. XII. Porrò quod flores super *urnas* sparserint ex *Plutarcho* discimus, memorat enim *in Marcello*, ejusdem cadaver combustum fuisse conditum urnâ argenteâ, cui circumdata fuit aurea corona. Urna aurea in qua conditæ erant Demetrii reliquiæ fuit cincta coronis, additque *Plutarch. in Demetrio*: At in Corinthum classe navigante, urna è prorâ præfulgens conspiciebatur purpura Regia & diademate ornata. More prisco *sepulchra* quoq; coronabantur. *Plutarchus de Iside & Osiride:* Nilitanem Insulam apud Ægy-

Ægyptum, quæ omnibus inaccessa, ac ne navibus quidem fida est, ait, quodam anni tempore, â Sacerdotibus adiri, qui sacrificio ibi peracto, coronant monumentum Metidis planta umbratum, quæ supergreditur magnitudinem omnis oleæ. Ipsaq; adeò proxima monumento loca, aut in quibus exequiæ funebres ducerentur, priscâ superstitione coronabantur. Tale est illud, quod in honorem Achillis usurpari ait *Philostratus in Heroic.* Coronato apice sive summitate Jugi, in eo effossa uva, nigrum taurum ut mortuo mactârunt. De sepulchris Romanorum coronatis testatur in funere *Numæ Plutarchus*, memorans socios & amicos populos concursu factô ad sepulchrum ejus, illud publicis muneribus & coronis decorâsse. Imo nec *saxis sepulchro impositis* inter Græcos coronæ defuerunt. Quid, *inquit Lucianus in Charonte*, prodest lapis super sepulchro coronatus? Item alter; ubi loquitur de sepulchris & conditoriis mortuorum: Quid igitur illi coronant lapides & ungunt unguento? Apio monumenta virorum fortium coronata fuisse illa *Plutarchi in Timoleonte* indigitant: Et milites suspicio incessit, malum esse signum, quoniam monumenta mortuorum solemus piè coronare apio. Et Proverbium quoddam ex hoc factum est, *periculosè ægrotantem opus habere apio.* Nonnunquam sepulchra hiacynthis conspergebantur, uti *Prop. lib.* 4. *Eleg.* 7. habet:

> Hoc etiam grave erat nulla mercede hiacynthos
> Injicere & fracto busta piare cado.

Aliquandò nitebant liliis, quemadmodum Marcelli sepulchrum apud *Virgilium AEneidos Lib.* 6.

> Tu Marcellus eris; manibus date lilia plenis.
> Purpureos spargam flores; animamque nepotis
> His saltem accumulem donis, & fungar inani
> Munere.

Ejusmodi corollæ à Poëtis aliàs sertorum nomine exprimuntur. *Ovidius Lib.* 3. *Trist.*

> Te tamen extincto feralia munera semper,
> Deque tuis lachrymis humida serta dato.

Statius Lib. 5. *Sylvar.* 3.

> Illustremque animam lethæis spargite sertis.

Vir-

Virgilius in Epigramm. rogum sertis exornat.

Quid cineri ingrato servas benè olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi?

Hoc sepulchrale officium tanquam anniversarium describit *Tibullus Elegiâ 4. Lib. 2.*

At bona quæ nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua constructo serta dabit tumulo.

Consonant his etiam Christianorum de eodem ritu testimonia, quæ paucis accipe: *Prudentius in hymno exequiali* ita canit:

Nos tecta fovebimus ossa
Violis & fronde frequenti
Titulumque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Ambrosius in Oratione funebri de Obitu Valentiniani: Non ego floribus tumulum ejus adspergam, sed Spiritum ejus Christi odore perfundam. *Hieronymus Epistolâ ad Pammachium de obitu uxoris:* Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos &c. Plura *Sopranes in Davide fol.* 528. suggerit.

Revertor ad oscula. Romulus cœsi fratris Remi feretro oscula dabat. *Ovidius Lib. 4. Fastorum:*

Osculaque applicuit posito suprema feretro,
Atque ait, invito frater adempte, VALE.

Verius volenti dixisset. Prostat enim *Ciceronis* testimonium *Lib. 4. Offic.* Species utilitatis animum pepulit ejus, cui cum visum esset utilius solum, quàm cum altero regnare, fratrem interemit. Idem quoque sententiam fert de hac primâ perduellionis lege: Omisit hic & pietatem & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neq; erat, assequi posset; & tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam: peccavit igitur, pace Quirini vel Romuli dixerim. Cleopatra quondam carissimi sui Antonii tumulum osculata legitur apud *Plutarchum in Anton.*

Anton.p.954. Quin etiam statuis Imperatorum in exequiis oscula fixa invenio. Nam *Xiphilinus in Severo de exequiis Pertinacis* scribit: Cum lectus rogo impositus esset, Severus propinquique Pertinacis statuam ejus osculantur.

§. XIII. *Leo Allatius de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetuâ consensione Lib.3.cap.9 p.m.*1048. Si Sacerdos, *inquit*, apud Græcos fuerit, qui excessit, tres alii Sacerdotes è lectulo in stoream deponunt, & oleo puro corpus detergunt, vestiuntque suis indumentis, tum ornatu reliquo sacerdotum amicti, faciem sudario quo calix in Missa operitur, velant, & Evangeliorum librum supponunt, & post preces recitatas, iidem Sacerdotes funus efferunt, deportantque ad Ecclesiam, post officia & amplexus sepulturæ commendant. Patriarcharum & Præsulum cadavera non decumbunt in feretro, sed vestibus suis sacris induti, dum officia recitantur, in throno sedent, & sedentes etiam in sepulchro, cum fieri potest, collocantur. Monachi corpus defuncti non abluunt, quod & nudum videre nefas ducunt. Quare qui id muneris exequitur, Monachus, Spongiis aquâ tepidâ tumentibus tergit corpus, cum prius cruce cum spongiâ demortui frontem, pectus, manus, pedes & genua signaverit; tum novâ veste, à visione nudi corporis abstinens, induit, amicto cucullam apponit, & ad mentum detrahit, ne facies videatur. Deinde resticulâ, pallio, & succinctorio circumvestit, & novis calceis ornat. Tum demum mantellum ipsius obliquè extenditur, storeæque, quæ totum corpus excipiat, superimponitur. Sic ad exequias præparato corpore, mantelli extrema obliqua cultro abscindit, & totum in duas partes dividit, & illis perforatis extremas partes loro componit, & una colligans, tres cruces efficit, unam ad caput, alteram ad pectus, & tertiam ad genua, reliquo loro pedes devincit. His peractis advocatur Sacerdos, qui eum stolâ post incensum bona precatur, & fratres eum sublatum in Ecclesiam devehunt, & si defunctus Sacerdos est, in medio templi, si idiota, in Narthece deponitur. Cum tempus exequiatum advenerit, signo dato, reliqui omnes accurrunt, quibus cereos distribuit Scenophylax, & illis accensis offi

cium incipit. Recitato Evangelio, aliis canentibus, alii ordine suo funus amplectuntur & deosculantur, post oscula ad cœmeterium delatum sepulturæ tradunt. *Hæc Leo.*

§. XIV. Verum enim verò osculum istud precum pro mortuo faciendarum promissio est & arrha. *Os* enim τῶν εὐχῶν ὄργανον, *Orationis officina est*, juxta *Simeonem Thessalonicensem*, vel juxta *Ambrosium in Hexaemero lib. 6. cap. 9.* pietatis charitatisque est pignus. Pietatis illius & eruditæ religionis debet esse, quæ corpus emortuum, ut verum Dei templum veneratur, (undè & mortuos cum sancto Eucharistiæ mysterio pectori apposito sub terram condere, antiquæ religionis pietatisque patres non abhorruerunt:) & os ut vestibulum templi adorat. Sed osculi genus prænominatum, sicut & Eucharistiam mortuis præbendi consuetudo apud Latinos Seculo VII. *in Concilio Antissiodorensi cap. 12.* desiit. Canon sic habet: Non licet Eucharistiam mortuis, nec osculum tradere. Et in *Matisconensi Concilio* legitur: Non licet mortuis osculum tradere nec Eucharistiam tradi. Cujus tamen canonis alia mens est, cum mortuos anathemate prius percussos, vel ob crimen aliquod ab Ecclesiæ cœtu sejunctos, osculo & Eucharistia datis, quasi resarcitæ pacis & communionis redditæ Symbolis reconciliatos existimare solum vetet. Ut enim sceleratus quisque est in vitâ, sic post mortem Christiana tessera privandus est. Mortuos autem quoslibet nunc Ecclesia non prohibet, sed nec jubet, quæ osculi publicè dandi usum nusquàm assumsit. *Iacobus Goar in Notis ad officium Exequiarum Euchologii Græcorum pag. 541. P. Ludovicus Cellotius Parisinus, in de Hierarchia & Hierarchis, Libro 6. cap. 12. de mortuorum reconciliatione p. 515.* dicit: vetatur *Carthaginensis Concilii Canone* 18. qui errore perseverante reperitur; in *Concilio Trullano apud Balsamonem, cap. 83. pag. 460. Editionis Rothomagensis in fol. Anno* MDCXLI. Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet, quod antiquæ consuetudinis fuisse *Zonaras* scribit in loco *Balsamonis*: abusum debuit dicere & errorem: Scriptum enim est, accipite, comedite, mortuorum autem corpora non possunt accipere, non comedere. In *Narratione de*

ne de Religione Russorum ad Davidem Chytraum scripta. p. 244. *Edit.Spirensis in* 4. *Anno* M D LXXXII. circa funerandi ritus in Russiâ, hæc notatu digna reperio: Cum jam ventum est ad sepulturæ locum, orciniana ista sponda deponitur: Fœminæ verò, quæ ut flerent, oculos erudiere suos, magnâ cum lamentatione ad urnam feralem, quæ hic aperitur, accurrunt, & cadaveri oscula figunt, ita interrogantes: Cur nostro abiisti è conspectu, O charissime? Numquid cibi, & potus inopia te occidit? Numquid infelicis conjugii capistro caput subtrahere voluisti? Fatere nobis, quæ te res movere potuit, ut non tantum suavissimam thalami consortem & liberos dulcissimos tuos desereres, sed etiam deliciis pulcherrimi hujus mundi, tuis præterea fortunis & familiaribus omnibus abrenunciares? Easdem ferè querelas diversæ Indiæ occidentalis gentes, Caraibes, Toupinambani, Guineenses, &c. ingeminare solent, teste *Dn. de Rochefort, Relat. de Insulis Americanis, Lib.* 2. *cap.* 24. *p.* 508. *seqq.*

§. XV. De cadaveribus non osculandis nec amplectendis, postquam domo elata fuerint, extat hæc lex apud Cibenicenses, (qui sunt incolæ Cibinii Urbis mediterraneæ in Daciâ) *Lib. Stat. Reformat. cap.* 194. *in Novarini Lib.* 8. *Sacror. Elector. cap.* 14. *pag.* 98. §. 99. Posita fuit pars infra scripti tenoris, per ipsos Dominos, Comitem & Rectorem: Nonnullæ habentur consuetudines & observantiæ in civitate Cibenici, quæ à quibuscunq; gentibus in hoc seculo, horribiles & ineptæ haberi, & censeri debent. Cum propinqui & amici personarum morientium, tam masculi, quam fœminæ, dum eorum cadavera mortuorum ad humandum portantur, amplectuntur & osculantur ea, & super ipsis cadaveribus se extendunt: quod faciliter redundare ad præjudicium personarum suarum, & maximè tempore pestis ingentis, quo cadavera infecta cēsentur, potest. Et ulterius mulieres tam nobiles, quā plebejæ post dicta cadavera & discooperto capite gradiētes, seipsas laniant per capillos, quod exosū creditur & Deo & hominibus, cū tales querelæ, & lamētationes nihil proficiāt animab9 taliū mortuo-

rum. Idcirco saluti personarum cum juvet, providere, & consulere cupientes, autoritate præsentis consilii duximus statuendum, quod de cætero nulla persona, seu personæ, sive sit masculus, sive sit fœmina, cujuscunque conditionis & status existat, audeat vel præsumat, cum eorum cadavera mortuorum ad sepulchrum deferuntur, ea cadavera osculari, nec super ea se projicere, postquam elevata fuerint à terra, & extracta de domo suæ solitæ habitationis, vel in qua mortua fuerint. Et nulla mulier alicujus conditionis audeat ire post dicta cadavera capite discooperto, nec se laniare per capillos, postquam domo exiverunt, ut supra, & hoc sub pœna librarum centum denariorum, pro quolibet contra faciente, prædicto communi Sibenici applicandorum. *Hactenus Constitutio illa.* Non minus consultè differtat *Antonius Santorellus, Nolanus Philosophus & Medicus in Postpraxi Medicâ cap.15.* Quæcunque causa priscos induxit ut morientes (mortuos) oscularentur, satius esse arbitror osculis parcere. Nam mortuo nullius jam usus, mox moriturum, sin minus perturbant, levare certè non poterunt. Certè deosculantes offendunt, nam à mortuis, vel in mortis confinio positis non nisi tetri halitus perspirant, at hi sunt exitio inspirantibus. Inspirabunt autem deosculantes, nam à facie, ore & oculis magna exit evaporatio; nec mortui itaque, nec mox morituri osculandi. Quid insuper de eo statuendum sit, quod *Schickardus de Iure Regio Ebræorum, cap.6. Theoremate 19.p.m.410.* tradit, dentibus obesse si quis consanguineo cadaveri osculum figat, quod sua sibi experientiâ probasse videtur, Medicorum cultores indagent, eruditisque lectoribus latentes fortè causas aperiant. Non prorsus ab illo abludit superstitiosa opinio, si mater defunctum infantem exosculetur, & plures post id moriantur, culpam materno transcribendam esse osculo. Vide *Chavassium Lib.1. cap.9. de prudentia perfectâ, & ex eo Iosuam Arndium, Tractatu Practico, de Superstitione, pag.41. §.37.*

DISSER-

DISSERTATIO XXI.
DE
OSCULIS HYPOCRITICIS SIVE PRODITORIIS.

SUMMARIA.

I. *Crocodili descriptio. Illi lacrymæ sed minus verè tributæ. Proverbium: Crocodili lacrymæ. Origo ejus.* II. *Emblema: plorat & devorat; de hærede avido, mortem defuncti lugente, amico fucato & hypocrita. Gelodacria,* κλαυσίγελως. *Crocodili deflere dicuntur hominum capita ob macilentiam, Gonzaga Cardinalis emblema cum lemmate proverbiali.* III. *Hypocritæ etymologia vera & allusiva. Scytala serpens multos dolores creat.* IV. *Hebræi Chaldæi & Syri ad mentem Græcorum hypocritam interpretantur. Latinis idem quod histrio in scenis, vel assentator. Nervosa hypocrisis descriptio ex Chrysologo.* V. *Simulatio amicitiæ planè repugnat. Vera gloria perennat. Hypocrita in accusativo casu habet hypocriten.* VI. *Osculum hypocriticum malum & indecorum esse probatur. Diabolus homines osculatur, ipsos decipiendo.* VII. *Neronis crudelitas in matrem à Dione descripta. Salvii Othonis instinctu Galba Imperator occiditur. Andronicus suo jussu trucidatis illachrymatur.* VIII. *Appuleji opus de aureo asino sub involucris fabularum mores humanos exprimit. Thrasyllus Leopolemi interitum vafrè dolet. Iulius Cæsar interfecto Pompejo gaudium suum lachrymis effusis palliat.* IX. *Absolonis Principatum affectantis subdolæ artes. Serpens hyemali tempore venenum non deponit.* X. *Ioabi osculum perniciosum. Ioabus serpentibus propter duplicem linguam assimilatus. Simulator cor ad fauces habet more serpentum. Quomodo Ioabi gladius ad homicidium dispositus fuerit, disquiritur.* XI. *Mentum virorum & heroidum genas supplices aut venerabundi olim tangebant. Aulicorum fraudulentia detecta.* XII. *Hypocritarum pictura cum lemmate:* Vera latent: *Da verum cernere lumen. Vel, Nil ficta juvabunt. Proverbium: Græcorum Equus.*

§.1. REperitur apud Nilum Crocodilus, quadrupes pessimum, oviparum lacertæ instar, quam etiam per omnia, si caudam excipias, referre tradit *Albertus M. Histor. Animal. Lib.* 24. Est amphibium, non minus in aqua quàm terra vivens, etsi etiam stata tempora observet, nec indiscriminatim modò terram colat, modò in aquis degat. Si enim *Aristoteli, Plinio, Herodoto, Marcellino, Solino aliisque à Gesnero Lib.* 2. *de quadruped. ovip. p.* 14. *seqq. allegatis auctoribus* fidem habemus, plerumque interdiu in sicco agit, sed totam noctem in flumine. Præter Ægyptum & Indiam, imo quoque Americam, juxta veterum & recentiorum testimonia inhabitat. *Plin. Lib.* 5. *Hist. Nat. cap.* 1. *Strabo Lib.* 17. *Geograph. Solin. in Polyhist. cap.* 25. *Curtius Lib.* 8. *cap.* 9. *Scaliger ad Lib.* 2. *Aristot. de Animal. Iohann. Henric. Vrsin. Analect. Sacr. Volum.* 2. *Lib.* 1. *cap.* 4. Naturæ Consulti referunt eum conspecto homine, antequam aggrediatur illum & devoret, ubertim lacrymas effundere, unde distichon istud;

> Quid vultum fingis? mentirisque ore Salutem,
> Quam quæris, defles cur Crocodile, necem?

Gesnerus l.c. Sunt, *inquit*, qui scribant, Crocodilum conspecto procul homine, lacrymas emittere atque eundem mox devorare. *Levinus Lemnius Lib.* 4. *de Occult. Nat. mir ac. cap.* 10. Crocodilus, de quo proverbium *Crocodili lacrymæ*, homini insidias struit, ac devoratum discerptumque deplorat. *Hieronym. Mercurialis, apud Dn. D. Schneiderum T.* 3. *de Catharr. cap.* 9. *p.* 372. Cervi, apri, Crocodili & apud Medicos & apud Philosophos lacrymari dicuntur. *Conf. Frantzii Histor. Animal. part.* 1. *cap.* 26. *Drexelii Phæthontem, cap.* 46. *Piccart. Observat. Historico-Polit. Decad.* 13. *cap.* 1. *Schoti Physic. Curios. Lib.* 7. *p.* 881. *Octavian. de Tufo in cap.* 12. *Ecclesiast. p.* 506. Aliis tamen quod de lacrymis Crocodili dicitur, inter fabulas referre placet. *Vossius Theolog. Gentil. Lib.* 3. *cap.* 47. Crocodilos, *ait*, aliquis dixerit flere, quia lacrymæ eorum abiere in Proverbium: sed est hoc de lacrymis fictis, non veris; nec satis constat, ecquid veri subsit fabellæ de lacrymis Crocodili simulatis.

tis. Consonat effatum *Sperlingii in Anthropolog. Physic. cap. 5. quæst. 7. p. 273.* Crocodili lacrymæ notæ sunt, Dicunt, antequam hominem devoret prius lacrymari. Sed ut canes, feles, aliaque bruta voce & gestibus lætitiam declarantia, ridere videntur, verè non rident, ita & cum ejulatu ac clamore dolorem manifestant, lacrymari videntur, sed videntur. Non quivis humor ex oculis emissus lacryma est. Simile quid est, lacrymæ veræ non sunt. H. I. Proverbium autem de *lacrymis Crocodili* non primò & immediatè inde ortum, quasi Crocodili lacrymas ex oculis profunderent, sed ex eo potius natum videtur: Cum prisci experientiâ compertum haberent, Crocodilum famelicum haustas ore aquas in semitas evomere, ut homines aquatum egredientes, in lubricâ via labantur, & facilius corripiantur; hinc guttulas illas vocârunt *Crocodili lacrymas*, easque postmodum simulatoribus adscripserunt. Has verò deinceps alii, rerum physicarum minus periti, in proprio sensu acceperunt, existimantes, Crocodilum verè ex oculorum glandulis lacrymas emittere. Atque huic sententiæ calculum adjicit *Ioh. Euseb. Nieremberg. Hist. Nat. Lib. 7. cap. 54. p. 124.*

§. II. Protritæ illi parœmiæ Hieroglyphicorum & Emblematum artifices varia Symbola picturasque addiderunt. *Aresius* hæredem avidum, sed mortem defuncti lugentem descripturus, Crocodilum hominem devorantem pingit, hoc addito lemmate: PLORAT ET DEVORAT. *Masenius in speculo Imaginum veritatis occultæ cap. 51. pag. 606. num. 22. Camerarius Centuria 4. Emblem. 67.* eodem utitur in amico fucato delineando cum hac epigraphe:

> Non equidem ambigui dictis mihi fidere amici
> Certum est, ut lachrymis nec Crocodile tuis.

Similiter illo Hypocritam designat Collector *Hieroglyphicorum ex Veteribus & Neotericis Libro 3. pag. 118. Pierii Libris additus.* Anna Regina Poloniæ Stephani uxor ad idem mentem inclinans Crocodilum lacrymantem pingi curavit cum Lemmate: NOSTRI SIMULACHRA DOLORIS, id est, simulati

tantum.

tantum. *Masen.Spec.cap.*42.*p.*504.*num.*6. Inveniuntur eheu oppidò multi homines, qui dolorem simulant ejus, quod maximè concupiscunt; in quibus est *Gelodacria* illa, aut κλαυσίγελως, qui exterius deplorat id, quod interius ei risum movet, quibus condemnationum odor ceparum atque suffimenti instar est, ut quondam præficis, qui in funere plorabant ejus, cujus mors ipsis vitâ longè carior erat: Qui denique ut loquitur *Tacitus* 3. *Annal. cap.* 4. *Imitamentis tristitiæ animi gaudia velant.* De talibus memorabilis locus *Asterii Amaseæ Episcopi apud Photium in Bibliothecâ p.*820. occurrit: Τὺς Νιλώυς Κροκοδείλυς μιμεῖσθαι, ὓς φασὶ ταῖς κεφαλαῖς ἐπιθρηνεῖν τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἔφαγον, καὶ δακρύειν ἐπὶ τοῖς λειψάνοις τῶν φόνων, ὐ μετάνοιαν τῶν γεγεννημένων λαμβάνοντας, ἀλλὰ τὸ ἄσαρκον τῆς κεφαλῆς (ἐμοὶ δοκεῖν) ὀδυρομένυς, ὡς εἰς βρῶσιν ὐκ ἐπιτήδειον. Hoc est. *Niloticorum Crocodilorum imitatores estis, quos fama est deflere hominum capita, postquam eos devorârunt, & illacrymari cæsorum reliquiis: non quod pænitentiâ facti aliquâ afficiantur, sed quod ita doleant, (quantum mihi videtur) ob capitis macilentiam, quasi quod ad vescendum minimè sit idoneum.* Usus hoc hieroglyphico fuit Sigismundus Gonzaga Cardinalis, postquam evecto sua quoque opera ad Pontificatum Leone X. ejus postea ipsum pœnituit, cum adjectione Proverbii: CROCODILI LACHRYMÆ, testante *Iovio.* Talem describit pessimam illam novercam Demænetam *Heliodorus in AEthiopicis* ejulantem nimirum super Cnemone privigno, quem tamen ipsa suis calumniis ibat perditum. Plura in subsequentibus ex variâ historia depromemus.

§.III. Explicavi hactenus maximam partem omnia, quæ sub profanorum osculorum varietate comprehendi possunt, usu singulorum inter varias habitati Orbis nationes peculiariter annotato, ut inde lucem non exiguam aut creperam, loco per se alias subobscuro, qui de *Osculo Iudæ* in historiâ sacra occurrit, nefario illo & summa sceleris nomina excedente, attulisse videar. Jam ad arcem causæ hujus gressum dirigo, quæ ut inde facilius expugnetur, copias queis stipatus sum, hoc ordine disponam, ut primò manifestum evadat, quid per *osculum Hypocriticum Iudæ* intelligi debeat,

beat, deinde illud uberius, qua poterit fieri adcuratione, mediis undecunque conquisitis, explanetur. *Osculum Hypocriticum* appellatur ab *Hypocrita*, cujus usum juxtim ac ortum *Isidorus Lib.* 10. *allegante Matthia Martinio in Lexico Philologico explicat his verbis*: Hypocrita è Græco sermone in Latinum *simulator* interpretatur, qui dum intus malus sit, bonum se palam ostendit, ὑπὸ enim falsum, κρίσις Judicium interpretatur. Nomen autem Hypocritæ tractum est à specie eorum, qui in spectaculis contecta facie incedunt, distinguentes vultum cœruleo minioque colore & cæteris pigmentis, habentes simulachrum oris, lintea gypsata & vario colore distincta, nonnunquam & collum & manus cretâ perungentes, ut ad personæ colorem pervenirent, & populum dum in ludis agerent, fallerent, modo in specie viri, modò in fœminæ, modò tonsi, modò criniti, anili & virginali, cæteraque specie, ætate sexuque diverso, ut fallant populum, dum in ludo agunt. Quæ species argumenti translata est in iis, qui falso vultu incedunt, & simulant, quod non sunt. Nam hypocritæ dici non possunt, ex quo foras exierint. *H. I. Haymo in Matthaeum* dicit, *hypocritam* significare *deauratum*, à Chrysos, quod est aurum, metaphorâ sumtâ ab Idolis & simulachris, de quibus dicebat S. Propheta *Baruch cap. 6. v. 50. Quod cum sint lignea, inaurata & inargentata, scietur postea, quia falsa sunt, ab universis gentibus & Regibus.* Coincidit fermè mens *Lyrani in Commentariis ad Matthaeum* scribentis, Hypocrita dicitur ab hypo, quod est sub, & Chrysos, aurum, *quia sub auro, vel sub honestate exterioris conversationis habet absconditum plumbum falsitatis.* Hæc Etymologia placuit etiam *Augustino*, ut *Franciscus Toletus* refert *in capite 6. Lucæ, annotat. 97. pag.* 440. *Edit. Paris. in fol.* Anno M DC. quam explicare visus est Christus Dominus, dicens *Matthai 23. Væ vobis scribæ & Pharisæi, hypocritæ, id est, deaurati, quia estis similes sepulchris dealbatis, quæ foris apparent quidem hominibus speciosa, intus verò sunt plena mortuorum ossibus.* Quæ verba ad hoc institutum expendit *Isidorus Lib. 3. sentent. cap. 24.* At verò quoniam hypocrisis non per X. & Ypsilon, sed per K. & I. scribitur, modò adductæ Etymologiæ nullæ sunt. Communius autem

& citra dubitationem rectius est, hypocritam dici à verbo Græco ὑποκρίνω, quod est *simulo*. Iisdem vestigiis laudatus *Toletus* insistit *ad cap. 6. Lucæ*. *ὑπὸ est falsum & κρίσις Judicium*, quasi falsum Judicium, quia hypocrita homines decipit, & falsum eorum Judicium quærit, intendens judicari bonus & sanctus, cum omni bonitate & sanctitate careat. Graphicè quoque *Iohannes Prideaux Theol. Anglicanus Oxoniensis & deinde Episcopus Vigorniensis*, *celeberrimus τῶν ἐν ἁγίοις* de Hypocrita scribit *Orat. 12. inaugurali p. m. 426. Oper. Edit. Tigurens. in* 4. Anno M DC LXXII. Frater in ore, & pugio in manu; sacrificium in specie, & proditio in affectu, lacrymæ in oculis, & laniena in corde; Joabi, Absolonis & Ismaelis sacerrima sunt emblemata. Ita salutat sicarius & obtruncat. Sacrificabit nequam, ut patrem prodat; plorabit Tyrannus dum fratres destinat ad internecionem, ut Crocodilus dum prædam devorat. De Scytala, serpente notat *Isidorus*, tot illum adferre dolores, quot habet colores. Nullus Poëtar. Proteus, nullus Vertumnus variegati hypocritæ nocendi artes expresserit, simulabit cum Herode infantis cultum, quem meditatur tollere è medio. Orabit, jejunabit, eleemosynas distribuet cum Pharisæis, sed tantum ut ab hominibus conspiciatur & laudetur. Magister dicet, & applaudet, cum capiti insidiatur, & quod rectum est dissimulabit, ut quod iniquissimum est, consequatur. Osculatur ut prodat, convertit ut pervertat, orat ut devoret, minuta exagitat, dum graviora negligit, parentat occisis, dum pergit occidere. Externa mundat, ut interiora talia esse credantur, sic ut Regnum cœlorum præcludat aliis, quod nec ipse conatur, nec curat intrare.

§. IV. Favent Græcanitati aliæ etiam linguæ. Nam vox Hebr. חנף Chaneph, *hypocritam & simulatorem* denotat, juxta verbum Primitivum חנף, quod est conjugationis kal, secundæ Hebræorum formæ, *simulare & maculare* significans, ut ab *Hieronymo* accipitur *Ieremiæ cap. 3.* Ab Hebræa radice fluit dictio Chaldaica חנפא chanepha, quæ & *Hypocritam* signat & *hominem personatum*, quo sensu accepit Targumista apud *Esaiam cap. 10.* Ut lingua Syriaca propius accedit ad Chaldæam, quam ad Hebræ-

Hebræam, Syri eodem nomine Chanepha exprimunt *hypocritam & infidelem hominem.* Ita usurpavit illud vocabulum Syrus interpres vertans *Epistolam primam ad Corinthios cap.*10. In Latio hypocrita commodè satis reddi posset *histrio*, ceu anteà dictum, sive *assentator*, quia mirâ simulatione huic vel illi assensum præbet, ut defraudet, theatrale ingenium æmulatus, juxta censuram *Augustini Lib.2. de Serm. Domini in monte, cap.2. Tom.4. operum.* Noli sic velle innotescere, ut hypocritæ. Manifestum est autem, hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronunciatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragædia, verbi gratia, sive alicujus alterius ad fabulam vel historiam pertinentis, verè ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vitâ humanâ quisquis se vult videri, quod non est hypocrita est. His consonant verba *Chrysostomi homilia 21. in Matthæum* : Tamdiu Hypocrita clarus apparet, quamdiu assistit spectantium multitudo, imò nec tunc quidem coram omnibus clarus est. Norunt enim videntium plurimi, quis tum sit, quem esse se simulet. Verum tamen theatro illo subitò dissoluto, qualis sit manifestissimè omnibus revelatur. Conferatur *Hieronymus Baptista de La Nuza, Tractatus Evangelici 2. parte 2. §.p.m.348.* Sed ut intimius natura hypocritarum cognoscatur penicillo *Chrysologi ex Sermone 7.* adhibito horrendum monstrum accuratè delineato: *Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam. Unde caventur tam facilè, quàm videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam misericordiâ prosternit. Hypocrisis cognata febris, frigido poculo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus. Hoc est, hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. Exterminant*

minant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes. Hypocrisis dum cupit captivare oculos, oculis fit ipsa captiva. Exterminantur enim facies suas. Et si facies exterminatur, ornamentum corporis quod manebit? Hypocrita, sit tibi licet facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus adspectus, nec ab hominibus invenisti laudem, & apud Deum fructum jejunii perdidisti. Hypocrita, elaborasti jejuniis, ut labor tibi jejunii non prodesset. Hypocrita, abstinentiæ fructus intrâsti, continentiæ conscendisti undas, enatâsti jejunii pelagus & in ipso portu jejunii naufragasti, quia non comparâsti lucrum, sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotium perfecisti. Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cavenda quæ de remediis creat morbos, conficit de Medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisin qui fugerit, vicit, qui incurrerit, cadit.

§. V. Dixi, quod Hypocrita simulatione tanquam proprio suo artificio ubique instructus agere consueverit, hanc verò rerum omnium oppidò vitiosam Orator, cujus ab linguâ melle suavior fluebat Oratio, quando de *amicitia* disserit, declarat: Tollit namque judicium veri idque adulterat, tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: quî id fieri poterit, si ne in uno quidem unus animus erit, idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alterius non modò sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? Negat quis? nego, ait? ajo. Postremò imperavi egomet mihi omnia assentari, ut ait idem. Licet autem tam fœda tamque detestabilis simulatio sit, sunt tamen non pauci, qui exinde stabilem se gloriam consequi posse existimant, quos laudatus modò *Cicero Lib. 2. officior.* vehementer errare asserit scribens; Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Et *lib. 3. Tusculanar. Quæstion.* Gloria est solida quædam res & expressa, non adumbrata; ea est

ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat, tanquam imago gloriæ, quæ quia rectè factorum plerumque comes est, non est bonis repudiandis viris. Illa autem quæ se ejus imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, & plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis, simulatione honestatis, formam ejus pulchritudinemque corrumpit. Tu ergo quæ habent speciem gloriæ, collecta ex inanissimis splendoris insignibus contemne; brevia, fugacia, & caduca existima. Denique ut appendicis loco ex Philologiæ myrothecils aliquid admisceam, suavissimus Musarum favus, *Vossius*, *Aristarchi Grammatici Lib. 2. p. 662.* observat, rectius dici in accusativo casu *hypocriten*, *quam hypocritam*, idque præeunte *Fabio, lib. 11. cap. 3.* apud Andronicum, *hypocriten* quippe satius est retinere terminationem Græcam in his, quibus Latini non sunt usi.

§. VI. Si igitur vim vocis spectes, *osculum hypocriticum* nihil significat aliud, quam osculum simulatorium, fallax & illusorium. Si verò ad rem ipsam attendere velis, est externum deosculationis symbolum, quod homo fallendi gratia præ se fert, & alteri indicare nititur animi submissionem, amorem sincerum, amicam salutis adprecationem, & id genus alia; tegit autem hoc velamine insidias, virulentum odium, & propositum nocendi. Dici aliàs & ab aliis solet *osculum proditorium*, nomine inviso & Infausto, & id quidem, quantum conjicere licet, à proposito crimine, cui infelix ansa & exsecrandum signum extitit, videlicet à proditione innocentissimi inter hominum filios, JESU NAZARENI. Reperitur in Scriptura *osculum falsitatis*, & istud certè est osculum Dæmonis, deceptoris, maledicti defraudatoris, hominis proditoris. Diabolus osculatur homines ipsos decipiendo, figuratus in Joab, qui tenens mentum Amasæ, quasi osculans eum, & sic quasi osculando occidit eum, sicut dicitur 2. *Regum* 20. Diabolus primò fingit osculari hominem, eidem prospera conferendo, ipsum tamen proditiosè tandem occidit, vitam & prosperitatem subtrahendo, & ipsum mortis æternæ jaculis feriendo. De tali osculo dicitur:

*Proverb.*27. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Manus etiam osculatur adulando & alliciendo. Sic de mundanis amicis dicitur, *Eccles.*29. postquam accipiunt, osculantur manus dantis,& promissionibus humiliant vocem suam, quasi dicat: tales non osculantur nec applaudunt propter veram amoris charitatem,sed solum propter proprii lucri utilitatem. Proditor verò osculatur amorem fingendo & simulando. Quin pro certo proditores sub specie amicitiæ non cessant osculari & applaudere, ut hominem possint decipere, secreta sua investigare,& ipsa aliis revelare, juxta *Petrum Berthorium in Dictionario.*

Hujus commatis osculum non indifferens quidpiam,sed intrinsecè malum, adeoque ex naturâ suâ illicitum esse,abundè satis,quæ ex *Cicerone* adduxi,demonstrant,& ulterius sine ulla difficultate probari potest. Thema meum tali fulcio argumento: Quicunque actus perfectione & rectitudine sibi debitâ destituitur,ille intrinsecè malus est, & ex natura suâ culpabilis. Atqui osculum hypocriticum perfectione & rectitudine sibi debitâ destituitur, Ergò osculum hypocriticum intrinsecè malum est, & ex naturâ suâ culpabile,adeoque illicitum. Major propria luce radiat. Quemadmodum enim bonitatis moralis ratio in rectitudine & perfectione actui competente consistit; ita ex adverso,malitiæ moralis seu vitiositatis formalis ratio in absentiâ illius rectitudinis vel perfectionis debitæ deprehenditur, ille malus sit oportet. Minorem confirmo hoc ratiocinio: Quodcunque finem rectæ rationi consonum ac legitimum deserit, & illius loco alium perversum substituit, illud bonitate sua sibi propriâ caret. Sed osculum hypocriticum finem rectæ rationi consonum ac legitimum deserit,& illius loco alium perversum substituit. Ergò. Rectitudo osculandi actui debita erat finis honestus ac sanæ rationi congruens, ast verò finis osculi hypocritici est, nocendi causâ fallere, quod ut rectum, honestum, rationique consentaneum dici possit,tantum abest, ut potius cum eadem aperto Marte pugnet: manifesta igitur est & firmo talo stat conclusio, quoniam

niam ut Philosophus inquit : *παράλληλα μᾶλλον τ' ἐναντία γνωρίζονται.*

§.VII. Quamquam etsi osculum hypocriticum res turpissima, & creaturâ rationali maximè indigna sit, non tamen potuit vafrities hominum & malitia ab eo ita abstrahi, ut non subindè illo pasceretur. Propudium istud humanæ gentis Nero, tali fraude matrem circumvenire non erubuit. Exponit rem *Dio Cassius Lib. 61. in Neron. pag. 694. edit. Leunclavii*, historicus nequaquam sublestæ fidei his verbis: Sed cum Romæ nil facere esset ausus, ne scelus divulgaretur, procul in Campaniam profectus est, acceptaque matre, in eâ ipsâ navi magnificentissimè atque splendidissimè ornatâ navigavit. Id faciebat, ut illa in reliquum tempus eodem navigio uti cuperet, cumque Baulos venisset, magnificentissimè convivia per multos dies egit. In his matrem amicè & benevolè accipiebat, simulabatque se absentis ejus magno desiderio teneri, præsentem osculabatur, petere jubebat, si quid vellet, eique multa antequàm peteret, concedebat. Post cœnæ tempus media nocte eam (*summâ benevolentiâ*) complexus est, atque oculos ejus & manus osculatus, comitatusque abeuntem dixit: Mea mater, vale meâ causâ, & cura valetudinem; ego quidem certè tuâ causâ vivo & regno. Posthæc eam tradidit Aniceto liberto, quasi is eam domum ducturus esset in navi, quam supra ad interitum ejus comparatam fuisse diximus. *Suetonius in Nerone Claudio cap.34.* annectit: Adduntur his atrociora, nec incertis autoribus, ad visendum interfectæ (matris) cadaver accurrisse, contrectâsse membra, alia vituperâsse, alia laudâsse, sitique interim obortâ, bibisse. O adulatorium & ad fraudes quasi fabricatum pectus! Adeo & inter sanguine junctos *Exulat, & gelido est rarior igne fides.* Neroni associandus est M. Salvius Otho, qui à Sergio Sulpicio Galba osculo exceptus exitium illi parabat. Cum enim Galbæ conatibus primus accessisset, eodemque momento & ipse spem Imperii cepisset, nihil intermittebat, quo omnium sibi amorem conciliare speraret. Ubi autē spem omnem hujus, quod intenderat, obtinendi, sibi ereptā videret, aliam viam ingres-

ingressus, vi aliquid & astu tentare decrevit. Interea immodico regnandi ardore quotidiè magis exæstuans, (neque enim dissimulabat, nisi Principem, se stare non posse, nihil referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet) ære quosdam conduxit, qui Galbam interficerent, sibique in occupando solio adjumento essent. Audiamus ipsum Tranquillum, Scriptorem *Flavii Vopisci* judicio emendatissimum & candidissimum, qui *Lib. 7. cap.* 6. in Salvii vita, historiam hanc tali ordine prosequitur: Erat animus, *inquit*, post adoptionem (Pisonis) statim castra occupare, cœnantemque in Palatio Galbam aggredi; sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidiâ, quod ejusdem statione & Cajus fuerat occisus, & desertus Nero. Medium quoque tempus religio & Seleucus exemit. Ergò destinatâ die, præmonitis consciis, ut se in foro sub æde Saturni ad miliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit; utque consueverat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audivitque prædicta haruspicis. Deinde liberto adesse architectos nunciante, quod signum convenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit, proripuitque se posticâ parte Palatii ad constitutum. Alii febrem simulâsse ajunt, eamque excusationem proximis mandâsse, si quæreretur. Tunc abditus properè muliebri sellâ in castra contendit, ac deficientibus lecticariis, cum descendisset, cursumque cepisset, laxato calceo restitit, donec omissâ morâ succollatus, & à præsente Comitatu IMPERATOR consalutatus, inter faustas acclamationes strictosque gladios ad principia devenit, obvio quoque non aliter ac si conscius & particeps foret, adhærente. Ibi missis qui Galbam & Pisonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro concione testatus est, quàm id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent. De Andronico Imperatore Orientis *Nicetas apud Christoph. Besoldum in Historia Constantinopolitanô-Turcica p. m. 301. Edit. Argentoratens. Anno* MDCXXXIV. *in 12. scribit*: Est hoc memoratu dignum, quidam homines apud Andronicum gratiosi petebant, ut suspensorum corpora tollerentur, is verò iis verbis

bis non offensus, rogavit, num pridem essent mortui? ubi ex carnificibus audivit, malos malè periisse; se dolere vicem illorum dixit, ac id dictum lachrymis prosecutus, adjecit, legum severitatem & auctoritatem, sua voluntate & proposito plus valere, & Judicum sententias suo judicio præpollere. O lachrymæ, quæ & olim à nobis in animi mærore fundebamini, ex corde tanquam imber è nubibus destillantes. O gravioris tristitiæ signa, & eorum quæ intus urgent, argumenta certissima, quamvis aliquandò etiam præ gaudio, ex oculis veluti guttæ exuberetis. *Alia verò natura est apud Andronicum, internecionis estis praenunciæ, & in Acherontem ac Stygiam paludem, vel ipso nomine detestabilem damnatis. O quam multorum pupillas vestrum profluvium extinxit? O quam multos in orcum adegistis? O quot demersistis? O quales viros insepulchrum conjecistis? Et ultimo lavacro abluistis tanquam inferiæ effusæ?*

§. VIII. Nec abludit novum hoc simulatæ nequitiæ exemplum, quod *Appulejus lib.* 8. *Miles.* recenset. Non equidem ignoro totum Auctoris modò citati scriptum de aureo asino fictum esse; Verum tamen illud sub fabularum involucro mores humanos & naturam mortalium graphicè & vivis fermè, quod ajunt coloribus depingit. Idcircò nullus dubito, quin Lectori benevolo gratum futurum sit, quidquid de fraudibus cujusdam deceptoris sub Schemate Thrasylli adferam,

---- fabulantem (enim) dicere verum, quid vetat?

Thrasyllus puellã Chariten efflictim adamans Leopolemo Competitori suo, cui Charite nupserat, socium & amicum se jungebat, non alio fine, quàm ut vel ad adulterinam Venerem aditum sibi pararet, vel novo Marito è medio sublato Charites Conjugio potiretur. Egregiè Thrasyllus in hac scena proditoris partes sustinebat, atque consilio sceleris occultato amici personam strenuè mentiebatur, etsi indies furiosæ libidinis impetus fortius prorumperet. Accidit intereà ut die quodam Leopolemus Thrasyllo secum ducto venatum peteret, & hispidum prodire aprum conspicaretur. Thrasyllus oportunum nactus fraudium decipulum, socium feram indipisci hortatur. Ille nihil sequius suspicans ami-

cæ compellationi adnuit,& dum uterq; operi sedulò intentus est, fera frendens ex frondosis, quibus delituerat, latebris se proripit, ac Leopolemum invadit. Tum Thrasyllus illius Equum lancea percutere & bestiæ Leopolemum corripiendi ansam præbere cœpit. Mox infelix Leopolemus humi prostratus, multoque apri dente saucius misériter Thrasylli suppetias rogabat : Ast hostem, non amicum, latronem non socium experiebatur, qui semimortui femur dextrum lanceâ transverberabat, ut derepentinò Leopolemus animam efflaret. Thrasyllus, verò famâ cursus ad urbem detorquente, familiaresque occisi ad triste spectaculum extra portam evocante, *quanquam perfecto voto prostrato inimico lætus ageret; Vultu tamen gaudium tegit,& frontem asseverat, & dolorem simulat, & cadaver, quod ipse fecerat, avidè circumplexus omnia lugentium officia solerter affingit, & multis charitatis nominibus veritatem ipsam fallit. Illum amicum, coætaneum, contubernalem, fratrem denique addito nomine lugubri ciere: nec non interdum manus Charites à pulsandis uberibus amovere, luctum sedare, ejulatum coercere, verbis palpantibus stimulum doloris obtundere, variis exemplis multivagi casus solatia nectere; cunctis tamen mentitus pietatis officiis.* Tantoperè vultus, frons & oratio fallunt, sæpe sub tristi vultu cor lætatur, sæpè sub fronte hilari animus mærore conficitur!

Nulla fides lachrymis, lachrymæ simulare docentur,
Nec, nisi vis falli, risibus ulla fides.
Vix tibi tot Proteu, quot sunt simulantibus ora,
Vota quibus larvam dant adimuntque suam.

Hermannus Hugo Libro 1. piorum Desideriorum prolegomeno. Eleganter hunc lusum lusit Cajus Julius Cæsar de quo *Dio* hæc tradit: Cæsar allatum Pompeji caput conspicatus, in lachrymis esse fertur, sed nihil illis lachrymis nisi risum & ludibrium retulit. Cui Dioni adstipulatur etiam belli illius scriptor *Lucanus lib. 9. Pharsalicorum,* dum ita canit:

- - - Sic fatus apertum
Detexit, tenuitque caput, jam languida morte

Effigies habitum noti mutaverat oris:
Non primo Cæſar damnavit munera viſu,
Avertitque oculos, vultus dum crederet, hæſit:
Utque fidem vidit ſceleris, tutumque putavit
Jam bonus eſſe ſocer: lachrymas non ſponte cadenteis
Effudit, gemitusque expreſſit pectore læto.
Non aliter manifeſta putans abſcondere mentis
Gaudia, quam lachrymis.

§. IX. Videmus igitur oſculum hypocriticum non χθὲς ϗ πρώην demum, ſed ante multa ſecula proh dolor! uſurpatum fuiſſe. Nec eſt, quod adeò in hominibus ethnicis fallendi & ſimulandi flagitium execremur, cum illi ipſi, quibus gratioſiſſima veritatis cœleſtis lux adfulſerat, qui malum vitare ex ipſius numinis revelatione didiciſſe & potuerant, & debuerant, tam nefario facinore ſeſe inquinare nihil dubitârint. Evolvamus ipſos SS. annales, hi nobis exemplum non unum proponent. De impiiſſimo pientiſſimi Regis filio Abſolone, in quo nihil præter nomen pacificum erat, ita illi 2. *Sam.* 15. *v.* 5. והיה בקרב־איש להשתחות־לו ושלח את־ידו והחזיק־לו ונשק־לו: hoc eſt, *& eveniebat ut ſi quis adpropinquaret ad eum, ad ſe incurvandum coram eo, mittebat is manum ſuam & apprehendebat eum, & oſculabatur eum; Scilicet agebat id, non ut favorem & clementiam ſubditis exhiberet, non ut accedentes ſalutaret, ſed ut blando hoc melle eos ineſcaret*, atque abjectâ iſtâ ſubmiſſione imperandi pruritum diſſimularet; cui etiam ſucceſſus non defuerunt, mox enim verſu ſexto ſubjungit ſacer Hiſtoricus: ויגנב אבשלום את־לב אנשי ישראל: *& furatus eſt Abſolon cor virorum Iſrael*. O vitulentam vulpem! O plebis corruptorem! *Guilielmus Eſtius ad cap. 15. poſter. Regum*: ſignificantius hoc in Hebræo dicitur: *Et furatus eſt Abſolon cor virorum Iſrael*: quaſi dicat, hujusmodi dolis & artibus inibat gratiam apud Iſraelitas, & animas eorum ſibi conciliabat. Quibus verò artibus id facere conatus, præcedentia declarant ut legitur, benignè ac blandè ſuſcepiſſe omnes, quibus erat negotium in aula Regis, deindè ſimulâſſe, quod doleret cauſas eorum alioqui juſtas & bonas negligenter tractari, quaſi non eſſet quisquam à Rege conſtitutus ad eas cogno-

ſcendas. Quod apparet omninò fuiſſe mendacium, nam & ipſe Rex ſuperiori capite per ſe audivit querelam mulieris Thecuitæ. Ac tum denique Abſolon ſpecie boni publici regni mentionem injicit, dicens: quis me conſtituit Judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium & juſtè judicem. Addit Scriptura: ſed & cum accederet ad eum homo, ut ſalutaret, extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eam. *En pulchrè nobis in Abſolone depingitur ingenium hominis adſpirantis ad principatum aut magnas dignitates.* Hoc enim primum eſt, ut venetur corda plebis ſimulatâ humanitate, & hoc tum promiſſa libertate, tum etiam culpando negligentiam, vel iniquitatem & tyrannidem legitimi Principis. *Hæc ille.* Uti ſerpens tempore hyemis in cavernis abditus nemini quidem noxius eſt, venenum autem non deponit, ſed ſaltem aliquamdiu torpet. Sic Abſolon animus nocendi nunquam defuit, ſed facultas, quam cum meliori fortunâ adjutus nactus eſſet, omnibus qualis eſſet, palam monſtravit. Optimè *Seneca Epiſtola 42.* Multorum quia imbecillia ſunt, latent vitia, non minus auſura, cum illis vires ſuæ placuerint, quam illa quæ jam feliciter aperuit, inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tutò ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore; non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria, ut paria peſſimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle eos cognoſces, ea poſſe, quantum poſſunt.

§. X. Verum enim verò neſcio an non nocentius & deteſtandum magis fuerit iſtud alterum, quod non ita multo poſt contigiſſe eadem ſacra hiſtoria teſtatur, videlicet Joabi oſculum, de quo verba θεόπνευστα ſic habent 2 *Sam. 20. v. 9. ſeqq.* ויאמר יואב לעמשא השלום אתה אחי ותתן יד־ימין יואב בזקן עמשא לנשק־לו : ועמשא לא־נשמר בחרב אשר ביד יואב ויכהו &c.

hoc eſt, *dixitque Ioab ad Amaſam: Num pax, tu mi frater? & tenuit manus dextera Ioab barbam Amaſæ ad dandum oſculum ei. Et Amaſa non obſervavit ſe in gladio, qui in manu Ioab, & percuſſit eum &c. Ioſephus Antiquitat. Iudaic. Lib. 7. cap.* 10. his verbis cædem Amaſæ

Amasæ describit: Joabus thorace munitus, accinctusque gladio accedente ad complectendum Amasam de industria gladium sibi è vagina elabi passus est, eoque mox â terra sublato, & altera manu barbâ Amasæ ceu deosculandi causa prehensâ, improviso ictu ei ventrem perfodit, hominemque confecit. Scilicet deterrimus impostor summo sinceri amoris signo obvelat sic pectus invidiæ veneno omnes fibras repletum, ut ingeminari non immeritò possit illud *Seneca*: Malus ubi simulat se bonum, pessimus est. Personatis inimicis nulli pejores, fronte hilari sunt, corde tristi. Improbandi utique, qui communiter quidem nobiscum agere student, colore verò & oculis & occulto vel capitis, vel superciliorum nutu, vel manuum pulsu calumniosè circumveniunt. Verba sunt *Iustini Philosophi & Martyris in Epistolâ ad Zenam & Serenum.* Neque fatente *Gregorio*, ulla res adeo bonum exterminat, atque simulatio, celatur sub boni specie malum, dum cognoscitur, non cavetur. Optimè Joabus cum serpentibus conferri potest. Serpentes bifidam habent linguam tripartitamque adeo, duabus enim divisionibus in continuo quovis tres partes resultant. Duplicata est illis lingua duplici ictui apta, locutioni inepta, *Aristot.Lib.2.de partibus animalium cap.*17. Sic Joabus & omnis peccator probatur in duplici lingua, in serpente, in Dæmone, in simulatione & fraude. Est duplex divisione, etsi resultet triplex segmentum, divisione enim à se, & ab alio, est & divisio à Deo. Nam dividitur à se qui mentitur & fraudulenter agit, & à proximo, quia in se tendit, & à Deo, nam ipse est veritas ipsa, juxta testimonium *Iohannis cap.14.* Cor Serpentinum circa guttur est, quasi ad fauces more serpentum Joab cum omnibus simulatoribus habet, imo cor ejus divisum est, aliud enim ad Amasam loquebatur, aliud sentiebat, quod Deus detestatur de talibus dicens: *cor eorum divisum est, nunc interibunt. Oseæ* 12. Et *Ecclesiast.*12. *Ne sis incredibilis timore domini, & ne accesseris ad illum duplici corde.* Vide *Iohannis Busthamantini de animalibus Scripturæ Sacræ Lib.*1.*cap.* 4. Quæri hic solet, quomodo gladius Joabi ad occidendum Amasam fuerit dispositus? Quidam existimant quod Joab Amasam

occisurus inter osculandum gladium habuerit, levi motu è vagina egredientem, & ita per se Amasam percutientem. Hoc videtur indicare litera textus dicens: qui fabrefactus levi motu poterat egredi & percutere, id est, ipse gladius egredi poterat & per se transfigere. Alii volunt, quod gladius facile in terram prolapsus sit, quando Joab vellet osculari Amasam, ideoque Joab gladium coram Amasa manu elevatum tenuerit, & tunc Amasam nihil mali suspicantem, quod nempe se vellet gladio transfodere, deosculans interfecerit. Hoc tenent Ebræi juxta textum authenticum, in quo extat: *Ioab erat cinctus & vestitus veste sua, & super eum erat accinctus ensis conjunctus super lumbos suos in vagina, & ipse exiit & cecidit.* Quâ sententiâ retentâ, priori tanquam ineptæ repudium damus. Quî enim gladius nullo movente elabens homines feriret? Cur non potius in terram caderet? Sed concesso, etiam cadentem tetigisse Amasam, num statim propterea percussio sequetur? Minimè gentium. Nam aut capulus gladii aut cuspis conversus fuit ad Amasam. Si capulus, frustrà tetigisset Amasam sine vitæ discrimine, procidens nempe in terram. Sin cuspis fuit contra Amasam versus & capulus retrorsum, sane cadere debuit citra Joab absque ullius læsione. Patet ergo, gladium per se non exiisse, sed à Joabo frivolè esse arreptum, ut propositum sibi scelus perpetrare posset. Fusius hæc persequitur *Tostatus Abulensis in 2. Reg. quæst. 16.*

§. XI. Unicum adhuc circa præsens indagandum restat, quare scilicet Joab Amasæ barbam sive mentum tenuerit? Quod oppidò obscurum videtur: *Abulensis loco dicto* censet, hoc ideo factum, ne Amasa aufugeret. Admodum frigidè. Existimo hunc gestum antiquitatis quidpiam involvere. Antiquis quippe familiare erat in supplicationibus mentum alterius attingere, ceu in *Dissertatione XI, §. 13.* supra monuimus. Quid si idem inter amicos obtinuisse asseramus? Certè favet nobis *Caspar Sanctius in Commentar. ad 2. Reg. cap. 20. pag. 815.* Calculum suum adjiciens: id usitatum Hebræis, ut sicut se mutuis excipiebant osculis, neque id putabatur indecorum aut inurbanum, sive etiam ut genas tangerent,

gerent, aut barbam illorum, quorum se profitebantur amicos familiaresque. Hoc verò tam aberat olim, ut censeretur rusticum & fatuum, ut potius, qui contrà faceret, parum videretur officiosus & urbanus. Ut autem virorum etiam Principes supplices aut etiam venerabundi mentum attingebant, sic fœminarum nobilium, quales sunt Heroides aut Reginæ, tangebant genas. Quod fecit Ulysses cum deprehensus est simulato habitu à Trojana Regina. Illud docuit *Euripides in Hecubâ*, quam his verbis cum Ulysse agentem inducit: ἥψω τῆς γεραῖας προσπιτνῶν παρῆιδος. *Tetigisti supplex hanc anilem genam.* Quod etiam cum Ulysse mutatâ jam fortunâ fecisset eadem, si Ulysses permisisset. Nam cum dixisset, supplex *anilem hanc genam contigisti*, addit idem, omnino *supplex* factura: *Nunc hac vicissim prona contingo* tui: & paulò post de eodem queritur Polyxena supplex: *Video Te Vlysse ora vertentem retrò tetigisse malam, ne mihi sit fas tuam.* Eandem ego reor consuetudinem fuisse inter Ebræos, cum occurrerent illi, quibus cum sanguinis erat, aut animorum aliqua conjunctio. *Hactenus ille.* Erant hæc duo oscula hypocritica graviter noxia, sed ita tamen ut unum gradu malitiæ alterum antecellere videatur. Utrumque & hoc ævo in aulis præcipuè adhuc usurpari observes. Quot enim inveniuntur qui aliorum manus osculantur, quas tamen amputatas esse optant? Aulæ plerumque comicâ facie agunt tragædias, & ore aliud loquuntur, tacitoque aliud sub pectore claudunt. Maxima pars aulicorum coràm blandiuntur, clam verò si occasio est, frigidam suffundunt. Ut non immeritò cum *Iohanne Iacobo Boissardo* exclamandum sit:

Risit Jupiter divitum furores,
Et deliria Principum, deditque
Loquaces Simiasque Psittacosque
Turbam blandiloquentium Gnathonum,
Qui muscæ vocitantur ad patellas,
His primum studium est ciere risum
Ex re qualibet, & leves cachinnos
Movere, & recitatione ficti

Lon-

Longas Nobilium excitare laudes.
Nôrunt Scommatibus placere salsis,
Et mordacitus irritare dictis,
Si quem simplicioribus notârint
Vitæ moribus esse, & institutis.
Aptant denique punctum ad omne frontem,
Personas sibi congruente naso
Concinnant, sinuosa semper auræ
Dantes Carbasa non nisi secundæ.

§. XII. Coronidis loco ex amœnioris eruditionis thesauro pro graviorum cogitationum condimento quidpiam huic loco conveniens adjicere libet. Hypocritas pulchrè suis coloribus vestit *Adrianus Ambrosius in Libro symbolorum*, depingens hominem personatum, quem alter ex adverso ridet & sugillat, ut hominem cautè fucos facientem assumptâ facie peregrinâ. Tabellæ voces istæ sunt adjectæ: VERA LATENT. DA VERUM CERNERE LUMEN. Id est, o homo abdite ementitâ specie, teipsum prode, qualem effinxere mores tui, alioquin suspicabor aliquod inesse malum his tuis involucris, quibus ut laqueis animus est tibi imprudentes homines irretire, captando eorum suffragia ut immeritis gaudeas honoribus, quibus adeptis naturam repetas vitiis indecoram. Itaque Hypocrita. VERA LATENT. DA VERAM CERNERE LUCEM. Noli virtute fucata facere tibi nomen grande, sed indue animos anhelantes praxin virtutis ingenuæ. Latere quidem potes hominum scientiam, tacitum prætereundo scelus, quod patrâsti; sed tua peccata Deo pervia sunt & aperta, cujus tribunali tu sisteris, ad tartara detrudendus. *Adrianus idem* hominem pingit, qui stultè nubem amplexatur, eam arbitratus esse Deam, hoc titulo inscripto: NIL FICTA JUVABUNT. O Hypocrita faciendo fucos homini ficta virtute, malè tibi consulis. Etenim tantum abest ut prodesse queat illa tua fictio, quinimò tuam in perniciem hominis usquequaque probi speciem ementiris; Deus ipsi detrahet Larvam. Tunc NIHIL FICTA JUVABUNT.

BUNT. *add. Pier. ex collectan. p.* 118. Veteri Proverbio hypocrita dictus est Δώρειος ἵππος, id est, Græcorum equus *Erasm. Chiliad.* 4. *Centur.* 2. quo delusa Troja fuit adæquata solo, & suorum civium sanguine conspurcata. Esto illi equo ligneo species fuerit mansueta, pietatem afflans, utpote Minervæ donum; tamen noxia hæc machina fœta viris anhelis in necem. Phrygum aptior erat insidiis, quo omnem mali suspicionem ademerat. Ita & hypocrita omnium vitiorum colluvie infamis, leviusculâ virtutum aspergine tingitur, ut illudat, & postea desæviat, si quando fruatur optatis, & conquisita hypocrisis sua præmia nanciscatur. Nihil coactum potest esse diuturnum, sed ultrò suam naturam repetit illud omne, cui vis aliqua indicta est, ut optimè Neronem *Seneca* præmonuit ita fatus: Nemo potest personam fictam diu ferre; ficta in naturam suam citò recidunt; quibus autem Veritas subest, ut ita dicam, quæcunque ex solido enascuntur, in majus meliusque procedunt. *Ille idem* pungens hypocritas, malè eis ominatur, affirmans mansuetos eorum mores acescere, & fieri acerbos, naturali eis insita veritate. Sic ille suum compellat *Lucilium:* Nunquam bonâ fide vitia mansuescunt: tigres, & leones nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, & cum minimè expectaveris, exasperatur torvitas mitigata. *R.P. Marcellinus de Pise, Matisconensis, Prædicator Capucinus Provinciæ Lugdunensis, in morali Encyclopædiâ, Tomo* 3. *pag.* 25. *seq. & tomo* 4. *pag.* 740. *Edit. Lugdunensis in fol. Anno* M DC LVI.

DISSERTATIO XXII. DE PERSONA JUDÆ.

SUMMARIA.

I. *Nomen Iudæ explicatu difficile. Dignitarii à certo numero, in quo locum obtinent, nomen sortiti.* II. *Iudas significat laudatorem vel confessorem. Ab illo Iudæi dicti qui olim Hebræi & Israelitæ.* III.

Judæ cognomen Iscarioth undè? Viri ab urbe cognominati ibidem fuere illustres. Iscara Theophylacti Scripturæ ignota. Vir Carioth de oppido tribus Juda. Nominibus à geminâ consonante incipientibus addita litera I. IV. *Ischarioth vicus in tribu Ephraim ex mente Barradii.* V. *Allusivæ nominis ejusdem derivationes. Libellus Repudii sive exterminii apud Judæos.* VI. *Verisimilior sententia de præmio nomen Iscarioth derivans Scripturæ dictis firmata. Illo innuitur memoria mortis ex sententia Hieronymi.* VII. *Servi apud Romanos ob fugam, furtum, aliaque crimina in fronte certis notis notati. Fugitivorum Epigramma. Navigium Samiis Athenienses, uti Samii victis Atheniensibus noctuam inurebant. Ingratus hospes signatus. Instrumentum & atramentum ad hunc actum. Cauteriata conscientia.*

§.I. SUccedit hypocriticorum osculorum tertium in ordine, ante memorata longo intervallo post se relinquens, ibidemque ex sacris notum, Judæ nimirum, quod quotiescunq; mecum perpendo,

- - - - mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

Hoc quàm dirum, quàm nefarium, quàm profligatæ malitiæ sit, certè vix disertissimus Orator delineet, nedum depingat; nihilo tamen minus ego, etsi tali facundia præditus non sim, cum ei hanc sacraverim opellam, pro virium tenuitate in ipsum solicitius inquiram. Priusquam verò altius in hoc pelago provehar, dum flustra quibus illud temperatum est, & occasio permittunt, personam & nomen JUDÆ, tanquam velamentum nequissimi Impostoris paululum expendam, quo deinceps in atrocissimi flagitii considerationem felicius deducar. Siquidem & hic tritissimum monitum locum habet: initio ὅτι πάντων τῶν ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι, uti *Galenus libro* 1. *de Methodo medendi cap.* 5. docet. Notum equidem proditoris nomen est, non tamen adeò ut in præsenti illud muto palato fastidire possim; cum nonnullis viris ab omni eruditione instructis crucem fixerit. Quæ difficultas diver-

diverſis & inter ſe diſcrepantibus derivandi principiis ortum debet. Quod itaque ad Judam pertinet, ex ſacra dudum innotuit hiſtoriâ, quod ille unus ex numero diſcipulorum Chriſti duodenario fuerit. Ubi obiter ex mente interpretum noto, illos, qui aliquo dignitatis aut officii gradu aucti erant in ſacris literis à certo numero, in quo locum obtinebant, denominationem ſortitos eſſe: id quod ex 2. *Samuelis* 23. perſpicitur, ubi viri primarii Davidis à certo numero ternario vel tricenario appellantur. Hujus tenoris ſunt ſequentia codicis Biblici verba *v. 13.* וירדו שלשים מהשלשים ראש: hoc eſt, *& deſcenderunt tres ex triginta capitibus*. Itemq; *v. 18.* ואבשי אחי יואב בן־צרויה הוא ראש השלשי: *id eſt*, *Abiſai frater Ioabi filius Serujah ipſe caput* (Princeps) trium. Sic Latinè *Triumviri*, *Decemviri* & apud Venetos *Il Conſiglio de Dieci*: Græcè πεντακόσιοι, qui apud Athenienſes de cauſis gravioribus cognoſcebant, ut etiamnum hodiè inter Genevenſes *les deuxcents*. *Cameron Tomo 6. Criticorum ſacrorum Londini editorum pag. 779.* Eodem loquendi modo Judas dicitur unus ex duodecim diſcipulis Chriſti fuiſſe, quemadmodum *Matthaus cap. 25. v. 14.* innuit, dicens: τότε πορευθεὶς εἷς τῶν δώδεκα ὁ λεγόμενος Ἰούδας Ἰσκαριώτης πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς, quem reliqui Evangeliſtæ omnes ſequuntur, *Marci* 14. *v. 10. Luca 22. v. 3. Iohan.* 13. *v.* 21. apud quos expreſſè legitur: εἷς τῶν δώδεκα, vel ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα. Vide *Angelum de Pas*, *in Evangel. Marci Lib. 12. cap.* 10. *pag. 659. Editionis Romanæ, in fol. Anno* M DC XXIII. *per Lucam VVadingum & Antonium Hiquæum.*

§. II. Vox verò *Iudas* origine eſt Hebræa, impoſita quondam filio Patriarchæ Jacobi, & *laudatorem ſive confeſſorem notat*, juxta *Cyrillum Alexandrinum in Collectaneis Tomo* 1. *pag. 732. Bernhardum Sermone 7. ſuper Cantica Tomo 1. Oper. Col. 750. Sermon. 1. in vigilia Natalis Domini Tomo 1. col. 48. Andream Archiepiſcopum Cæſariæ, comment. in Apocalypſin T. 1. Bb. Pp. Serm. 7.* deſcendit â radice ידה manavit, emanavit, & activè emanare fecit, id eſt, emiſit, ejecit. In Hiphil accipitur pro

confiteri, ſive celebrare, cum quo fermè affinitatem habet יָדָה e-miſit, & Græcum δίω, expello rem dimanantem, item ἀείδω, ᾄδω, id eſt, cano liberâ voce, quoniam canendo gloria Dei quaſi propellitur, ut ad alios dimanet. Inde Judas vi vocis eſt *filius celebrationis*, quoniam illius mater à partu ejus Deum celebravit, ceu textus authēticus indicat Geneſ. 29. v. 35. ויאמר הפעם אודה את־יהוה על־כן קראה שמו יהודה id eſt, *Et dixit* (mater) *hac vice laudabo Dominum: (confitebor Domino) Idcircò vocavit nomen ejus Iehudah.* Quod annotante *Buxtorfio in Lexico Hebraico minori*, poſt ſciſſuram tribuum, quæ antea Hebræi & Iſraelitæ dicebantur, ſoli tribui Judæ impoſitum eſt, & quia tribus Benjamin ipſi poſtea adjuncta, una regnum Judaicum conſtituit, inde & Benjamitæ Judæi dicti fuerunt, ut Mardochæus Benjamita vocatur vir Judæus, *Eſther* 2. *v.* 5. Tandem in univerſos reſiduos nomen traductum, qui omnes vocantur Judæi; impoſitum & terræ fuit, quam tribus Jehudæ occupavit. Hanc denominationem Iſcariotes antea quidem tuebatur, cum munere Apoſtolico defungens Evangelium propagaret; poſtmodum autem degener & perjurus factus nonniſi κατ' ἀντίφρασιν, ſive λεγομένως ſaltem ſervabat. Unus igitur fuit, ex duodecim Diſcipulis Chriſti numero, non merito, unus corpore non animo, nomine non Numine. *Hieronymus in cap.* 14. *Marci*. Avarorum primipilus, inſtitorum peſſimus ſacrilegorum perditiſſimus, ut eum *Faber Stapulenſis in cap.* 26. *Matthæi* appellat.

§. III. Cognomen ipſius eſt *ſimonis* (à patre ita erat cognominatus) *Iſcarioth, vel Iſcariotes*, ut ab altero illo Judâ, qui *Iacobi*, & *Thaddæus* ac *Lebbæus* dicitur, *Matth.* 10. 3. *Marci* 3. *v.* 17. *Lucæ* 6. *v.* 16. & ſimiliter in Catalogum Apoſtolorum relatus erat, diſcerneretur. *Eraſmus Roterodamus ad cap.* 10. *Matthæi v.* 2. *Tomo* 6. *Criticorum Sacrorum, pag.* 301. Judæ, *inquit*, Proditori Dominus addidit cognomen, ſive ut diſcerneret à Juda Jacobi fratre, qui idē Thaddæus ac Lebbæus dictus eſt, ut ſit trinominis, ſive ut ex cognomine ſignificaret eum ei facinori natum, quod *Iſachar* יששכר Hebræis ſonat *mercedem*, atque à tribu unde fuit oriundus nomen ſortitus videtur. Quanquam non deſunt, qui à viculo cognomen deductum

ctum malint. Nec est *Scariotes*, quemadmodum habent codices, sed *Iscariotes*. Nam idem facimus Latini cognomento Judæ, quod Græci Scriptores Ecclesiastici faciunt Hispaniæ, Σπανίαν pronunciantes, cum teste *Plinio* terra sit insigni fertilitate. Opinor id à Prænestinis natum, quibus ut ait *Plautus*, Conia est Ciconia. Apud Chrysostomum Iscariotes legitur. Similiter *Hieronymus* nomen istud illum accepisse existimat, vel à viro, vel ab urbe, in quâ natus est, קריות Carioth, in tribu Judæ, cujus mentio fit in libro *Iosua cap. 15. v. 25. Ierem. 48. v. 23. Amos 2. v. 2.* ut dicatur quasi איש קריות vir Karioth, ein Kariothiter. Tradunt enim Rabbini, viros illos qui vocantur de nominibus urbis suæ, insignes fuisse in illâ. Quæ Etymologia & scriptioni nominis Ischarioth conformis est, & *Cyrillo in cap. Esaiæ 28. Angelo Caninio & Drusio* arridet. *Theophylactus in caput 26. Matthæi* oppidum illud Iscara vocat, cujus tamen nullum in S. Scriptura vestigium exstat. Objiciunt autem alii, si cognomentum istud ab urbe derivandum sit, tum non Iscariotem, sed Cariotem dicendum esse. Illis à quibusdam respondetur Iscariothem sonare quasi virum Carioth, quorum sententiæ calculum suum *Drusius* & *Sibelius Tom. 3. Conc. 3. in Passion. Christi pag. 42.* adjiciunt. Ita verò *Drusius in Matthæi cap. 10. Critic. Tomo 6. pag. 311.* loquitur: Si verum est, quod *Caninius* conjicit, & quod Salmanticensis annotat, fuit celebris in sua urbe, ideò nominatur Iscarioth איש קריות *vir Carioth*, aut *Cariothites*. Nam qui sic vocantur, noti & insignes erant in locis illis. *Iuch. 51. 2.* Viri illi qui vocantur de nominibus terræ suæ insignès & noti erant in illo loco. Ut *vir Sereda, Vir Ierusalem, Vir Caphar Hanna*. Similiter ego in modum Exempli eram in regno Hispaniæ & reliquis regnis Christianorum, cum exivissent libri mei de Astrologiâ, dicebant *R. Abrabam Sachut vir Salamanca*, id est, Salamanticensis. Sic *Antigonus vir Socho*, id est, *Sochæus*. Est autem *Cerioth* sive *Carioth oppidum tribus Iuda, Ios. 15. 25.* Sed אישקריות diceretur potius καριώτης ut ישראל איש Ἰσραηλίτης. Quod idem cum illo מן קריות ἀπὸ καριώθ. Minus se probat mihi ἀπὸ καριώτου, quod apud Johannem in libro pervetusto. Legitur etiam in antiquis codicibus Σκαριώθης, non solum

lum in hoc Evangelista, sed etiam in Marco & Luca. Cui firmando *Origenes* περὶ ἀρχῶν *Lib. 3. cap. 3.* ubi legimus; in Cor Judæ Scariotis. Sed & *Hieronymus Lib. 9. Commentar super Iesaiam*: propter Judam, qui de tribu Ephraim, & de vico ejusdem tribus Scarioth, Dominum pretio vendidit. Secutus autem sum fidem exemplaris MS. Nam in editis vulgò Iscarioth, quod nullo modo se probat mihi. Si in mente habuit Carioth, mirum cur dicat de vico ejusdem tribus. Nam Carioth ad tribum Judæ pertinebat, ut diximus, reliqua excusari possunt. Scarioth pro Carioth, ex Dialecto Syriacâ, ut מקבל dicimus pro קבל caligo, & מגרגר granum, id est גרגר, & מגלגל rotundus pro גלגל. Scarioth, Scariothes & præposito Jota Ischkariothes. Solitum enim iis nominibus, quæ à gemina consonante incipiunt addi litera I. ut ἰσπαρία pro σπαρία. Sic Turcæ hodie ex *Scopia* faciunt *Iscopia*, quod & *Vsopia* per U Gallicum. Sic pro *Scendere* dicunt *Iscender*; & pro *Scodra Iscodra*. Vide *Pandectas Leunclavii num.* 169. Sic Galli ex *scribere* fecerunt *escrire*, ex *Schola escole* &c.

§. IV. Huc accedit quoque Theodori *Bezæ* testimonium ad *caput Matth.* 10. *v.* 4. ita sonans: recepta est hæc lectio, nec dubito, quin verum, quod *Caninius* felicissimè conjecit, hoc nimirum esse, quod Ebræis *vir Kerioth*, id est, *Keriothites*, ab urbe sic dictâ in tribu Juda, sicut Idiomate Gallico dicimus *Infant de Paris*, de eo, qui sit Parisiensis. Meus iste vetustissimus codex planè admirabilis, in hoc nostro Evangelistâ itemque *Marco & Luca* scriptum habet σκαριώθης absque Jota, corrupta facilè voce Hebræâ, à Græcis illius ignaris, quod accidisse videmus in aliis vocabulis, ut in *Boanerges, Golgatha, Belzebub.* Hinc factum, ut Syrus etiam interpres Græcam corruptam vocem vertens scripserit סכריוטא *Secariuta*, per Samech, Caph & Theth, pro Sin, Caph & Tau affinibus literis. Sed veram lectionem & *Caninii* sententiam idem meus codex apertissimè confirmat ubique apud Johannem (quinque nimirum locis) Scriptum habens, ἀπὸ καριώτου, in Græcis, & Latinè à Carioto, id est, *Cariotensis.* At verò novam movet litem Iesuita *Barradius, Tom. 2. Lib. 6. cap. 14. Concord. Evang. pag.* 400. Quod hoc loco איש viri significationem non sustineat, & proprius ad scopum sibi

ſibi collineare videtur, ſi illorum ſequatur partes, qui Judam ex vico ISCARIOTH in tribu Ephraim ſito oriundum eſſe affirmant, Crediderim, *inquit*, dici Iſcariothem ab oppido Iſcarioth, quod in tribu fuit Ephraim, *Hieronymo* auctore, *Eſaia* 28. quo loco Judam à tribu Ephraim ducere originem arbitratur. Quod ſi velis ex oppido tribus Judæ Carioth oriundum fuiſſe, putârim oppidum tempore Chriſti non Carioth, ſed Iſcarioth nominatum, unde nomen Iſcariotes deductum ſit.

§.V. Alii alias derivationes non invitâ prorſus Deliâ venari ſibi viſi ſunt, in adductis nondum adquieſcentes. *Origenes Tractatu* 35. *in Matthæum*, auctor eſt, ſe audiviſſe quendam exponentem patriam Proditoris Judæ ſecundum interpretationem Hebraicam, & ſuffocatum dici, à radice סכר quandoquidem Judas deſperatione ad reſtim adactus, ex ſeipſo, ut cum Plauto loquar, *literam longam fecit*. Quæ explicandi ratio è Syriaco profluxit, & *Tremellium ac Franciſcum Iunium Critici* Synedrii Senatores patronos habet. Nam in Syriaco, ut *Tremellius in annotat. Biblicis* monet, ſcribitur per Samech, non per Schin, ac ſi derivetur à radice סכר, id eſt *ſtrangulavit*. Verum hæc ratio infirmo nititur tibicine, quia Syris Samech pro Schín uſurpare, non eſt adeò infrequens, ac proinde contrarium fortaſſis obtinet, quod סכר pro שכר poſitum ſit. Nec deſunt, qui vocem *Iſcarioth* formatam eſſe putant ex איש & כרות quod eſt abſciſſio, exterminium, undè libellus repudii, quem 70. Interpretes vocant Βιβλίον ἀποςασίυ, appellationem accepit סכרכרות ut Iſcarioth idem ſonet ac vir abſciſſionis, quoniam turpi ſua defectione ſeipſum per proditionem & ſubſecutam pænam à Chriſto abſcidit. Quæ tamen Etymologia alluſiva potius eſt, quam genuina. Ad hunc etiam cenſum ferè illa referenda eſt, quæ Iſcariothen à *Secariuth*, hoc eſt, geſtante marſupium deſcendere tradit, eò quod Judas communis ærarii inter diſcipulos Chriſti quæſtor & præfectus fuerit. Videatur *Franciſcus Iunius in Commentar. ſuper Iud. Apoſt. Tom. 1. Oper. p.* 1269. citante *Georgio Paſore in Lexici Græci appendice*. Itemq; *D. Balthaſar Bebelius in Eccleſiâ Evangelicâ & Iudaica, Articulo* 2. *Sect.* 4. §. 29. *pag.* 203.

§.VI.

§. VI. Plures Judiciosi atque eruditi homines *Iſcarioth* ab Ebræo שכר præmium, manâſſe exiſtimant, adeoque cognomentum iſtud Judæ hæſiſſe, poſt peractam demum proditionem. Germanicè Iſcarioth poſſet exprimi **ein Schacherer /** quod in hominem tenacem, & ad rem faciendam nimis anxiè attentum jactari ſolet. Quo ex nomine, ſi Judas ante proditionis facinus eo inſignitus fuit, non leve profectò aut inane augurium malitiæ animo ipſius inſidentis, & deinceps in effectum deducendæ elici poteſt. Accedit, quod & in S. literis iſta ſententia fundamentum habeat, *Zacharia* 11. *v.* 12. *Act.* 1. 18. 25. ubi Petrus ad hanc ſignificationem non obſcurè alludit. Coronidis loco *Hieronymi* explicationem, quo omnia uno faſciculo conſtringam, addo. Hæc vox *inquit, in lib. de nomin. Ebraic.* ſignificat memoriale Dei, quod ſi ita eam legere velimus, ut quidam legunt Iſacarioth, ſignificatur ea voce *merces*, qua Judas vendidit Chriſtum. Poteſt etiam ſignificari eo nomine *memoria mortis*, nec ſanè fieri poteſt, quin cum vel audimus, vel ipſi recordamur nomen Judæ, non ſimul etiam animum noſtrum ſubeat recordatio paſſionis & mortis Chriſti. Conf. S. *Bonaventura, Tomo 2. Oper. in cap. 6. Lucæ pag. 74. & Lyranus ad cap. 3. Marci, columna* 516. *Tomo* 5. *Bibliorum cum Gloſſâ ordinaria.* Quocunque autem modô tandem hæc vox accipiatur, ſingularia certè præſagia finem Judæ peſſimum portendentia conſideranti illicò occurrunt, ut plane de nihilo non ſit pervulgatum illud:

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

§. VII. Denique non intempeſtivè hic incidit, Servos Romanorum aliquo ſigno, ut hodie equi, boves & alia animalia ſolent, inuſtos, & præcipuè ob fugam, furtum, aliave delicta, frontem apud veteres notatos fuiſſe, uti ex *Auſonii Epigrammate* 15. De Pergamo Scriptore fugitivo colligitur:

Tam ſegnis Scriptor, quam lentus Pergame, curſor,
Fugiſti & primo captus es in ſtudio.
Ergò notas ſcripto tolerâſti, Pergame, vultu,
Et quas neglexit dextera frons patitur.

Hæ

Hæ nimirum notæ sunt quarum *Vlpianus L.1.§.8.ff. de Fugitivis* meminit, earumq; verbo etiam *cicatrices* cõtineri respondit. De quibus item *Cajus Lib. 1. Tit. 3.* loquitur *in Institutis.* Dedititii, qui post admissa crimina suppliciis subditi, & publicè pro criminibus cæsi sunt, aut in quorum facie quæcunq; indicia aut igne aut ferrô impressa sunt, ut deleri non possint. *Petronius Arbiter in Satyrico:* Hic continuò rodat utriusq; non solum capita, sed etiam supercilia : sequar ego, frontes notans inscriptione solerti, ut videamini *stigmate* esse *puncti.* Et ibidem rursum : Triphæna lacrymas effudit, decepta supplicio; *vera* enim *stigmata* credebat *captivorum frontibus impressa*, sciscitariq; summissius cœpit, quod ergastulum intercepisset errantes, aut cujus tam crudeles manus in hoc supplicium durâssent. *Valerius Maximus Lib.6. cap.8. externo 7.* Servus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpiabiliq; literarum notâ per summam oris contumeliam inustus. Quid literæ illæ continerent, idem Arbiter omnis elegantiæ in *Satyrico* indigitat : Implevit Eumolpus frontem utriusq; ingentibus literis & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberâ manu duxit. Verè totam faciem : inscriptæ enim ritu solemni literæ, imò & verba toti vultui, quæ causam crimenq; ostenderent compunctionis. Epigramma illud erat P F. juxta *Franciscum Pithœum*, in *Collectaneis ad Petronium.* Horsum trahenda sunt illa *Senecæ Libro 3. de Ira cap.3.* Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, & bestiarum immanium caveæ. Athenienses victis Samiis inusserunt frontem σαμαίνᾳ, quod navigii à Samiis inventi genus : contra Samii victis Atheniensibus frontem signaverunt noctuâ. *Vid. Plutarch. in Pericle, Aelian. Lib.2. Var. Hist. C.9.* De ingrato hospite literis signato notabile exemplum *Seneca Libro 4. de Beneficiis, cap.21.* exhibet. Instrumentum huic actui aptum fuit ferrum ignitum, & infusum atramentum, encaustum, ut esset scriptura indelebilis. *Iuvenalis Sat.14.v.22.*

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Servum intelligit, qui ob furtum duûm linteorum frontem inustus. Hinc servi audiebant *stigmatici*, *inscripti*. *Martialis Lib.* 8. *Epigramm.* 75.

Quatuor inscripti portabunt vile cadaver.

Plautus *literatos* vocat in Casinâ: Si hic literatus me sinat. Martialis Lib. 3. Epigramm. 21. *fronte notatos.*

Proscriptum famulus servavit *fronte notatus.*

Appulejus Lib. 9. de Aureo Asino: fronte litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati. *In Guntheri Ligurino Lib.* 7. *v.* 285. Lex Castrensis Friderici Imperatoris ita sonat:

Servus deprensi convictus crimine furti,
Si fur ante fuit, probrosâ morte peribit.
Sin minus, abraso signatus vertice frontem
Verbera dura feret, castrisque fugatus abibit.

Plura in hanc rem petere poteris ex *Lipsio*, *Elector. Libro* 1. *cap.* 15. *Iacobo Cujacio*, *Observation. Lib.* 7. *cap.* 13. *Tomo* 5. *Operum. pag.* 140. *Barnaba Brissonio de Formulis Veter. Lib.* 8. *Laurentio Ramirez de Prado*, *Hispano Hypomnemat. ad Martial. Lib.* 2. *Epigramm.* 29. *num.* 5. *Columella in Hortulo*, *Annalibus Zonaræ Lib.* 3. *Colvio aliisque Appuleji Interpretibus*, *Petro Daniele*, *Iano Dousa*, *P. Iohanne Wowerio*, *Georgio Erhardo super Petronium*, *Godescalco Stewechio*, *Comment. ad Lib.* 11. *Flavi Vegetii Renati de re militari, cap.* 5. *& Francisco Connano comment. secund. Iuris Civilis*, *Baronio in Martyrolog. ad d.* 22. *Decembris*, *Plinio Lib.* 18. *Hist. Nat. cap.* 3. *Tito Popma de Oper. Servor. verbo, Literatum.* *Salmuth ad Pancirolli nova reperta Tit.* 2. *pag.* 85. *Henel. Otii Vrati Slav. cap.* 16. Ab hoc more Phrasis illa in sacris usitata, *cauteriata conscientia*, fluxit, 1. *Timoth.* 5. *v.* 2. quæ ψευδολόγοις, furibus, fugitivis, aptè convenit, illis, ut ut fronte se pingant, & hypocrisi stigmata sua obvelare cupiant, ut Stigmatias ille apud *Diphilum*, comam se Deo simulans nutrire alicui, *Athenæi Lib.* 6. *Dipnosophist.* post Principium *pag.* 167. Inexpiabilem tamen notam in pectore circumferunt, αὐτοκατάκριτοι, quos devitandos monet, participari enim stigmata delictorum quasi ex contagione, si quis se cum peccatore miscuerit, *Tertullian*

lian, adversus Marcionem Lib.4.cap.9. Qualem conscientiam cum habuerit perditissimus Judas, pessimæ notæ homini cippuem rigo, acalienis quidem verbis *(vid. Masenii argutiar. part. 1. pag. 136.)* minimè tamen â vitâ ejus alienis, in æternaturum dedecus consigno:

INFAME NOMEN, IMPROBUM, EXSECRANDUMQUE,
JSCHARIOTHÆ, NOMEN ULTIMO DIGNUM
SICARIORUM, CÆDE QUI CRUENTAVIT
MANUM PATERNA, CONJUGEMQUE NATUMQUE
CONJUNXIT UNO PARRICIDA SPELÆO.
O NOMEN ATROX! QUALE NULLA NEC STRIGUM,
SED NEC LUPORUM AUT BUSTUATIUS CORVUS,
AUT BUBO FUNESTUS FERAT PARENTATOR.
CRUDELE NOMEN! QUALE NULLA DIRARUM
ERYNNIONQUE NULLA, CERBERUS NULLUS
CHARONQUE, QUAMVIS PORTITOR STYGIS PORTET.
TAM NOMEN ATROX, INFAME, ATQUE CRUDELE,
ISCHARIOTHÆ, VICIT IPSE POSSESSOR
CRUDELIORQUE, INFAMIORQUE ATROX JUDAS,

QUI CUM MAGISTRO, MACHINATOR INFIDUS
VIRTUTEM, ET OMNE PERDIDIT
BONUM NOMEN.

DISSERTATIO XXIII.

De

OSCULO JUDÆ SECUNDUM CIRCUMSTANTIAS HISTORIÆ EVangelicæ.

Summaria.

I. *Aureus Asinus omnem munitionem expugnat. Pictura de auri efficacia. Pro laqueo thesaurus & pro thesauro laqueus. Diaboli laqueus divitiæ.* II. *Factum Judæ ab Evangelistis harmonicè descriptum.* III. *Alabastrum & Alabaster genus pretiosi marmoris vasis unguentariis inserviens. Locus ejusdem natalis. Vas mulieris Dominum ungentis fortè ex vitro vel alia fragili materia. Nardus quid, ubi & cui usui.* IV. *Occasio proditionis unctio fuit. Judas fuit uxoratus.* V. *Judas fur & fraudator. Numerus trigesimus vulgo infaustus.* VI. *Judas vindictâ occæcatus. Philargyria vilis est omnis affectio. Proditio biduo ante Pascha facta. In memoriam venditionis Christi Ecclesia feria quarta olim jejunabat.* VII. *Judas malo animo Dominum osculatur, ideò veteres Christiani tempore passionis Dominicæ ab osculis sibi temperabant. Beneficia à Christo in Judam collata. Mos osculandi pedes subjectorum quos Domini lavant.* VIII. *Quo tempore Judas Christum osculatus sit, disquisitum. Ave Rabbi ex Hebræo Latinum factum. Havo, Hano, Handoni, Punica vocabula.* IX. *Cur Judas osculum elegerit? Pannus Duacenus & Crystallus Lusitana Christum variè repræsentare dicitur; cum tamen in carne versans corporis assumpti formam semper retinuerit.* X. *Jacobus Minor Christum exactè facie repræsentavit.* XI. *Judas Ioabo similis. Christus ex mente Moralistarum certis peccatis expiandis osculum Judæ suscepisse*

cepisse traditur. XII. *Potissimum ob duplicem causam Dominus osculantem toleravit.* XIII. *Christus proditorem arguens nomen ejus præmittit.* XIV. *ἑταῖρος, amicus vel socius gemino sensu usurpatur. Iuda nomen illud per contrarium tributum.* XV. *Propositio : Ad quid venisti ? num enunciativè vel interrogativè legenda ? Ad Iudæ conversionem est directa. Anima confitendo peccata purgatur.*

§. I.

SCitum est illud Philippi Regis Macedonum dictum : scilicet expugnabilem esse omnem munitionem, in quam aureus asinus introduci potest, teste *Plutarcho in Apophthegmat. Tomo* II. *pag.* 187. Cui aliud argutum apophthegma affine est. Muros nempe ferreos concuti & solo æquari posse, quandò aureo pugno pulsentur. Quæ locutiones Symbolicæ vim auri maleficam insinuant, ad pervertendum animos, eos ad perfidiam inducendo. Eò tendit illa apud Poëtas passim decantata Jovis transformatio, quandò specie aurei imbris Danaën corruptam turpiter imprægnavit. Unde symbolum effictum est auri perniciem declarans. Picta extat in tabula elegans mulier guttulis aureis conspersa, hâc additâ epigraphe : FRANGIT MARMOREOS AUREA GUTTA SINUS. Id est, nulla prorsus reperitur constantia, quam non frangant opes largiore manu infusæ. Aurum impellere homines in ruinam Diabolus ipse luculenter ostendit ita affatus Christum. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matthæi* 4. Egregiam super hoc argumentum memorat historiam *Ausonius* sequenti tenore : Homo quidam imprudens in terrâ defodit opes suas, juxta arborem, quam præfixerat indicem thesauri sui reconditi. Terre eruta factura locum latibulo, & revoluta in scrobem, suspicionem fossæ fecit homini, qui posterâ die ad arborem illam accesserat, ut ex eâ pendulus imponeret modum angustiis, quas jugis rerum inopia pepererat. Idcircò exploraturus quid illæ recentes glebæ reconderent, has dispersit, altè defodiens, & eo scrutinio incidit in thesaurum, quem indè retulit, ejus loco reponens laqueum, quem suo instanti suspendio dedicârat. Rei ignarus alter, qui suas opes abdiderat, rediens in locum hunc defossum, deprehendit hiante

terrâ thesaurum suum cessisse furi, qui quem merebatur laqueum, in pœnam iniqui facinoris, reliquerat in illo ergastulo: hac jacturâ sui impos effectus, ille luit pœnas imprudentiæ suæ, substituto suis opibus laqueo castigatus. *Ausonius in Epigram. 22. è Græco.*

Thesauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit, & periit.

Idem aliter *XXIII.* ita exprimit:

Qui laqueum collo nectabat, repperit aurum,
Thesauriq; loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptavit collo quem reperit laqueum.

Miserandam illam tragædiam Judas renovavit, qui nimio appetitu pecuniæ factus excors, perduellis effectus est, prodens Christum sicariis, quibus ære parvo eum vendiderat. Sed cum piaculi horrore seipsum ferre nequiret homo nefarius, summam pecuniæ attulit quidem, qua mediante conductus fuerat ad hoc immane nefas. Projectis denariis ingenuè confessus est suũ enorme scelus, sed quia cor humi abdiderat, Diaboli insidiis expositum, loco cordis sui accepit laqueum, quo sui ipsius carnifex suspensus crepuit, ore suo proprio condemnatus. De hoc Diaboli laqueo *S. Bernhardus Serm. 3. in Psalmum, Qui habitat*, sic disserit: Dic nobis, B. Paule, quis sit iste laqueus Diaboli, â quo se fidelis anima liberatam congratulabatur. *Qui volunt*, inquit, *divites fieri in hoc seculo, incidunt in tentationes, & in laqueum Diaboli.* Ergonè laqueus Diaboli divitiæ sunt hujus seculi? quàm paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati, exultent, quàm multos qui dolent, quod parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt ipsi se involvere, & intricare laborant.

§. II. Hucusq; Judæ nomen stylum nostrum occupatum tenuit, nunc age turpissimo cadaveri amiculum detrahamus, quo

omni-

omnium intuentium diris, exsecrationibus, aculeis, jaculisq; impetendum prostet. Transilio igitur properè ad osculum Judæ, quo in describendo quilibet Evangelistarum curiosam solertiam adhibuit, quam & publicùm proferre secundùm singula momenta, quantumvis prolixiora sint, neutiquam dividiæ erit. Facilùs enim, & levato quod ajunt velo, lector totam rem penetrat, quandò omnium verborum pondera uno quasi intuitu apprehendere & considerare licet. *Matthæi* verba *cap. 26. v. 48. 49. 50.* ita sonant: Ὁ δὲ παραδιδοὺς αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς σημεῖον, λέγων: ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι. Κρατήσατε αὐτόν. Καὶ εὐθέως προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ, εἶπε: Χαῖρε Ῥαββί. Καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ: Ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει; τότε προσελθόντες ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν. *Is verò qui prodebat eum, dedit illis signum dicens; Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum dixit; Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitq; illi Iesus: Amice ad quid ades? Tunc accesserunt & manus injecerunt in Iesum, & ceperunt eum. Marcus cap. 14. v. 44. 45. 46.* sic reddit: Δεδώκει δὲ ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν σύσσημον αὐτοῖς λέγων: ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι. Κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς. Καὶ ἐλθὼν, εὐθέως προσελθὼν αὐτῷ λέγει: Ῥαββί, Ῥαββί, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Οἱ δὲ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν. *Dederat autem iis qui prodebat eum commune signum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, is est, comprehendite eum, & abducite cautè. Et cum venisset, protinùs accedebat ad illum, dicitq; ei, Rabbi, Rabbi: ac deosculatus est eum. Illi verò injecerunt in illum manus suas, & comprehendebant eum. Lucas cap. 22. v. 47. 48. 54.* his prosequitur: Ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος ἰδοὺ ὄχλος, καὶ ὁ λεγόμενος Ἰούδας εἷς τῶν δώδεκα προσήρχετο αὐτῶν, καὶ ἤγγισε τῷ Ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτόν. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ἰούδα, φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως; Συλλαβόντες δὲ αὐτὸν ἤγαγον, καὶ εἰσήγαγον αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Ἀρχιερέως. *Adhuc autem eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, unus ex duodecim, antecedebat eos, & appropinquavit Iesu, ut oscularetur eum. Iesus autem dixit illi: Iuda osculo filium hominis prodis? Comprehensum*

sum autem eum duxerunt, & induxerunt in domum Principis Sacerdotum. Nec abludit deniq; ab his Evangelistarum Aquila *Iohannes cap. 18. v. 2. 3.* scribens : ᾔδει δὲ καὶ Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, τὸν τόπον, ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. Ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν, καὶ ἐκ τῶν Ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας, ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὅπλων. *Noverat autem & Iudas, qui prodebat eum, locum, quia frequenter Iesus convenerat illuc cum Discipulis suis. Iudas ergò cum accepisset cohortem, & â Pontificibus ac Phariseis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.*

§. III. In causâ proditionis designandâ pleriq; Interpretum ad SS. Scripturæ scopum collineant, Judam scilicet auri sacra fame, quæ aliquammultos pessumdedit, compulsum, de nefario hoc scelere cogitâsse. Quandoquidem enim Eleemosynis & quæstui eum Dominus præfecerat, indignanter pretiosi olei effusionem ex alabastro super verticem Domini ferebat. Evangelista Matthæus dicit, mulier habebat ἀλάβαστρον μύρου, hoc est, pixidem unguentarium, seu μυροθήκιον. *Callimachus hymno in Pallada* masculino genere utitur:

> Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι μηδ᾽ ἀλαβάστρως,
> οὐ γὰρ Ἀθαναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ.

Et *Cicero Libro* II. *Academic. Quæstion.* Quibus etiam Alabaster plenus unguentis putere videtur. Dicitur Alabastrum παρὰ τὸ οὐ λαβέσθαι ἀδύνατον, quod prehendere propter lævorem est impossibile. Vel διὰ τὸ μὴ λαβὰς ἔχειν, quod ansas non habeat. In utraq; Etymologia est Pleonasmus literæ V. Sic *Erasmus, Hieronymus & Eucherius* Alabastrum scribunt esse genus pretiosi marmoris, & *Plinius Lib. 36. Histor. Natur. cap. 8.* de Onyche loquens, qui est lapis seu gemma colorem habens unguis humani, hunc, inquit, lapidem aliqui Alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè servare incorrupta dicitur. Nascitur circa Thebas Ægyptias & Damasum Syriæ. Hic cæteris candidior. Probatissimus verò in Carmaniâ, mox in Italia. Jam quidem in Syria, Asiaq;. Vilissimus autem & sine ullo nitore in Cappadociâ. Probantur quammaximè mellei coloris, in vertice maculosi

culosi atq; non translucidi. Vitia in eis corneus color aut candidus, & quidquid simile vitro est. Alabastrum *ait Stephanus*, genus vasis Unguentarii, longitudine fastigiata in pleniorem orbem desinens, vel formâ turbinatâ sine ansulis dicitur. Communiter itaq; interpretes dicunt, vas fuisse ex Alabastro lapide. Si autem fuisset ex materiâ solida Alabastri, non tam facilè potuisset confringi, quod *Marcus cap. 14. v. 3.* innuit scribens: *fracto Alabastro effudit (mulier) super caput ejus.* Nonnulli putant prius unguentum effudisse, deinde vas fregisse, cum nihil in eo unguenti reliquum mansisset, quod minimè quidem probari potest: Primò quia Marcus ita loquitur, ut non obscurè indigitet, vas prius fractum ut unguentum melius effunderetur. Secundò ratio ipsa docet, quod mulier propterea vas confregerit, ut copiosius oleum efflueret, nihilq; in vase remaneret. Nam effuso eo jam toto quorsum fregisset pixidem, servâsset utiq; integram ad novi unguenti infusionem. Probabile itaq; est, vas illud ex alia quadam fragili materia fuisse, sed alabastrum propter aliquam analogiam appellatum, vel quia alabastrum unguentaria vasa suppeditabat, ita ut etiamsi ex alia materiâ quandoq; fierent, alabastrum nuncuparentur, aut quia erant sine ansis effabricata, qualia alabastri nomine salutantur. Syrus habet שכיפתא Scatiphata, quæ vox in adducto *Marci capite* 14. occurrit. Cæterum ἀλάβαστρον μύρου hic idem est planè, quod apud *Horatium: Nardi plenus Onyx.* Quod enim hic in genere vocant *Matthæus & Lucas* μύρον, *Marcus & Iohannes* Nardum fuisse innuit, cujus odor maximè commendatur *Cantic. 1. v. 12.* Et magnam vim habet reficiendis membris imprimis Paralyticis. Inde hîc pretiosum vocatur. De Nardo *Plinius* copiosè *Lib 14. cap. 12.* Frutex est nardus gravi & crassâ radice, sed brevi ac nigrâ, fragiliq;, quamvis pingui situm redolente, ut Cyperi, aspero sapore, folio parvo densoq;. Cacumina in aristas se spargunt, ideo gemina dote Nardi spicas ac folia celebrant. Alterum ejus genus apud Gangem nascens damnatur in totum Ozaenitidis nomine, virus redolens. Adulteratur & Pseudonardo herbâ, quæ ubiq; nascitur crassiore atq; latiore folio,

 & co-

& colore languido in candidum vergente. Sincerum quidem levitate deprehenditur & colore ruffo, odorisq; suavitate & gustu maximè siccante os, sapore jucundo. Confer *Lib. 13. cap. 2. Criticos sacros, & Maldonatum Commentar. in Matthæi cap. 26. pag. 562. Edit. Lugdunensis in fol. Anno MDXCVIII.*

§. IV. Super hujus unguenti effusione Judas Stomacho exardescebat, usq; adeò, ut juxta Johannis Caput 12. v. 5. 6. hæc verba effunderet: Διὰ τί τοῦτο μύρον οὐκ ἐπράθη τριακοσίων δηναρίων, καὶ ἐδόθη πτωχοῖς. Εἶπε δὲ τοῦτο, οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, ἀλλ᾽ ὅτι κλέπτης ἦν, καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε, καὶ τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν. *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quod pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat, ac marsupium habebat, eaq; quæ mittebantur, portabat.* Non erat illi de pauperibus solicitudo, ut Syrus reddit בְּטִיל sed impostoris strumam dibapho piæ alicujus curæ tegebat: *erat namq; fur,* ἐκ τῶν συμβαλλομένων *semper aliquid surripiens*, quemadmodum ex adductis Evangelistæ verbis in propatulo est. *Matthæus cap. 26. v. 14. 15. 16.* examinatiùs ferè de hoc negotio agit, quippe qui narrationi de muliere, quæ attulerat oleum, subjicit: Τότε πορευθεὶς εἷς τῶν δώδεκα, ὁ λεγόμενος Ἰούδας Ἰσκαριώτης, πρὸς τοὺς Ἀρχιερεῖς. Εἶπε: τί θέλετέ μοι δοῦναι, κἀγὼ ὑμῖν παραδώσω αὐτόν; οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια. Καὶ ἀπὸ τότε ἐζήτει εὐκαιρίαν ἵνα αὐτὸν παραδῷ. *Tunc abiit unus ex de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam illum? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ut eum traderet. Divus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Chronicorum opere parte 1. pag. 304. cap. 6. Titulo 5* §. 1. Unctio fuit occasio accepta, non tamen data Judæ ad proditionem faciendam. Nam ut dicit *glossa Iuris Canonici* 14. *Quæstione* 1. §. *Arguitis nos.* Judas consueverat furari decimam partem eorum, quæ sibi dabantur servanda. Et unguentum illud effusum volebat vendi, cujus pretium erat 300. denariorum, horum decima pars erat 30. Quia igitur non potuit furari decimam partem, quan-

doqui-

doquidem venditum nō fuit, quasi volens recompensare damnū, 30. denariis argenteis fecit proditionem. Undè percipiens Sacerdotes congregatos ad tractandum de captura Christi, intrante in eum Satanâ, accessit ad congregatos in Concilio. *Hieronymus in Matthæi caput* 26. Infelix Judas, damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare. Nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens Mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare. *Hactenus ille.* Quæcunq; autem Judas surripuerat, uxori & liberis donare cōsueverat. Quod enim conjugio illigatus fuerit, ex *Augustino* facile colligitur, quandò *in Enarratione Psalmi* 108. *Tomo* 8. *Oper. p. m.* 518. scribit: Generationem Judæ prophetavit Psaltes de terrâ perituram, quia & ipse Judas & filii ejus, qui erant tanquam memoria patrum, & matris ejus, sine successione prolis, sicut superiùs dictum est, in brevitate unius generationis extincti sunt. Etiamne hoc ad pœnam Judæ pertinere credendum est, quod post ejus mortem in mendicitatem uxor & filii ejus pervenerunt, & translati sunt & ejecti de habitationibus suis. Si autem moverit: quomodo habere potuerit substantiam, quam fœnerator scrutaretur, alieniq; deriperent, quando jam cum aliis undecim Dominum sequebatur: credat, eum omnia, quæ habebat, ita dimisisse filiis & uxori, ut non inde sinceriter vel perseveranter vinculum cupiditatis abruperit; qui etiamsi ea velut vendere videretur distribuenda pauperibus, profectò faceret, quod Ananias post Domini Ascensionem. Neq; enim metueret, ne hoc Dominus Divinitate cognosceret, quem falli putabat, quandò ea quæ mittebantur, de loculis auferebat. Vide etiam *B. Brunonis Herbipolensis Episcopi Expositionem in Psalterium*, *Tomo* 11. *Bb. Pp. pag.* 208.

§. V. Sed de furto Judæ quasi ex professo declamat *Gaudentius Brixiensis de Natali Domini*, *Tractatu* 13. *Bb. Pp. Tomo secundo.* Judas pio debitoq; adversarius obsequio (Magdalenæ,) dum Patronus pauperum vult videri, furti reus arguitur. In commune

mune Christus omnibus discipulis (Sinite eam &c.) loquitur, ut adversantis Judæ contumeliam temperet. Neq; enim acriter ut in fraudatorem invehitur, sed dissimulato ejus crimine, quem & Evangelista furem noverat, leni monitu universos pariter instruit, docens interim, quod Maria fecerat, necessario erga se celebratum fuisse sepulturæ Mysterio. Idcirco autem supradicta lenitate ac promiscuo monitu, Judæ sermones Christus evacuat, ne aut ipsi Judæ occasionem excusandi furoris tribueret, aut alicui Apostolorum quidquam scrupuli daret, piam fortasse suspicanti suggestionem, vel certè ne cuiquam postea lecturo aliquod offendiculum reservaret. Judas enim licet studio fraudis & odio Salvatoris sub prætextu pietatis, tamen illa ipsa fallaciæ verba depromserat: Quare hoc unguentum venundatum non est, inquit, denariis trecentis, & datum est pauperibus? Irreligiosus nimirum & satis importunus dispositor, avari fraudatoris affectu, crimen videlicet proprium sub specie religionis tegere dum conatur, expressit. Irreligiosus planè atq; importunus, quia quod ad honorem Christi factum fuerat, non modo superfluum computavit, verum etiam sermone improbissimo reprehendit. Fraudator etiam quia loculum tenens exportabat ea, quæ mittebantur ad usus indigentium, sicut Evangelista conqueritur. Avarus quoq;, quoniam non satiabatur, stipendia pauperum quotidie subtrahendo, sed & sepulturæ Christi pretium in propria ardebat lucra convertere, convertit autem non in momentanea suæ cupiditatis lucra, sed salutis detrimenta perpetua: Siquidem non multò post universa, quæ vel impius fur collegerat ex fraudibus perpetratis, vel quæ sacrilegus Christi traditor pro mercede iniquitatis acceperat cum vitâ pariter amisit. Adde *B. Gerhardi Harmoniam Evangelicam cap. 143. f. 50. & 970. Barradii Concordiam Evangelicam ad loca citata superiùs.* Ex hoc Judæ facto superstitiosum vulgus numerum trigesimum infaustum ducit, hac formulâ: Dreyssig mit GOtt: uti *Iosua Arndius, Tractatu de superstitione* §. 35. *pag.* 40. annotat.

§. VI. Hæc nos recto tramite ad nimiam φιλαργυρίαν, impurissimum

rissimum illum omnis mali fontem, ducunt, ut alias proditionis indagare causas superfluum sit. Illa sola, ut dixi, fuit causa *προηγουμένη, προκαταρκτικὴ* autem sive impulsiva, externa, quam rectiùs occasionem proditionis nuncupant, Christi reprehensio, qua intempestivam discipulorum murmurationem redarguit: ægrè enim Judas ferebat, quod â Christo culparetur, seq; proditoris titulo insigniri audiret. Quam injuriam â Magistro sibi illatam vindicaturus,

(Nam vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.
Iuvenal. Sat. XIII. &
Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, ἠΰτε καπνός.

Quæ multò dulcior melle liquido virorum in pectoribus augetur velut fumus. *Homerus Iliados Σ. v.* 109. 110.) *ad Pontifices & Scribas abiit, iisdem consilium de prodendo Christo exposuit, ac operam suam certâ mercede locavit.* Adeo, ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, juxta *Sallustium in Epist. ad Cæsarem de Republicâ ordinandâ.* Quibus illa apud *Leonem Sermone IX. de Passione* consonant: Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumq; est in illo corde Justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculū. Hoc perfidus Judas inebriatus venenô, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, & tam stultè impius fuit, ut triginta argenteis Dominum venderet & Magistrum. De tempore quo proditionem Judas fecerit, non omnium interpretum una & eadem mens est. Quidam putant in ipsa nocte quâ Christus ultimam cœnam celebravit, illam contigisse, verum his historia Evangelica disertim contradicit; utpote ex qua affatim cognoscitur, Judam ante præparationem agni Paschalis cum Sacerdotum Principibus cruentum pactum inivisse. *Marci cap.* 14. *v.* 10. Communior sententia, quatriduo post convivium Bethaniense, adeoq; biduo ante Pascha id factum esse, adserit, quanquam *Chrysostomus homilia* 70. *in Matthæum* existimet, Judam statim ab hac voce Christi, *ἄφετε αὐτὴν, finite illam &c. Marci cap.* 14. *v.* 6.

proditionem moliri cœpisse. Tunc istud, *inquit*, ad quodnam tempus referendum? quandò ista locutus esset, quandò dixit: ad sepulturam meam hoc servavit, ac neq; hinc compunctus est, neq; cum audîsset, quod futurum erat, ut Evangelium ubiq; terrarum prædicaretur, timore correptus est, istud enim ineffabilis cujusdam potestatis erat, imò quandò mulieres, eæq; meretrices tanto Christum prosequerentur honore, tunc ipse Diabolicum facinus meditabatur & peragebat, sed in genere saltem de compensatione lucri solicitus fuit. Idem *homilia de proditore*, *Tomo 3. fol. 186.* Quid igitur *tunc* est, ante proditionis tempus, ante traditionis horam accessit meretrix, vas alabastrum manibus portans, & unguẽtum Domini supra caput effudit. Ideò dixit *tunc*, ut non Magistrũ infirmitatis accuses, quandò discipulũ reperis proditorem. Magis enim virtutem Doctoris ostendit, qui & meretricem ad obediendum suo Magisterio convolare fecit. Abiit, *inquit*, non invitatus â Principibus Sacerdotum, nulla necessitate constrictus, sponte processit, & propriâ malignitate consiliũ genuit sceleratæ mentis, nullo participe convocato. Confer *Christiani Druthmari Exposition. in Matthæum, Tomo 9. Bb. Pp. parte 1. pagina 933.* Inde etiam *Beda in cap. 26. Matthæi, & Augustinus Lib. 11. de Consensu Evangelistarum cap. 78.* hanc sententiam: tunc abiit Judas &c. ad illam jungendam statuunt, ubi superiùs consilium sacerdotũ de interfectione Christi retulit. Sanè non inficiamur, *inquit Gerhardus Harmon. Evangel. cap. 148. fol. 975.* Judam nefariam hujus sceleris occasionem ex reprehensione Christi, & pecuniæ in effuso unguẽto frustratione accepisse, sed non videtur in ipso statim convivio Bethaniensi de proditione Magistri cogitâsse, verum in genere tantum vindictam & lucri amissi compensationem meditatus fuit, donec tandem post quatriduum, videlicet feria quartâ, quam vocamus diem Mercurii, sicq; biduo ante Pascha, nefarias illas cogitationes de Christo prodendo Sathanas ei instillaret. Cum enim Bethaniensis Unctionis historiam per ὑστερολογίαν παρενθετικῶς & ex occasione duntaxat Evangelistæ hoc loco recenseant: ideò particula τότε non ad proximè præcedentem unctionis historiam, sed ad prædictionem

nem Christi de sua passione, & ad consultationem Pontificum de Christo per dolū comprehēdendo & interficiendo pertinet, quarum utraq; cum biduo ante Pascha fuerit facta, ut disertis verbis Evangelistæ testantur, ideò etiam hanc proditoris Judæ pactionē biduo ante Pascha factam fuisse consequens est. *Hactenus ille.* Huic assertioni fidem adfert, quod ob memoriam venditionis Christi & deliberationis Judæorum in concilio de occidendo Christo, solebat olim Ecclesia jejunare in feriâ quartâ, & in memoriam passionis & mortis ejus feria sexta, uti *Augustinus* testatur *Epistola* 86. *ad Casulanum.* Et in *Iure Canonico de consecrat. distinct.*3. peculiaris canon confirmat. Plura videantur in *Benedicti Pererii Disputat. 25. super cap.* 13. *Iohann. pag.* 47. *nec non Antonii de Escobar, & Mendoza commentar. in Evangelia, Tomo* 1. *Libro* 4. *ad cap.* 26. *Matthæi, cap.* 1. *pag.* 280.

§. VII. Cum itaq; matura essent in perniciem innocentissimi Jesu consilia, & condicta hora appeteret, Judas milite, qui manus in speciem prælii obarmaverat, undiq; laterum stipatus, ad Christum exivit. Renovaverat illo tempore candidos vultus soror æmula Phæbi, nihilo tamen minus μετὰ λαμπάδων καὶ φανῶν, ut Evangelista *Iohannes cap.* 17. *v.* 3. habet, socio frauda turba adventabat, non alio sanè fine, quàm ut omnes latebras emissitiis oculis perlustraret. Intereà impietatis Antesignanus corpore quidem, sed animo longè alienissimo, Jesum accessit, & hostile ac inimicum opus sub Symbolo pacis, *osculo*, occultavit. *Heu signum Sacrilegū,* meritò cum *Hipponensi* Præsule exclamemus, *ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium pacis rumpitur Sacramentum!* Fixit desertor Domino suo osculum, quod nunquam desertionis sed dilectionis & concordiæ reverentiæq; Symbolum fuit. *Origenes Lib.* 2. *contra Celsum*: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum: retinens nonnihil pristinæ reverentiæ, alioqui vel liberè ac sine simulatione osculi tradidisset eum. *Vid. Benedictus Aretius Comment. in Matthæum, pag.* 214. *Marcus loco supra allegato* illud nuncupat σύσσημον, id est signum, commune tam usui quam abusui, qualia sunt militum Symbola sive tesseræ, vel mutæ

vel

vel vocales. Unde apud Suidam συσημαίνειν est consignare, consignificare. D. Danhavver im Reformirten Salve, *pag*. 213. Vix unquam

Sol qui nitentem fervido cursu, atq; equis
Flammam citatis fervido ardore explicat,

gravius nequitiæ pondus, cui nihil ad culpæ culmen & cumulum deerat, conspexit, aut communis omnium parens orbis tenuit? Elegerat Judam mitissimus Salvator in Apostolum, quæstorem fecerat, patrem illius à leprâ, matrem à paralysi curaverat, ultra triennium inter suos toleraverat, plurima docuerat, obmurmurantem pertulerat, ast cui bono? ut vilissimo tandem illum pretio divenderet. *Augustinus in Sermone* 28. *ad fratres in Eremo, Tomo* 10. *Operum. Ieremias Drexelius in Deliciis gentis humanæ*. Tanta & totjuga invitamenta ad gratitudinem prolectare debuissent ferrum, & pumiceum illud pectus, potuissent etiam, nisi summo bono, imò ipsi humanitati turpis æruscator Vale nunciâsset. Melliti gestuum globuli, & verba sesamo delibuta, quibus ipsam veritatem fallebat, præsentissimum fibris Domini venenū inspirabant. Qua de causa veterem Ecclesiam tempore Passionis Dominicæ ab osculis abstinuisse scribit *Amalarius Fortunatus, lib*. 1. *cap*. 13. Eò digitum intendere videtur *Simon de Cassiā, Lib*. 13. *de gestis Domini Salvatoris, qui est de passione, fol*. 391. *facie* 2. quando pedum ablutionem tractans, ait: Vereor dicere, sed pia credulitas, & Christi humilitas atq; profunda dilectio me compellunt, ut piè credam, Christum etiam super Apostolicos pedes suâ labia osculando pressisse, quamvis Evangelica historia non loquatur. Sed nec mirum, humiliora cum legimus fecisse pro nobis. Et nescio undè, præterquam ab illa piâ osculatione sit sumtum, atq; mos inoleverit usq; in hodiernum diem, ut Majores cum laverint, premant oscula in pedibus subjectorum, ut vel hoc nomine deinde detestandum fuerit osculum. Evolve *Binetam in Magnete divini amoris, cap*. 12. *num*. 3. *allegante Mancino in Historia Passionis, pag*. 309.

§. VIII. Quæri heic ab aliquibus fortè non sine causâ solet,

quo

quo tempore Judas Christum osculatus sit? Dubium enim illud, ne quid dissimulem, & valdè controversum est inter Interpretes. *Euthymius Zigabonus in Matthæum cap.65. p.m.240. Iohannes Ferus Moguntinensis Doctor, Commentarior. in Matthæum, Lib 4. cap.26. pag.351. & Osiander in Notis*, post binam Christi interrogationem, quem quæritis? Judam Domino osculum obtulisse arbitrantur. Siquidem Matthæus statim post interrogationem Christi addit: *Tunc accesserunt & manus injecerunt in Iesum, & ceperunt eum, quia ad id signum dabatur.* Alii contra putant, Judam prius osculo militibus Jesum monstrâsse, quàm ille interrogâsset. *Tatianus Alexandrinus in Evangeliorum Harmoniâ, Tomo 3. Bibliotheca Patrum, p. m. 271. cap. 161. Qui autem tradidit, dederat illis signum, dicens: quemcunq; osculatus fuero. ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et confestim accedens ad Iesum dixit: Ave Rabbi, & appropinquavit Iesu, ut oscularetur eum. Iesus autem dixit ei: Iuda, osculo filium hominis tradis. Amice, ad quid venisti? Et osculatus est eum. Iesus itaq; sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dicit eis, quem quæritis? &c. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Augustinus Lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 5. initio Tomi 4. operum, pag. 205.* Post osculum datum dixit illis primò quod ait Lucas: *Iuda, osculo filium hominis tradis? cap. 22. v. 48.* Deindè quod *Matthæus v. 50. Amice, ad quid venisti? Deindè quod Iohannes commemorat, quem quæritis?* Idem tenent, qui allegatorum interpretum vestigia legunt. Quod quidem probabilius & evidentius esse, *Alphonsus Salmeron Tomo 10. operum, Tractatu 16. pag. 141.* his rationibus evincit: Tùm ne videretur Judas unus ex istorum consortio esse qui & osculari & capere vellet Dominum, quem quærebant, cum ipse jam adstantibus se ipsum indicâsset & tradidisset; tum etiam, quia de solo Judæ adventu dixit Jesus apud *Matthæum* ἰδοὺ ἤγγικεν ὁ παραδιδούς με, *cap. dicto, v. 46. Ecce appropinquavit qui me tradit: qui ubi eum osculatus fuit, ad suos rediit*, ita ut Christo procedente staret cum Judæis. Sic enim Johannes habet: Εἱστήκει δὲ καὶ Ἰούδας μετ' αὐτῶν, *cap. 18. v. 5.* nimirum post signum osculi datum. Ave Rabbi, ut ex Criticis sacris nonnihil admisceam, Latinum factum est

ex Hebræo חוה undè quidam ſcribunt *Have* , pro quo in nonnullis libris legitur *Habe*, Vau Hebræorum in B. verſo, ut in Δαβὶδ, & ſimilibus. Græci habent χαῖρε Ῥαββὶ, ſalve Rabbi. Idem Have ſignificat apud Hebræos, nam vivere dicunt pro ſalvere, ut, Vivat Rex: quod idem cum illo, ſit ſalvus, aut vivat diu. Nam vita vocatur vita longa, ut ibi, Momentum in ira ejus, vita in benevolentia ejus. Huc refer, quod *Deuteronomii cap. 17. verſ. 20. Vt prolonget dies ſuos in regno ſuo, ipſe & filii ejus in medio Iſrael.* Pœni dicunt *Havo*, pro quo corruptè legitur apud Plautum *Hano*, ubi & *Handoni*, iſt eſt *have Domine*, ut ſit *doni* decurtatum ex *Adoni*, & ו pro חוה, ut לה pro גלה revela, חוו אדוני χαῖρε κύριε locus eſt in Pœnulo, P. *Havo*. M. Salutat item. A. Saluta hunc rurſum Pœnicè verbis meis. M. *Handoni*. *Druſius Columna 776.*

§. IX. Oſculum autem de induſtriâ & conſilio Judas præ aliis ſignis elegiſſe creditur. *Baronii* conjectura eſt *in Annalibus ad annum Domini trigeſimum quartum, num. 66.* Oſculum ideò electum fuiſſe, ne quærentes Jeſum tenebris deciperentur. Sed quia per laternas & lampades illæ jam fugatæ erant, tantum abeſt, ut iſta adprobari poſſit. *Druthmarus in Matthæum, Tomo 9. Bb. Pp. parte prima pag. 935.* Timuit, *inquit*, Judas, ne ipſe ſe abſconderet, ſicut fecit, quandò volebant eum præcipitare & lapidare, & ideò tale eis dedit ſignum, ut poſtquam eum oſculatum habuiſſet, ſi ipſe evaneſceret, Judas non perderet pretium. Apparet autem quia pius Dominus hànc conſuetudinem habuit, ut quandò â foris reverteretur diſcipulus, oſcularetur eum, quod nunc apud nos non fit, niſi poſt plures dies. Hoc ſignum & Cain habuit, ut omnes oſcularetur præ timore: Similis in facto, ſimilis in ſcelere, licet iſte pejor. Suſpicari etiam aliquis poſſet, Judam tale ſignum exhibere voluiſſe Judæis aut militibus, ut quâ re Chriſtum eis prodebat, eâdem Chriſtum ſuam celaret proditionem. Non equidem celâſſet, ſi inuſitatum ſignum dediſſet. Erat autem valdè uſitatum, ut oſculo ſe Judæi præſertim inferiores ſalutarent ſuperiores, quemadmodum ex antecedentibus innotuit.

Stul-

Stultè verò Judas proditionem ſuam Chriſto abſcondere architectabatur. Vide Judæ inſenſibilitatem! (exclamat ſuper hoc „ Theophylactus) Quomodo credebat in oſculo Chriſtum ac- „ cipere, ut quaſi amicus æſtimaretur. Si amicus eras, ô Juda, „ cujus gratiâ cum inimicis acceſſiſti? Sed omnis pravitas ſine „ providentia eſt. Utinam ſaperes, ac noviſſima provideres. „ *Bernhardus in declamatione*: Divino ſeſe vultui ſiſtere non vere- „ tur Judas, tanquam domeſticus intrat & exit, magiſtrum ſa- „ lutat, genu flectit, oſculatur ore ſacrilego, dolosè agit, ſed „ in conſpectu Dei, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. *Be-* „ *da in Marci Evangelium cap.* 15. *Tomo* 5. *operum*, *pag.* 151. Im- „ pudens quidem & ſcelerata confidentia, Magiſtrum vocare & „ oſculum ei ingerere, quem tradebat. Tamen adhuc habet „ aliquid de verecundia diſcipuli, cum non eum palam tradidit „ perſecutoribus, ſed per ſignum oſculi. *Hieronymus & ante* „ *illum Origenes* exiſtimârunt, à Juda Judæis ſignum datum fuiſ- „ ſe, ne Chriſtus faciem transformando ſe occultaret & elabere- „ tur. *Hieronymi* verba in *Cap.* 26. *Matthæi* ſic habent: Miſer „ Judas, & tamen non miſerabilis eadem infidelitate quâ Magi- „ ſtrum & Dominum tradidit, putabat ſigna, quæ Salvato- „ rem viderat facientem, non Majeſtate divinâ, ſed magicis „ artibus facta. Et quia cum fortè audierat in monte transfigu- „ ratum, timebat, ne ſimili transformatione elaberetur è ma- „ nibus miniſtrorum. Dat ergò ſignum ut ſciant ipſum eſſe, „ quem oſculo demonſtraret. *Origenes tractatu* 25. *in Matthæ-* „ *um*, Venit traditio, *inquit*, talis ad nos de eô, quoniam „ non ſolum duæ formæ in eô fuerunt, una quidem ſecun- „ dum quam eum omnes videbant, altera autem ſecundùm „ quam transfiguratus eſt coram diſcipulis ſuis in monte, „ quando & reſplenduit facies ejus tanquam Sol? Sed etiam „ unicuiq; apparebat ſecundum quod fuerat dignus: & cum fuiſ- „ ſet ipſe, quaſi non ipſe omnibus videbatur, ſecundū illud quod „ de Manna eſt ſcriptum, quando Deus filiis Iſrael panem miſit „

Nnnnn 2 de

„de cœlo, omnem delectationem habentem, & ad omnem gu„ſtum convenientem, quando deſiderio offerentis obſequens, „ad quod quis voluerat, vertebatur. *Origenis* partes defendere conatur *Matthæus Mancinus in Hiſtoriâ Paſſionis pag.* 309. *ex Chriſtophoro à Caſtro Societatis Ieſu Theologo, Commentar. ſuper* 12. *Prophetas, de Prophetiâ Lib.* 3. *cap.* 3. *p.* 48. ad pannum Duacenum & Cryſtallum Luſitanam provocans, ubi Chriſtus eodem tempore pro variâ contuentiũ diſpoſitione varius apparere dicitur. Majorũ ætate, ait Jeſuita, in oppido Luſitaniæ Santareno aſſiduo miraculo in pellucida cryſtallo viſitur Chriſtus pro cujusq; devotione, nunc puer tenellus, nunc duodecim annorum, nunc triginta, nunc crucifixus, nunc judex ſæviſſimus. At verò quam incerta & dubia hæc traditio ſit, ſufficienter ex *Harmoniâ Evangelicâ de Paſſione B. Gerhardi, cap.* 3. *fol.* 34. patet, quæ eandem etiam Euthychianis, Marcionitis ac Baſilidianis patrocinari meritò aſſerit. Chriſtus enim, ut aſſumpſit humanam naturam, ita unam eandemq; corporis aſſumpti formam externam retinuit, quam per clarificationem in monte non abolevit, ſed illuſtriorem & fulgentiorem reddidit.

§. X. *Origenis & Hieronymi* ſententiam ſtabilire videntur verba nonnulla textus, quandoquidem impoſtor non ſine ratione hanc cautelam addidit: Κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς; ubi particulam ἀσφαλῶς tàm ad prius verbum κρατήσατε, quàm ad ἀπαγάγετε â Syro referri, *Hugo Grotius obſervat in annotat. ad Marci cap.* 14. *v.* 44. volebat nempè Judas milites monere, ut circumſpectè, & ut Syrus reddit, in timore agerent, ne in præſentiarum Chriſtus, qui ante manus eorum evaſerat, *Iohann.* 8. *v.* 59. *Lucæ* 4. 30. arte Magicâ ſe transformando, variasq; formas aſſumendo ipſos falleret, atq; ſe ſpes lucri decollaret. Idcircò velle ſe tamdiu Chriſto adhærere, donec illum comprehenſum abducant. At verò neuter Patrum allegatorum ſcopum ferit, ſed fruſtra dici videtur oſculo hoc voluiſſe Judam prævenire errori militum, qui ex Chriſti transformatione reſultare potuiſſet; nam Judas transfigurationi Chriſti non adfuit, aut ſi interfuiſſet, poterat timere, ne

Chri-

Christus iterum se transformaret, vel invisibilem faceret. Optima igitur osculi adhibiti causa adsignatur hæc, ne scilicet adventantes deciperentur: facile namq; contingere poterat, ut Jacobum Minorem, qui Christum exactè facie repræsentabat, ac indè frater Domini vocabatur, *Galat*, 1. *v*.19. caperent. Partim etiam propter Romanos milites, qui ignorare poterant Dominum, teste *Eusebio Emisseno Tomo* 6. *Bb. Pp. part*. 1. *pag*. 666. Etsi enim, *ait Salmeron, l. d*, eorum animus esset capere Jesum cum omnibus Discipulis, tamen quia difficile erat omnes comprehendere, si se in fugam convertissent, volebant tamen Jesum præcipuum Magistrum eorum nôsse, quem præcipuè capere & in fugâ insequi deberent. Nam Jesu non capto, irrita & cassa reddita fuissent eorum consilia. Eodem modo Evangelista verissimam causam osculi explicat dicens: *Quemcunq; osculatus fuero, is est, comprehendite eum*. Cui etiam *Chrysostomus homilia* 98. *in Matthæi caput* 26. *p. m*. 708. assensum præbet his verbis: Proh dolor! quantam pravitatem proditoris anima suscepit? Quibus oculis tunc Magistrum adspexit? Quô porrò osculatus ore est? O scelera-tissimam mentem! Quid cogitavit? quid ausa est? quod signum proditionis dedit? Quemcunq; osculabor, *inquit*: confidebat enim in lenitate Magistri, quæ res omnium maximè illum confundere & omni privare veniâ sufficit, quia ita mitem & mansuedum prodebat Magistrum. Sed curnam hoc signum datum est? Quia sæpius circumventus ab ipsis pertransivit per medium ipsorum, nescientibus ipsis, quod & tunc factum fuisset, nisi ipse assensisset.

§. XI. Appositè etiam *Marcus Vigerius Cardinalis*, *in suo decachordo, chorda septimâ cap*. 78. *p*. 259. *Edit. Duacensis in* 4. *Anno MDCXVI. Et confestim accedens ad Iesum*. Inimica mens multis pessimisq; cogitationibus turbata festinare compellit ad scelus affectatum, dixit: *Ave Rabbi*; honorantis est verbum, sed mentiris ô Juda, avere, id est, salvum esse non vis, quem ad necem inimicis vendidisti, & prodis in necem. Veram facis David Prophetiam: Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & iracundiâ

terræ dolos cogitabant. *Et osculatus est eum.* Didicerat hoc â Joab, quando Amasæ dixit: *Salve, mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non observabat gladium quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram, & mortuus est Amasa.* Sic Judas ad literam, quamvis manu suâ Christum non occiderit, tamen per salutationem & osculum morti ejus vitam dedit. *Leo Papa Sermone 1. de Passione, fol. 44. facie primâ.* Cum impius Judas non tàm ovinâ pelle velatus, sed lupino furore manifestus, vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis sæviore omnibus telis osculo præbuisset, & multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominũ cum armatâ militum cohorte cõfluxerat, inter faces & laternas lumen verum tenebris obcæcati suis non cernerent, Dominus qui expectare potius turbas quàm declinare delegerat, sicut *Iohannes Evangelista* testatur 18. *capite*, quem quærant, nec dum inventus interrogat, illisq; dicentibus, quod Iesum quærerent, *ego sum, inquit.* Addunt insuper Doctores Romanenses causam moralem, quibus nempè peccatis expiandis Christus osculum admiserit, & plura hujus generis in Patribus passim leguntur. Quidam dicunt hoc ipso Christum â Patre cœlesti obtinuisse, ut animas nostras, etsi olim peccatrices, brachiis charitatis amplexetur, & osculo pacis ac reconciliationis illas osculetur. Item, satisfecisse osculo Judæ pro carnalibus amoribus & osculis meretriciis, & aliis quæ his cognata sunt, & longâ serie â *Salmerone Tractatu 16. pag. 142.* enarrantur. Confer *Georgium Bartholdum Pontanum â Breitenberg, in Bibliothecâ concionum, feriâ quartâ post Dominicam Palmarum Tomo 2. pag. 523.*

§. XII. Cæterùm magnam bonitatis divinæ Sylvam, & amplam humanæ malitiæ segetem in ipso osculandi actu contemplari licet. Hanc quidem, quoniam Christus benevolè Judam ad osculum admisit, & ut *Brigitta in suis revelationibus Lib. 4. cap. 99. pag. 310. Edit. Antverp. in fol. Anno 1611.* addit: Cum Judas esset brevioris staturæ, Christus (si credere fas est) ad osculum ejus susci-

suscipendum se inclinavit. *Hugo Carensis in Psalmum 75.* Christus ad osculum Judam admisit, fortè & Judam osculatus est, ut doceret, quam promptè seriò pœnitentem recepturus esset, qui tradentem non repulit. Forsitan etiam proditori Judæ voluit osculũ dare; quantò magis recipiet ad osculum Judam revertentẽ, si Judã tradentem non repulit. Ob duplicem verò causam osculantem toleravit, videlicet, ne proditionem refugere videretur, simul & illud Davidicum complens: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*; item, ut ipsum proditorem plus afficeret, cui amoris officia non negaret. *Beda Tomo 5. operum in Cap. 26. Matthæi, pag. 106.* Jure proindè illud Hebræi vatis meum facere potero: *Audite cæli & auribus percipe terra* admirandam Regis vestri longanimitatem! *Esaiæ 1. v. 2.* Deinceps profunda malitia in proditore attendenda est, quæ ex destinato consilio inter osculandum acutissimo quodam jaculo Salvatoris nostri pectus perfodit. Piè de hoc commentatur *Alphonsus Salmeron, l. d. scribens:* Osculum,, hoc non aliud fuit, quam lupi morsus invadentis agnum, vel,, contactus gladii in jugulum ovis; conjunxitq; infelix quodam,, risu & lætitia, verbisq; blandis os suum impurum cum ore Dei,, purissimo, brachia proditoria cum divinis brachiis, osculum,, cum morte, pacis Symbolum cum belli tesserâ, emtorem,, mundi cum venditore Redemptoris. Ejus enim osculum,, bellum indicit, ejus salutatio affert proditionem, ejus amplexus inimicitias immortales gignit: quia amplectitur quem,, deserit, osculatur quem prodit, salutat quem morte taci-,, tâ occidit. Ea propter vero neutiquam est dissimile, Christum intra sese commotum fuisse, (acerbum quippe est, ab aliquo circumveniri, acerbiùs â propinquo, vel discipulo. Cicero pro Quinctio:) atq; proditori indignum facinus exprobrâsse, etsi quidem illud in historiâ Evangelicâ explicitè non asseritur, commodè tamen satis elici potest ex ipsius Domini verbis, quibus Judam compellavit: Juda, *osculo filium hominis prodis?* Quæ apud Lucam præcedere debere illa *Matthæi, Amice, ad quid ades? Euthymius cap. 65. Commentar. in Mattha. pag. 241.* conten-

contendit. Quoniam quamdiu Dominus nondum traditus fuit, proditoris curam habuit. Ideò ut eum postmodum saltem, si non modo ad se trahat & convertat, obduratam ejus conscientiam reprehensione verberat, an fortassis ex alto peccatorum veterno evigilare velit: satis enim accuratissimus καρδιογνώςης ad quid venisset, noverat.

§. XIII. Non sine causâ Dominus discipulum perversum arguens, nomen ejus præmisit, ut ad delicti sui confessionem eum revocaret. *Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. Tom. 4. Bb. Pp. p. 427. Iuda, osculo filium hominis tradis?* Fermè hoc ad ipsum dixit, admonens eum per ipsius appellationem. Judas enim interpretatur confessio, intellige: accepisti argentum, confitere citò. Nimirum vel in ipsius nomine latere sui volens medicinam voluit, ut secum semper circumferret, quo ægrotanti animo posset subvenire. *Ambrosius Libro 10. in Lucæ caput 22. Tomo 3. operum. col. 265.* Magna divinæ significatio potestats, magna disciplina virtutis. Et consilium proditionis aperitur, & adhuc patientia non negatur. Ostendisti, Domine, quem proderet, dum occulta manifestas. Ostendisti etiam quem traderet, dum dicis, *filium hominis*, quia caro, non divinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum tradiderit, qui cum esset Dei filius, propter nos tamen filius hominis esse voluit, quasi diceret; propter te suscepi, ingrate, quod tradis in hypocrisi. Ergò per interrogationem pronunciandum puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem: *Iuda, osculo filium hominis* tradis? hoc est, amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? Servus Dominum, Discipulus prodis Magistrum, electus Autorem? Hoc est illud: *utiliora vulnera amici quam voluntaria oscula inimici.* Proditori hoc dicitur. *Et osculatus est eum.* Non quo simulare nos doceat, sed ut ne proditorem refugere videatur, & plus afficeret proditorem, cui amoris officia non denegaret. *Idem Lib. 6. Hexaemeri cap. 9. Tomo 1. Op. Col. 129.* Dominus velut prodigii genus in proditore osculum condemnans, *ait: Iuda, osculo filium hominis tradis?* hoc est, charitatis insigne convertis ad signum proditionis,

& in-

& infidelitatis indicium? Pacis hoc pignore uteris ad officium crudelitatis, bestialem igitur oris obsequio inferentem potius necem, quam charitatis fœdera deferentem, divinæ arguit vocis oraculo. *Et lib. 10. Epistolarum 89. Tomo 5. operum col. 184. Osculum (Iuda) offers*, qui non habes osculi charitatem; osculum non labiorum quæritur, sed cordis & mentis. *Lib. 3. de Spiritu S. cap. 18. Tomo 4. Oper. col. 246.* Audivit: *Iuda osculo filium hominis tradis?* hoc est, amoris pignore scelus imples, & pacis instrumento odia seris, charitatis officio mortem irrogas? Confer *Bedam Tomo 5. Oper. in Luca Evangel. Lib. 6. cap. 22. pag. 483. Hieronymus Natalis societatis Iesu Theologus, annotat. & meditat. in Evangelia, p. 267. Edit. Antverp. in fol. Anno 1595.* O abominandum Judæ osculum! O Jesu adorandum; Non movetur tamen osculi Jesu divina virtute proditor, movetur Judæ osculo mansuetus Jesus, clementer illum compellat: *Amice, ad quid venisti?* Nam solum non detrectat osculum Judæ mitis Jesus, sed illum verbis etiam invitat ad sanitatem, aperit portam illi ad amicitiam, allicit ad sceleris sui confessionem; sæva tamen obstinatio Judæ fecit & obcæcatio, ut beneficio summo ad maleficium nefarium abuteretur.

§. XIV. Non videbor ἐκτὸς δρόμου φέρεσθαι, si paululum operæ ad uberiorem vocabuli *sodalis*, quod *Matthæi 26. cap. v. 50.* occurrit, enucleationem impendero. In Græco textu extat vox ἑταῖρος, quæ à τὸ ἦθος consuetudo, descendit, ut sit quasi ἠθαῖρος; aut à τὸ ἔθος mos, ut sit quasi ἐθαῖρος ὁ συνήθης φίλος, aut qui ἐξ ἔθους alicui est familiaris. Quod etymon apud *Eustathium* reperitur, qui & aliud affert nimirum ex ἀιρετὸς literarum transpositione. *Scapula in Lexico, pag. m. 528.* LXX. Interpretes utuntur pro חָבֵר *Cantic. 1. v. 6. cap. 8. v. 13.* item רֵעַ *2. Samuel. 13. v. 3. Proverb. 22. v. 24.* Sodalis, proximus, familiaris, collega, qui diuturnæ consuetudinis jure alteri junctus est. Et verò poterat Christus Judam ἑταῖρον vocare, quia cum illo & reliquis Apostolis per integrum triennium vixerat. *Origenes* statuit, quod nomen hoc in sacris semper κατ' ἀντίφρασιν usurpetur & intelligatur. Verba Patris in *Tractatu 35. in Matth. Tomo 2. Oper. p. m. 118.* hæc leguntur: Hoc nomine nemi-

nem bonorum cognoſcimus in Scripturis eſſe appellatum ; ad malum enim & non indutum nuptialibus veſtimentis dicit Dominus *Matth.* 22. *Amice, quid huc veniſti, non habens veſtem nuptialem?* Malus autem eſt, qui & in parabolâ denarii audit : *Amice, non tibi facio injuriam, nonne ad denarium conveniſti mecum, accipe quod tuum eſt, & vade. H. ille.* Hoc autem minimè concedi poſſe, mox patebit. Certum quidem eſt, compellari eo nomine indignos, *Matth.* 20. *v.* 13. *cap.* 22. *v.* 12. itemq; ignotos & antea non viſos, ita *Hippocrates in Epiſt. ad Damagetum*, quem antea non viderat, ſcribit : Τί δὲ σὲ χρέος δεῦρ' ἤγαγεν ἑταῖρε : Et meretrix, ſpecioſo nomine rem odioſam denotante, apud *Platonē, Plutarchū & Athaneum* ἑταῖρα appellatur. Nihilô tamen minus etiam & honeſto ſenſu idem vocabulum pluribus in locis adhibitum eſſe, extra dubium poſitum eſt. Sic Abraham amicus Dei appellatur *Iacobi cap.* 2. *Geneſis* 15. *Roman.* 4. *Exodi* 33. Amicus etiam dicitur *Lib. Iudith. cap.* 8. *Eſaiæ* 14. Et *Dominus loqui à facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Et Johannes Baptiſta dicitur amicus ſponſi apud *Iohannem cap.* 3. Et Apoſtoli amici Chriſti non ficti, ſed veri, apud eundem, *cap.* 15. *Iudicum cap.* 14. *v.* 11. ἑταῖροι vocantur qui Samſoni in nuptiis ut apparitores & ſocii lætitiæ adjuncti erant. Ideoq; non obtinet *Origenes*, quod hæc vox ſemper in ſequiorem partem trahatur. Quandò autem Dominus ad Judam dixit : *Amice*, non illi illudere, ut quidam exiſtimant, ſed potius aculeum ipſius cordi infigere voluit, ut priſtinæ converſationis recordatus, ad meliorem mentem rediret, ac ſeriò reſipiſceret, quoniam teſte *Chryſoſtomo, Epiſt. ad Theodor. de reparat. Lapſ.* quod ſupra veri fidem aliis apparet, ne illud quidem peccatum Judæ majus fuiſſet, quàm auxilium, quod nobis à pœnitentia venit. *B. D. Polycarpus Lyſerus in Paſſione Domini noſtri I. C. Paraphraſticè editâ Dresdæ in* 12. *Anno MDXCVII. fol.* 83. blando *inquit* dicto Dominus tetigit ejus conſcientiam, dicens: *Amice, ad quid tu veniſti?* Sciebat quidem, non futurum, ut ille reſipiſceret, attamen nihil non facit, quo ille corrigeretur. Nam præter ſingularem atq; honorificum, cum quo dignabatur, τῷ ἑταῖρε, ſive

sive amici seu sodalis, titulum perelegantem, etiam addebat *Judæ* voculam, modò ut illum, qui amicitiâ divinâ jam exciderat, acerrimè eâ pungeret, hac quidem sequente nimio præ amore quasi adhibitâ alloquendi formula: Juda, tu nomen accepisti à confessione & Patriarcha ejus tribûs, ex qua venturum scis promissum mundi Messiam, nec ignoras me illum ipsum esse. Decuisset ergo tuam personam & nominis & officii ratione ut constanter me coram hominibus confitereris, sed tu osculo prodis filium hominis? Osculum mutuæ charitatis signum. Charitas autem ostendit, quinam sunt mei discipuli. Nihil igitur Juda, osculo simulato hostilius. *Zacharias Episcopus Chrysopolitanus in unum ex quatuor, Libro 4, cap. 161. Tomo 12. Bibliothecæ Magnæ Patrum, pag.* 189. Hoc verbum amice (hic) juxta ἀντίφρασιν intelligendum est, ut per contrarium dicatur amicus, qui non erat amicus, sed inimicus. Vel amicus dicitur, quia amicabiliter fuit electus in Apostolum â Domino: sicut ille, in Parabolâ fuit amicabiliter invitatus ad nuptias, cui dicitur, *Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?*

§. XV. Porrò illam Christi propositionem ἐφ' ᾧ πάρει, *in quo ades*, sive, *ad quid venisti?* nonnulli volũt enunciativè legi, adeoq; ἐλλειπτικῶς, ut tantundem sit, ac, *ad quod ades, perfice, age juxta animi tui sententiam, relicto velamento*. Mens enim erat proditio, velamentum osculum & blandus sermo, veluti *Remigius Episcopus* apud *Salmeronem* loco citato enucleat. Alii contra interrogativam propositionem esse volunt, & ᾧ pro τιν recte poni, quod & alibi apud veteres non inusitatum est, juxta *Grotium in Annotat. ad h. l.* ut sensus sit verborum, quæ Christus indignabundus, & Judæ vicem dolens, profert: Quo animo & cujus rei gratia venisti? Nam si ut amicus & sodalis ades, quorsum gladii & fustes? Si ut inimicus, quorsum oscula & blanda salutationis verba? Quæ interpretatio si secundum Evangelistarum verba judicandum sit, priori palmam præripit. Vix emerserat mundus è nihilo, nec extra cunas erat, quando DEUS ab Adamo, Eva, & Cain fratricida

veram & ingenuam confessionem oris exegit per Angelū, quem voluit adhibere Deus testem criminis abjurati. Subodoratur ibi & *Tertullianus* aliud, ita fatus *Lib. 2. contra Marcionem: Interrogat Deus, quasi incertus, ut & hinc liberi arbitrii probans hominem, in causa vel negationis, vel confessionis, ut daret ei locum sponte confitendi delictum & hoc nomine revelandi: sicut de Cain sciscitatur: Vbinam frater ejus, quasi non tam vociferatum à terrâ sanguinem Abelis audisset; sed ut ille haberet potestatem ex eadem arbitrii potestate sponte negandi delicti, & hoc nomine gravandi: atq; ita nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum, quàm negandorum, & jam tunc initiaretur Evangelica doctrina: Ex ore tuo justificaberis, & ex ore tuo damnaberis.* Ad eundem scopum hoc loco interrogatio Christi directa fuit, an forte Judas â malo proposito revocari posset. *Hippocratis* est effatum veridicum *Lib. 1. Aphorismor* quod confessioni quadrare potest: In perturbationibus ventris, & vomitionibus quæ sponte fiunt, si qualia purgari oportet, purgentur, confert. Anima in peccato diras patitur angustias, siquidem inquies ipsa sibi quoq; gravis est. Sed, si sponte sua (velut piscis Scolopender hamum, quem suppositum escæ prius absorpserat, apud *Ferrum in theatro Symbolorum,*) NOXIA EVOMIT, egerendo foras in confessione malum quod patravit, experitur veridicum esse secundum illum Hippocratis aphorismum, affirmantis, eas esse salutares ejectiones, quæ noxia sponte foras egerunt, acerbè prius viscere perturbato. Animam, quæ ante male habebat, fieri confessione sanam, Sancti Patres insinuant. *Ambrosius de Pœnitentiâ Lib. 2. cap. 7.* Qui jaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quasi in reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode ut justificeris, ore enim fit confessio ad Salutem. Consonat *Isidorus in Synonym. Cap. 12.* vitia, *inquit*, cordis tui revela, pravas cogitationes tuas illicò manifesta; peccatum enim tuum proditum cito curatur, crimen autem occultum tacendo ampliatur.

DISSERTATIO XXIV.

QUÆSTIONES ALIQUOT CIRCA JUDÆ FACTUM EXPENDENS.

Summaria.

I. *Intellectus scientificus perfectus. Homo naturaliter scire cupit. Archimedes & Solon studiis mirabiliter intentus.* II. *Iudæorum blasphemiæ in Christi omniscientiam retunduntur. Iudas noluit corrigi. Peccans crimen non agnoscit.* III. *Buccella ad quid Iudæ tradita. Non fuit corpus Christi. Acetaria paschali tempore apud Ebræos bellariorum vice apposita.* IV. *Cur Iudas Apostolis adscriptus? Bonus olim fuisse creditur, sponte autem malus fuit, nec debuit Christū prodere, quia prædictum erat à Prophetis.* V. *Deus malis operibus benè uti novit. Non frustra Iudas electus in Collegio Apostolorum.* VI. *Iohannes & Lucas Evangelistæ de Ingressu Diaboli in cor Iudæ conciliati.* VII. *Maligna Spiritalia. Diabolus corporaliter obsidere hominem potest, non autem animæ illabi, quod Dei proprium. Intimum & supremum in anima humanâ idem est.* VIII. *Dæmon intellectu aut voluntate humanâ ad operationem uti nequit, nisi influendo solùm per modum objecti. Seducturus hominem quibus vitiis addictus sit callidè explorat, & deindè incentiva eidem subministrat. Insidiæ Diabolicæ verbis tropicis detectæ. Tentat Dæmon vel palam crassè ac immediatè, vel clam, tectè & subtiliter.* IX. *Num Diabolus Iudæ assiduus comes fuerit? Origenes notatus. Ingressus Diabolici gradualis explicatio. Rabbinorum sententia de commissione peccatorum.*

§. I. ARistotelis Philosophorum summi est effatum, illud perfectum esse, cui nihil deest, Lib. 2. de Cœlo, cap. 4. Verum est axioma, modum si essendi spectes; quemadmodum intellectus perfectus est, quandò potest dici scientificus. Etenim potentiæ perficiuntur, si quandò suis habitibus congruis informantur. Undè quia omnia desiderant suam perfectio-

nem, ut bonum maximè conveniens, semper scire cupit homo naturaliter, juxta tritum illud Philosophi. 1. *Metaph. cap.* 1. Idq; non insito saltem appetitu, sed etiam elicito & necessario. Namq; liber appetitus quoad specificationē indifferens est, ac proinde potest appetere, aut non appetere. Sed homo nequit scientiam odisse, imò secus eam appetit necessariò. Quod si qui videntur eam odisse, labor ibi odio habetur, scientiæ comparandæ comes, sed non scientia ipsa, cujus inexhaustum natura sevit in humanis mentibus appetitū. Intellectus enim scientia ut habitu congruo perpolitur. Quapropter illam adipisci omni conamine allaborat, quasi sitibundus ore hiante sitim explere quærēs. Hinc fit, ut nulla proposita utilitate, sed sæpè etiam magno cum rei familiaris & valetudinis dispendio in illam summo studio homines ferantur. Testis est *Cicero L.* 2. *de Finibus bonor.* Natura, *inquit*, cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi, quod facilè apparet, cū vacui curis etiam quid in cœlo fiat, scire avemus. Et *Lib.* 5. *Fin.* Tantus est innatus in omnibus cognitionis & scientiæ amor, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum miraculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam subtiliter ducta, tam nitida & non uno genere formosa solitudini ostenderet. Nullius autem usus magis gratia, quam propter fugam ignorantiæ causæ cognoscendi ipsum scire prosequuntur homines. *Lib.* 1. *Metaph. cap.* 2. Hac voluptate captus, solertissimus ille cœlestium orbium non perscrutator tantùm, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, ita sæpe studio intentus fuisse legitur, ut in ipsâ Syracusanæ urbis direptione prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quàm urbem in hostium potestatem venisse sentiret. Solon etiam, cum in lectulo morti proximus, decumberet, inaudissetq; assidentes amicos de re quapiam, submissè, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogâsse eos perhibetur, ut aliquanto loquerentur clariùs, sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum è vita jucundiorem

rem fore. Cum autem quædam intellectus humani sphæram transcendant, & naturali rationis lumine indagari non possint, quid quod in disquisitione rerum naturalium sæpenumero lux mentis cœcutiat, ut noctua interdiu; ideò certos intra limites illud sciendi desiderium coercendum est, & omnia divinarum literarum arcana ad amussim veritatis revelatæ, juxta consensum Ecclesiæ Orthodoxæ examinanda sunt, ne extra hanc cynosuram transversim rapti in tenebrosum periculosorum errorum batathrum prolabamur.

§. II. Hujuspiè memores absolutis osculationis principalioribus circumstantiis, quæstiones quasdam non adeò vulgares proponimus, ne quidquam malignum Judæ factum concernens, prætermisisse videamur. Quærent igitur fortè curiosi homines, quales jam Chrysostomi ætate extiterunt, primò

Quare Christus Propositum Judæ non mutaverit?

Resp. Pessima Recutitorum natio multas & crudeles blasphemias dolosis linguis in Salvatorem nostrum vibrat, ac si ignarus fuerit, quid Judas contra se machinaretur. Ita enim ex Hebræis *Sebastianus Münsterus in Evangel. Matthæi Cap. 26. Tomo 6. Criticorum Sacrorum, Col. 757.* scribit: *Quomodo fuit (in Christo), „ Spiritus consilii, cum in Iehuda infatuaverit consilium ejus, & Iesus „ nescierit quid sit in corde Iehudæ? Aut si ipse fuit Deus, quis potuit „ eum tradere? Si autem non potuit scire, quid esset in corde Iehudæ, „ non erat Deus, sed & quid mali cogitavit Iehuda, aut quam proditio- „ nem fecit, cum Iesus ob id venerit in terram, ut traderet se ip- „ sum in manus hominum & occideretur.* At verò contumelias hasce excæcatorum gravissimas, & à Christianorum mentibus longè alienas prolixis verbis retundere, nihil attinet. Ecquis enim furiosorum deliramenta responsione dignari cupiat. Scimus interim ex sacrarum literarum Pandectis, Christo Theanthropo Omniscientiam vi unionis duarum Naturarum in unâ Personâ, tanquam necessarium apotelesma competere. *In ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ obsconditi sunt, Coloss.*

Coloss. 2. v. 3. *Non opus habet ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. Ioh. 2. 25. Scrutatur corda & renes, quemadmodum dicit similis filio hominis, scient omnes Ecclesiæ quod ego is sim, qui scrutatur corda & renes Apoc. 2. 23.* Illa momniscientiam comprobavit variis argumentis dum fidem paralytici & bajulorum vidit, *Matth. 9. 2. 4.* De Nathanaele *vide Ioh. 1. 49.* Lazaro mortuo *Ioh. 2. 11.* Verè igitur Petrus dicit *Ioh. 21. 17. mi Domine tu intelligis omnia.* *Et Damascenus lib. 3. cap. 21. Orthod. Fid.* scribit: Unum Christum eundemq; simul Deum & hominem omina scire: In ipso enim omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ absconditi latent. Et *Lib. 11. cap. 22. Orthod. Fid.* Etsi enim Christus ejus esset naturæ, quam futurarum rerum cognitio fugiat: tamen ob personalem cum Deo verbo unionem, omnium rerum cognitionem habebat: id quod non gratiæ, sed personali, ut dictum est, unioni tribuendum est. Idem enim ipse & Deus erat & homo. Allatam autem quæstionē laudatus *Chrysostomus* alio scrupulo excipit, *Tomo 3. Oper. fol. m. 187. de Proditione Iudæ*, taliter disserens: Quomodo Judas corrigi potuit, sponte an invitus? si invitus, nulla correctio est, nam mentis malitia necessitate non tollitur. Si sponte, omnia quæ meliorare animum poterant, audivisse cognoscitur, & si remedium respuit, non medici vitium est, sed languentis. Omnia crudelis contempsit, & DEUS illum non traxit invitum. Et quoniam bona atq; mala in nostra Deus potestate posuit, electionis liberum donavit arbitrium. Et nos invitos non retinet, sed volentes amplectitur. Nam non sponte bonus malitiam non amittit. Et ideò Judas nimiæ cupiditatis præcipitatus ardore, cæcâ quadam improvisione deceptus, suam vendidit animam, & suæ salutis mercator extitit. Dederat ei Dæmonum potestatem, gehennæ tormenta monstravit, cœlorum regna promisit, secreta ejus mentis & prædicebat, & non publicabat. Pedes ejus cum aliis lavit, mensæ fecit participem, nihil penitùs prætermisit; sed ille in malitia sponte duravit, & omnibus admonitionibus spretis proditor malignus emersit. Et ut eum posse mutari, sed corrigi noluisse cognoscas, postquam eum tradidit,

jacta-

jactavit triginta denarios & dixit: *Peccavi tradens sanguinem innocentis.* Quid est, quandò ab eo mirabilia gerebantur, & rebus ostenditur, non dixisti, *peccavi tradens sanguinem: sed, quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum?* & post factum scelus, post commissum delictum, completam proditionem, post perfectum peccatū, cognovisti peccatum. *Hactenùs ille.* Voluit omnino Christus in rectam viam Judam revocare, ut â cruento facinore, cui accessum jam ante quæsiverat desisteret: Id quod ex comminatione pœnæ gravissimæ colligitur, quâ Christus horrendo velut tonitru lapideum pectus percutiebat: οὐαὶ δὲ, inquit, τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται. Καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. At verò Judas jam fascinatus se leve crimen perpetrare judicabat, quoniam juxta monitum *Menandri apud Stobæum*,

> Οὐδεὶς ξυνοιδεν ἁμαρτάνων πόσον
> Ἁμαρτάνει: Τὸ μέγεθος ὕστερον δ' ὁρᾷ.
>
> *Quantum suum sit crimen haut quisquam videt,*
> *Dum peccat; istud reperactâ conspicit.*

Eandem ob causam Christus in cœnâ proditorem omnibus Apostolis non manifestavit palam, sed in secreto Johanni, & dixit *Unus ex vobis. Hieronymus in cap. 26. Matthæi.* Qui de passione prædixerat, etiam de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas, & occulta consilia, cum pœniteret facti sui. *Chrysost. homilia 82. in Matthæum.* Vide quomodo illi valdè indulget, non enim dixit, *ille me tradet, sed unus ex vobis*, ut rursus pœnitentiæ occasionem latenti meliorem præberet. Itaq; maluit omnes illos terrere, quàm huic pœnitentiæ irritamenta non dare. *Leo Sermone 7. de Passione cap. 3.* Notam sibi esse Proditoris conscientiam demonstravit, non asperâ, nec apertâ impium increpatione confundens, sed leni ac tacitâ admonitione conveniens, ut faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformâsset abjectio, cùm autem reliquis Apostolis proditorem suum Dominus vellet significantiùs indicare, dixit, *Qui mecum manum intingit in paropsidem*; quod nondum exactè capiebant, igitur Petrus ad Johannem conversus innuit, ut sciscitaretur

taretur, quis esset, de quo loqueretur, ut omnes individualiter cognoscerent. Quapropter cum recubaret Johannes super pectus Jesu, dicit: *Domine, quis est?* Respondet Jesus, *ille est, cui ego intinctam buccellam porrexero, & cum intinxisset, panem dedit Judæ Simonis Iscariothæ.*

§. III. Per buccellam intinctam ac Judæ oblatam illum innuit, ut vaticinium Davidis *Psalmo* 40. compleretur: *qui edit panem meum, magnificavit super me supplantationem. Origenes Tractatu* 35. *in Matthæum scribit:* Videns eos de se ipsis timentes, demonstravit proditorem indicio Propheticæ vocis, dicentis: *qui manducat panem meum, amplificavit adversus me supplantationem:* nec enim discrepat illud ab hoc, *quod dicit, qui tingit mecum manum in paropsidem hic me tradet. Hieronymus in cap.* 16. *Matthæi.* O mira Domini patientia! Primùm dixerat, unus vestrûm me traditurus est. Perseverat proditor in malo, manifestiùs arguit, & tamen nomen propriè non designat. Judas cæteris contristatis & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo, temeritate & impudentia, quâ proditurus erat, etiam manum cum Magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. *Chrysost. homilia* 82. *in Matth.* Quidam asseverant, ita illum impudentem fuisse, ut parvipendendo Magistrum cum ipso tingeret: mihi autem videtur Christi hortatu id quoq; factum fuisse, vel ut magis Judas afficeretur, vel ut majore detineretur pudore, etenim in hoc non parvus est affectus. Confer *Theophylact. in Cap. Matthæi* citatum. Hic quærit *Nicolaus Oranus concione* 16. *p.* 182. *de Judæ proditoris Apostasiâ, edit. in* 8. *Duaci, cur panis intinctus à Domino Judæ traditus sit?* & respondet: hoc factum est ad rei mysterium, ut falsum à veris Discipulis discerneret, nec enim alteri quàm Judæ panis intinctus datus est, ut eum nonn si pinguem è manu Christi reciperet. Nec desunt Ecclesiastici, inquit *Johannes Maria Capalla libro qui vocatur Arca Salutis,* qui Judæ luem hodiè imitentur, qui ad solam pinguedinem muneris Ecclesiastici & beneficium obtutus defigentes anhelant, renuunt autem quæcunq; non sunt conspersa pinguedine temporalium

um redituum, quæ autem pinguia conspiciunt, non solum porrecta suscipiunt, sed & invicem & è manibus distribuentium, quo possunt conatu, extrahere moliuntur. Secundò dat intinctum panem, & jure sordidatum, ut se sordidũ Judas agnoscat, & â Christo dari, ut resipiscat, ut mente peccata recoleret, quæ etsi *ut pannus menstruatæ forent, & tincta ut coccinum, tamen adspersa hyssopo doloris posse penitùs contritionis conversione emundari.* Verum quia intinctus panis nullatenus emundari & abstergi possit, cujus juris immunditia intima panis intrat penetralia, Judæ peccatum designat, quo totus contaminatus ipse existebat. Immundo Judæ panis debetur immundus, cujus omnia sunt immunda. Sed quia habitaculum suorum præcordiorum immundo spiritu præparaverat, sibi mystico sensu panis immundus porrigitur, & ut agnoscat â nemine se posse mundari, nisi ab ipso porrigente, & suam necessitudinem significante, secundum quod scriptum est *Iob.* 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* Cæterùm buccella intincta non fuit corpus Christi, quia materia Eucharistiæ fuit purus panis, non tinctus. Paschalis itaq; non solum sed & vulgaris & sacramentalis cœna fuit finita, cum Christus panem intinctum traderet. Solebant in feriis Paschalibus loco bellariorum apponere in τρυβλίῳ acetarium ex intybis & lactucis agrestibus paratum, in quod embamma panem azymum intingebant. Illud unà cum pane & vino etiam post cœnam in mensâ relinquebatur, uti ex *Rituali Hebræorum Gerhardus in Harmoniâ cap.* 172. refert. Ergò panis vel intinctus fuit in illud embamma, vel in vinum, uti *Nonnus Paraphrastes Iohannis* statuit, scribens: Intincto pane extremo in poculo vini pleno impudenti Judæ panem præconem sui interfectoris lucri cupiditate capti dedit.

§. IV. Affinitatem cum priùs adducta quæstione habet ζήτημα: *Quare Christus Iudam in Collegium Apostolorum adsciverit, cum juxta testimonium Iohannis cap.* 13. 18.. *Actor.* 1. 16. *Diabolicus vir esset?*

Resp. Vero maximè & rationi consentaneum est, Judam cum

â Christo ad Apostolatum vocaretur, virum bonum fuisse, neq; enim conveniens & decens fuisset, â Christo eligi ad Apostolatum hominem pessimum atq; perditum, cum ipse ad quoslibet Ecclesiasticos gradus, non nisi viros bonos promoveri jubeat. Hanc sententiam passim Ecclesiæ Doctores amplectuntur, eosq; numero superant, qui negativæ favent, quod ut luculentiùs pateat, verba illorum bona fide dabimus. *Chrysostomus Tomo 5. operum, sermone 1. de jejunio fol. 74. a.* Sciebat Salvator, quod Judas traditor esset, cur igitur eligitur? ut commendaret excellentem misericordiam, quasi dicat, quod in me est, & Apostolus es, & cum discipulis te numero, quod si tu indignum te declaraveris, conspicua erit quidem excellens mea misericordia, sed & manifesta erit prodigiosa tua malitia. Nam & marsupium illi suarum rerum concrediderat, non ignorans quod furaretur, sed volebat dando hanc potestatem mederi illius avaritiæ. Sciebat igitur & prædicebat; Non solum præscius erat, sed & sæpè prædicebat: *Vnus ex vobis me tradet.* Cur igitur accusaretur, quod malitiâ suâ boni dispensationem implet? Sed qui eum elegit, non proditorem coegit fieri, sed Apostolum. Sed neq; Apostolum fieri coëgit. Nam quod ex necessitate fit, ipsum dicitur fieri, non fit. Continens ex necessitate non est continens, eò quod necessitas sit. Non enim vinculis virtus, sed electione vitæ constat. *Idem homilia 10. de pœnitentiâ*: Innuit ante bonum fuisse Judam, quam proderet. Judas, *ait*, Apostolus erat, sed pigritans factus est proditor. *Didymus Alexandrinus Tomo 4. Bb. Pp. pag. 266. libro contra Manichæos in initio*: Non erat naturâ malus, (Judas) pariter cum omnibus discipulis audivit, *ecce, ego vos mitto tanquam oves in medio luporum*, si lupos dicit eos qui peccant, oves verò, qui virtuti operam navant. Judas autem natura malus erat postea, non erat ovis Christi, quia non aptus est ad vacandum virtuti, qui malus naturâ est. Imò nec ipse Diabolus secundum naturam malus est, sed ex mutatione liberæ voluntatis. Non erat talis cum unus ex Apostolis esset, & una Domino ministrabat. *Ambrosius Commentar. In Epist. ad Roman. cap. 9. Tomo 3. oper. col. 37.* de Juda Iscariothe

riothe dicit Petrus Apostolus *Act. 1. qui sortitus est sortem ministeris hujus, id est, Apostolatus.* Quomodo igitur ministerium salutare potiretur, nisi esset bonus. In sorte enim Dei judicium adfuit, dignum illum fuisse tempore, quo electus est. Sed nihil ei profuit propter Charitatis defectum. *D. Hieronymus Lib. 3. contra Pelagianos cap. 2.* Interroga Christum, cur Judam elegerit proditorem? Cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat? Vis audire rationem, Deus præsentia judicat non futura, neq; condemnat ex præscientiâ, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat. Sed tantæ bonitatis est & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum esse futurum, dans ei potestatem conversionis & pœnitentiæ. *Cyrillus Alexandrinus Lib. 4. in Iohannem cap. 30. p. m. 514. sic Christum cum Apostolis loquentem facit*: Ego vos, ut bonos elegi, non ignorabam, sed cognoscebam ut Deus corda vestra, sed rapuit unum vestrum avaritiâ deceptum Diabolus. Liberum enim animal homo est, & potest sive dextrum sive sinistrum veliti ter (virtutem dico, aut vitium,) eligere. *Idem in Iohannem libro 9. cap. 10. p. m. 612. Tomo 1. Oper. Edit. Paris. in fol. Anno 1605. Quaret aliquis primùm, si omnia scire Christus creditur, cur Iudam, qui futurus proditor erat, elegerit? Cur enim cum aliis eum connumeravit, quem non ignorabat quæstus cupiditate captum in Diaboli laqueum esse casurum? Deinde si calcaneum suum adversus Christum levavit, ut adimpleretur Scriptura, non fuit sanè ipsius rei causa, sed vis illa quæ adimplere Scripturam omninò cogebat.* Adhæc nos breviter prop-„ ter communem utilitatem respondentes, primũ illud dicimus,„ nunquam hujusmodi rationes nobis defuturas, nec finem un-„ quam nos esse facturos increpandi, carpendiq; Deum, qui prop-„ ter immensam suam misericordiam à nihilo ad esse omnia voca-„ vit, si sic imperitè affecti erimus, ut in omnibus quæ à Deo facta„ sunt, similia velimus excogitare. Quid enim prohibebit Deum„ incusare ac dicere: *Cur in Regem Saulem elegisti, quem sciebas gra-„ tiam tuam esse spreturum? item cur primum è terra hominem formâ„ sti, quem haut ignorabas mandata non servaturum.* Ascendet hæc

,, oratio etiam in superiora. Cur enim Angelorum naturam ,, creâsti, quam ut Deus prævideris futuram nonnullorum rebel- ,, lionem. Ex istis cæterisq; hujusmodi porrò illud sequitur, ut ,, præcognitionis causa, aut nihil omninò creare debuerit, aut in- ,, sensatam solummodò naturam producere, undè nec natura esse ,, Deus cognosceretur. Illud igitur maximopere considerandum ,, est, quia rationali creaturæ liberam potestatem creatorum lar- ,, gitus est, & suæ voluntatis habenas cuiq; commisit, ut in eo sit, ,, quicquid probaverit, eligere. Qui ergò ad meliora flexi sunt, ,, hi gloriam atq; retributionem electioni suæ consentaneam ,, invenient. Qui verò improbis cogitationibus seipsos depravâ- ,, runt, cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non injuriâ ut ,, ingrati atq; improbi æternis vexabuntur suppliciis. In hoc statu ,, (*libertatis dico*) fuit angelorum natura constituta. Quare, qui ,, principium suum servârunt, in gratiâ confirmati stabilem ac fir- ,, mam bonorum possident sedem, qui autem principio relicto suo ,, ad pejora delapsi sunt, catenis tenebrarum seipsos adstrinxe- ,, runt, & perpetuæ damnationi servantur. Sic & primus homo in ,, paradiso & spiritualibus deliciis ac gloriâ positus, servâsset pri- ,, ma profectò naturæ bona, nisi crimine inobedientiæ mandata ,, sibi divinitùs neglexisset. Sic & Saulem unxit in Regem, fuit ,, enim primò non improbus, cumq; postea solitam sibi probita- ,, tem non servaret, non injuriâ vexabatur. Sic Judam quoq; ,, ipsum legit, & cum XII. collocavit: aptus enim in initio erat, ,, qui ad sequendum Christum eligeretur: verùm quoniam post- ,, eà sensim turpi quæstu ductus Diabolo adhæsit, & ad proden- ,, dum usq; delapsus est, meritò repulsus fuit. Nihil ergò in eum ,, possumus dicere, qui probum elegit, qui si voluisset, non ceci- ,, disset, qui poterat totam mentem atq; animum suum in chari- ,, tatem Christi collocare. Nemo autem putet, ut breviter et- ,, iam alterum peragamus, idcircò quæ à Prophetis dicta sunt, in ,, exitum venire, ut adimpleatur Scriptura. Nam si sic esset, lau- ,, dari potiùs quam vituperari tanquam Scripturarum Ministri, ne- ,, quam homines possent, quippè nec deliquisse omninò videren- tur,

tur, si coacti fecissent. Nam si adimplere Scripturam necesse,, esset, illi per quos adimpletur, nullo crimine profectò tenerentur. Præterea in Scripturæ auctorem culpa redundare videretur, siquidem, ut adimpleretur scriptura, vi quadam malâ commiserint. Sed quis adeò rationis ac mentis inops erit, ut Scripturam Sancti Spiritus peccandi causam attulisse homini unquam credere possit? Non ergò ut adimpleatur Scriptura, nec ista de causâ facta sunt â quibusdam quæ Scriptura prædixit, sed contra: quoniam ita nonnulli spontè facturi erant, idcircò præsciens Spiritus S. futura prædixit. Quum igitur facta sunt, quæ prædixit, pignus fidei prædictionem habentes cum jam cognoscimus, de quo ista prædicta fuerunt. *Euthymius in Iohannis cap. 6.* Nihil, *inquit*, novum, quod Judas cum eligeretur, bonam habuerit voluntatem, postea autem sit immutatus tanquam libero usus arbitrio. *Theophylactus in Luca cap. 11.* Judas pro tempore bonus fuit, & Apostolatu non indignus, ut discamus, quod non propter futuram malitiam DEUS quenquam aspernetur mala operaturum, sed propter præsentem virtutem etiam honorat quem scit futurum malum. Confer eundem *in Marci cap. 3. pag. 205. Bernhardum Tomo 2. Oper. Col. 30. Epist. 9. Tomo 1. Col. 997. Serm. 66. super Canticum. Ambros. in 1. ad Corinth Comment. C. 14. cap. 483. Hieronym. in Commentar. ad Ezech. cap. 20.*

§. V. Inter illos qui negant Judam fuisse initiò bonum, agmen ducit *Augustinus Tomo 8. Oper. Enarrat in Psalm 55. p. m. 222. C. 1. Verba* ejus sic sonant: Sciens Dominus elegit Judam, undè tibi solatium faceret nescituro, quos devites. Poterat enim ille non eligere Judam, qui noverat Judam, ait quippè discipulis *Ioh. 6. Nonne ego vos 12. elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* Ergò & Diabolus electus est? aut si electus non est, quomodo 12. elegit, & non potiùs undecim? Electus & ille est, sed ad aliud. Electi undecim ad opus probationis, electus unus ad opus tentationis, undè possit tibi exemplum dare nescituro, quos devites malos, quos caveas falsos & fictos, incolentes & abscondentes. *Tom. 9. Op. exposit. in Evangel. Iohann. tractatu 28. cap. 7. pag. 96. An eligitur*

& Za-

„ *& Zabulus, & in electis est Zabulus?* Electi in laude solent dici,
„ an electus est & iste, de quo nolente & nesciente magnum ali-
„ quid boni fieret? hoc est proprium Dei, contrarium iniquis.
„ Sicut enim iniqui malè utuntur bonis operibus Dei, sic contra
„ Deus benè utitur malis operibus hominum iniquorum. Si er-
„ gò ipsius Zabuli malis operibus benè utitur Deus, quod facit
„ malus, malè utendo sibi nocet, non bonitati Dei contradicit.
In Johann. cap.13. Tractatu 59. Dicit Dominus, non de omnibus vobis dico, scio quos elegerim: sed ut impleatur Scriptura Psalmo 40. *Qui manducat panem meum levabat super me calcaneum suum.* Hoc quid est aliud, nisi conculcabit me? notum est, de quo loquatur, *Judas ille traditor ejus attingitur.* Ergò ipsum non elegerat, undè ab iis quos elegit, isto sermone discernit. Non est igitur traditor Judas electus? quid est ergò quod alio loco dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* An & ipse ad aliquid electus? ad quod utiq; erat necessarius, non autem ad beatitudinem. Et in *Psal.* 34. Moraliter ait propterea electum, ut malorum improbitatem nos ferre doceret Christus, quia, inquit necessè erat, ut malos, sive scientes, sive nescientes toleraremus, exemplum patientiæ præbuit Dominus, ne deficias, cum cœperis inter malos vivere. Et *lib.18. de Civit. Dei. cap.* 49. Habuit Christus inter discipulos unum, quo malò utens benè & suæ passionis dispositionem impleret, & Ecclesiæ tolerandorum malorum præberet exemplum. *Idem fermè ex verbis Ambrosii de Paradiso, cap.8. colligitur*: Ut igitur muneris agnosceret magnitudinem, electus est ad Apostolici culminis dignitatem; qui jam vitiis animum imbuerat, pietatis divinæ intuitu sese à vitiis & præteritâ seculi conversatione subtraheret. Et sic quo majora fuêre beneficia, eo sibi majora cumulavit supplicia. Electus est igitur Judas in Collegium Apostolorum, non per imprudentiam, cum Christus nôrit esse Diabolicum virum, sed ut Scriptura impleretur, juxta eundem in *cap.6 Lucæ, Tomo 3. Oper. Col.*100. *D. Thomas ad Matth.*
„ *cap.* 10. alias addit rationes, nempè ut daret documentum Chri-
„ stus, quod dignitas status non sanctificat hominem. Item, ad
notan-

notandum, quod vix contingit, quin in magna congregatione sit „ aliquis malus, & ideò ita ponitur, ut ostendatur, quod boni ali- „ quandò non sint sine malis. *Canticorum 2. 2.* dicitur: *ficut lilium* „ *inter spinas, sic amica mea inter filias.* Deniq; ut futura Ecclesia „ caperet consolationem, vel ii maximè roborarentur qui Ecclesiis „ præsunt, ut cum quis ex Discipulis & auditoribus eorundem pe- „ rierit, derogantibus respondeant, dicant insultantibus, ne mire- „ mini, idem Christo accidit. Annotante Ruperto. *Confer Benedicti Pererii in Cap. 17. Iohannis Disputat. 46. fol. m. 127. Althoferi Harmon. Quatuor Evangelistarum emedullatam, p. 637. D. Iohann. Quistorpii Annotat. Biblic. ad Marci cap. 3. pag. 86.*

§. VI. In *Lucæ capite vigesimo secundo, versu tertio* dicitur, quod Satanas ingressus sit Judam antequam ad Pontifices abierit, & de proditione pactum cum illis formarit. *Iohannes* autem *Capite tertio decimo, commate vicesimo septimo* scribit: *Post acceptam à Christo buccellam Sathanam illum intrâsse.* Hoc factum est feriâ quartâ & sic ante passionem biduo, illud autem in ultimâ cœnâ, quomodo hæc conciliari queunt? Valdè enim controversum est, qua ratione & quo tempore Diabolus Judam intraverit. Num fortè Judas post proditorium pactum seriis Christi hortationibus commotus, pœnitentiam agere voluit, & Diabolicis suggestionibus refragari cœpit: Postea verò avaritiâ & odiô erga Christum illectus promissam traditionem executurus â Diabolo denuò se illaqueari passus est, & acceptâ buccellâ ad Pontifices se contulit, uti Johannis Evangelistæ historia indigitat? Ita cogitare nec Judæ ingenium, neq; historia Evangelica permittit. Judam enim suum consilium mutare voluisse nullibi legimus, quin potius contrarium ex *Matthæi* verbis patet, quando ait; *Ex illo tempore, subintellige, postquam pactus fuerat cum Pontificibus, quærebat opportunitatem Christum sine tumultu tradendi. Augustinus Tractatu 62. in Iohannem* respondet per distinctionem: prius intraverat Satanas in Judam, immittendo in cor ejus cogitationem, quæ traderet Christum, post panem intravit in eum, non ad hoc, ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret. *Beda in Luca 22. cap.* Quem

nunc intravit ut deciperet, postmodum intravit ut sibi jam traditum plenè possideret. Nunc intravit ut quasi adhuc alienum tentaret, tunc ut quasi proprium ad quæcunq; vellet, agenda noxia traheret. *Ambrosius Libro 3. Epist. 25.* Immisit se Diabolus in cor Judæ, quasi possessionem suam vendicans, quasi portionis suæ jus retinens, quasi dicens : *Non est tuus, ô Christe, sed meus est minister tuus proditor.* Sicut viri justi qui prius habuerunt Spiritum Sanctum, dicuntur repleti Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus venisse in eos, quandò ad novum aliquem effectum operandum eos invadit & movet *Lucæ* 1. 41. *&* 67. *Actor.* 4. 8. *cap.* 13. 9. vel quandò cum signo & symbolo quodam externo peculiaria Spiritus Sancti & priorum donorum augmentum ipsis dantur, *Acto* 2. 4. *cap.* 4. 31. *cap.* 9. 14. Sic in Judam post acceptam buccellam dicitur intrâsse Satanas, quia eum ad scelus proditionis perficiendum, ad quod operam suam Scribis & Pontificibus ære locaverat, instigavit. Cum igitur *Lucas* dicit : Εἰσῆλθε ὁ Σατανᾶς εἰς Ἰούδαν, ex mente plerorumq; Interpretum notat Diabolum immediatè pravas & peccaminosas suggestiones Judæ inspirâsse, sunt enim hæ tentationes τὰ ἴδια αὐτῷ, quibus animos hominum illaqueare, & in infernale barathrum præcipitare solet. Quemadmodum qui divino motui se & voluntatem suam subjicit, Spiritus Sancti inhabitante gratiâ repletur : ita qui Diabolicis inspirationibus vi & efficaciâ precum non resistit, succumbere necesse habet, ac uniri cum tentatore, qui per prava opera, quando in mancipiis suis ἐνεργεῖν incipit, cognoscitur.

§. VII. Ut autem exactè pateat, quomodo phrasis illa *immisit*, sivè, *injecit in cor Judæ*, intelligenda sit, observandum est, immissionem illam non fuisse obsessionem quandam corporalem. *Augustinus Tomo 9. Oper. Tractat. 55. in Iohann. cap. 13. p. 161.* Si quæris, *inquit*, quid missum sit in cor Judæ? hoc utiq; ut traderet eum. Missio ista spiritalis suggestio est. Non fit per aurem, sed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter sed spiritaliter. Neq; enim spiritale quod dicitur, semper in laude accipien-

cipiendum est. Novit Apostolus *Ephes. 6. 12.* quædam *spiritalia nequitiæ in cœlestibus, adversus quæ nobis colluctationem esse* testatur. Non autem essent etiam *maligna spiritalia*, si non essent etiam maligni spiritus. *A Spiritu enim spiritalia nominantur. Duplex ergò obsessio est, corporalis & spiritualis.* Corporalis juxta Scholasticorum placita, notat intimam & substantialem præsentiam, ita ut obsessorum corpora à Diabolo substantialiter intrentur, & iste ingressus tam quoad οὐσίαν, quàm quoad ἐνέργειαν ibi habitet. *Lucæ 11. v. 26.* Undè propterea hôc modô obsessi dicuntur ἐνεργούμενοι, nec tamen Diabolus illorum animis illabi potest. Illabi enim iisdem Scholasticis adserentibus, denotat non solùm intimam præsentiam ejus, quod illabitur & cui illabitur; sed etiam omnimodam & plenam præsidentiam & dominium illabentis super illapsum. Quamvis ergò Dœmon possit esse substantialiter præsens animæ & corpori, illabi tamen ei simpliciter est impossibile: quia hoc tolleret ab anima arbitrii libertatem & divinam præsidentiam. *Solus vero Deus illabi potest hoc modo animæ rationali, cum ipsi soli plenum dominium competat. Thomas Aquinas Quodlibet. 3. quæst. 3. Artic. 8. Tomo 8. Oper. fol. 14. fac. 2. scribit*: Diabo-,, lum inhabitare hominem potest intelligi dupliciter, uno mo-,, do quantum ad animam, alio modo quantum ad corpus. Quan ,, tum ad animam quidem non potest Diabolus inhabitare homi-,, nem substantialiter, quia solus Deus illabitur menti, nec ita,, Diabolus causat culpam, sicut Spiritus Sanctus gratiam. Spiri-,, tus enim Sanctus interiùs operatur, sed Diabolus exteriùs,, suggerit, vel quantum ad sensum, vel quantum ad imaginatio-,, nem. Dicitur tamen inhabitare affectum hominis per,, effectum malitiæ, non solùm quando ex ejus suggestione,, peccatum perpetratur, sed etiam per quodcunq; peccatum,, mortale, quia ex quocunq; peccato mortali homo servituti,, Diaboli addicitur: sed quantum ad corpus, Diabolus potest,, hominem substantialiter inhabitare, sicut patet in arrepti-,, tiis. *Idem in 2. Sententiarum Petri Lombardi Distinct. 8. Articulo 6.*

Tomo 6. oper. fol. 28. facie primâ. Gennadius in Definitionibus Ecclesiasticorum dogmatum ait: Dæmones per energiam (operationem) non credimus substantialiter illabi animæ: sed applicatione & oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit, qui natura subsistens incorporeus capibilis est suæ facturæ. Ecce hic videtur insinuari, quod substantialiter non illabantur Dæmones, vel introëant corda hominum vel corpora. *Beda quoq; super illum locum Actuum Apostolicorum*, ubi Petrus Ananiæ, cur tentavit, vel implevit Satanas cor tuum *Cap. 5.* dicit: notandum, quod mentem hominis juxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas, quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctum anima de his quæ sunt, impletur. Implet ergò Satanas cor alicujus, non quidem ingrediens in eum & in sensum ejus, neq; introiens aditum cordis, siquidem potestas hæc solius Dei est, sed callidâ & fraudulentâ deceptione animam in effectum malitiæ trahens per cogitationes, & incentiva vitiorum, quibus plenus est. Implevit autem Sathanas cor Ananiæ non intrando sed malitiæ suæ virus inferendo. *Bonaventura Doctor Seraphicus Tomo 4. oper. in 2. Sentent. Distinct. 8. parte 2. quæst. 2. p. m. 125.* Illabi animæ importat quod illud intimum sit ei, & quod intimè operetur in illo. Nihil autem tale est respectu animæ nisi solus Deus, ideò solus divinus Spiritus potest animæ illabi. In anima namq; humana idem est *intimum & supremum*. Hoc patet, quia secundum suum supremum maximè approximat Deo, similiter secundum suum intimum. Undè quantò magis redit ad interiora, tantò magis ascendit & unitur æternis. Et quia solus Deus superior est mente humanâ, secundum sui supremum, solus Deus potest menti esse intimus. Et ideò illabi spiritui rationali est divinæ substantiæ proprium. *Augustinus de fide ad Petrum cap. 3.* Inest singulis spiritibus naturalis terminus, quo â se invicem distinguuntur, & unus in altero non est, anima autem humana Spiritus est, Ergò non potest esse in Dæmone, nec Dæmon in eâ, ac per consequens nec illabi. Confer *Gerhardi Disputat. Isagogic. 15. cap. 8. th. 10.*

§. VIII.

§. VIII. Dices: poteſt Dœmon operari in intellectu & voluntate per ſenſum, phantaſiam & appetitum, item, poteſt ſe conjungere animæ, Ergò poteſt quoq; illabi animæ. Reſp. Non absq; certo quodam medio hoc fieri poteſt. Nam ſatis non eſt, ut id, quod illabitur nō diſtet ab eo, in quo illabi dicitur, & concurrat cū illo per modū objecti, aut ſpeciei ſupplentis vicem objecti ad cognitionem eliciendam, ſed requiritur, ut illud, quod illabi dicitur, interiùs operetur, utendo intellectu aut voluntate ad operationē, quo pacto *cor Regis dicitur eſſe in poteſtate manus Domini, ut quocunq; voluerit, vertat illud, aut etiam, immittendo interius in intellectum aut voluntatem aliquid, quo inclinetur & alliciatur ad operandum.* Licet enim Dœmon aut Angelus bonus excitare poſſit cogitationes in Imaginatione, aut concupiſcentiam in appetitu ſenſitivo, factâ mutatione in organis corporeis, intus tamen in intellectum & voluntatem non poteſt quidpiam operari, niſi exteriùs proponendo atq; adeò influendo ſolùm per modum objecti. *Ludovicus Molina Commentar. in 1. Divi Thomæ partem Tomo 2. quæſtion. 56. Artic. 2. pag. 1720.* Apprimè huc facit, quod *Didymus Alexandrinus Lib. 3. de Spiritu Sancto apud Hieronymum, Tomo 6, Operum. pag. 233.* exhibet ſcribens: Quod Satanas mentem „ alicujus & principale cordis impleat, non ingrediens eum & in „ ſenſum ejus, atq; ut ita dicam; in aditum cordis introiens, ſiqui „ dem hæc poteſtas eſt SOLIUS TRINITATIS; ſed quaſi calli- „ dus quidam & nequam, ac fallax fraudulentusq; deceptor, in „ eos animam humanam malitiæ affectus trahat per cogitationes „ & incentiva vitiorum, quibus ipſe plenus eſt. Ad hoc, quod Sa- „ tanas JUDAM intrâſſe dicitur, reſpondet, quod obſervans „ Diabolus, quibusdam motibus & operationum ſignis, ad quæ „ potiſſimum vitia Judæ cor proclivius, deprehenderit eum pate- „ re inſidiis avaritiæ, & reperta cupiditatis janua, miſerit in men- „ tem ejus, quomodo deſideratam pecuniam acciperet, & per „ occaſionem lucri proditor Magiſtri & Salvatoris ſui exiſteret, „ argentum proprietate commutans, & ſuſcipiens pretium ſcele- „ ris à Phariſæis atq; Judæis. Hanc ergò cogitationis occaſionem, „

„ locum tribuisse Satanæ, ut in cor ejus introiens, impleret eû pessima cogitatione. Introivisse igitur non secundum substantiam, „ sed secundùm operationem, quia introire in aliquem increatæ „ sit naturæ ejus, quæ participetur à pluribus: Imparticipabilem „ autem esse Diabolum, quippe non creatorem subsistentem, &c. „ Insidias Diabolicas aliquantulum verbis tropicis detegit *B. Ephræm. Sermon. Exhortat. ad Fratr. citante Filesaco de Idolol. Mag. p. 7.* „ Caveamus, inquit ejus insidias quoniam per eas adversum nos „ decertat; ne dum nos velut ex omni parte securos ducimus, ipse sibi ingrediendi locum inveniat. Si enim tanquam Leonem „ firma murorum communitione ipsum arceamus, tanquam canis efficitur, ut propter vilitatem eum minimè devitemus. Si „ ut canem excludamus, volucris instar per fenestram ingreditur. Metuimus eum, dum aquilam se exhibet, & mox passerculus apparet. Ejicimus ut corvum, velut apis insilit: cumq; in „ omnibus cognoverimus eum, tunc in culicem sese transformãs, „ non exigua nos injuriâ afficit. *Augustinus Lib. 3. de Consens. Evangelist. cap. 1.* Quomodo Satanas cor Judæ intrat, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum? De iisdem *B. D. Dannhauerus Theolog. Conscient. p. 147.* eleganter his „ verbis disserit: Tentare solet hic tenebrio vel palam, crassè ac „ immediatè, quali pirasmo afflixit Apostolum colaphis cæsum, „ & palo sauciatum: vel clam, tectè, subtiliter, per tela ignita subitò immissa, opinione citius ferientia, ipsis quandoq; precibus „ scævum quid injicientia, per suggestiones instar ignis aut fulminis vibrati, penetrantes, inflammantes, subtiles, celeres, „ quibus inflammat subjecta inermia, & facilè vincit, cum intra „ obsidionem concupiscentias inveniat, quasi proditrices, in his „ semen suum effundit Pater mendacii, ut tandem prolem pariat „ sui similem, filium Belial.

§. IX. *Leopoldus Mancinus in Commentario de Passione Nov-antiquâ Lib. 10. Dissertat. 1. Puncto 3.* nonnullos allegat, qui Diabolum dextro Judæ lateri adhæsisse putârunt, postquam illum devicerat, adeoq; individuum ipsius fuisse comitem, qua de causa Judas

Judas etiam dictus sit Diabolus. Siquidem ut ille, qui Deo adhæret, unus Spiritus fit cum illo, docente *Cyrillo*, ita qui Diabolo se associat, Diabolus quodammodo efficitur. Sed hæc suis auctoribus merito defendenda relinquo, quia de isto negotio scripturæ codex nihil quidquam commemorat. Præterea alii, ut de temporis articulo aliquid adducam, Diabolum in Judam introivisse statuunt, quandò in sanctissimum Salvatoris caput sanguinolenta consilia fabricavit. Atq; ita non tam buccellam assumtam (quam tamen *Origenes in Iohannis Caput 16.* Judam non comedisse suspicatur, instigante scilicet Satana, ne proditor ex offulæ usu aliquod adjumentum perciperet, vel planè traditionem intermitteret:) secutus videtur, quàm pristinam habitationem repetiisse; non secus ac is, qui ingreditur domum emendam ut eam videat, & postquam emit, ut Dominus & possessor intrat. Pulcrè de hoc ingressu *Hugo Grotius ad Luc. 22. v. 3.* agit. Hunc, inquit, ordinem in Judâ observare est: Primùm avaritia tentatus furto se alligavit, & quidem in pecuniâ pauperibus destinatâ. *Iohannis 12. v. 5.* Neq; id satis habens homo sacrilegus, videri voluit eorum defensor quos ipse spoliabat. A Magistro admonitus de malitiâ nihil remisit: tùm illi suggessit Satanas, ut Christum prodendo lucrum sibi pararet. Εἰς καρδίαν αὐτοῦ βέβληκε, *Iohann. 13. v. 2.* Huic sceleratæ suggestioni postquam consenserat, jam intrâsse in eum Satanas dicitur, nempe ut quod animo proposuerat, id pacto firmaret, iterumq; intrâsse in eum, penitus scilicet narratur, postquam ille ad Christi in cœnâ sermones animum obduraverat. *Iohann. 13, 27.* Ut jam scilicet, quod pacto firmaverat, reipsa impleret. Meritò ergò hic locum obtinet Rabbinorum gnoma: Non committit homo transgressionem, nisi ingressus fuerit in ipsum spiritus insaniæ. *Quistorp. in Annotat. ad cap. 13. Iohannis, pag. 176.*

DISSER-

DISSERTATIO XXV.
MISCELLA
De
OSCULIS.

Summaria.

I. *Os ad oscula paratum. Gyla pro gula more veteri.* II. *Osculis applicare.* III. *Adorare uxorem.* IV. *Inter oscula concalescere.* V. *Sorbillantia suavia.* VI. *Basia poscinummia & negocimunia. Adventor. Numbasius.* VII. *Osculatio medicorum.* VIII. *Aures auribus jungere.* IX. *Charites osculum Philologiæ fronti libant.* X. *Quomodo Parentes osculandi.* XI. XII. *Oscula ægrotis, ut & vasis in quibus Medicina servatur, à Medicis data.* XIII. *Infantes recens nati super terram collocati, & à propinquis cognatis osculo excepti.* XIV. *Abydeni in conviviis infantes suaviandos circumferebant.* XV. *Poculum osculis implere formosis.* XVI. *Oscula lasciva Falconibus Persicis comparata. Ab iis abstinendum, quia venenata.* XVII. XVIII. *Dare, verbum inter obscœna relatum.* XIX. *Osculo amantes ad bellum incitati.* XX. *Osculum amici absentis anxiè desideratum.* XXI. *Osculum Magistris in Promotione Academiæ, Iuliæ diploma tribuit.* XVII. *Duisburgensis Academia Magistris loco osculi dextram porrigit.* XXIII. *Insignia Doctoratus jam seculo decimo tertio in usu.* XXIV. *Indigni titulis Academicis ornati.* XXV. *Osculum Caci igneum, ejusq; significatio.* XXVI. *Limen Curiæ Romanæ osculo honoratum.* XXVII. *Domum deserturi in perpetuũ Limina salutabant.* XXVIII. *Domestici Imperatorum honoris causa osculo excepti.* XXIX. *Imperatores iis, quibus favebant, oscula benevolentiæ detulerunt.* XXX. *Effigies dilectorum osculo honoratæ.* XXXI. *Hassanistæ & Turci terram reverenter osculantur.* XXXII. *Megarensium certamen osculorum.* XXXIII. *Oscula na pugna.* XXXIV. *Chytra genus osculi Latinis & Græcis scriptoribus cognitum.* XXXV. *Illius significatio Mystica.* XXXVI. *Vetus Monumentum, Cupidinem comprehensis auribus*

ribus Zosimem osculantem exhibens. XXXVII. *Osculo duo talenta impensa.* XXXVIII. *Intra osculum constituti. Adorationis cultus osculo peractus.* XXXIX. *Sanctorum manus oculis applicatæ. Oculos osculari.* XL. *Domnus & Κύριος. Hallucinationes doctorum virorum in hâc voce. Augusti Græcis Domni vocati, Augusta Domnæ; inde Italicum & Hispanum Don & Donna. Domnula.* XLI. *Origo hujus vocis, humilis Christianorum Modestia. Augustus, Alexander Severus & Tiberius Imperatores Domini appellationem respuerunt. Iustiniani tempore Augustum sine Domini appellatione nemo compellare audebat.* XLII. *Domnus & Domna olim clarissimorum, imprimis verò Ecclesiasticorum virorum & fœminarum titulus. Pontifex Domnus Apostolicus.* XLIII. *Nonni & Domni discrimen. Locus Hieronymi correctus. Nonnæ, Nonnanes & Nonnanæ, sanctimoniales olim dictæ.* XLIV. *Dopnus vel Dompnus pro Domnus ex ignorantiâ dictum.* XLV. *Pedes osculari ex amore.* XLVI. *Maria Semper-virgo militi cuidam osculo desponsata.* XLVII. *Franciscus, puerum Iesum osculatur.* XLVIII. *Dens S. Francisci crystallo inclusus ac meretricis labiis contactus disrumpitur.* XLIX. *Quidam per simulationem osculationis nummos suffuratur.* XL. *Iuvenis ægrotus osculo pristino restituitur vigori.* LI. *B. Maria non fuit concepta ex osculo Ioachimi quod conjugi Annæ fixit. Maculistæ, qui B. Mariam peccato originali subjacuisse asserunt in Academia Moguntinâ non tolerantur.* LII. *Constantinus defunctus à Basilio Patre osculum excipit.* LIII. *Annulus magicus Carolum M. in amorem insanum præcipitat, quo excæcatus cadaver amasiæ suæ miris modis deperit atq; exosculatur. Aquensis Caroli sedes aliis civitatibus supereminuit.* LIV. *Osculum mortuum in vitam revocare nequit. Insufflatio facultatem medican non habet. Medicos Indos solâ insufflatione morbos naturaliter tollere falsò traditur.* LV. *Gallinæ ægrotis corporibus admoventur ut causam morbificam discutiant. Rusor gentilium. Prophetæ in mortuos resupinos proni inspirabant, animam tamen ipsam non immittebant.* LVI. *Cor amantis amasiæ oblatum ab eâq; osculis exceptum.* LVII. *Oscula repudiata.* LVIII. *Ad osculum convenire quid? Preces vespertinæ osculo obsignatæ.* LIX. *Amantes voti sui compotes coronas discerpunt.*

LX. *Comptæ mulieris oscula castis summopere fugienda.* LXI. *Judæ Proditoris Patria extra Galilaam non quarenda.* LXII. *Amor osculis vulneratur.* LXIII. *Osculo vulneri proluditur.* LXIV. *Amor osculo trahitur ad supplicium.* LXV. *Osculum hodiè multorum promotionibus inservit.* LXVI. *Osculo veneratur pugionem in se transfixum Sture.*

MUlta hactenus jucunda non minus quàm seria de osculis proposuimus, plura tamen adhuc in medium afferenda restant. Offerunt sese ultro varia, nam de genere hoc adeo sunt multa, quæ vel loquacem delassare valent Fabium. Sanè si Adversaria nostra ex varii generis Lectionibus complicata evolvimus, Paralipomena non vulgaris planè saporis, & quæ invitis profectò Gratiis in hoc Tractatu omitterentur, occurrunt. Idcircò ista in unam quasi Saturam congerere, osculorumq; blanditias non nisi amœnitatibus justo tamen ordine minus anxiè observato, uti quidem variæ lectiones combinari solent, obsignare allubescit.

I. *AElius Lampridius de Antonino Diadumeno in ejus vitâ cap. 3.* scribit: Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flavo, nigris oculis, naso deducto, ad omnem decorem mento composito, *ore ad oscula parato.* Hic os ad oscula paratum idem est quod *prominulum*, Græcis πρόστομος. Salmasius ad hunc locum, Mira sanè, inquit, nescio an bona veterum omnium exemplarium scriptura, *ore oscyla parato*, ut in Palatino legitur, vel ut in excerptis *Spartiani*; *oreo scyla parato*. Sub qua tamen nihil aliud latere arbitror, quàm quod veteri malaq; consuetudine *oscyla* scriptum est, pro *oscula*. Sic *gylam* pro *gula* scribebant. Nam Grammatici qui admonent, *gula* non *gyla* scribendum esse, satis ostendunt, consuetudinis fuisse, ut *gyla* scriberetur apud imperitos. Sic *centyria* pro *centuria*. Undè Græci κεντυρίων scribunt, hoc est *centyrio*. Ita enim in antiquis inscriptionibus exaratum invenitur, ut *inlystria*, pro *inlustria*, *syarium* pro *suarium*: *jyxta* pro *juxta*: *Tyscia* pro *Tuscia*: *Eubylides* pro *Eubulides*. *Os* autem

tem *oscula paratum*, elegantissimè dicitur de ore prominulo, & quasi ad osculum dandum & accipiendum parato. Nam ut dicitur mentem paratus, ingenium, linguam; sic *os oscula paratum. Tomo* I. *Historiæ Augustæ p. m.* 777. *Edit. Lugdun. in* 8. *Anno* M DC LXXI.

2. Idem *Lampridius in Commodo Antonino p.* 501. *Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum utriusq; sexus, quos libentiùs suis oculis applicabat.* Isaacus Casaubonus & Salmasius legi malunt pro *oculis, osculis.* Sic *oscula applicare* dixit Ovidius:

Osculaq; applicuit posito suprema feretro.

Osculis adplicare est *osculari.* Ita in Pervigilio Veneris *osculis* scriptum erat pro *oculis.*

Deq; gemmis deq; flammis, deq; amoris osculis.

Sed & *oculis applicare* probum ac Latinum est, sic habet Palatinus Codex Gruteri. *Suetonius in Octavio: oculis subjicere.*

3. In Matrimonio *uxorem adorare*, notat *osculari. Alexander Roscus Virgilii Evangelisantis Lib.* 2. *p. m.* 57. in notis subjectis, n. 37. Tali sensu Afranius apud Nonium in voce suaviter adorare adhibuit: sentio te amare me, adorare suaviter. Veteres enim se suaviis vel osculis salutare solebant. Ejus significationis exempla non habemus, nisi quod in sacris adorare inde videtur ductũ, quod velut ore admoto colloqui aut salutare denotẽt. *Apulejus Lib.* 2. Suscipit ille de lectulo & uno congestu populum sic adorat. *Barthius Adversar. Lib.* 32. *cap.* 13. *pag.* 1487. *Ianus Mellerus Palmerius in Spicilegiis, Tomo* 4. *Thesaur. Critic. Gruteri pag.* 781.

4. Tertullianus Lib. de virginibus velandis ait: *Inter amplexus & oscula assidua concalescere.* Id est, plus satis se osculari. Idem exprimit Joann. Jovianus Pontanus Lib. 3. de amore Conjugali, in Epithalamio Nuptiis Aureliæ filiæ dicato, fol. m. 61. scribens:

Serpite in amplexus, certent pugnantia linguis
Oscula, blanditiis absit utrinq; modus.

Sic hederæ ſerpunt, ſic jungunt roſtra columbæ
Murmuris & taciti ludit in ore ſonus.

5. Eleganter Appulejus Lib. 3. Metamorph. amatorum mutua oſcula, *ſorbillantia ſuavia* appellat, *Sorbillantibus ſuaviis ſitienter hauriebam*, ſubintellige Fotidis dulcedinem, vel halitum ſuaveolentem. Ejusmodi oſcula Venus ab Adonide apud *Bionem Idyllio* 1. quod eſt Epitaphium Adonidis deſiderat:

Τοσȣ̃τόν με φίλασον, ὅσον ζώει τὸ φίλαμα,
Ἄχρις ἀπὸ ψυχῆς ἐς ἐμὸν ϛόμα κ᾽ εἰς ἐμὸν ἧπαρ
Πνεῦμα τεὸν ῥεύσῃ.

Daniel Heinſius, ſic vertit:

Tantillum me oſculare, donec vivit oſculum,
Donec ab anima in meum os & in meum jecur
Spiritus tuus fluxerit.

Barthius autem liberiùs tranſtulit cum eſſet 14. annos natus, *Adverſar. Lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 122.

Excute marcentes oculos, cape baſia, Adoni:
Oſcula dum ſuperant ne deſine carpere, Adoni:
Huc laſſam transfunde animam, mea pectora comple,
Oraq; ſuaveoli ſugentia nectar amoris.
Paſce tuam, extremum hoc ut Adonidis inſtar amati
Baſiolum, infelix quoniam fugis, uſq; reſervem.

6. *Appulejus Metamorphoſis Lib.* 10. Tunc exoſculata preſſulè, non qualia in lupanari ſolent baſiola jactari, vel meretricum poſcinummia, vel adventorum negocimunia, ſed *pura atq; ſincera inſtruit*. Ita illum locum legit *Barthius Adverſar. Lib.* 32. *C.* 13. *p.* 1487. Nam adventores baſiis ſuis munes ſunt negotiorum, afferunt enim aliquid quo operam ob nummos poſcant. Vulgò *negocinummia* perperam repetito verbo, qualia faſtidia copia Appulejani ingenii non patitur. Adventor à *Plauto in Aſinaria Actu* 2. *Scena* 2 & *Truculento Actu* 2. *Scena* 7. uſurpatur. Adventores in cauponis & diverſoriis hoſpites: apud ſcorta, qui rei cauſâ veniebant. *Taubman. Truculent. p.* 1205. A nummus eſt nummibaſius, quo *Taubmannus* utitur,

utitur, id est, Avarus quæstui deditus δωρολήπτης. Ein Küssenpfennig. *Becmann. de Origin. Lat. Linguæ, p. m. 749.*

7. Osculatio apud Medicos est sanguinis excretio, quam per ἀναςόμωσιν, hoc est, dehiscentibus & dilatatis vasis fieri illi docent, diversam à reliquis, quæ διαιρέσει, divisura, & διαπηδήσει rarefactis venis contingunt. *Thomas Reinesius Lib. 3. Variar. Lection. cap. 18. pag. 674. Altenburgi Anno MDCXL. in 4. excus.*

8. Aures auribus jungere more osculantium familiares quandoq; solent. Id innuit *Pierius Valerianus in Poematibus variis*, sequenti Epigrammate:

Oscula posco, meis tu libas auribus aures,
  Nostra tuis tundens tempora temporibus.
Oscula ab ore ipso veniant: non oscula dicas
  Hæc igitur, dicas scilicet auriculas.

9. Charites Philologiæ tanquam pulcherrimæ virginis frontem osculari lego apud *Martianum Capellam L. 2. de Nupt. Philolog. pag. 34. Lugduno-Batav. cum Notis Grotii in 8. edit.* Lætantes oscula impertivêre: ita quidem, ut una ex tribus hisce Charitibus prædictæ Virginis frontem, illic scilicet, ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas, sit deosculata; alia os ejus, & tertia pectus apprehenderit. Ratio autem, cur nimirum hoc factum, statim ab ipso *Capella* subjungitur his verbis: Ut prima videlicet Lætos oculis adflaret honores; secunda gratiam ejus linguæ; & tertia animo comitatem inspiraret.

10. Peculiarem Parentes osculandi modum præscribit *Salvianus Massiliensis Epistola 4. Tomo 1. Operum, p. m. 321.* Osculare, *inquit*, saltem obsecratione pedes Parentum tuorum quasi ancilla, manus quasi alumna, ac ora quasi filia.

11. Oscula nonnunquam Medici ægrotis figebant, ut his blanditiis eos ad Medicinæ sorbitionem allicerent. *Chrysostomus homiliâ 3. ad Populum Antiochenum*: Hæc & Medici faciunt, sæpiùs difficiles ægrotos habentes, *deosculantes, rogantes persuadent salutarem sumere medicinam.*

12. Vasis quoq; in quibus Medicina porrigitur, oscula fixa sunt. *Achilles Tatius de amoribus Leucippes & Clitophontis Lib.* 4. Medicinæ tessera data, poculoq; dissuaviato puellæ potionem dedi, pag. 264.

13. Infantes recens natos super terram veteres statuebant, eosq; Parentes vel avi vel cognati proximi in amoris & benevolentiæ signum libenter suscipiebant. D. Joachimus Hildebrand Theologus Helmestadiensis meritissimus, de Natalitiis Veterum Sacris & Profanis Cap. 9. pag. 40. Veterem hodieq; antiquatum Natalitium morem Auctor Sapientiæ Salomoneæ proponit, dum sub Personâ Sapientissimi Regum ait: NATUS EGO IN TERRAM DECIDI. *Sap. 7. v. 3.* Solebant prisci prolem recens natam, & adhuc de matre rubentem super humum statuere, eoq; ritu indicare, Primò, terram esse primam & communem Parentem nostram, hominisq; corpus de terræ pulvere sumptum. Secundò, terram terræ reddendam, & talem se genuisse, qui à morte in cineres & favillas sit redigendus. Tertiò, prima hac statione, Varrone teste, auspicabantur, an rectus infans esset. Inde Deam STATINAM *Tertullian.* dixit: Prima constitutio infantis super terram Deæ STATINÆ sacra est, *Libro de Animâ, Ovid. in Ibim*,

> Hic simul ac fuerat matris delapsus ab alvo,
> Cyniphiam fœdo corpore pressit humum.

Confer *Augustinum Lib. 4. de Civit. DEI cap. 2.* Infantem humi stantem Pater vel avus vel proximus quisq; cognatus DATO OSCULO, in signum amoris ac benevolentiæ humo tollere, genibusq; & gremio deliciarum causa suscipere & fovere solebat, eoq; statim à partu nutritionem spondebat. Hinc *Iuvenalis Sat. 9.*

> Infantem tollis? foribus suspende coronam,
> Jam Pater es.

Et Papinius Statius de filio suo, *Lib. 4. Sylvar. Eleg. 5.*

--- Tel-

- - - - - Tellure cadentem

Excepi, & vinctum genitali carmine fovi.

In eundem sensum *Claudianus* Honorio de nuptiis gratulatus, optat, ut

- - - - - natus in ostro

Parvus Honoriades genibus considat avitis.

14. Abydenis mos fuit, teste Zenodoto, si quem civem aut hospitem acciperent convivio, præterea in sacris ac solennibus epulis, ut post unguentum & coronas infantes à nutricibus inducerentur, circumferrenturq; suaviandi. *Erasmus in Adagio, Abydena illatio.*

15. Formosorum oculi & oscula summam animis afferunt delectationem, hinc apud Philostratum de Caupona legimus, *Epist. 23.* Evitro quidem pocula constant. At tuæ manus in argentum atq; aurum illa convertunt, ut his etiam delicatus aspectus à tuis oculis accedat. Sed his quidem inanimis & immota est pelluciditas, non aliter quàm aquis stantibus, quæ verò ante faciem sunt pocula, cum alia mollitie videntur oblectationem adferre, tum præcipuè osculorum intellectione. Quamobrem illa quidem depone & sine valeant, non tam ob alia, quàm ob metum periculosæ materiæ. Mihi verò solis propina oculis, quibus Jupiter etiam degustatis formosum atq; præstantem formâ pincernam constituit. Quod si vis, noli vinum consumere: solam verò aquam infundens, & labris attingens, imple poculum OSCULIS, & præbe rogantibus. Nemo enim tam ab amore est abhorrens, qui requirat amplius Bacchi gratiam, post Veneris vites.

16. Oscula lasciva & illicita bellè comparari possunt cum falconibus Persarum, qui crebrâ institutione adsueti sunt, se dimittere in capita ferarum inter cornua, atq; indè oculos animalium rostro fodere, atq; tantisper detinere, donec venatores accurrant & irretiant. *Iohan de Laet in Satu Regni Persici. Part. 1. cap. 3. pag. 140. Edit. Lugdun. in 24. Anno* M DC XXXIII.

Qua-

Quapropter, qui ſapit ab ejusmodi oſculis cautè abſtinebit, propter præſentiſſimum quod in iis deliteſcit venenum. *Lucanus in Pſeudologiſtâ.* Sed quid per Jovem? num etiam oſculari ore inſuper voluiſti nos ob talia facta? Iſtud igitur contumelioſiſſimè facis, & maximè ergà eos, quos minimè decebat, & ergà contubernales, quibus ſatis fuerat, illa ſolum mala ab ore tuo percipere, verborum videlicet barbariem, vocis aſperitatem, indiſcretam, inordinatam & inſulſam enunciationem, & id genus alia. Sed te adhæc oſculari abſit, ô malorum depulſor Hercules: aſpidem, aut viperam oſculari eſt ſatius. Ibi in morſu periculum & dolor, cui acceſſitus medicus ſuccurrit. A tuo autem oſculo, & veneno illo, quis quæſo vel ad ſacra, vel ad aras accederet? quis & jam DEUS precantem exaudiret? Quam multis luſtrationibus, quam multis fluviis opus foret?

Monoſticha Trochaica.

17. Abſtine oſculatione, ſi pudica eſſe expetis.
Aſpidum pejor venenis eſt ſaliva ſuavii.
Baſium res delicata, baſium eſt ſemper recens
Halitus, vox ſuaviumq; nonne dos oris tripla eſt?
Oſculo omni plus veneni eſt quam feris phalangiis.
Oſcula amplexusq; amorem non augent, exercitant.
Plus dare eſt parata amanti, ſponte qui oſculum obtulit.

18. Obiter nota, *verbum dare* hic inter obſcœna referri. *Higinus in Fabulis Cap. CLXXXIX.* Cephalus, ut vidit tantam potentiam canis atq; jaculi eſſe, petit ab hoſpite, non æſtimans conjugem ſuam eſſe, ut ſibi jaculum & canem venderet. Illa negare cœpit. Regni quoq; partem pollicetur: illa negat. Sed ſi utiq; perſtas, ait, id poſſidere, *Da mihi id, quod pueri ſolent dare.* Ille amore jaculi & canis incenſus, promiſit *ſe daturum.* Qui cum in thalamos veniſſent, Procris tunicam levavit, & oſtendit

dit se fœminam esse, & conjugem illius. In eodem significatu illud usurpat *Ennius apud Isidorum Lib. 1. Etymolog. Cap. 25.* de muliere, quæ sui copiam faciebat, cum etiam alioqui mulieres impudicæ *dare* dicerentur: quasi in choro pilâ ludens datatim dat se, & communem facit: Alium tenet, alii nutat, alibi manus est occupata. Sic sæpè in Priapæis & Martialis spurcitiis.

19. Osculo amantes ab Amasiis ad bellum incitantur. *Plutarchus in Amatorio Libro, Tomo 2. Operum, pag. 760.* Flagrante inter Chalcidenses & Eretrienses bello, Chalcidensibus auxilio venerat Cleomachus. Videbantur autem hi peditu satis valere, sed equites hostium pellere magni erat arduiq; laboris. Itaq; Cleomachum socii hortabantur, magno virum animo, ut primus equitatum hostilem invaderet. Is ex amasio qui unà aderat, quæsivit, spectatorne esse certaminis vellet: cumq; is affirmasset, blandeq; exosculatus galeam ei imposuisset, animo elatiore jam Cleomachus Thessalorum optimis ad se collectis, alacriter in hostem irruit, ita ut equitatum eorum conturbaverit atq; dejecerit, fugaq; exinde etiam gravis armaturæ militum facta vi Chalcidenses victoriam obtinuerunt, Cleomacho in pugnâ interfecto. *Aristoteles* Cleomachum quidem scribit mortuum, cum pugna vicisset Eretrienses, eum verò, cui osculum amasius dedit, fuisse de Chalcidensibus è Thracia, missum auxilio Chalcidensibus Eubœensibus.

20. Osculum amici diu absentis anxiè desiderari innuit *Pierius Valerianus inter Poemata varia sequenti ad Iohann. Baptistam Rhamnusium* Hendecasyllabico confirmans:

Rhamnusi, sociûm meorum ocelle,
Qui cum Antenoris olim in urbe totos
Dies ducere candidos solebam,
A sole exoriente ad occidentem,
Cur te visere nunc mihi negatum,

Poſt tot ſecla peracta & inchoata,
Quem paſſim Hadriacæ per Urbis undas,
Et Paſſim Patavi per urbis ædes
Tanto quæſierim labore & æſtu.
Ardens cernere te, & tuum videre
Dulcem filiolum optimè eruditum,
Præſtantem ingenio, elegantiaq;
Scribendi numero modo hoc, modo illo,
Supra ætatis adoream peritum.
Quod nî te cito detur oſculari,
De me actum malè: nam repente totus
Præ deſiderio tui liqueſcam.

21. Inter ſolennitates quibus Academia Julia eruditis meritos gradus Doctoratus vel Magiſterii diſpenſat, oſculi quoq; mentio fit in Diplomate Maximiliani ſecundi Imperatoris laudatæ Academiæ conceſſo, tenor verborum hic eſt: Et quoniam ipſa ſtudia eo feliciori gradu ſument augmentum, ſi ingeniis & diſciplinis ipſis ſuus honor, ſuus dignitatis gradus ſtatuatur, ut emeriti aliquando digna laborum ſuorum præmia reportent: ſtatuimus & ordinamus, ut per collegia Doctorum à prænominato illuſtri Duce in unaquaque Facultate inſtituenda doctis & ad id idoneis, & præ cæteris excellentioribus in ipſis Facultatibus Doctoribus, hi qui ad ſumendam palmam certaminis ſui idonei judicati fuerint, adhibito per ipſos Doctores collegii in unaquaque facultate prius pro more & conſuetudine atq; ſolennitatibus & ritu in cæteris univerſitatibus adhiberi ſolitis, rigoroſo & diligenti examine, in quo conſcientias ipſorum Doctorum cujuslibet collegii onerari volumus, quos ſub juramenti vinculo ad hoc adſtringimus, in ea facultate quam edidicerint, & qui examini præfato ſe ſubmiſerint, & ſe pro more & juxta ſtatuta & ordinationes per prænominatum Ducem fiendas, per aliquos dignos & honeſtos

viros

viros de gremio ipsius Collegii præsentari fecerint, possint ad ipsum examen admitti, & invocatâ Spiritus Sancti gratiâ examinari: Et si hoc modo habiles, idonei & sufficientes ad id reperti & judicati fuerint, Baccalaurei MAGISTRI, Licentiati sive Doctores, pro uniuscujusq; scientia & doctrinâ creari, & hujusmodi dignitatibus insigniri, nec non per Biretti impositionem, & aurei annuli ac OSCULI traditionem, cæterisq; consuetis solennitatibus investiri, & consueta oramenta atq; insignia Dignitatum prædictarum tradi & conferri.

22. In Academia Duisburgensi dedicata pag. 99. legitur, quod Doctoribus Philosophiæ loco OSCULI & amplexus dextra porrigatur, atque ita in ordinem Philosophiæ Doctorum recipiantur. *Besoldus Thesauro Pract. à Doct. Christophoro Ludovico Dietherro aucto*, *pag.* 789. *Edit in fol.* *ANNO* M DC LXVI.

23. Clementina constitutio in concilio Viennensi sub Clemente V. statim ab initio seculi decimi quarti insignium Doctoratus mentionem facit. Ut proinde illa insignia Doctoratus aut Magisterii jam tum seculo præcedenti tertio decimo cœperint, non minus atq; eorum solennes collationes. Ad dictam Clementinam hanc glossam adjecit *Ioannes Andreas*, magni nominis Bononiensis JurisConsultus. Ita loquimur nos, (Bononienses videlicet) & ista insignia sunt, Cathedra, Birretum: apud aliquos liber, annulus, osculum. Ut proinde Bononiæ Cathedra tantùm & Birretum inter insignia Doctoratus fuerint numerata; in aliis autem Universitatibus observata & reliqua: quo quidem tempore vixit Andreas ille, quem constat obiisse ANNO. M III XLVI. Non contemnenda porrò de insigniis illis notavit & *Guido Pancirollus*, *Ictus Italus* eleganter doctus *Lib.* 1. *Cap.* 33. *Variarum Lectionum*: Nostrorum *inquit* Doctorum insignia sunt pileus quadratus, qualem Sacerdotes gerunt, ut Justitiæ Sacerdotium in eos, qui creantur JurisConsulti translatum esse significetur: Etsi in Ita-

liâ hoc hodie in desuetudinem abiit. Item Annulus pro signandis responsis iisdem traditur. Longa quoq; vestis, qualem gestant Sacerdotes, & Cathedra atq; Liber, quæ ad indicandam, datam ad docendum & jura interpretandi facultatem adhibentur. Osculum autem quo Doctor creatus excipitur, est gratulationis porta, dignitatis demonstratio, non insigne. De quibus *Glossa in Clement. 2. In verb. Insignia. t. de Magistris, & ibi* Canonistæ. Censuram in hæc *Pancirolli* verba dedit celeberrimus *Conringius Supplemento LXXVII. ad Dissertationes de Antiquitatibus Academicis pag. 363. seq.*

24. Sollicita temporum ac meritorum distinctio aurem vellicare deberet Diribitoribus ac Brabeutis honorum Academicorum, ne cum conscientiæ morsu passim homines indoctos, insulsos ac imperitos tiara Doctorali catamidiare pergant: quod in primis sub Caminis Gallicis tam facilè hodie fieri consuevit, atq; olim servi vel in balneum eunte Prætore, aut per epistolam manu mittebantur. Ut merito querela Imperatorum Honorii & Theodosii huc locum inveniat: *Plerosq; testimonialibus fraude quæsitis fieri veteranos, non esse.* Egregiè hac de re *Neuhusius in Sphinge Philosophica cap. 25.* Venit, *inquit*, stultus Juvenis ad templum Doctoris insignia recepturus, Præceptores illum celebrant, seu amore, seu errore: tumet ille, vulgus stupet, applaudunt affines & amici. Ipse jussus Cathedram ascendit, cuncta jam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans. Tunc majores certatim ceu divina locutum laudibus ad cœlum tollunt, tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus ac Magistralis Bonetus apponitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Ovidio cognita. Sic fiunt hodie sapientes, verus sapiens fit aliter.

25. Osculum splendidum imo igneum. *Thomas Bartholinus de Luce hominum & brutorum Lib. 1. cap. 13. pag. 98.* Editionis Hafniensis

nensis in 8. Anno M DC LXIX. Ex osculo ipso fulgentes faculas accensas, Licinii Caci Tarraconensium olim Tyranni exemplo liquet, quem ignes exhalâsse veros apud *Nierembergium in Historia naturali*, *Ardelinus* Philosophus fecit fidem, ut exinde ad Vulcanum creditus sit referre originem. Quod pertexit *Virgilius Lib. 8. AEneidos* de Caco:

> Huic monstro Vulcanus erat Pater, illius atros
> Ore vomens ignes, magnâ se mole ferebat.

Quos tamen ignes pro ardentibus irarum motibus, qui Tyrannum veluti furioso sydere afflârunt, interpretantur non pauci Parnassi cives, qui se auctoritate Historicorum tutantur, Principisq; Livii, & quotquot flammantes ejus ex ira oculos atroci stylo perfoderunt. Addo ego, haud dispari sermonis modo rixosum & lites ferentem describi, *Proverb. 16, 27. 28.* Vir Belial fodit malum, & in labiis ejus ignis ardescit. Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat Principes. Quas furias in Caco notavit idem Maro:

> At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
> Aut intentatum sceleris ve dolive fuisset.

Maximeq; se prodidit, quum Alcidem à speluncâ prohibiturus, faucibus ingentem fumum evomeret, domumq; caligine cæca Involveret. Quid quod incendia, quæ vana vocat Poeta, in Alcidem vomuerit. Ex ore flammam emicuisse memini, qui Spiritu vini se ingurgitârunt.

26. Limen Curiæ Romanæ ex vili & servili nimium submissione osculo honoratum memorat *Livius historiarum Lib. 54.* in fine scribens de Prusia: Polybius eum Regem indignum majestate nominis tanti tradit: Pileatum capite raso obviam ire Legatis solitum, libertumq; se populi Romani ferre, & ideò insignia ordinis ejus gerere. Romæ quoq; cum veniret in Curiam, summisisse se, & OSCULO LIMEN CURIÆ contigisse, & Deos servatores suos Senatum nominâsse.

 27. Quia

27. Quia verò luminibus & postibus religionis al quid inesse Romani putabant, uti ex Plauti Mercatore Actu V. Scenâ I. colligimus, *Limen superum inferumq. salve.* Nimirum qui domum in perpetuum deserere animati erant, limina salutabant: Hinc illis oscula data legimus, apud *Tibullum Lib.* 1. *Elegia 2.* ut apud *Virgilium AEneidos* 2. postibus,

Amplexæq; tenent postes, & oscula figunt.

28. Posteriorum Romanorum Imperatorum temporibus osculum honoris causa dabatur. Sic Impp. Valent. & Valens Augusti *Col. lib. 12. Tit. 17. Leg.* 1. disponunt de domesticis & protectoribus: Domestici & protectores Principis osculandi, cum salutaverint Vicarios, tui (Eusignii P. P.) culminis habeant potestatem; Pœna enim sacrilegii similis erit, si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram Purpuram digni habiti sunt.

29. Ad amicitiæ & benevolentiæ oscula quæ sequuntur pertinent. *Suetonius in Vitellio cap.* 7. Veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam de se experimentis auxerat, tota via caligatorum quoq; militum obvios exosculans. *In Cajo Caligulâ cap.* 55. Quorum verò studio teneretur, omnibus ad insaniam favit. Mnesterem Pantomimum etiam inter spectacula osculabatur: ac si quis saltante eo vel leniter obstreperet, detrahi jussum manu sua flagellabat. *Iulius Capitolinus in M. Antonino Philosopho cap.* 3. Audivit præcipuè Junium Rusticum, quem & reveritus est & sectatus; qui domi militiæq; pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimum, cum quo omnia communicavit publica priva aq; consilia, cui etiam ante Præfectos Prætorio semper osculum dedit. *Isaacus Casaubonus ad h. l.* Et quòd osculo convenientem excipit, magnum; & quòd ante Præfectos Prætorio, maximum. Ideò laudata Similis modestia, qui simile honoris genus ab Hadriano sibi delatum, sapienter non admisit, ut narrat *Xiphilinus.*

30. Effigies dilectorum osculo honoratas idem *Suetonius in Caligula cap.* 7. innuit. Habuit in matrimonio Agrippinam M. Agrip-

Agrippæ & Juliæ filiam, & ex eâ novem liberos tulit, quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens, insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumq; introiret, exosculabatur.

31. Terram reverentiæ ergò osculari Muhammedistis in oriente perquam familiare est. De Hassanistis qui non tantum Muhammed, sed etiam Aali ejusq; filium Hassan in magni Mogolis territoriis religiose colunt, Jurg Andersen Lib. 1. Itinerarii Orientalis cap. 29. pag. 52. Slesvici in fol. Anno M DC LXIX. cum notis Adami Olearii hæc recenset: Wann die Hassanisten ihren Gottesdienst in den Metriden oder Kirchen verrichten wollen / so ziehen sie für der Thüre ihre Schuhe aus/und gehen auf den Strümpffen hinein. Seynd ihrer viel/ stellen sie sich in der Kirchen in Reihen und Ordnung / als wie in einer Batallie, und wenden ihre Gesichter nach Suden. Vor ihnen stehet der Molla oder Pfaff / den Orth an der Wand / so gleich / als ein Epitaphium gemacht / und doch nichts als Schrifft in sich hat / anschauend. Er schwinget beyde Arme hin und her/gleich als ein Vogel/der itzt auffliegen wil. Eben also geberden sich auch die andern alle gantz stillschweigend. Dann fället der Priester auf die Knie/ und die Gemeine nach / breiten die Hände aus gen Himmel / dann schlagen sie ihre Köpffe dreymal zur Erden / etliche küssen auch die Erde / stehen wieder auf / und thun solches zum fünfftenmal/hernach ruffen sie uñ grüssen GOtt und ihren Propheten Hassan. Salom Aleikum, &c. Idem fere de Turcis commemorat *Bartholomæus Georgievitz Libello de Turcar. moribus Cap. 1. pag.* 12. Inter orandum (in templis, seu Moschitis) viri pileos suos, qui *Tsalma* illorum lingua vocantur, non deponunt, sed summis digitis attingunt, quasi elevaturi genibus incumbunt, & terram sæpe deosculantur.

32. Megarenses pueri vere ineunte osculorũ certamẽ agebant, quiq; suavius amantẽ esset osculatus, corollis onustus abibat. Edebatur hoc Diodis Atheniẽsis honori, qui Athenis profugus fuerat pæderastes, ac amatũ in pugna protegẽs occubuerat, eoq; nomine â Me-

â Megarensibus honorificè sepultus. *Rhodiginus Lection. Antiqu. Lib. 15. cap. 9. p. m. 788. Edit. Francof. Anno* M DC LXVI. *Marcellus Donatus Dilucidat. in Sueton. Cap. 33. pag. 576. Tomo 6. Thesaur. Critic. Theocritus* Idyllio 12.

Nisæis Megarenses remis præstantes
Felices habitatis, quoniam præ aliis hospitibus
Atticum Dioclea puerorum amatorem honore affecistis,
Semper primo vere ad ejus tumulum congregati.
Pueri certant osculi victoriam reportare,
Quiq; labris dulcius applicaverit,
Is coronis honoratus ad suam matrem revertitur.
Beatus ille quisquis inter pueros de osculis judicat.

33. Differre ab hoc certamine OSCULANAM PUGNAM in Oscis factam, qua victi vincebant, *Lælius Bisciola Horar. Subsecivar. Lib. 7. Cap. 13. pag. 525. Tomo. 1.* pridem observavit, post injectam de ludo Megarensium mentionem scribens: Ac ne quis huc spectare, quæ proverbio fertur, Osculanam pugnam existimet, *Festum* audiat, Osculanam pugnam dici scribentem, cum victi vincunt, deducto Proverbio â Valerio Levino, qui â Pyrrho Rege victus mox Pyrrhum vicit, & Titinium citat autorem Proverbii. Videtur autem dicta Osculana pugna, quod in Oscis facta, nisi fortè quis putet malitiosius intelligi χλιδοπάλην Domitiani, qua non inhonestior Cæsar Gallienus, sudari medullis apud *Trebellium* dicebat. Confer *Rhodigin. Lection. Antiquar. Lib. 30. Cap. 35. pag. 1715.*

34. Florentini osculi passim apud auctores fit mentio, videturq; nomen illi hæsisse ab Urbe Italiæ Florentiâ, ubi frequenti in usu erat. Apprehendebant osculantes utrinq; aures, inde χύτρα, id est, olla utrinq; ansata dici meruit. Ex qua qui bibebant, utramq; ansam inter bibendum tenebant, Imò & nunc in ansatis bibitur vasis, & narrat suo *Dialogo 6. Gyraldus de Histor. Poet. p. 258.* Cum Romæ esset allata ex Hispania ad Leonem decimũ, Pontificem

cem Maximum copiosa vasorum fictilium supellex ad ornandum abacum, isq; ut erat liberalissimus, suis aulicis aliquot donâsset, ollam sibi contigisse, & alia quædam ex argilla rubra. Hujus osculi Græci & Latini Scriptores Classici meminerunt. Primum quidem exemplum inter Græcos attulit *Iulius Pollux Lib. 20. Onomastici cap. 24. de coqui Instrumentis differens:* εἰδέναι δ' φαῦλον, ὅτι καὶ χύτρα φιλήματος ἦν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. id est: Neq; enim inconveniens est novisse, quod χύτρα osculi species erat, cũ puerulos auriculis prehensos oscularentur, quod *AEnnius* Poëta priscæ comœdiæ, quem perperam Eunicum apud Pollucem legimus in fabula, quæ Antea inscribitur senariolo innuit: λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν. *Prehendens per aures da mihi Chytra osculum.* Item *Theocritus Idyllio* quod Ædipori inscribitur:

> οὐκ ἔραμ' ἀλκίππαν, ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε,
> τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.

Non ego amo Alcippen, nam non prius oscula promsit,
Auribus arripiens, tribui quàm dona Palumbi.

Inter Latinos hoc osculi genus expressit primùm *Plautus in Pœnulo, Actu 1. Scena 2. v. 163.* ubi Milphio meretrici sic abblanditur: *Sine te exorem, sine te prehendam auriculis, sine dem suavium.* In *Asinariâ* autem *Actu 3. Scena 3. v. 78.* Leonida ad Philænium inquit: *Prehende auriculis, compara labella cum labellis. Tibullus* deinde inter felicis anni eventus hunc quoq; numerat, *Lib. 2. Elegia 5.*

> Et fœtus matrona dabit, natusq; parenti
> Oscula comprensis auribus eripiet.

35. Ex quo colligi potest, ita pueros parentibus aut aliis, aut amantes inter se oscula dedisse. Qualis mos ideò introductus est, vel quia auris memoriæ sacra, ut *Gyraldus Lib. 1. de Diis Gentilibus* habet, velut commodiùs suaviusq; oscula figerent, puerorumq; aures bonis colloquiis imbuendas esse, quasi tacitè monerent. *Plutarchus libro de Audiendo*, post initium,

morem tradit fuisse, ut pueros osculantes eorum aures apprehenderent. Vulgò, *inquit*, cum admodum pueros osculantur, cum ipsi tangunt aures, tum hisce ita facere præcipiunt, per ludum significantes eos, præcipuè qui per aures commodant, esse diligendos. *Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromatum*, refert pueros apprehensos auribus ut oscularentur eos, qui ad ipsos pertinebant, quo ipso quid innuerint, ita mysticè explicat: Non ergò temerè præcipimus pueris, auribus eos apprehendentes, ut osculentur eos, qui ad ipsos attinent. Hoc utiq; tacitè significantes, ingenerari per auditum sensum dilectionis. Confer *Guilielmum Canterum, Novar. Lection. Lib. 4 Cap. 25. Thesaur. Crit. Tom. 3. pag. 658. Gyraldum, Dialogismo 9. Tomo 2. ejusdem Thesauri, pag. 411. De La Cerda Adversar. Sacr. Cap. 138. num. 12. pag. 305. Joseph. Laurentium in Polymathiâ, pag. 53.*

36. Romæ apud Episcopum Capranicensem in veteri monumento, Dis manibus Zosimæ sacro, Cupido alatus, comprehensis auribus Zosimem ipsam deosculatur, teste *Achille Tatio in Commentar. ad Titullum p. m. 501. Edit Paris. in fol.* Anno M DC IV.

37. Pretiosum fuit amatoris Megarensis, Charmolei osculum, cui nempe duobus talentis constitit, uti *Lucianus in Charontis & Mercurii Dialogo* narrat. Adorationis cultum osculo alicui exhibitum, salutationis quoq; voce significatum, penes veteres legitur. *Lucianus in Dialogo Pseudomante* Alexandro, ubi pessima hujus impostoris crimina perstringens ait: Legem condiderat Alexander, ne quis major annis octodecim sese admoto ore complecteretur, neq; cum basio salutaret: sed reliquis manum duntaxat ad osculandum porrigens, solis ætate formaq; fleridis osculum dabat, atq; his quidem inde cognomen inditum, (observatu hoc dignum!) ut intra OSCULUM CONSTITUTI dicerentur.

38. Græcis adorationis cultũ qui osculo peragitur, verbum προσκυνεῖν exprimit, ut apud *Eustathium Libro 4. Odyssea. In magno Ety-*

Etymologico hæc explicatio occurrit: προσκυνῶ συζυγίας πρώτης ἐκ τῆς προθέσεως πρὸς, καὶ τοῦ κυνῶ. Τοῦτο παρὰ τὸ κύω, τὸ φιλῶ. Id eſt; Verbum προσκυνῶ primæ conjugationis componitur ex præpoſitione πρὸς, & verbo κυνῶ, quod eſt veneror, oſculor.

39. Manus & oſculos oſculari ſingularis dilectionis nota eſt, quemadmodũ quidam ex modeſtia & reverentia Sanctorum manus oculis applicabant. In vita *Simeonis* Stylitæ *Cap.* 17. Lego: Manus ejus poſui ſuper oculos meos, dicens: Benedic, obſecro mi Domine. *Et Cap.* 16. de verme, qui ex corpore ejus ceciderat, Currens apprehendit eum in fide, & poſuit ſuper oculos ſuos. *Iohann. Ludovicus de La Cerda Adverſar. Sacror. Cap.* 148. *pag.* 360. Vita *Pauli Eremitæ Cap.* 11. Oſculatis ejus oculis manibusq;. Ubi more antiquo oſculare pro oſculari uſurpatur. Vid. *Voſſius de vitiis Sermonis Lib.* 4. *Cap.* 15. *pag.* 744. *Ennodius Libro* 7. *Cap.* 14. ad Archotamiam: Ut cum DOMNO meo Presbytero, utrisq; oſculantes manus & oculos tuos.

40. Quod recto uſu Latini *Dominum* dixere vocabulum, id in blanditias flectentes communiſſimas (Latinè loquor) Septentrionales populi irrumpentes Romanum Imperium, *Domnum* dixere. Cujus rei in ſcriptis ævi illius mentio creberrima. Ut teſtamentis veteribus Gallicanis apud *Briſſonium.* Hiſtoriis Francorum à *Pithæo* editis, *Hincmaro*, *Iohanne Salisburienſi*, *Stephano Tornacenſi*, *Gerberto*, *Gotfrido Vindocinenſi*, mille talibus etiam vetuſtioribus. Quod ne vitio Typographico aut ſcriptorio accidiſſe putetur, in Poëtis etiam *Domnus* Hexametrum orditur. Et eſt blandientis, ut notat apud Gregorium Magnum *Odo Cluniacenſis Lib.* 3. *Collationum*, *cap.* 18. Ita Græci ſequiores κύρον dixere, quod bonæ linguæ κύριον, qua in re hallucinati ſunt etiam eruditiſſimi viri, *Theodori Prodomi*, nomen putantes κύρον, qui honor eſt, *Nicetam Dadybrenſem* Epiſcopum, cujus in Nazianzeni quædam exſtant Scholia, Cyrum Dadybrenſem in ſcribentes; & aliis talibus titulos loco nominum præfigentes. *Barthius Adverſar. Lib.* XXIX. *Cap.* XIX. *pag.* 1393.

Augustæ cum Dominæ passim vocarentur corrumpendo nomini Latino fuêre. Nam Græci Δόμναν dixere ut *Oppianus, Lib. 1. Κυνηγετικ:* illo versu, cujus finis: Δόμνα Σεβήρου. Pariter Augusti Δόμνοι. Undè voces illæ Italorum & Hispanorum *Don* & *Donna*, quæ primùm dignitatis, dein & sexus fuit. *Scipio Gentilis Parergon. ad Pandectas Lib. 2. cap. 22. pag.* 170. A *Domna* est deminutivum *Domnula*: Advolvor vestris ô Parentes pedibus, illa ego vestra Palladia, vestra gracula, vestra *Domnula*, quod ex Salviano *Barthius* loco antecitato adducit.

41. *Iohannes Busæus in Notis ad Epist. 4. Petri Blesensis, & Nicolaus Serarius Lib. 1. de Litaniis Cap.* 13. huic voci initium dedisse autumant humilem Christianorum modestiam, qui integrum Domini nomē ei soli reservarint, de quo Psalmus, Tu solus Dominus, tu solus altissimus: Unde vulgatus extitit versus:

Cœlestem Dominum, terrestrem dicito Domnum.

Sanè *Tertullianus Apolog. Cap.* 34. eos Imperatores objurgans, qui sublimem divinitatis titulum superbè assumebant, Augusti moderationem commendat, qui ne Dominum quidem dici se volebat, hoc enim ait, Dei cognomen. Atq; id ipsum de Augusto testatur *Suetonius in August. Cap.* 53. his verbis: Domini appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit, Dominumq; se appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò vel joco passus est. Eandem Domini appellationem Alexandrum Severum respuisse, scribit in ejus vitâ *Ælius Lampridius Cap.* 4. Idem de Tiberio asserit *Tacitus Annali II.* De Justiniano Imperatore notat *Procopius Cæsariensis in fine Historiæ Arcanæ*: Antiquitùs etiam qui Cæsarem alloquerentur, Imperatorem compellârunt, conjugemque Imperatricem. At quisquis cum alterutro horum Augustorum sermones misceret, Imperatoremve, aut Imperatricem non Dominum, Dominamque nominâsset, is verò rudior ac procax habebatur, & *quasi fœdissimè* lapsus abigebatur.

42. Ob-

42. Observant *Baronius Annal. ad Annum* CCCCXVI. *n*. 23. *& Ludovicus de la Cerda Adversar. Cap.* 77. clarissimis olim viris, & fœminis, præsertim Ecclesiasticis atq; ipsis quoq; Sanctis hoc DOMNI, & DOMNÆ prænomen attributum fuisse. Sanctus *Odo Cluniacensis Abbas* Sanctum Martinum DOMNUM vocat. Apud *Baronium in notis ad Romanum Martyrologium ad diem* 25. Septembris, exstat Epitaphium S. Anathalonis primi post S. Barnabam Mediolanensis Episcopi, à S. Mirocle conscriptum ante annos mille, & multò ampliùs, cujus versus hic est:

Petri hospes, Sancteq; Anathalon, Domne probate.

Apud *Brissonium Lib.* 7. *de Formul.* legitur Testamentum Hadoindi Episcopi Cenomanensis, in quo Sancti Martyres, & Apostoli, sicut & viri illustres semper DOMNI appellantur. In fine *Historiæ Apostolicæ Aratoris Subdiaconi* hæc inscriptio repetitur ex antiquissimo Codice manuscripto: Beato Domno Petro adjuvante oblatus hujusmodi codex ab Aratore excomite domesticor., excomite privatarum, viro Religioso, Subdiacono S.R.E. sanctoq;, atq; Apostolico Viro Papæ Vigilio, & susceptus ab eo ante confessionem beati Domni Petri. In Litaniis quas Serarius netustissimas se vidisse testatur, summus *Pontifex Domnus Apostolicus* vuncupatur. Eadem vox passim apud alios occurrit. Nunc etiam in Hispania, & maxima Italiæ parte illustres, & summates viri *Domni* vocantur, quem titulum olim quoq; Regibus attributum constat ex *Cassiodoro Lib.* 8. *Variar. Epist.* 5. Sicut autem nos dimidiato vocabulo Italicæ *Don*, pro Domno dicimus, ita eandem syncopen amare Græcos invenio, qui κύρος pro κύριος, & breviùs aliquandò κὺρ: ut observat *Iacobus Gretzerus Tomo II. de Cruce, in Notis ad Orationem Germani Patriarchæ*.

43. Non est autem hic omittenda *S. Benedicti Regularis institutio, Cap.* 63. is enim postquam præcepit nulli licere alium puro nomine appellare, jubet deinde à Junioribus Seniores vocari

NONNOS, Abbatem verò, quia Christi vices agit, *Domnum* appellari decernit. Quam regulæ jussionem sic ex usu suorum temporum interpretatur *Smaragdus in Cap. 6. Regulæ*: Ut non solum Abbas, sed etiam cæteri Monachi *Domni* vocarentur. Sicut, inquit, tunc apud illos paterna exhibebatur reverentia, ut priores vocarentur *Nonni*: ita nunc apud nos exigitur hodie, ut ipsa paterna reverentia priores nostri vocentur Domni. Non est igitur recens inventum, quod Monachi omnes indiscriminatim Domni vocentur, quod nostris hisce temporibus multò potiori ratione ab universis monasticis Congregationibus sancitum videtur, ut à Mendicantium ordinibus ipsa nuncupatione secernerentur. Abiit nunc in desuetudinem Nonni & Domni discrimen, quod tamen non rei, sed vocis fuisse ex veterum monumentis conjicio. Ut enim Domnos viros præstantissimos honoris ac reverentiæ gratia vocitamus; Ita per Nonnum intelligi Paternam reverentiam S. Benedictus adseverat. Illi etiam qui sanctitatis titulo insignes erant, Domni dicebantur, quos item Nonnos dici reperio apud *Arnobium in Psalm* 105. Terrenæ mentes, ait, interficiuntur hoc ordine: Si ille qui sanctus & Nonnus vocatur, sic agit, ego quis aut quotus sum, ut non agam? Eandem vocem adulationis notam fuisse testatur *Hieronymus Epist.* 47. Quæ in adulationem tui sanctum *Nonnumq;* coram te vocat; ubi malè in quibusdam codicibus irrepsit, sanctum non *nunquam. Xiphilinus* in Domitiano Virgines *Nonnas* vocat. Quæ vox frequentiùs pro Sanctimoniali usurpatur. In *Pœnitentiali S. Fulberti*, si quis *Nonnam* corruperit, septem annis pœniteat. Dictæ sunt etiam *Nonnanes & Nonnanæ*, ut ostendit *Rosswveidus in Onomastico*. Esse autem hanc vocem reverentiæ, & quæ propriè majoribus natu, ac senioribus olim tributa fuerit, docet *Hugo Menardus ad Cap.* 70. *Concordiæ Regularum*, *Joannes Bona divinæ Psalmodiæ Cap.* 16. §. 14. *pag.* 855. *Oper. in* 4. *Edit. Antverp.* Anno M DC LXXVII.

44. In Seculo ignorantiæ *Domnus Dopnus* pronunciabatur, vel *Dompnus*. Sanctæq; sedis Apostolicæ *Dopno* Leoni summo Pontifici.

tifici. Penes *Torrigium de Cryptis Vaticanis* secundæ impressionis pag. 503. Quæ sita est in civitatem novam quam *Dopnus* Leo Papa ædificavit, ibid. pag. 504. 506. 507. *Macer in Hierolexico, pag.* 231.

45 Pedes proximi ex amore osculari volebat *Isaacus Presbyter de Contemptu mundi Libro* 1. Excita, *inquit*, teipsum, cum obviaveris proximo tuo, ut eum honores supra mensuram; osculare etiam pedes ejus, & manus, & tene ipsas multoties cum multo honore, & superpone ipsas super oculos tuos, & commenda ipsum etiam in eo, quod non habet.

45. Mira de osculis Beatæ semper-virgini Mariæ à quibusdam oblatis in Papicolarum Legendis leguntur. *Cæsarius Heisterbacensis Ordinis Cistercienfis socius Lib.* 7. *histor. cap.* 35. *pag.* 57. narrat, quod miles quidam ætate adolescens cum quodam milite divite Domino suo, à quo beneficiates erat, habitabat, & licet ætate floreret, amplius tamen florebat virtute virginitatis. Invidia operante Diaboli ab uxore Domini sui gravissimè cœpit tentari: qui cum per annum eadem incessanter tentatione laboraret, jamq; ei intolerabilis esset, submota verecundiâ Dominæ suæ, quid pateretur aperuit, à quâ repulsam passus, amplius affligebatur. Casta enim erat matrona & viro suo fidelis. Rem aperuit miles Eremitæ, qui hoc dat consilii, ut singulis diebus anni unius CENTUM AVE MARIA precaretur, quæ Maria ipsi sit datura, quod ipsi utile. Hoc dum miles perfecisset, & templo exivisset, videt pulchram matronam, quæ ipsi habenas attrectaret & diceret, an ipsi forma placeret, & utrum contentus esset, si eam ducere posset. Annuit miles. Ad hæc matrona; Ego ero uxor tua, accede ad me, & da mihi osculum, & coegit eum, dixitq;: modò initiatæ sunt nuptiæ, & in tali die coram filio meo perficientur.

47. Simile quid de Francisco dicitur, qui dum oraret virginem ut sibi consolationem de Jesu parvulo faceret, virgo ipsa pulcherrima adstitit, & in brachiis B. Francisci à principio noctis usq; ad diem tenendum & osculandum præbuit. Vid. D. Zeæmanni Apolo-

Apologiam deß Wunder-Spiegels / pag. 293. Sed hæc anilibus fabulamentis consona videntur. Etsi enim *Bidermannus in Agonistico suo Lib. 3. pag. 625.* vix tamen à cordatis & subacti Judicii hominibus fidem impetrabunt.

48. Nec majoris forte valoris sequens æstimandum erit. Neapoli, in urbe totius Campaniæ multo maxima locupletissimaq;, in æde religiosissima S. Francisci de Paula, dens ejusdem crystallo inclusus, asservatur, ac summâ populi totius religione colitur. Hic dens die ejusdem sancti Viri festo omnibus spectandus exosculandusq; proponitur; ad quem osculandum mulier meretrix cum accessisset, vix crystallo illi labra admovit, cum dens tenuem quendam sonitum edidit, ac statim inventus est disruptus, ac duas in partes ex æquo divisus. Quod fuit indicio, quantum vir ille sanctissimus, & castitatis cultor eximius, impudici illius oris osculationem, vel potiùs accessum, formidaret atq; refugeret. *Janus Nicius Erythraus*, sive genuino nomine, *Johannes Victorius Roscius*, *Romanus*, *in Exemplis virtutum & vitiorum*, *numer. 69. p. m. 87. Edit. Colon in 8.* Anno M DC XLV.

49. Idem Scriptor *Libro citato num. 85. pag.* 107. astuti furis exemplum proponit, qui propter inopiam per simulationem osculationis ab altari ore hianti paucos nummos abstulerat. Mater mea, inquit, optima ac religiosissima fœmina, mihi etiam tum puero narrare solita erat, opificem quendam, cum, gravi diutinoq; implicitus morbo, ferè sua omnia in Medicos effudisset, ad summam egestatem fuisse redactum, qui cum die quodam cibi inopiâ, incœnatus cubitum isset, postridie manè amenti similis egressus est domo; atq; hac illac inambulans, contigit, ut præter sacram quandam Ædem transiret, ubi sancti ejus Ædis Patroni, summa civium frequentia natalis dies celebrabatur; atq; ibant omnes, ut erat mos illorum temporum, ut aram maximam exoscularentur, eamq; denario, vel nummulo aliquo, augerent. Itaq; tota pene redundabat argento.

Tum ille, cui ingenium acuebat inopia, unà cum aliis accessit ad aram, atq; simulatione osculationis, tantum nummorum excepit, quantum os capere potuit, seq; confestim è templo ejecit. E quibus nummis, cum diligenter eos antea enumerâsset, ligulas, acus & alia ejusmodi mercimonia coëmit: quæ statim aliis, cum quæstu compendioq; divendidit, & pretium, quod redegerat rursus in aliis mercibus collocavit, quo fiebat, ut semper auctior locupletiorq; discederet. Sed cum primum cœpit esse in nummis, nihil habuit antiquius, quàm ut pecuniam Sancto illi redderet, quam ab eo, ut ipse dicebat, mutuam accepisset, quod summâ cum fide præstitit, eundemq; sibi Patronum apud Deum ad res suas omnes adhibuit. Quo facto illud assecutus est, ut ad eas pecunias, ex mercaturâ, perveniret, ut postea nullius indigens fuerit.

50. Juvenis quidam lethalem ex ægritudine morbum simulans, osculo pristino restitutus est vigori, ut ferè *Osculum* illud *Medicum* dici mereatur. JurisConsultus annos natus ferme septuaginta, domi suæ adolescentem alebat, propterea ut iis eum artibus perficeret, quibus ipse præstabat, ac pro se JurisConsultum alterum civitati substitueret; in quo diligendo, patriam sibi charitatem constituerat, nec, quamvis jam ex ephebis excessisset, minus adolescentem amabat, sed magis se adigi sentiebat, ut illum diligeret; adeò amoris Platonici legibus obtemperabat. Sed nullus est tantus amor, cui non interdum calamitas aliqua interveniat. Nam die quodam, nescio quid illi velitati sunt inter se, atq; eò iracundiæ progressus est senex, ut illum omninò segregatum à se habere, omnemq; de illo solicitudinem ac benevolentiam ejicere, in animo fixum ac deliberatum haberet. Cujus dissidium cum adolescens ferre non posset, lethalem ex ægritudine morbum sese contraxisse assimulavit; & tanquam depositus ac penè conclamatus in lecto decumbens clamabat: Vocate Tabellionem, ut veniat ad me, nam volo Testamentum facere, ac bona mea cognatis dicere,

interpartiant, corpus autem meum jubere, ut humi, undè communis est origo, mandetur. Accersitur Medicus; qui advolat, neq; ave,* neq; vento citiùs; quem priusquam ad ægrum servi introducerent, misericors ille ICtus, qui omnem suo ab animo de illo amorem ejecerat, seductum oravit, ut magnâ illum cum curâ curaret, neq; quidquam prætermitteret quod ad eam ægritudinem levandam pertinere arbitraretur: sibi enim fixum ac deliberatum esse, ad ægrum omninò non accedere, de quo jam omnem patris animum ejecisset, atq; utrum, ait, convalescat, vel pereat, nauci non facio. Mea quidem causa millies si sit opus, intereat. Medicus ægrotantis cubiculum intrat, ad lectum accedit, ægrotum salvere jubet, quid morbi sit rogat, brachium apprehendit, pulsum tentat, neq; ex eo, quamvis paululum perturbato atq; commoto, ullum periculum subesse, intelligit: Proinde bono eum esse animo jubet, nam fore, ut mox omnis etiam morbi suspicio abscederet. Ille non audire, oculos contorquere, cadaveris cujusdam instar se componere, ad ultimum ventum esse, seq; jam mortis faucibus abripi, dicere, ac perinde jam efflaturus animam esset, intermortuis vocibus ICti sui nomen itidem usurpare. Medicus mirari, neq; satis intelligere, undè tanta vis morbi prodiret: verùm ægrotantis oratione commotus, qui sibi salutem exulatum abiisse querebatur, ICtum adit, quo loco adolescentis res sint, narrat, se quidem nullas adversæ in eo valetudinis notas, nedum propinquæ mortis signa, pernoscere: verùm quia fieret, ut sine morbo decederet, accurreret, ac bonis ominibus exeuntem è vitâ prosequeretur. Ac post multas preces, immisericors ille tanquam per vim attractus est illuc, ut adolescens orco se destinaverat; quem simul ac ejus oculi morientem acceperunt, continuo ex pumiceis facti sunt largiflui ac vim lacrymarum dederunt, & tanquam pectoris gelu ad adspectum adolescentis velut ad solis radios solutum in eas lacrymas isset, magna oris animiq; tranquillitas serenitasq; successit; ac

pax

pax tibi, inquit, ô fili, eademq; operâ ori ejusdem OSCULUM fixit. Uxor aſpicere, ſtomachari, in fermento eſſe. Res mira: qui biduum cibo abſtinuerat, qui præceps ruebat ad mortem, qui animam agebat, ad illud PACIS OSCULUM oculos aperuit, cibum popoſcit, ac receptis viribus, recuperatâq; valetudine, ſeſe incolumem è lecto ejecit. Medicus obſtupeſcere, calliditatem adoleſcentis admirari, malè celatum ICti amorem ridere, neq; eo die modi aliquid ac finis ridendi facere poſſe. Janus *Nicius Erythræus Dialogo 1. pag. 47. ſeq.*

51. Reperti ſunt inepti homunciones qui traderent, Mariam ex nudo oſculo quod Joachimus conjugi Annæ fixerat, ſine congreſſu connubiali eſſe conceptam. Illud autem ſtatuere cum perquam ſit abſurdum, commodè forſan appellari poſſet OSCULUM HÆRETICUM. Rem totam aperit *Tomus 4. Conciliorum Illuſtratorum Iohannis Ludovici Hartmanni, Theol. D. & Rotenburgenſis Superintendentis curâ editus Norimbergæ in 4. Anno M DC LXXV. pag.* 457. Anno M D VII. celebrata fuit Synodus Moguntiæ, ubi Facultas Theologica Moguntinenſis Academiæ XIII. Octobris determinavit, ſentiendum, credendum & defendendum, beatiſſimam Virginem Mariam nunquam originali ſubjacuiſſe peccato, ſed ſingulari quodam privilegio præſervatam. Imitati ſunt Moguntini Theologi hoc decreto Academias, Pariſienſem & Colonienſem, quæ idem ſtatuerant, & eos qui contrarium ſentiebant, MACULISTAS vocabant, quaſi qui maculam (ipſorum opinione) Mariæ virgini adſpergerent. Quin etiam Statutum fecit Facultas Theologica Moguntina, deinceps nullum Candidatum Theologiæ promovendum, niſi prius juraverit, ſe contrariam (*Maculiſtarum*) opinionem nunquam approbaturum. Puto autem Pariſienſes & Moguntinos Theologos, ut hoc Decretum facerent, fuiſſe motos invalido argumento, quod videlicet Chriſtus traxiſſet peccatum Originale à Matre Maria, ſi ipſa in Peccato Originali eſſet

concepta. Undè etiam quidam insulsi homines (ut habetur in Legenda Sanctorum) finxerunt, virginem Mariam, non ex congressu connubiali, sed tantum ex OSCULO Joachimi, quod Conjugi Annæ fixerat, fuisse conceptam. Quasi verò Christus contraxisset peccatum originis à matre, si ipsa non fuisset expers peccati originalis. Cum Christus non ex congressu Josephi & Mariæ, sed absq; virili semine conceptus sit, de Spiritu Sancto: qui massam illam carnis & sanguinis virginis Mariæ, de qua filius Dei humanam suam naturam assumpsit, ab omni labe peccati virtute sua omnipotenti, purificavit & mundavit; ut ex ea homo purissimus generaretur & nasceretur. Accipiatur simile quoddam: Aurifices suâ industriâ possunt argenti massam, cupro per minima permixtam, ita purificare & mundissimam reddere, ut ne mica quidem de cupro in argento illo permaneat.

52. Osculum spectro libatum vix sine horrore legi in *Historiâ Constantinopolitano-Turcica Christophori Besoldi*, sub seculo post partam salutem nono, pag. 67. Interea Basilius Imperator, dum Constantini filii obitu, inconsolabili dolore afficeretur, ut ei blandiretur Theodorus Euchaitarum Episcopus, cognomine Santabazenus, homo perditissimus, quem tamen ut virum sanctum & miraculorum effectorem, Imperator colebat; præstigiis suis & necromantiâ effecit, ut idem Constantinus defunctus, equo insidens, Basilio Patri occurrere videretur, quem cum amplexus & deosculatus esset Imperator, eum non amplius vidit.

53. Nemo sanè non mirabitur & attonitus stupebit, si videat vel audiat quosdam ex insano amore, non sine suspicione maleficii magici cadavera fovere, amplecti: imò labiis contingere & seriò osculari. *Iohannes Kirchmannus Libro de Annulis Cap.* 21. *p.m.* 213. *Edit. Lugdun. in* 12. Anno M DC LXXII. Ad genus annulorum, quibus amor posse conciliari putatur, refero illum,

qui

qui inventus fuit in ore cujusdam mulierculæ jam mortuæ, cujus insano amore Carolum Magnum Imperatorem olim captum fuisse memorant. Historiæ hujus, quæ à fabulâ non multum abludit, indicium mihi fecit nobilissimus & Amplissimus vir D. Foppius ab Aissema, Potentissimorum Ordinum Fœderati Belgii ad urbes Hanseaticas Legatus, vir rarâ eruditione prædictus, multoque rerum usu subactus, amicus noster non è multis, qui eam apud *Stephanum Paschasium Lib. 5. des Recherches de la France cap. 31.* fortè paulo ante legerat, quam ad ipsum salutandum venissem. Laudat vero Paschasius ejus testem *Franciscum Petrarcham*, cujus verba ex *Lib. 1. Epistola 3.* huc adscribam: Vidi Aquensem Caroli sedem, & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius principis sepulchrum, ubi fabellam audivi non inamœnam cognitu, à quibusdam templi sacerdotibus, quam scriptam mihi ostenderunt: & postea apud modernos Scriptores accuratius etiam tractatam legi: quam tibi quoq; ut referam, incidit animus, ita tamen ut rei fides non apud me quæratur, sed ut ajunt, apud auctores maneat: Carolum Regem, quem Magni cognomine æquare Pompejo & Alexandro audent, mulierculam quandam perditè & efflictim amâsse memorant. Ejus blanditiis enervatum neglectâ famâ, cui plurimum inservire consueverat, & posthabitis regni curis aliarum rerum omnium & postremò sui ipsius oblitum: diu nullâ prorsus in re, nisi in illius amplexibus acquievisse, summa cum indignatione suorum & dolore. Tandem cum jam spei nihil superesset, (quoniam aures regias salutaribus consiliis insanus amor obstruxerat:) fœminam ipsam malorum causam insperata mors abstulit: cujus rei ingens primum in regia, sed latens gaudium fuit, deinde dolore tantum priore gravior, quantum fœdiori morbo correptum Regis animum videbant, cujus nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscœnum cadaver & exangue translatus est, quod balsamo & odoribus conditum, onustum gemmis & velatum purpura, diebus ac noctibus tam mise-

rabili quàm cupido fovebat amplexu. Dici nequit, quam discors & quam malè se compassura cónditio est amantis ac Regis: nunquam profectò contraria sine lite junguntur. Quid est autem regnum, nisi justa & gloriosa dominatio? Contra quid est amor? nisi fœda servitus & injusta. Itaq; cum certatim ad amantem, seu rectius ad amentem Regem pro summis regni negotiis, Legationes gentium, Præfectiq; & provinciarum Præsides convenirent, is in lectulo suo miser, omnibus exclusis, & obseratis foribus, amato corpusculo cohærebat: amicam suam crebro velut spirantem responsuramq; compellans, illi curas laboresq; suos narrabat: illi blandum murmur & nocturna suspiria: illi semper amoris comites lachrymas instillabat. Horrendum miseriæ solamen, sed quod unum tamen ex omnibus, Rex alioquin, ut ajunt, sapientissimus elegisset. Addunt fabulæ, quod ego fieri potuisse, nec narrari debere arbitror. Erat ea tempestate in aulâ Coloniensi Antistes, vir (ut memorant) sanctitate & sapientia clarus, nec non comitatus & consilii regii prima vox, qui Domini sui statum miseratus, ubi animadvertit humanis remediis nihil agi, ad Deum versus, illum assiduè precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere, multo cum gemitu. Quod cum diu fecisset, nec desiturus videretur, die quodam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti, & post devotissimas preces pectus & aram lacrymis implenti, de cœlo vox insonuit, & sub extinctæ mulieris linguâ furoris regii causam latere. Quo lætior, mox peracto sacrificio, ad locum ubi corpus erat, se proripuit, & jure notissimæ familiaritatis regiæ introgressus, os digito clam scrutatus gemmam perexiguo annulo inclusam sub gelida rigentiq; linguâ repertam festinabundus avexit. Nec multo post rediens Carolus, & ex consuetudine ad optatum mortuæ congressum properans, repente aridi cadaveris spectaculo concussus, obriguit exhorruitq; contactum: auferri eam quanto ocyus ac sepeliri jubens. Inde totus in Antistitem conversus, illum amare, illum indies rectiùs complecti, deniq; nihil nisi ex sententia illius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod

ubi

ubi sensit vir justus & prudens, optabilem fortè multis, sed onerosam sibi sarcinā abjicere statuit: veritusq; ne si vel ad manus alterius perveniret, vel flammis consumeretur, Domino suo aliquid periculi afferret, annulum in vicinæ paludis præaltam voraginē demersit. Aquis fortè tum Rex cum Proceribus suis habitabat, ex eoq; tempore cunctis civitatibus sedes illa prælata est. In ea nil sibi palude gratius, ibi assidere, illis aquis mira cum voluptate, illius odore velut suavissimo delectari. Postremò illuc Regiam suam transtulit, & in medio palustris limi, immenso sumptu jactis molibus, palatium templumq; construxit, ut nihil divinæ vel humanæ rei eum inde abstraheret. Postremò ibi vitæ suæ reliquum egit, ibiq; sepultus est, cauto prius, ut Successores sui primam inde coronam, & prima Imperii auspicia capesserent: quod hodiè quoq; servatur, servabiturq; quamdiu Romani frena Imperii Teutonica manus aget.

54. Mortuus alicubi vitæ redditus traditur osculo, si credere fas est. *Petrus Borellus Histor. & Observ. Medic. Centur. 3. Observat. 58.* Quemadmodum legimus Deum in corpus Adami animam insufflâsse, sic etiam animalibus insufflationem vitalem concessit, adeoq; quædam est in India Medicorum secta, quæ morbos omnes sola curat insufflatione; sicq; solent apud nos Gallinæ ano admoveri ægrotantium, ibiq; detineri, donec suffocentur, & quasi animam in ægri corpus expiraverint, undè asseritur, ægros conclamatos sæpissimè revocari ad pristinum habitum. Sed magis memoranda est historia famuli cujusdam, qui cum è rure rediret & Dominum mortuum invenisset, jamq; sepulturæ condendum, voluit illum diutissimè exosculari, dumq; supra illum flens & halitus fundens in os ejus esset, paulatim illum ad vitam tanquam Propheta revocavit. Sic enim Prophetæ olim in mortuos resupinos ipsi proni in eos inspirantes recumbebant.

55. Quid autem de his omnibus tenendum sit *D. Iohannes Christianus Frommann, Medicus Provincialis Coburgensis & PP. de Fascinatione L. 3. Part. 2. C. 7. p. 485*, eruditâ epicrisi exposuit, ita differens:

rens : Quæ *Borellus* de Insufflatione adducit , tanto viro sunt indigna. Nam 1. ex Inspiratione divina Adamo facta non licet similem in animalibus insufflationem colligere. Siquidem spiraculum vitæ quod in nares Adami Creator flavit , anima fuit; at Spiraculum hominis aer est , ex pulmonibus exclusus : Illud Spiraculum vitæ fuit essentialiter ; at vitalis animalium insufflatio vitalis principii effectus est , qui vitam manifestat non producit. 2. Non ideò quia Deus insufflationem vitalem concessit , ex vitali Medicinalem licet inferre facultatem , aliàs omnes homines eadem præditos esse foret inferendum, quia omnibus vitale principium inest. 3. Morbos omnes in Indiâ à quadam Medicorum sectâ sola insufflatione(naturaliter) curari posse, quis in re fide majore, & secundum omnes circumstantias ignotâ, viro experientia & testimoniis authenticis destituto fidem adhibeat ? Ne adhibeamus , & insufflationis natura & morborum diversitas prohibet. 4. Gallinas ano admotas quasi animam in agri corpus exspirare dicit. O si Palladis ori suum admovisset autor, & veritatem in tenera discentium pectora feliciori sidere exspirâsset ! Admoventur ano , capiti , pedibus, & aliis hominis partibus gallinæ , non ut quasi animam suam in ægrotantis corpus exspirent, sed ut malignitatem attrahant, causamq; morbificam discutiant. Hinc vel vivæ bubonibus pestilentialibus , vel dissectæ in phrenitide, cephalaglia, epilepsiâ, &c. capiti imponuntur , teste *Schrœdero Pharmacop. Lib. 5. Cap. 55.* 5. Famulum rure redeuntem mortuum quendam halitu suo Prophetæ instar in viam revocasse ait. Paganus si hæc dixisset, Rusori ut supplicaret , per jocum impellerem. Ab hoc enim , si quid ex iis quæ quis possederat , amissum esset, opem poscebant gentiles. Axioma hoc : *à privatione non datur* (naturaliter) *ad habitum* (eundem numero) *regressus* ; (adeoq; nec à morte ad vitam;) in Philosophiæ fundo collectum bonus Autor præcipiti cursu amisit , quem latere non debuit respirationis & vitalium animaliumque actionum detentionem , non statim

vitæ

vitæ ipsius extinctionem arguere, quia anima, sive actus primus sine secundo adesse potest, quod exempla hystericroum, strangulatorum, suffocatorum, & peste extinctroum quorundam, quos obvii quiq; ex eâ causa mortuos judicârunt, satis testatum fecerunt, apud *Theodorum Zvvingerum Volum. 2. Lib. 7. fol. 505. Schenckium Lib. 4. Observat. CCLXXXVIII. Paræum Lib. 23. Cap. 46. Forestum Lib. 15. Observat. Medic. 25.* Prophetæ quidem in mortuos resupinos proni, inspirârunt, sed animam ipsam non immiserunt, quia alterius animam Prophetæ non habuerunt. Si verò aliam inspirâssent, non idem homo in vitam rediisset, nova anima alterius habitaculum derelictum subiisset, anima prior corpore proprio careret, cum quo in παλιγγενεσίᾳ sit unienda: animam ipsam Propheta vel generâsset, vel creâsset, quorum neutrum dici potest; ne plura ex asserto illo manantia absurda tangam. Cur autem viri illi Dei mortuos resuscitaturi ritibus & ceremoniis istis fuerint usi, Theologis exponendum relinquimus. Famulum verò illum Virum DEI fuisse, Prophetico spiritu & munere; & in vitam resuscitandi virtute peculiari donatum, *Borellus* veridico Spiritu prodat, & erit nobis magnus Apollo.

56. Cor amantis oblatum amasiæ, ab eaq; osculis ex ferventissimo amoris & tristitiæ affectu exceptum, in Historia Sicula, & apud Beroaldum in Epigrammatibus reperio, Accipe notabile amoris intensi argumentum, charactere dicendi pathetico à *Marcellino de Pise Encyclopædia Moralis Tomo* I. *pag. 292.* expressum. Principi Salernitano Tancredo fuit filia, moribus ingenuis & in eam venustatem composita, cujus adspectu ardere possent, ipsi etiam impotes amoris homines. Ejus formâ captus nobilis adolescens virginem hanc fervidè deperibat, non renuit casta quidem obsequia viri virgo ingenua, fetum esse reputans, amorem nolle rependere ei, qui amore præit. Sed ut gliscente amoris æstu magna exsurgunt incendia, eò amoris deventum est, ut ambo igne reciproco conflagrarint. Non

erant ſui juris, depaſcente eos flamma, quæ cum ſit edax cordium, ſuos toto corpore ſparſit ignes, qui præſertim emicant in oculis, quos Poeta nuncupat in amore duces: demum ſerpens amor abditus ſe prodidit verbis anhelis, atq; colloquiis, fortaſſe plus nimio repetitis. Puellæ parens Princeps omnia tuta timens, ſenſit æſtum, quo amantes deperibant ſeſe, iniquo animo tulit, juvenem hominem fortunæ imparis amare filiam ſuam, alterius revera ſortis, ſtatuitq; apud ſe diffuſus has radices amoris nimii, quo ardebat doleſcens ille, in perniciem ſuam gladio reſecare. Utq; Principum ſæpe coëunt velle & poſſe, quod molitus eſt, facinus egit, ſed impium & ferale, Scilicet conducto ſicario, juvenem hominem tulit è medio, apertoq; ejus pectore exeruit cor, poſitum in diſco argenteo, ferale munus ſævus Princeps miſit in filiæ ſuæ cubiculum, ut ea hoc amatorio ferculo paſceretur. Expavit primò puella ſanguinis adſpectu, ut eſt imbecille hoc hominum genus; ſed ut ſui compos effecta eſt, (quis fallere poſſit amantem?) Cor extinctum proci agnovit ſuo ſanguine purpureum, & licet in diſco ſileret cor elingue, non tacebat amor nunquam exanimis. Emortuum cor urgebat illam, ut ſimili hoſtiâ, ea ipſa victima effecta, mortuo parentaret. Minimè obſurduit virgo, ſanguinis quippe loquacis excepit ſonos, quibus petebatur illius cor, ut cordis exerti iniquè, etiam ipſa adæquaret ſortem: non invita dedit manus, ſed ultrò ſe aptavit ad liberam mortem, cordi adhuc æſtuanti, corde ſuo etiam exanimo litatura: Mortis ſuæ voluit eſſe præludia hos luctûs in Patrem: Incaute Parens, peſſimè à te conſultum eſt, & pudori meo, & vitæ meæ, credidiſti fore cor meum liberum enecato corde dilecti: erit ſanè, ſed alia libertate, quæ animo tuo non inſedit, exiſtimaſti credulus ſupra modum facturam me finem amandi; reſcito fine nobilis amantiſſimi; equidem faciam, ſed profecto eum, quem tu poſtea deteſteris. Hæc in ſupremo agone effata eſt. Demùm amore ejus incalente eo incremento, quod abdebat intuitus impii ferculi, ruens in amplexus cordis depoſcentis de ferculo

ferculo cor illius, multis infixis Osculis, ait: Eodem fato dispereo, quo & tu, dilecte mi, eodem amoris occido spiculo, par pari refero, corque meum rependo tibi meo corculo, quo extincto tædet me vivere, ad omnia nauseantem. In his extincti cordis amplexibus delinquens animo, imponitur lecto, ubi amore saucia animam egit, referens argumentum amoris indubii. Pater serâ pœnitentiâ suum facinus diluit eâ ratione; scilicet sancivit, ut in utriusque corporis solatium, eodem tumulo duo illa corpora conderentur.

57. Etsi Suaviis nihil suavius, nihil dulcius, inter mortalium delicias reperitur, quandoquidem & Attica mella, imò ipsam Jovis Ambrosiam nectarque dulcedine vincunt, fuêre tamen qui atrô quasi supercilio eadem contemptim repudiârunt. Sempronia Tib. & C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Æmiliani, à Tribuno plebis producta ad populum, in maximâ confusione nihil à suorum amplitudine degeneravit; cum enim totum forum acerrimo studio niteretur, ut Equitio, cui Semproniæ gentis falsum jus quærebatur, tanquam filio Tiberii fratris sui osculum daret, illum ut portentum execrabili audaciâ ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem repulit. *Valerius Maximus Lib.* 5. *Cap.* 8. *Roman.* 6. D. Ambrosio â Valentiniano Imperatore ad Maximum Tyrannum Treverim misso, ad fratris Gratiani ab eo occisi corpus repetendum, cum Maximus assurrexisset ut osculo eum exciperet, ipse se, ne cum vocaretur quidem movit, quin potius eum propter proditionem increpavit. *Fulgosus Lib.* 6. *Cap.* 2.

58. Quia osculum in veteri Christianorum Ecclesia orationis sigillum erat, ex mente Tertulliani Lib. de Orat. Cap. 14. ideò *ad osculum convenire*, pro, *simul orare*, antiquitus dicebatur. Quod pacis osculum non solum in Ecclesiis publicis, sed & in privatis domibus post orationem dabatur. *Potes domi deferre pacem, Tertullianus* dixerat. Hæc tamen pia ac religiosa consuetudo à *D. Philippo Nerio*, pacis & concordiæ amatore

renovata fuit; in ejus enim Constitutionibus statuit, ut peracta mentali oratione vespertinâ, quam Patres simul agunt, pace sigilletur; dum Sacrista pacis tabellam ad osculum circumfert; in quâ sodalitate hujus cœlestis pignoris effectus mirabiliter ac jugiter emicat. *Macer in Hierolexico, pag.* 460.

59. Osculum amantes voti sui compotes reddit, cui gaudio proximus est Caprarius ille apud *Theocritum*, Amaryllidem alloquens *Idyllio* 3.

> νύμφα προσπτύξαιμί με τὸν αἰπόλον, ὥς σε φιλάσω.
> Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.
> Τὸν στέφανον τίλαι με καταυλίκα ποιήσεις.
> Τόν τοι ἐγὼν Ἀμαρυλλὶ φίλα κισσοῖο φυλάσσω,
> Ἐμπλέξας καλύκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις.

Nympha, amplectere me caprarium, ut te deosculer. Inest & in osculis inanibus dulcis voluptas. Facies ut coronam hanc in minutas partes discerpam, quàm tua causa, ô chara Amarylli ex hedera nexam gero, implexis folliculis, & odorato opio. Ac si dicat: si modò te osculatus fuero, id mihi abunde futurum est; Nam in osculo est proxima spes potiundi. Cujus rei testis futura est hæc corona, quam capite gero. Hanc ipse, scilicet, hoc tantum boni adeptus minutatim concidam: qui est mos illorum, qui aut jam facti sunt compotes amorum suorum, aut inibi sunt, ut iis potiantur. Et hoc illud est, quod prisci dicebant coronas in Convivio cadere seu diffluere, nempe comâ & coronâ unguento madidis, & hinc facile fluentibus. Id quod signat *Ovidius* in his versibus *Lib. 1. Eleg.*

> Ergò amor & modicum, circum mea tempora vinum
> Mecum est, & madidis lapsa corona comis,

Carol. Paschalius Coron. Lib. 2. cap. 6. p. m. 84.

60. Comptæ mulieris oscula & conversationem castè vivere volenti evitare unanimi consensu prudentes suadent. *Iacobus Balde in Poemate de Vanitate Mundi numero LVI.*

Oblata

Oblata labris basia
Luctantibus recusa,
Et si rogaret millies,
Tu millies recusa
Quæ verba fingit sesamo
Dulciq; plena melle,
Credas Cerastæ toxico
Flavoq; sparsa felle.

Mitte igitur thalamum & noli pro Dote pacisci,
Suaviaq; opposità pelle dolosa manu.
Quin vultum quoties invitat ad oscula, dorsum
Obverte, & pedibus protere vota Lupæ.
Rhetoricam nôsti, quæ sit tibi verba datura
Aurea, cumq; Tropis, byssina cumq; favis!
Byssina? sed ferrum, sed plus quàm ferrea verba.
Byssina? sed crassus sunt, mihi crede rudens.

Quò vesane ruis? resiste scorto;
Cerussata puella non omittet
Causas quærere basiationis.
Palpabit mihi crede complicatis
Prostans oscula porriget labellis:
Promissura Rosas thymumq; mellis:
Manatura nigri palude fellis:
O! quæ basia, qualibus labellis!

Et statuis tali Dominæ servire maritus?
Probraq; suaviolo conjugis empta pati?
Si me non spernis, spernas meretricis amatæ
Oscula, nec pretium, nec patiere preces.
Mella quidem loquitur, blandisq; incesta perorat.
Ignibus atq; oculis, læna diserta suis,

Tu tamen haud fidas: ignes sunt frigora Thracum;
Noctua sunt oculi; melq; venena merum.

Inunc & osculare publicam Larvam,
Regumq; sputis basiisq; fætentem.
Raptos ocellos (orba propriis) furto
Vibrabit, emulgere suavium docta.
Sed tu resiste, si sapis: sed infringe
Exercitatam lubricis genis palmam;
Neu verba credas, quæ dat esse mel, fel sunt,
Vah! Alveari quantus incubat Fucus.

61. De Patria Judæ Proditoris varii varia; sed si advertamus, quod omnes Christi discipuli ex Galilæa fuerant, rectè non extra eam regionem Judæ patria inveniri debet. At cum *Carioth* situata sit in tribu Judæ, *Iosua Cap.* 15. & Isch Hebraicè hominem significet, *Ischarioth* rectè homo ex Carioth interpretatur. *Maccr Hierolexici pag.* 336.

62. Nullis amor armis gravius vulneratur, quàm suis, id est osculis. *Iohannes Baptista Ferrarius Senensis*, *Soc. IESV*, *Orat.* 8. inscripta Morientis DEI prodigium, *p. m.* 52. *Edit. Coloniens. in* 12. Clementer cum Christo agitur: non vulnere, sed osculo excipitur. O facinus ab ipsa humanitate barbarum! O crudelissimo dignam proditore Clementiam! Ut altissimè vulneratum facilè tradas in manus hostium, Deum, divinum ad cor perfido penetras osculo. Nimis enim nosti, ex amoris castris barbare transfuga, nullis amorem armis gravius vulnerari posse quam suis. Exclamare libet: Ubi mors non est, si in osculis est?

63. *Idem Oratione* 9. *pag.* 65. Tam atrox, tam insolens in DEUM parricidii scelus, non communibus lacrymis, sed

præsu-

præsudato sanguine deplorandum fuit. Osculo filiorum aliquis vulneri prolusit, ut ex facili oris aditu omnium gravissimè cor paternum vulneraret. Vulnerum jam ego reliquorum licentiam non admiror, dum tantum licuit osculo in cor. Subi jam vincula prodite Pater, decet enim post osculum proditoris amplexus vinculorum, neq; tui te filii aliâ ratione mitius amplecti nôrunt, quam vinculis.

64. *Idem Oratione* 11. *pag.* 67. Amor osculo trahitur ad supplicium. Supervacaneas catenas jam captivo injicitis lictores. Prudentius lictorem agit antesignanus Judas; sola enim *amoris vincula oscula sunt*. O oscula, funiculi Adam & vincula charitatis, ad quas præterea delicias Deum deducitis? Puderet dicere nisi deduci sibi decorum ille existimâsset.

65. Oscula hodie multis, plus quam merita, ut sunt seculi, quòd vivimus, mores perversi, viam ad honores & lautiorem fortunam sternere facetis, verbis innuit, & salsè ridet elegantissimus Orator & Poeta Kiloniensium, *D. Georg. Daniel Morhof, in Panegyrico Nuptiis Sereniss. Princip. Dni Christiani Alberti, Postulati Coadjutoris Episcopatus Lubecensis, & Celsiss. Dnæ Friderice Amaliæ, dicato, Litera G.* Alibi fœtida quædam & edentula anus nitido alicui & cincinnato Narcisso, non Junonis Cinxiæ, sed monetæ auspiciis jungitur, & vel ex graveolentibus Osculis bonus lucri odor capitur. Multis queis Veneris illa Myrtus non nisi Laureis intertexta arridet, per thalamos in Cathedras scanditur, & tribunalia, soliusq; ambitus causa sponsa ambitur, quasi verò quemadmodum Comitum Habspurgensium oscula disertos facere credebantur; ita uxoris alicujus basia doctos aut peritos reddant. Scilicet non in Poëtarum tantùm fabulis, sed nunc quoq; viâ lacteâ in cœlum itur, nec tam ex lucubrantium lucernis, quàm ex nuptialibus tædis gloriæ faces accenduntur.

66. Pugio

66. Pugio Regius alterius corproi infixus cum osculo reverentiæ Regi traditur. *Johannes Loccenius Historia Suecana Lib. 7. pag. 372.* De Regimine Erici XIV. Infelici suo fato Nicolaus Sture Suanthonis filius, Regis Consanguineus, & semper ei fidus, legatione sua & negotio Erici apud Cæsarem & Lothringiæ Ducem, ex animi sententiâ, ut sperabat, confectis, hoc ipso tempore ex itinere domum, & Upsaliam ad Regem redit, ac statim in vincula conjicitur. Quin Rex in ipso carceris cubiculo eum pugione transfigit; quem ille vulnere eductum Regi cum osculi veneratione reddit. Mox eum sicarius transfosso per oculum capite, & Regis satellites penitus obtruncant.

TANTUM.

MANTISSA,
EPIPHYLLIDES SACRAS,
DE
JUDÆ INGENIO, VITA ET FINE,
CONTINENS.

CAlamorum Magnetes insigni virtute insignes sunt. Trahunt ad se calamos; trahunt linguas, ut laudabilia hominum facta quilibet laudet, malorum molimina nemo non culpet ac detestetur. Sicut autem semper in iniqua quam in recta proclivius est humanum ingenium; ita debet illò trahi congruis auxiliis, unde labans avertitur. Confert oratione benesuada bonum animis ingerere, sed plus revera prodest agere exemplis, quam ambitiosa verborum pompa viam virtutis ostendere. Verba enim suis viduata factis & exemplis argumenta penè irrita sunt ad animas excitandas. Quapropter Mathatias ut animos suis filiis adjiceret, agone ultimo imminente, memor actionum, quas generosi Hebræorum Proceres ediderant, hos Heroes eis recensuit, ita natos circumstanter alloquens, 1. Maccab. 11. Mementote operum Patrum quæ fecerunt in generationibus suis & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Quin imo Deus ipse in humanis Judæos adhortatus, ut abstinerent à vitiis, Abraham proposuit eis in exemplum, ut ad amussim hujus Patriarchæ suam vitam reformarent. Si, inquit, filii Abrahæ estis, opera Abrahæ perficite. *Ioh.* 8. Habere sibi aliquem accommodatum ingenio nostro ut in speciem ejus componamur, *Seneca Philosophus*, salutare vocat consilium, *Epistolam.* 11. ita concludens; Jam clausulam Epistola poscit, Accipe & quidem utilem & salutarem, quam te affigere animo volo: Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: custodem nobis & pædagogum dedit, nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus

cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri post, ut ad memoriam quoq; ejus se componat, atq; ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium: elige eum cujus tibi placuit & vita & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, prava non corriges. Quandoquidem exempla ut *Sebastianus Foxius, Marzillus Hispalensis, de Hist. instit.* ait, usq; adeo movent hominum animos, ut quoniam eo sunt illi ingenio, ut quod ab aliis fiat, sibi quoq; putent faciendum, vel vitia, etiam & scelera aliorum ipsi imitentur. Sumus enim omnes invicem veluti Simiæ dictorum & factorum nostrorum, sicut & Simiæ quoq; ipsæ nostri: ita cernimus hominis unius scelerati & impuri vitam, quasi morbum late serpentem & contagiosum, aliorum mores corrumpere: Sic mali Principes non tam detrimenti id rebus publicis afferunt, quod eas male administrant, quàm quod exemplo suo cunctos depravant; sic patres vitiosi, filiis sunt pravitatis causæ & exemplo. Juxta prudens Senecæ monitum CHRISTUM propono velut Typum virtutum omnium, ejusq; cultum sincero ex corde provenientem. Ille nempe nobis Christianis debet esse in exemplum, quia primum in unoquoq; genere est mensura cæterorum & regula, ad quam omnia conclusa tali genere concluduntur. Ita sacri quædam summa nobis erit obsequii, CHRISTUM imitando, palàm profitendo eum esse nostrū mediatorem, salvatorem & redemptorem unicum, sicq; primas eidem deferre, sectando vias virtutum, quas in statu exinanitionis decurrit, est illū supra modos omnes alios venerari. S. Cyprianus de duplici martyrio: Efficacius est vitæ quam linguæ testimonium, habent & opera suam linguam, habent suam facundiam tacente lingua. Ideo jus Canonicum

nicum plus urget ad exempla virtutis exhibenda, quam ad loquelam intonandam. Canon. Ab exemplis ſanctorum Patrum debemus arguere, id eſt, non allegando exempla Sanctorum, ſed ea manibus exhibendo. Rationem affert jus ſacrũ hoc Canone: In exemplum trahitur à minoribus, quod factum eſt à majoribus. Can. Moyſi 8. quæſt. 1. Can. cum quidem de jure jur. Quemadmodum autem antea Chriſtum imitandum propoſuimus, ita nunc Judam fugiendum ſiſtimus. Judas ſupremus ille Diaboli miniſter, Salvatoris noſtri mitiſſimi perduellis, omniumq; ſcelerum receptaculum, plurimos dudum acuit calamos, manus doctas armavit, ingenia varia exercuit; ſed in ſui ignominiam. Damnatus enim eſt in publico orbis theatro ab omnibus, communi Chriſtianorum ſuffragio, ut nullus ejus veſtigiis inſiſtere geſtiat. Uti pictores, cum imaginem ab imagine pingunt, identidem exemplaria ſpectantes, illorum lineamenta ad ſuum opificii uſum transferre ſtudent: Sic qui ſtudet omnibus virtutis partibus perfectum efficere, debet elaborare, ut quaſi ad ſimulachra motu & actione prædita, vitam Chriſti omniumq; Sanctorum ſæpe oculos animi convertat. Contra qui tenebras diuturnas expertus, tenebrarum tædio afficitur, ſeſe ad lucem paulatim acceleratreducere: Sic & qui in ſceleſto & maligno aliquo vitiorum omnium fuerit exemplar contemplatus, ejusq; interitum attenderit, facile virtutis iter aggredietur, & hujus horrore, ſi male prius vixerit, faſtidium prioris vitæ ſibi maturè ingenerabit. Judam qui videt, ſpeculum videt, in quo unicuiq; apparet quid faciendum quidve omittendum ſit. Imo de illo verè idem, quod apud Virgilium Æneidos II. de doloſo Sinone dictum reperitur, dici poterit:

Adſpice nunc Judæ inſidias & crimine ab uno
Omnia diſce - - - -

Nemo Chriſtum ſequitur qui, degeneris diſcipuli proditionem diris non inſequatur. Nemo Judæ mores fugit, niſi qui Judæ finem

nem timet vitamq; vitat. Attulimus quidem in superioribus de illo non pauca; non vero singula ex Patrum ac recentiorum quorundam Scriptorum lectione nobis observata: Agunt enim de vituperio Judæ Patres certatim & elinguis nemo silet; & ne Musæ in hoc uberrimo dicendi campo tacitæ viderentur, conduxerunt quidam illas ad hoc factum omni nequitia majus exterminandũ. Quapropter quæ nobis sparsim collecta sunt, definitis hic includere cancellis, & EPIPHYLLIDES SACRAS, certis inscriptionibus signatas, adjicere libuit. Imago quasi hic Judæ suis, hoc est, atris coloribus infcitur, ut exquisita, sed lugubris pictura non nisi odium tristitiamq; animis piorum refricet.

TITULUS I.

DUO in cœtu Apostolorum fuerunt Judæ, alter bonus, alter malus, simulator & hypocrita impudens. Ex quo apparet, bonos semper malis mixtos esse.

1. *Clemens Alexandrinus Libro 2. Pædagogi Cap. 8. p. m. 211. edit. Paris. Anno 1612. in folio.* Nos autem docebit ipse Dominus Judam esse falsum pro adulterinum: Qui intinxerit mecum in catinum, dicens, hic me tradet. Vides convivam dolosum. Hic ipse Judas osculo prodidit Dominum. Fuit enim idem hypocrita & simulator, fraudulentumq; ac dolosum habens osculum, alium veterem imitans hypocritam, & populum arguens, propter quem dictum est, *Hic populus me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me Esaia 29.*

Est ergò satis probabile, ipsum (Judam mysticè) significare oleum quidem, ut discipulum qui consecutus fuit misericordiam, fraudulentum autem, utpote proditorem, oleum venenatum. Hoc ergò erat, quod prædicebant pedes oleo delibuti, Judæ nempe proditionem, cum Dominus pergeret ad Passionem.

2. *Victor Antiochenus ad Cap. 14. Marci Tomo 4. Bb. Pp. p. m. 391.* Venit Judas Ischariotes unus de duodecim. Quod unus de duodecim Apostolorum numero, una cum turba venisse scribi-

tur, id insignem Diaboli malitiam, infandamq; proditoris nequitiam & impudentiam arguit. Qui enim pari cum cœteris Apostolis honore & dignitate potiebatur, is eorum ducem & antesignanum se præbet, qui Christum ad supplicium & mortem petitum venerant.

3. *Origenes in Exodi Cap. 15. Tomo 1. Oper. pag. 26.* Judas erat Diaboli equus, sed donec adscensorem habuit Dominum, de equitatu fuit salutis. Cum cœteris enim Apostolis missus ægrotis salutem, & sanitatem languentibus præstabat. Sed ubi se Diabolo substravit, post buccellam introivit in eum Sathanas, & ascensor ipus factus est Sathanas.

4. *Bernhardus in Cœna Domini, Sermone 3. Tom. 1. Oper. Col. 1724.* Judas simulator fuit, ejus sanctitatem palliabat vultus Sophisticus. Nam religionem simulabat in facie, quam non habebat in mente. Sanctitatem prætendebat in veste, quam alienabat à cordè, foris agnus, in publico, intus lupus, in occulto. Foris Discipulus Christi, intus Discipulus Diaboli.

5. *Idem Col. 1723.* Nihil doloris gerebat qui astutam rabido portabat sub pectore vulpem. Non erat dolens, cui ingens dolor inesse debebat. O bonitas Redemptoris! O pietas Creatoris! neminem vult perire, sed omnes fieri salvos. Specialiter non designat traditorem suum, ne fieret impudentior vel inverecundior, manifestè deprehensus. Manifestat ergò crimen, & dat locum pœnitentiæ, ut proditor videns se latere non posse, agat pœnitentiam. Sed vir ille perditionis nullius pœnitentiæ lamenta suscipiens, talis vel pejor remansit, qualis fuerat prius, transiens in affectum cordis.

6. *Rupertus Abbas Tuitiensis, Tom. 2. Op. in C. 12. Johann. Comment. L. 10. p. 273. Edit. Colon. Agrippin. in fol. An.* 1602. Teterrimus nebulo nequissimam invidiam, quâ de bono magistro malè sentiebat, & profundam avaritiam, quia Dominicis loculis non parcens, furtum inferebat, honesto nomine, id est, egenorũ palliavit curâ. Quis non miretur, quod talem conscientiam tali hypocrisi contegebat, quod insidiator misericordiæ, de necessariâ pauperibus misericordiâ tractabat.

7. Nice-

7. *Nicolaus Oranus de Iuda Proditoris Apostasiâ, Concione 16. p. 177. Edit. Duaci Anno 1611. in octavo.* Imperator Caligula traditur maximè fuisse impudens, ut qui diceret, se nihil in suâ naturâ magis probare quàm inverecundiam. Pudor enim ut ad honestas actiones obstat, ita nonnunquam improbæ mentis homines à turpibus revocat. Vox, ut ait *Erasmus*, magis digna carnifice quam Imperatore. Talis erat inverecunda illa vox hujus dolosi Judæ, quam magis dignam carnifice censeo quam Apostolo: Numquid ego sum, Rabbi? Benè de hoc impudente videtur locutus Sapiens Proverb. 25. *Sicut urbs patens & absq; murorum ambitu, ita qui nescit in loquendo Spiritum suum continere.* Sicut urbs enim quæ talis est, facilè patet hostium insidiis, ita qui impudens est, & inverecundus in loquendo, præsertim cum manifestæ veritati repugnat, animam habet undiaquaq; patentem Diaboli suggestionibus. Undè nec mirum, quod postmodùm in eum ingressus fuerit, ut in eo plenè dominaretur.

8. *Antonius de Escobar & Mendoza*, Commentar. in Evangelia, Tomo 1. *Lib. 4. ad cap. Matthæi 26. cap. 1. pag. 280.* Non vacat à mysterio, duos fuisse inter Apostolos Judæ nomine vocitatos, ut unus dicatur Judas Jacobi, alter verò Jscarioth, quia Judas confessio interpretatur. Et ideò duos istos fuisse inter Discipulos, ut unus eorum teneret formam verè confitentium, quorum pars fideliter permanet cum Domino: Alter eorum partem exprimit, qui confitentur se nôsse DEUM, factis autem negant. Propterea omnes transeunt cum isto ad avaritiam, ad dolos & fraudes, & commiscent se falsis fratribus.

9. *Paschasius in Matth. Lib. 12. Tom. 9. Bb. Pp. parte 2. pag.* 1198. Judas (Jscharioth) unus inter Apostolos numero erat, non merito, specie, non virtute, conjunctione ad tempus corporis, & non vinculo charitatis.

10. *Gregorius homil. 12. in Evang.* Regnum cœlorum quod præsentis temporis est, Ecclesia, decem virginibus comparatur, inter quas quædam prudentes, quædam fatuæ sunt, quia mali cum bonis & reprobi cum electis admixti sunt. Nam etsi patres-

familias

familias bonum semen spargant in agro suo, non deest inimicus, qui superseminet Zizania? quæ tamen utraq; usq; ad messem vult crescere. Quinimo teste *Chrysostomo*, majori sunt boni admirationi cum inter improbos vivunt, & eò magis eorum virtus animiq; generositas comprobatur.

TITULUS II.

JUdas triplex officium administravit, Officium nempe Receptoris Eleemosynarum, Dispensatoris in rebus necessariis, & Eleemosynarii, eorum quæ restabant. Nihilò tamen minus fur erat, qui multas recipiebat pecunias, easq; sibi applicabat. Fur, qui in necessariis non expendebat, quæ debebat; fur, qui concreditos sibi nummos superfluosq;, fingebat se dare pauperibus, & sibi retinebat. Mirum igitur alicui videri potest, cur Dominus ipsi loculos & Dispensatoris munus tradiderit?

11. *Augustinus Tractatu L. in Iohannem, Tomo 9. Oper. p. 151.* dicit, Christum id fecisse declarando, quod in Ecclesiâ non essent defuturi, qui bona raperent Ecclesiastica, qui ob id nobis esse scandalo non deberent, cum & inter duodecim Discipulos unus esset Judas.

12. *Cyrillus Alexandrinus Lib. 8. in Iohan. c. 7. & Chrysostomus homilia 64. in Iohan. dicit*, quod Christus cognoscens Judam avarum, & quod ipsum deberet ad mortem tradere, intuitu vilis pretii recipiendi, voluit ipsum inter manus & penes se habere positas pecunias, tantùm ut nihil ei deesset, ut hujus intuitu experiretur, utrum ejus desiderium satiaretur? Sed quid? quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

13. *Theophylactus ad Cap. 12. Iohan.* Propter illud ipsum, quod fur erat, Dispensationem ei permisit Dominus, ut omnem ei occasionem auferret; non enim poterat dicere, quod propter pecuniarum amorem eum prodiderit. Nam satis consolationis habebat ex marsupio, neq; marsupium gerens fidelis erat.

14. *Bernhardus Serm. 2. in Cœna Domini, colum. 1715. Tomo 1. Oper.*

Oper. Iste dum sitit lucrum, tendit ad laqueum, dum perdit vitam, lucratur mortem.

15. *Dionysius Carthusianus in Iohannis Cap.* 12. *v.* 6. Fur erat, & loculos, id est, repositoria habens, ea quæ mittebantur, hoc est, eleemosynas, quæ Christo dabantur ad sustentationem sui, & discipulorum suorum, vel ut ipse illas ulterius distribueret in pauperum usus. Multa quippe dabantur Christo ab auditoribus suis & fœminis religiosis: & quod Christo ejusq; discipulis superfluxit, fecit Christus dari egenis, propter quod & inopes multi eũ comitabantur. Christus quoq; officium procuratoris & dispensatoris commisit Judæ tanquam minus spirituali & inferiori. Nam & inter Apostolos ultimus comparatur. Talia ergò, quæ sic mittebantur in sacculos, quos Judas portabat, hoc est, in alios usus convertit & occultavit, decimum, ut dicitur, nummum furando.

16. *Rupertus in Iohann. Cap.* 12. *pag.* 274. Quare, inquis, Dominus noster omnia sciens, cum talem illum sciret, non solum Apostolum, sed & provisorem vel saccularium fecit Apostolorum? Ad hæc inquam: quare usq; hodie multos in Ecclesiâ suâ idem Dominus permittit esse præpositos similes ejus? Qui enim de Ecclesiâ aliquid furatur, Judæ perdito cõparatur. Quanti autẽ putas de Ecclesiâ furantur, abutentes ministeriô, quô, permittente Christô funguntur? Quanti rem pauperum non pauperibus tribuendo, furtum faciunt, & non qualecunq; furtum, sed sacrilegiũ. Si crimina discernuntur in foro qualiscunq; furti & peculatus: peculatus enim dicitur furtum de republica; & si non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ: quantò vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuit, non undecunq;, sed de Ecclesia tollere? Igitur cum hodieq; multi sint Judæ similes, & cur ad ministerium Ecclesiasticum pervenire potuerint, interrogatur, certum quid respondere nequeamus, nisi quia multa permittit fieri DEUS, quæ non vult; de illo uno nõ temerè Judicium Domini discutiamus, præsertim cum ignoremus, utrum Dominus electione suâ loculos suos illi commiserit, an certe, (quod credibilius est,) ille se ingesserit, sicut pleriq; nunc Ecclesiasticis mi-

nisteriis, tanta importunitate se ingerunt, ut nisi admittantur, penè graviora per discordiam animabus scandala, quàm si admittantur, rebus Ecclesiasticis damna inferant.

17. *D. Thomas de Aquino, in cap.* 12. *Ioh. addit* aliam rationem, ut minus digno cura temporalium committeretur, spiritualibus & magis dignis cura spiritualium. Ad hoc videtur etiam Paulus 1. Cor. 6. alludere, scribens: *Secularia igitur Iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Ministrare verò mensis erat temporale.

18. *Benedictus Pererius in Cap.* 12. *Iohan.* Disput. 2. p. m. 30. Hujus rei tres licet rationes minimè improbabiles afferre, Prima ratio ex Chrysostomo petita est. Erat Judas inflammato avaritiæ studio cujuslibet lucri advidissimus, ne itaq; ob avaritiam graviora animo conciperet & patraret scelera, permisit Dominus, ut pecuniolis suis avaritiam suam aliquatenus exsaturans à majoribus se maleficiis abstineret. Secundò permisit Dominus homini avaro & furaci dispensationem & conservationem pecuniæ, ut ostenderet, quàm parvi ipse penderet & pro nihilo pecunias duceret. Tertiò in illo Collegio Apostolorum erat Judas omnium minimus & imperfectissimus, cœteris itaq; Apostolis spiritualia tractantibus, Judæ administratio temporalium tradita est.

19. *Didacus Stella in cap. Luc. 6. Tomo* 1. *Oper. pag.* 265. *Edit. Lugdunens. in fol. Anno* 1580. Judas ultimo loco inter Apostolos recensetur, non quod posterior venerit ad Christi Scholam, sed quia traditor & iniquus fuit. Sicut enim Johannes ponitur in actis secundo loco, propter ipsius excellentiam: Sic Judas ponitur in infimo loco, propter ejus vitæ obscuritatem & nequitiam. Adde etiam, quia temporalium præsertim habuit administrationem.

TITULUS III.

Judas habebat malum propositum, sive debile fundamentum, ut invidus & insipientissimus mercator, ideoq; peccatum ejus frivolè commissum, propter varias rationes gravissimum existimari meretur, etsi non sine rationibus Dominus à discipulo se tradi toleravit.

20. *Athanasius in Quæstionibus Parabol. Sacræ Scripturæ, quæst.* 44. exponens verba Matthæi Cap. 7, Homo quidam domum suam ædificavit super petram, inquit, quis est ille homo? Sanctus Petrus. Petra Christus, Domus fides, ventus Diabolus est. Qui verò super arenam ædificavit, Judas est. Arena siquidem sterilis.

21. *S. Paulinus ad Sulpitium Severum Epistola* 3. Traditor Judas, qui recepto corde suo Zaboli spiritu mulieris unguentum Christi pedibus invidebat. Verùm proditor antequam proderet Dominum, perfidiam suam prodidit, quem non pauperum, sed furtorum suorum cura commoverat, & livor mentis invidæ, ut unguentum illud, quamlibet pretiosum, Dominici tamen sanguinis comparatione vilissimum, pretiosius corpore salutari judicans, indignaretur in fœminam piè prodigam, quam ipse Dominus bonum in se opus testatur operatam, docens egentium curam esse posthabendam, sed sibi tantùm, ut in eo ostenderet, ut corde perverso fidei misericordiam prætulisset, cum fomes operum fides sit, & præceptis suis præstet ipse præceptor, nisi quod in hoc quoq; filius perditionis ostendit, quàm vilem CHRISTUM haberet, ut qui unguentum, quod supra CHRISTUM effundebatur, perire dixit, & ideò non est in pretio sanguinis CHRISTI, quia habere Redemptorem non potest, quem maluit habere venalem, & jure commercio vitæ mortis contractor excluditur, suo ipsius damnandus judicio, quod triginta argenteis vendidit eum, quem mulier, ut ipse taxaverat, unxit trecentis. Sed in hoc perversus,

quod ipsum vili æstimans Dominum, unguentum illud, quod in salutarem nobis ejus sepulturam præmittebatur, carò æstimavit.

22. *Nazianzenus orat. 27. p. m. 689.* Invidiæ tabes proditorem Judam effecit. Hæc & illum laqueo dignum exigua pecunia illectum proditorem fecit.

23. *Hieronymus Baptista de la Nuza*, Tractatus Evangelici parte secundâ, §. 14. pag. 387. Non solum Judas impiissimus fuit vendendo Christum, sed insipientissimus & stultissimus. Erat Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI erant absconditi; erat is, de quo dictum est, *nescit homo pretium ejus*, Jobi 28.13. Et iterum Sapientiæ 7. 9. *Omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua, & quasi lutum reputabitur argentum in conspectu illius.* Decrevit Judas illum vendere, & tanquam mercem quandam exponere venalem. Et quibus persolvendum tradidit? In quo emporio eum vendendum exposuit? Abiit ad Principes sacerdotum, & ait illis, quid vultis mihi dare &c. Vide insipientiam & stultitiam venditoris. Primò ille elegit emporium, in quo Christus nulla æstimatione habebatur. Erat ille, ut dictum est, pretii ac valoris omnibus modis infiniti, & solus DEUS poterat justè illum æstimare, qui solus verum ac legitimum ipsius comprehendebat valorem, quem nulla creatura poterat cõprehendere. Si autem, ut dictum est, nescit homo pretiũ ejus, multò minꝰ illi quos excœcatos in Christi cognitione & æstimatione tenebat malitia. Secundò Mercatores illi nõ quærebant mercẽ hujusmodi à venditore, sed ipse eam spontè offert, unde minori pretio erat æstimanda, nam ultroneæ ac oblatæ merces à venditore vilescunt. Tertiò, illi Mercatores erant avari, imò ipsa avaritia, quos jam à longè Propheta Amos contemplatus dixerat Cap. 9. v. *1.* Avaritia in capite omnium. Quartò crudeles, qui alieno damno minimè compatiebantur, tantummodo proprio commodo inhiantes, inde ad Judam propter proditionem discruciatum dicebant, quid ad nos? tu videris. Tandem Judas non postulavit magnum pretium, sed illis reliquit, ut sibi

ut sibi bene-visum pretium impenderent, hoc ipso intelligere volens, exiguum omnibus modis sibi exhibendum. Si enim quis avarissimo mercatori mercem emẽdam rogando offerat, cui relinquit pretium ad sui voluntatem dare, certum est, non nisi vilissimum pretium accepturum, quantumcunq; sit pretiosa res, quam vendit. Quantum ergò pretium poterat Judas ab hujusmodi emptoribus sperare, qui avarissimi erant, & rem, quam ipsis vendebat, non æstimabant, imò contemnebant, quam ipse ultrò eis offerebat, & ut emerent, rogabant, pretium illis constituendi relinquens.

24. *R. P. Henricus Seynensis, Prædicator Capucinus in Anno Ecclesiastico, Tomo 1. de Passione Domini, pag. 219. seq. Edit. Colon, in fol. Anno* 1677. Modus, quo usus est Judas ad vendendum Dominum suum, manifestè ostendit, eum fuisse latronem, cum abiens ad principes sacerdotum, ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Quis unquam vidit mercatorem reposuisse mercem suam voluntati illius, qui voluerit eam emere? Numquid non diceretur hic esse stultus, aut latro, qui non cognoscens valorem mercis, quam suffuratus est, contentus esset pretio, quod sibi pro ea daretur? Proprium est enim latronibus dicere, quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam mercem meam? Ipsi cupiunt quamcitò vel vili pretio illam tradere, veriti ne cum suo latrocinio apprehendantur. In hoc ergò Judas ostendit se esse latronem cum Judæis ait, Quid vultis mihi dare &c. Quasi diceret eis, non potestis mihi dare sic exiguum pro eo, ut illum non vobis tradam ad hoc, ut de illo disponatis secundum beneplacitum vestrum. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Judæi obtulerunt igitur ei triginta denarios, ut ostenderent, quam pauci æstimarent Dominum nostrum, quod vehementer augebat injuriam, quæ irrogabatur ei. In quo mihi videntur Judæi se gessisse erga Judam non secus ac se gerunt Domini erga servos suos, cum afferunt ipsis aliquod bonum nuntium; ajunt enim illis: ecce pecunia ad emenda tibi calceamenta. Hoc ego non adinveni, sed istud me edocuit Amos Propheta Cap. 2, v. 6. qui prædi-

cens venditionem Salvatoris peragendam à Juda, & pretium pro illo dandum, dicit, quod vendiderit justum pro argento, & pauperem pro calceamentis.

25. *Alexander Ales in Psalm. quadragesimum, num. 10. fol. 115. facie primâ*, Judæ peccatum gravissimum esse propter 3. Rationes scribit, I. Quia Christus ei erat pacificus, vel ideò nequius fuit eum tradere, quod notatur cùm dicit: *homo pacis meæ*, id est cum quo ego pacem habebam, licet ipse mihi non ita. II. Quia familiaris, quod notatur cum addito: *in quem speravi*, id est sperare potui, vel debui; significat etiam usum communem eorum, qui in suis familiaribus confidunt. III. Quia beneficus, unde dicit: *qui edebat panes meos*, ad litteram, unde dixit Luc. 22. *Ecce manus tradentis me mecum est in mensâ.* In primo redarguitur Judas de infidelitate, in secundo de deceptionis fraude, in tertio de seditione. Et notandum, quod propter multas causas Christus voluit tradi ab eo, qui videbatur esse amicus illius, Prima ratio est, ne homo ponat spem suam in homine, Jeremiæ 9. *Maledictus qui confidit in homine, vel qui ponit carnem brachium suum.* Secunda, ne homo se credat homini. Johannis 2. *Ipse autem IESVS non credebat semet ipsum eis, eò quod ipse nôsset omnes.* Jeremiæ 12. *Fratres tui, vel domus patris tui ipsi etiam pugnaverunt adversus te, clamaverunt post te plenâ voce, ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Tertia ratio est, ut homo Christianus discat persecutionem sustinere, non solum ab inimicis, sed à domesticis. Johan. 15. *Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, etiam vos persequentur.* Quarta est, ut homo ab amicis & familiaribus sibi caveat, Ecclesf. 6. *Ab inimicis tuis sperare, vel ab amicis tuis, attende.* Micheæ 7. *Ab ea quæ dormit in sinu, custodi claustra oris tui.* Ibidem, *Nolite credere amico, vel nolite confidere in duce.* Quinta est, ut ostenderet, quod domestici efficaciores sint ad nocendum. *Gregor.* Diabolus ubi se propriis

viribus

viribus nihil adversus nos proficere conspicit, per linguas nobis adhærentium sævit.

26. Gemina his vide ex *Dionysio Carthusiano in Psalm* 40. *v*.10. *apud Henricum Seynensem Tomo* 1. *Anni Ecclesiastici*, *pag*. 217. *Hieronymus* : Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Matthæi 7. Inimici hominis domestici ejus.

27. *Cyrillus Alexandrinus in Iohann. Cap*. 18. Quj modo in eadem mensa cum Christo cœnabat, qui sanctum ejus panem cum aliis comedebat, qui ad pietatem exhortantem Christum audiebat, qui deniq; illud percepit; *unus vestrûm me tradet*, ab ipsa mensa exiliens curriculo abiit ad mercedem Judæorum: non pietatis verborum recordatus, totius spei futuræ oblitus, nullam datæ Apostolis à Christo dignitatis curam gerens, ac ut uno dicam verbo, omnibus bonis tam parvum, tam vile præponens argentum, rete ac laqueus Diabolicus Christo, & Judæorum impietatis eximius princeps factus est, H.I.

28. Ut enim vulnera incurabilia, neq; lenibus, neque austeris Pharmacis curantur, sic & anima interdum ubi semel vitiis capta, iisq; penitus immersa fuerit, ad ea, quæ juvare illam possint, se convertere renuit: & tametsi quis mille offerat remedia, nihil proficit, sed quasi omninò surda, aut potius mortua esset, nullum ex admonitionibus fructum capit, non quod non possit, sed quod nolit juvari. *Theophylactus in Catena Lucæ* 22. *apud Corderium.*

TITULUS IV.

QUamvis Judas in sacris homo & Diabolus audiat, tamen aliquando à Domino nomen amici obtinuit, uti similiter in scripturis legitur, neq; illud sine sufficienti causâ.

Didymus

29. *Didymus Alexandrinus, in Epist. Judæ Enarrat. Cap. 1. Tomo 4. Bb. Pp. pag. 264.* Voluntatis nempe Judæ, non essentiæ, nomen est Diaboli. Sicut enim in Juda dicendum est, cum substantiam ejus significamus, hominem dicentes eum, mores verò, cum Diabolum appellamus. Agnoscentes à Salvatore, qui dixit discipulis: unus ex vobis Diabolus est.

30. *Rupertus in Cap. Iohann. 6. Commentar. Lib. 7. pag. 214.* Tomo 2. Oper. Diabolus non naturæ, sed pessimi accidentis. Græcum nomen est, & interpretatur deorsum fluens. Quo nomine rectè appellatur Angelus ille damnatus & perditus, qui cum bene esset conditus, spirituum in altitudine cœli conversantium maximus, vitio suo deorsum fluens, per superbiam, ad profundum inferni devolutus, factus opere, & dictus nomine est Diabolus. At verò Judas deorsum fluxit, & ipsam ejus defluxionem Evangelista patenter expressit, dicens: *hic enim erat eum traditurus, cum esset unus de duodecim.* Quis enim nesciat; gradum Apostolicum excelsiorem esse cunctis ordinibus sanctorum, tam veterum, quam novorum; Item, quis ignoret traditionem, qua infelix ille tradidit Dominum, scelus esse profundissimum? Igitur cum maledicit impius Diabolum, maledicit animam suam, videlicet, eò quod anima impii deorsum fluxerit, & non aliter nisi deorsum fluendo impia pacta sit. Rectè Dominus istum impietatis signiferum, cujus anima totis conatibus in perditionis suæ locum profundum, jam sublimi Apostolici culminis honore defluebat, Diabolum appellat, quâ adhuc hypocrisi Apostolicum munus exequente, nequior nemo retrò abierat.

31. *Simon de Cassia Lib. 8. Cap. 31. fol. 228. facie 1.* Nullum peccati genus Salvator omnium tacuit, quod suo miro modo, loquendi verbis explicitis & parabolicis non reprehenderet. Inquit enim semel Apostolis de suo modo intelligibili ab eis sermone mirantibus, *Nonne ego vos 12. elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* Diabolus igitur Angelus malus, Diabolus homo iniquus. Angelus irreconversibilis est. Diabolus non est natura creata seu ex creatâ naturâ, seu ex natura mutatâ, sed quædam depravata per seipsum

ipsum voluntas. Nec homo natura Diabolus est, sed quadam voluntate, conservatâ iniquitate. Et cum homo usq; ad finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, Diabolus à Christo non vocatur, nisi ab ipso à malo proposito immutabilis præsciretur. Sciebat perfectè Christus à Juda se tradendum, ad quod malum animum suum prævidebat, idcircò eum Diabolum appellat, non Diabolicum, aut Dæmoniacum, sed Diabolum, quod non est nomen naturæ, aut iniquitatis abjiciendæ, sed nomen incorrigibilis voluntatis, non ex parte volentis efficere omnia, & animos immutabiles facere mutabiles. *Vnus ex vobis Diabolus est.* Non elegi, sed est, non ex me, sed ex seipso, quod malus est. Sed qui sunt in carne Diaboli, quorum Judas primus à Christo in hominibus, in voce non à re nomen accepit? Hi sunt, qui omnem naturalis ingenii acuitatem ad pessima ordinaverunt, non dormientes quietè, nisi mala prævisa perficiant, & nisi damna inferant innocentibus, non quiescunt; qui ad omnium deceptionem intendunt fidem, nemini servant charitatem, id est, struunt concordiam, & pacem frangunt, justæ conversationis vitam confundunt, infruniti animo, lapsi verbo, moribus non modesti, præsumtores in divina, humana scelerata lege tractantes, nemini se colligantes ad bonum, ad malum verò quousq; perficiatur, efficiuntur fidelissimi complices.

32. *Vincentius Regius, S. I. Theologus, Evangelicarum Dilucidationum libro 4. Cap. 21. num. 63. pag. 875. Edition. Coloniens. in fol. Anno 1615.* Cyrillus aliiq; Judam dicunt appellatum esse Diabolum ἐμφατικῶς, scilicet ad exaggerandam ejus malignitatem & malitiam, quod ea Diabolica magis censenda sit, quam humana. Sic nos perditissimos homines vulgò vocamus Diabolos, nam quemadmodum inquit Cyrillus, qui adhæret Domino, unus Spiritus fit cum eo, ita & qui penitus adhæret Diabolo, & ipse fit Diabolus. Eodem modo accipiunt Diabolum Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Vocat ergò Diabolum, non quod naturâ, sed quod imitatione Diabolus sit. Itaq; secundum hanc expositionem, Diaboli nomen ut proprium sumitur. Alii

ut appellativum seu commune nomen interpretantur, significans calumniatorem, criminatorem, vel mendacem, vel adversarium. Inde dici potest Judam Diabolum vocari Joh.6.20. quia & piis operibus repugnabat, id est adversabatur, & calumniabatur, atq; accusabat Christi facta, & Apostolorum, quasi magicè fierent, & qui illos delaturus erat apud Principes Judæorum. Alludit autem Dominus hoc nomine ad casum Diaboli de cœlo, quasi Apostoli omnes electi boni fuerint, ut Angeli boni conditi, unus tamen Diabolus in veritate non stetit, sicut nec Judas. Deinde sicut Diabolus ab initio homicida fuit, quod decreverat Christum interficere & in membris persequi: ita Judas à Deo deficiens ad impiorum partes, futurum erat, ut Christum quæreret interficere, & tandem neci dare. *Confer Cyrillum Alexandrinum libro 4. cap. 30. In Iohannem, & Gregorium lib. 13. Moralium, cap. 17. Augustinum super Genesin ad literam, cap. 26.*

33. *Basilius Seleuciensis, Orat. 31. pag. m. 168. seq. Edit. Paris. in folio, Anno 1622.* Cur Dominus Judam amicum, Petrum autem Sathanam vocet expendit, scribens, Dominus Petrum increpat passioni per amorem obviam eunti, & dicenti Matthæi 16. Absit hoc à te Domine. Respondet Dominus: hæc ego præpediam, Petre! hæc inhibeam? hæc ne eveniant, obstabo? vade post me Sathana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Verùm quæ hæc est asperitas verborum, Domine? Quæ hæc formidanda in Petrum increpatio? Modo audivit: Beatus es, Simon Barjona; & nunc Sathanam vocas Apostolum? Modo dicebas, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et nunc scandalum Diaboliq; appellas instrumentum! Etsi Judas venditionem molitur, cædem facit, te contra cum Judæis compositione transit: non tamen increpatur. Unguento videt honorarium, indignatur & pretii jacturam solerter appellat. Ut quid perditio hæc? potuit istud venundari multô. Verbis mores suos redarguit: nec indignaris, nec increpas, contra verò miserabili sermone iras disjicis: quid molesti estis huic mulieri, mittens enim hæc unguentum hoc in corpus

meum

meum ad sepeliendum me fecit &c. Vidisti, ô Domine, cum militibus & armis & fustibus invadentem, nec dixisti, vade post me Sathana, non verbis invertisti non reterritasti, quin potius ad cœpta hortatus es. Amice, ad quid venisti? opus persequere, tam audax facinus ne differ, venditionem effectu firma. Es contra Judam talis? Et Petrus amoris præmium fert contumeliam? Feritur qui parcit, & ex ignoratione offendens verbis vapulat. Næ, inquit, perhumanus Salvator, ubi enim ulcus est immedicabile, ibi pharmacum inutile, ubi autem curationis spes, sectionem induco curationi. Cum agnosco discipulum, esto, contumeliam, dicam, instruo, cum alieni sunt mores, ægritudo est insanabilis, & unius ignorantiæ medeor, & alterius superbiæ vim affero.

34. *Bernhardus* indignatur in homines memores injuriæ acceptæ, considerans Christum adeò beneficum suis inimicis, ut non etiam dedignatus sit Judæ osculum præbere, cui antea pedes luteos absterserat, esi proditori. Profectò ille cui familiaris erit illa Bernhardi Meditatio, eosdem quos olim Bernhardus, & ipse patietur amoris æstus, factus æquior inimicis. Ut nempe Sol incurrens in nubem roridam, in eam inducit imaginem Solis; ita is qui alta mente recolit mansuevos Christi mores, imbibit ejus propitiam inimicis indolem. Ut familiaris sit illa meditatio, accipe *Bernhardi* verba *ex Sermone de Passione Domini.* Te perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quandò in cœnâ oblationis etiam coram ipso genu flexus procumbens, maledictos pedes ejus veloces ad effundendum sanguinem tuum sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare & extergere dignatus. Cur autem adhuc extento collo ambulas ô terra & cinis? Adhuc te superbia elevat? Adhuc te Impatientia exagitat? intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum Jesum, universæ creaturæ factorem, tremendum judicem vivorum, & mortuorum, ante pedes hominis, & traditoris sui genua incurvantē. Disce quia mitis est & humilis corde, & confundere in superbia tuâ, & erubesce in patientiâ suâ. Hoc quoq; erat mansuetudinis tuæ Domine, perfidū illū in cœ-

tu fratrū detergere, & palam confundere noluisti. Accedentem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bestiam aversatus non es, sed os, in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit malitia, dulciter applicuisti. Innocens agne Dei, quid tibi & Lupo illi? quæ conventio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ, Domine fuit, ut omnia illa exhiberes, quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent.

TITULUS V.

NOmen, quod aliquis cum infamibus commune habet, nullam contumeliam infert, dummodo ipse probus sit; sic nomen Judæ Judam non infamavit, sed detestanda ejus malignitas, quæ in certis capitibus consistit, ea propter Christus ipsi Væ minatur. Uti autem in Juda certa mala reprobanda, sic in Salvatore certa bona comprobanda occurunt.

35. *Oranus de Apostasia Judæ, concione 17. pag.* 188. Nihil virtuti aut saluti obesse potest, si externum nomen cum infamibus ac reprobis sortiaris, modo non sis eorundem criminum particeps. Ob id enim nullus damnabitur, quod Cain, Nimrod, Cham, Pharao, Abyron, Herodes, Judas, deniq; appelletur, nisi eorum impietatem fuerit secutus; sicut nec è contrà aliquo nomine Justi insignitus justus censebitur, nisi mores justorum imitetur.

36. *S. Bonaventura, sermone 1. Dominica in Quinquagesimæ, Tomo 3. Oper. pag. 63. Edit. Rom. in fol. Anno* 1596. Judæ magna malignitas est propter tria: Primò propter confidentiam securitatis & amicitiæ: Secundò propter excellentiam dignitatis Apostolicæ: Tertiò ob concupiscentiam cupiditatis avaritiæ. Ex his tribus conditionibus potest apparere, quia nulla sub cœlo major fuit malignitas, quam illa Judæ, qui tanquam falsus amicus in datione osculi, tradidit verum amicum, & tanquam ingratus Discipulus, imò Apostolus, tradidit benignum Magistrum, & tanquam cupidus & avarus, vili pretio vendidit justum & pium, imò sum-

summum bonum. Primò magna fuit malignitas Judæ in tradendo Domino propter confidentiam securitatis & amicitiæ. Judas enim non fuit tractatus tanquam extraneus amicus, vel suspectus amicus, imò tanquam amicus securus, dum non solum factus est à Christo de familia sua, comedendo & bibendo panem in mensa Christi, cum cæteris Apostolis, sed etiam factus est dispensator temporalium totius familiæ, & ob hoc conqueritur in Psalmo 40. Dominus: *Homo pacis meæ &c.* Ecce falsa datio simulatæ pacis, unde ei dicit Jesus: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Chrysost. cum dicitur: *Pax cælo in osculo temerè traditur*, alligatur omni nexu: à falso veritas accusatur. Secundò magna malignitas fuit Judæ in tradendo Dominum propter excellentiam dignitatis Apostolicæ. Judas enim non solùm ad gratiam & ad doctrinam fidei est vocatus, sed etiam ad dignitates Apostolatus est assumtus, dum eum Christus inter duodecim dignatus est adnumerare, unde de hoc ipso dicit Dominus: *Vnus ex vobis, scilicet duodecim, me tradet.* Similiter unus ex 12. qui dicitur Judas &c. Tertiò magna fuit malignitas Judæ propter concupiscentiã cupiditatis avaritiæ. Unde dicit Judas Principibus Sacerdotum: *Quid vultis mihi dare, ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ipsi triginta argenteos.* Magna siquidem fuit istius iniquitas proditoris, si consideremus pro quanto vendidit Dominum, quia non magno, sed vili pretio, scilicet triginta argenteis. Major verò, si consideremus, quibus tradidit & vendidit, quia non amicis, sed inimicis & extraneis quærentibus animam ejus. Maxima, si consideremus, ad quid eum tradidit & vendidit, quia non ad serviendum, sed illudendum, flagellandum, conspuendum & crucifigendum. Sed certè si consideremus quis venditur & traditur, infinita est ejus iniquitas, quia Rex Regum, & Dominus Dominantium. Et propter hoc Dominus dicit Pilato: *Majus peccatum habet qui me tibi tradidit.*

37. *Oranus, Conc.* 17. *de Apostasia Iudæ.* Christus ipsi maledixit, Matthæi 26. Væ, per quem filius hominis traditur, *I. Quia fur erat.* Furibus enim & latronibus Scriptura Væ minatur.

Esaiæ 33. Væ, qui prædaris, nonne & prædaberis, qui prædicas, non furandum, furaris. 2. *quia erat hypocrita.* Christus autem Matthæi 23. ad Pharisæos dicit: *Væ vobis, Scribæ Pharisæi, hypocritæ &c.* 3. *quia avarus erat.* Abacuc 2. dicitur: *Væ qui multiplicat non sua.* 4. *Quia male Apostolatu suo fungebatur, maledicto subjacebat.* Jeremiæ 33. *Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ dicit Dominus.* Et Ezechiel 34. *Væ pastoribus, qui pascebant semet ipsos.* 5. *Quia scandalum reliquis Apostolis dabat.* Inde in eum quadrat Symbolicum illud Lucæ, 17. *Væ illi, per quem scandalum venit.* 6. *Quia deficiebat à Christo.* Eccles. 41. *Væ vobis impiis, qui reliquistis legem DEI.* Oseæ 7. *Væ eis quoniam recesserunt à me.* 7. *Quia deceptor & traditor futurus certò sciebatur*, non poterat non pati maledictum traditoribus edictum Abacuc 2. *Væ, qui dat potum amico suo miscens fel.*

38. *Alexander Ales in Psalm.* 108. *fol.* 312. sex mala reprobanda in Juda, & sex bona in Christo comprobanda. Quia Judas & populus *persecutus est hominem* 1. *inopem*, Christum videlicet, qui ita fuit inops, ut non haberat ubi caput reclinaret. 2. *Mendicum*, qui à Samaritana aquam petiit. 3. *Compunctum corde*, id est, qui compatiebatur peccatis hominum, hunc inquam persecuti sunt, *mortificare*, id est, ut mortificaretur. Hæc omnia ad crudelitatem pertinent. Specialius autem possumus in versu 15. sex mala vel reprobanda in Juda & Judæis, & è contrario sex bona & approbanda in Christo observare. *Persecutus est.* Ecce persecutio in Judæis. *Hominem.* Ecce inhumanitas. *Inopem.* Ecce crudelitas. *Mendicum.* Ecce contumelia. *Compunctum.* Ecce inclementia. *Mortificare.* Ecce homicidium. Iterum, *Persecutus est.* Ecce patientia in Christo. *Hominem.* Ecce mansuetudo. *Inopem.* Ecce paupertas. *Mendicum.* Ecce verecundia. *Compunctum.* Ecce cordis afflictio. *Mortificare.* Ecce passio.

TITULUS VI.

Radix omnium malorum avaritia Judam excœcatum pessum dedit.

39. Grave est ἔγκλημα quod *Paulus Ephes.* 5. v. 5. avaritiam vocat Idolo-

Idololatriam, in quam acerrimè *Chrysostomus invehitur*, *Tomo 2. Oper. homilia 81. in cap. Matthæi 26. fol. m.* 142. Avaritiæ incredibilis furor Judam & proditorem nequissimum & sacrilegum nefandissimum fecit: audiatis hæc attentius avari, qui gravissimo Judæ morbo laboratis: audiatis, inquam, & teterrimam hanc ægritudinem fugiatis; namq; si qui unà cum CHRISTO vivebat, si qui doctrinam CHRISTI audivit, si qui signa fecit, in profundissimum malorum barathrum ex hac ægritudine præcipitatus est; multò facilius vos qui, nec Scripturas audistis, & secularibus rebus affixi estis, hic morbus aggredietur, nisi jugiter atq; perpetuò vigiletis. Quotidie ille cum eo erat, qui non habebat ubi caput reclinaret, & quotidie & verbis & operibus instituebatur, ut non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellent, & tamen reprimere se non potuit. Quomodo igitur tu speras absq; magna cura & diligenti studio contagionem hujusce morbi effugere? terribilis certè, terribilis hæc bellua est, si tamen volueris, facillimè eam superabis: non habet enim à natura originem hæc cupiditas. Nam quæ à natura sunt universis hominib9 communia sunt, hæc autem cum omnibus non insit, ex desidia solùm originem trahit, inde nascitur, inde augetur, inde conservatur, cùm aliquos in servitutem suam attraxerit, confestim illis præter naturam vivere persuadet. Pessima nempe omnium hæc passio est, hinc sepulcrorum violatores, hinc homicidæ, hinc bella & pugnæ, hinc alia quam plurima mala oriuntur. Ubiq; certè avarus inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec ut præsit populo, commodus. Cur dico in rebus publicis, cum in privatis etiam inutilis sit? Si uxor ducenda est, non probam, sed impudentissimam omnium pro pecunia eliget. Si domus emenda, non eam quæ homini libero conveniat, emet, sed quæ multis posset locari. Si servi & quic quid aliud comparandum est, vilissimum semper inquiret. Quid minora percurro? Si regnũ orbis invaserit, cœteris omnibus miserior tamen est, atq; pauperior. Terrarum pestis, urbium pernicies, singulorum calamitas. Non enim quæ cœterorum sunt, quasi sua tutatur, sed

veluti

veluti unus ex multis omnia rapit, pauciora putans cœteris omnibus habere. Nam cum cupiditati eorum quæ nondum possedit, ea quæ habet, confert, nihil prorsus habere opinatur, propterea quidam ait Eccles. 10. *Nihil esse avaro iniquius.* Qui avarus est, etiam se ipsum perdit, avarus communis omnium hominum hostis. Avarus non parum dolet, quia terra pro spicis aurum non profert, quia fontes non manant auro, quia montes loco lapidum non aurum habeant. Avarus fertilitatem temporum moleste fert, communi felicitate contrahitur, omnemq; fastidit causam, unde argentum colligere non potest, è regione verò cuncta suffert, unde duos solummodo obolos capere possit, omnes homines tam pauperes quam divites odio persequitur, pauperes ne quid ab eo petant; divites, quia quæ illorum sunt non possidet. Universos enim simpliciter quæ sua esse deberent, occupare putat, ac ideò quasi ab hominibus læsus, omnibus infensus est.

40. *Idem in Epistol. ad Philippenses cap. 2. homilia 2. apud Balthasarem Corderium in Catena* sexaginta quinq; Patrum Græcorum in Lucam, cap. 22. pag. 543. Edit. Antverp. in fol. Anno 1628. Unde in hoc consilii venit (Judas?) ex avaritia. Fur erat, triginta argenteis Dominum prodit, Dominum, inquam, orbis. Quid istâ insaniâ pejus? quapropter & omnes Evangelistæ ista narrarunt, ut nos refrenarent. Procul malum hoc fuge. Non enim hoc solum est avarum esse, multas pecunias desiderare, sed omninò pecunias amare. Gravis est avaritia, plura quam opus sit, desiderare. Non enim auri talenta tunc erant, quæ proditionem suadebant. Triginta aureis ipsum tradidit, itaq; avaritia non demonstratur in eo, si plura accipiantur, sed multò magis si pauca. Vide quantum malum iste propter modicum aurum commiserit, imò verò non propter aurum, sed propter argenteos. Non potest, non potest, inquam, fieri, ut homo avarus unquam Christi faciem videat. *Confer in cap. 6. Iohann. homil. 47. Tomo 3. Oper. fol. 49.*

41. Avaritiæ triumphum in Judam *Aurelius Prudentius in Psychomachia* hoc modo concinnat:

Non-

- - - - - - Nonne triumphum
Egimus, è Scarioth? magnus qui discipulorum
Et conviva Dei, dum fallit fœdera mensæ.
Haud quaquam ignarum, dextraq; paropside tingit,
Jucidit in nostrum flammante cupidine telum.
Infamem mercatus agrum de sanguine amici.
Numinis oblifo luiturus jugera collo.

42. *Ambrosius enarrat. in Psalmum 35. Tomo 2. Oper. pag. 862. Edit. Paris. in fol. Anno* 1587. Quid de Juda proditore loquar, qui quæsivit avaritiam & invenit sacrilegium, dicens, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Nec expletus pauperum spoliis ad plenitudinem criminũ gravissimorum crimina ferendo pervenit, pia miscens charitatis sacramenta flagitiis, cum diceret: quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum: ut verè de eo dictum dubitari non queat, *Verba oris ejus iniquitas & dolus, noluit intelligere ut bene ageret.* Oscula labiis ferebat, offundebat venena pectoribus. Meditabatur acerba supplicia, gratiæ pignus afferebat. Benè ergo Propheta addi fecit, *Noluit intelligere ut benè ageret.* Non enim per naturam deliquit, sed per voluntatem. Deniq; Apostolus erat, audiebat quotidie divina mandata, discebat cœleste mysterium. Potuit intelligere ut bene ageret, si voluisset. Videbat sanari paralyticos, cœcis refundi lumen, mortuos resuscitari, non debuit intelligere, quod Deus esset, qui talia posset operari? sed intelligere noluit; quia avarus homo & pecuniæ intentus à cognitione divinitatis vigorem suæ mentis avertit. Unusquisq; enim qui se flagitiis ingurgitaverit, non vult intelligere, quæ cœlestium mandatorum sunt, ne revocetur à vitiis.

43. *Chrysostomus homilia 82. in Matthaum Tomo 2. Oper. p.* 143. Talis nempe res avaritia est, amentes, stolidos, impudentes, canes pro hominibus, imò verò & canibus pejores, & Dæmones à canibus facit. Qua fiebat ut Judas quidam Diabolum etiam insidiantem amplecteretur, Jesum verò benè facientem ei traderet, alter Diabolus voluntate jam factus. Tales quippe insatia-

bilis pecuniarum cupiditas homines facit, vecordes, furiosos, ex pecunia penitus pendentes, qualis & Judas factus fuit.

44. Et *homilia 29. in Matthæi cap. 2.* Mea quidem sententia, cum mille Dæmoniacis habitandum potius esset, quàm cum uno, qui hoc morbo (avaritiâ) laboraret, quando enim simul omnes Dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Judas solùm commisit? Qui ad extremam iniquitatem turpi pecuniarum ardore devectus est, paritérq; omnes qui illius avaritiam imitentur, quasi feræ bestiæ catenis solutæ cunctos homines nullo resistente, perturbant ac lacerant, & vincula quidem etiam his undiq; conjecta sunt. Judicii timor, multorum odia, cœteraq; hujusmodi. Sed his ruptis omnia perturbant.

45. *S. Martialis Epist. 2. ad Tholosanos cap. 13. pag. 171. Tomo 1. Bb. Pp.* Qui autem eum tradidit, condiscipulus nobis erat, sed meritò avaritiæ suæ plenus iniquitate, qua pretium mundi vendidit, obligatus in nequitia desperationis suæ, ut etiam veniæ semet ipsum indignum faceret, non sustinuit pœnitentiam, donec laqueo mortis semet ipsum consumsit.

46. *Iohannes Cassianus de Spiritu Philargyriæ cap. 23. p. 37. parte 2. T. 4. Bb. Pp.* Vis nosse, quam perniciosè, quam noxiè fomes iste, nisi fuerit diligenter excisus, ad ejus interitum, qui eum conceperit, fructificet, & omnigenis pullulet ramusculis vitiorum? respice Judam Apostolorum numero deputatum, quia noluit serpentis hujus lethale caput conterere, qualiter eum suo veneno peremerit, & concupiscentiæ laqueis irretitum, ad quam abrupti præcipitii crimen impegit, ut redemptorem mundi & humanæ salutis autorem triginta argenteis persuaserit vendere. Qui nequaquam ad tam scelestum proditionis facinus devolutus, si non philargyriæ morbo fuisset infectus, nec Dominicæ negationis reus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare. Quod multa Judas furatus sit, confirmat quoq; *Gaudentius Brixiensis Tomo 4. Bb. pag. 823.*

47. *Leo Papa, sermone 16. de passione Domini fol. m. 59. facie primâ.* Impiissime homo, semen Chanaan, & non Juda, nec jam vas electionis, sed filius perditionis & mortis, utiliora tibi Diaboli inci-

cita-

citamenta credebas, ut facibus inflammatus avaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardescens, & quid divitiarum amitteres, non videres. Nametsi putabas credendũ esse promissis, quæ fuit ratio, ut tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptus? Imperabas Dæmoniis & medebaris infirmis, honorabaris cũ Apostolis, & ut finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minus licuit, amplius incitavit, nec jam placuit quantitas pretii, quam magnitudo peccati. Unde facinus commercii tui non ideò detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti, sed quia redemtorem etiam tuũ, ne tibi parceres, vendidisti. Et meritò tibi tua pœna est commissa, quia in supplicium tuum nemo te sævior potuit inveniri.

48. *Benedictus Pererius in cap. 13. Iohann. Disput. 24. p. 46.* Cur Judas Christum tradidit? Propter avaritiam. Verisimile est, eum aliquas causas in speciem honestas & probabiles Judæis prætexuisse proditioni Christi, & fortasse has quinq; jactabat in vulgus, & apud Judæos Christi obtrectatores: Quod ille sibi honorem divinum arrogaret, æqualem se faciens Deo; quod Sabbathum non custodiret & legem Mosis contemneret; quod seniorum traditiones parvi penderet; quod cum peccatoribus & publicanis palam epularetur, & familiariter conversaretur, quod se nimis delicatè tractaret, & passus esset unguento pretiosissimo sibi ungi à muliere caput & pedes.

TITULUS VII.

MAtthæi 26. legimus Christum à Juda venditum esse triginta argenteis. Typus hujus venditionis in Veteri Instrumento fuit Joseph à fratribus Ismaëlitis venditis 20. vel, ut alii legunt 25. argenteis, discrepantes enim in numero lectiones occurrũt. Cùm verò nihil figuratũ in Veteri Testamento occurrat, quod in Novo non sit impletum, sanè quæstio non admodum facilis est, aut supervacanea, quomodo figura cum re figurata, quod ad pretium quidem spectat, conciliari queat? grave igitur non erit nobis doctissimorum interpretum sententias congerere, ut quid de hoc quæsito certi tenendum sit, planè pateat. Cœterum pro numero argenteorum Judæ in sacris maledicitur.

49. *Bernhardus Serm. 1. de Cœna Domini*: Quid est vendere? alienare: Dominum vendit, qui Dominum à se alienat.

50. Et verè juxta *Rusticum Helpidium* de proditione Judæ in Histor: Novi Testamenti:

- - - - Commercia tanto
Sanguinis exiguo peragit mens improba lucro.

51. *Paulinus Epist. ad Sever.* Jurè à vitæ commercio mortis contractor excluditur, nec enim potuit habere Redemptorem, quem maluit habere venalem. Cæterum nihil perfidiâ frequentius in perfido mundo. Nemo securus suis domesticis fidat.

- - - - Non hospes ab hospite tutus.
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.

Quot servi tot hostes, vetus habet proverbium. Et Germani scitè dixerunt: Scamnum amicitiæ in cœlo penè vacuum, situ & pulvere esse obsitum, pauca in eo paria resedisse, nec Dominum ipsum omnes suos eò potuisse promovere discipulos.

52. *Iohannes Henricus Vrsinus Sacror. Adversarior. pag. 206. Gregorius M. Moral. l. 6. cap. 12.* Ideo venditus est Joseph à fratribus, ne ab eis adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur, sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur.

53. *Augustinus Sermone 81. de tempore*, Tomo 9. Oper. *pag.* 273. Sanctus Joseph typum gessit Domini Salvatoris. Diligebat ergo Jacob filium suum, quia Deus pater diligit unicum suum, sicut ipse dixit, *hic est filius meus dilectus.* Jacob misit filium suum, ut de fratribus suis solicitudinem gereret; & Deus pater misit unigenitum suum, ut genus humanum peccatis languidum visitaret. Joseph dum fratres suos quærebat in eremo, & Christus genus humanum requirebat, quod errabat in mundo, quodammodo quasi & ipse errabat, quia errantes requirebat. Joseph Fratres suos quærebat in Sichimis. Sichima interpretatur humerus, semper enim peccatores dorsum magis quam faciem ponunt in faciem justi. Humeri enim retrò sunt. Sicut enim Fratres Joseph invidia percussi fraternæ dilectioni dorsum magis

quam

quam facies offerebant, ita & infelices Judæi veniente ad eos salutis autore invidere potius quam diligere maluerunt. De talibus dicitur in Psalmo 68. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum illorum semper incurva.* Invenit ergo Joseph fratres suos in Dothaim. Dothaim interpretatur defectio. Verè in grandi defectione erant, qui de parricidio cogitabant. Videntes ergò Joseph fratres sui de morte illius tractaverunt, sicut videntes Judæi verum Joseph, Dominum Christum ut eum crucifigerent, uno omnes consilio statuerunt. Joseph exspoliaverunt fratres sui tunica polymita & talari. Et Judæi Christum per mortem crucis exspoliaverunt tunica corporali. Joseph exutus tunica mittitur in cisternam, id est in lacum: Et Christus exspoliatus carne humana, descendit in infernum. Joseph posteaquam de cisterna levatur, Hismaelitis, id est gentibus venditur: Et Christus postquam de inferno egreditur, ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Joseph per consilium Judæ triginta argenteis distrahitur, & Christus per consilium Judæ Ischariothis eodem numero venundatur. Joseph descendit in Ægyptum, & Christus in mundum. Joseph à penuria frumenti salvat Ægyptum, & Christus à fame verbi Dei liberat mundum. Nisi enim Joseph fratres sui vendidissent, defecerat Ægyptus. Fratres, verum est, nisi Christum Judæi crucifixissent, perierat mundus. H. I. Confer *Druthmari Exposit. in Matth. T. 9. Bb. Pp. parte 1. pag. 933.*

54. *Henricus Seynensis in Anno Ecclesiastico, Tomo 1. pag. 217.* Inter omnes figuras, quas scriptura sacra nobis proponit ad repræsentandam nobis hanc venditionem, & hanc proditionem Jesu Christi, non invenio congruentiorem figurâ Joseph, qui à fratribus suis venditus fuit Ismahelitis. Observate, si placet, id omne quod transactum est in venditione Joseph, & in venditione Jesu Christi, & videbitis, quod una est vera figura alterius. Videamus hanc veritatem in progressu istius discursus. Patriarcha Jacob mittebat rus filium suum Joseph, visum fratres suos. Cum fratres illius in pascendis gregibus morarentur in Sichem,

dixit ad eum Israel, fratres tui pascunt oves in Sichimis, veni,mittam te ad eos Gen. cap.37. v. 12. & 13. Sic ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum visitatum homines, quos idem Salvator vocat fratres suos. Ite nunciate fratribus meis, Matth. 28. v. 10. Fratres Joseph miserunt eum in cisternam veterem. Scimus autem fuisse Jesum positum in præsepio. Joseph fecerat Israel tunicam polymitam id est variis coloribus intertextam. Sic Jesus Christus erat indutus veste humanitatis nostræ, habitu inventus ut homo, quæ vestis diversicolor, innumeris micabat miraculis æq; ac virtutibus. Symbolicè hæc tunica polymita est variegatura virtutum, inquit Rupertus in Matthæi cap.8.& seqq. Sicut antè hanc Josephi tunicam polymitam videntes fratres ejus oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Sic Judæi visis miraculis Jesu Christi invidebant ei. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, quid facimus quia hic homo multa signa facit? Johan. 11. v. 47. Et sicut Judas unus è fratribus Joseph consuluit fratribus suis,ut venderetur idem Joseph Genes. 37. v. 26. 27. Sic abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes ad Principes sacerdotum & ait illis: quid vultis mihi dare &c. Et sicut fratres Joseph non occiderunt Joseph, sed tantùm tulerunt tunicam ejus,& in sanguine hædi quem occiderant, tinxerunt; sic Salvator noster mortuus non est quantum ad personam & naturam suam divinam, sed solùm in veste humanitatis suæ, quæ purpurata fuit pretioso sanguine quasi agni immaculati. Joseph nunciatus est mortuus per fratres suos Genes. 37. v. 32. & inventus est vivens, Genes. 45. v. 26. Sic Jesus Christus triduo post mortem suam surrexit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 6. & 19. Unica duntaxat res est, in qua hæc figura non respondet rei figuratæ, nimirum quod Jesus Christus venditus est triginta argenteis, Joseph autem solum viginti Gen. 37. v. 28. Licet autem sequi possem versionem quorundam, qui legunt triginta pro viginti, ut habetur in Margine Bibliorum Plantinianorum, ad conformandam penitus figuram ad rem figuratam; malo tamen adhærere versioni

versioni vulgatæ; cum hoc non impediat, quin in venditione Joseph videamus veritatem Jesu Christi, nec enim necessarium est, ut figura in omnibus conveniat rei figuratæ. Joseph venditus juxta Hebraicam veritatem viginti argenteis. Neq; enim pretiosior poterat esse servus quam Dominus ait Hieronymus l.4. in Matth. 26, 15. Et licet justum pretium venditionis istius non repræsentetur nobis in venditione Joseph, prædictum tamē nobis fuit à Prophetis Zachariæ 2, 12. & 13.

55. Locum Genesios de Josepho quod attinet cap. 37. v. 28. Hebræa Versio habet: vendiderunt Joseph in viginti argento. Syrus legit, viginti argenteis. Arabs, viginti drachmis. Samaritanus viginti argenteis. Ita etiam Chaldæus. 70viralis versio, viginti aureis. Latina vulgata, viginti argenteis. De Christo autem dicitur quod triginta argenteis venundatus sit, Matthæi cap. 26. Ubi Immanuel Tremellius ita commentatur: Observant Hebræi ubicunq; in Scripturis argenteorum fit mentio, non expressa nomismatis argentei specie, intelligi Siclum Sanctuarii, æquivalentem quatuor denariis. Atq; huic Hebræorum sententiæ patrocinantur Chaldæi Paraphrastæ Onkelos & Jonathan, qui in suis Paraphrasibus addunt explicationis causa nomē סלע id est Sicli Sanctuarii. Vide *Jonathan 2. Reg. 6. & Onkelos. Genes.* 20. 16. *citante Gualtperio ad Matthæi cap.* 26. *v.* 15. *Tomo 6. Criticor. Col.* 932.

56. Idem ad cap. 17. Matthæi Col. 914. Ex Thubal-Cain l. 3. de Siclo hæc adducit: Antiquissima omnium & certissima monetarum, de quibus in divinis habetur literis est שקל Schekel, Siclus, à Radice שָׁקַל (sive שְׁקַל) Schakal, ponderavit, libravit. Olim etiam pecunia librabatur, sic ut nihil posset subesse fraudis, quia statera certissima defectus & incrementi est judicatrix. Ita legimus Genes. 23. 16. *Appendit Abraham ipsi Hephron Argentum, quod locutus fuerat in auribus filiorum Chet, quadringentos Siclos argenti transeuntis per mercatores,* id est, probatæ publicæ monetæ, ut vulgatus interpretatur. Atq; hoc modo appensum argentum, tametsi non fuerit signatum, neq; cusum, nullam omninò fraudem admittit. Postea verò signatum fuit, ita ut in

altero

altero latere forma esset vasculi illius, quod Manna plenũ in sacra arca ad seculorum monumentũ, Dei jussu & Mosis procuratione fuerat repositum: in altero verò ramus ille admirabilis, seu virga Aaronis conspiceretur. Inscriptio fuit Samaritanis literis adornata, quæ olim & Hebræis fuerunt communes, nempe שקל ישראל Schekel Jisrael, id est, Sekel, Israelis. Ex altera parte ירושלים קדשה Jeruschalajim kodescha, id est Jerusalem sancta. In usu etiam fuit moneta altera dimidiato pondere minor, iisdem vasis omninò & rami figuris, quæ tamen non Sekel, sed HAHASZI SEKEL, id est, dimidius Siclus fuit. Examinatus igitur Siclus ad stateram quatuor, integras argenti Drachmas, hoc est, dimidiam unciam reddit, non vulgaris unciæ dimidium, sed ejus, cujus pharmacopæis in medicâ materiâ expendendâ usus est, quam semunciam Atticam antiqui dixere. Atq; ita verum est, quod Josephus dicit, Siclum Attici tetradrachmi pondus fuisse. Porò duplex fuit Siclus, alter sanctus, vel templi, vel sanctuarii, alter profanus & vulgaris. Ille hoc duplo major, viginti capiebat Gerah sive obolos, Exodi *30, 13.* Ezech. 45.12. Ein Loth Silber. Hic duas capiebat Drachmas, id est, Didrachmum, vel decem obolos, Ein halb Loth Silber. Denarius Hebræis דנר Denar, fuit in usu aureus & argenteus, ut *Elias docet in Thisbi.*

57. Numisma erat Hebræorum, inquit Tremellius vocatum Zuz propria appellatione, de quo legitur Lucæ 15.8. Licet etiam DENAZA barbaro vocabulo, quod à Romanis acceperant, vocitarent. Continebat autem argenti pondus *96.* granorum hordei, id est, æquivalebat *6.* Drachmis, viginti quatuor Schilling. Intellige autem fuisse duplicem denarium, alterum majorem, alterum minorem. Major, ut dictum pendebat sex Drachmas. Minor communi appellatione cum Drachma fuit Zuz, & pretii ejusdem fermè quoq; cum Drachma fuit.

58. *Benedictus Pererius super Genesin cap. 37. Disput. 7. p. 1229, Edit. Colon. in folio, Anno* 1601. Codices Hebræorum, Chaldæorum & Latinorum emendatissimi habent eos. In aliis autem legitur *25.* In aliis *30*, Testes sunt *Augustinus & Ambrosius* nempe

libro

libro de Ioseph cap. 3. Quis igitur sub figurâ Joseph venditus est, nisi ille, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo ; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* neq; enim nos eum emissemus, nisi vendidissent sui. Malè vendiderunt, pejus emerunt. Vendiderunt negotiatoribus boni odoris, emerunt à proditoribus. Vendidit eum Judas, emerunt Ismaëlitæ, qui significantur Latina interpretatione, odio habentes Deum suum, ideoq; alibi viginti quinq; aureis, alibi triginta invenimus emtum Joseph. Non enim omnibus una æstimatione prævalet Christus, sed aliis minus, aliis amplius. Fides ementis incrementum est mercis. Religiosiori pretiosior est Deus, peccatori pretiosior Redemtor. Pluris & illi valet, qui plus habet gratiæ. Cui multa donata sunt, pluris valet? quippe cui plus remissum est, plus diligit, sicut de muliere illa peccatrice dixit Christus. Interdum diversitates pretii non solum quantitatis haberent, sed etiam numeri expressionem : quale est illud: potuit hoc venundari denariis trecentis, quo numero non quantitatis, sed significatio crucis videtur expressa. Ita hic quoq; diversitas vel viginti vel triginta aureorum vel argenteorum habet, vel geminatæ vel triplicatæ perfectionis indicium. Nam 25 aurei Jubilæi, qui est remissionis numerus, significant pretiosissimam portionem. Sic Ambrosius, qui satis indicat, variâsse codices, & quantum ad numerum pecuniæ, & quantum ad materiam ejus, continendo vel argenteos vel aureos, & vel viginti, vel viginti quinq; vel triginta.

59. Similia habet *Augustinus sermone* 81. *de tempore,* ut ea mutuata esse ab Ambrosio non temerè credi queat. Mirum autem est, nec satis dispici potest, quid secuti fuerint 72. Interpretes, qui hoc loco posuerunt, Joseph esse venditum viginti aureis, cum in Hebræo non sint aurei, sed argentei. Valet autem argenteus quatuor drachmas, aureus verò minimùm decem. Neq; tantum loco dicto, verum etiam infra cap. 45. Genesis pro trecentis argenteis, ut est in Hebræo, posuerunt 300. aureos.

60. Longiùs à veritate lectionis Hebrææ discedit *Iosephus*

libro 1. *Antiquitat.* qui venditum dicit Joseph viginti minis. Mina Hebraica pendebat sexaginta Siclos, vel viginti quatuor nummos aureos. Sincera autem atq; integra lectio est, quam habet Scriptura Hebræa, in qua est, Joseph esse venditũ viginti argẽteis, id est, octoginta drachmis argenteis, quæ faciunt octo nummos aureos. Putamus autem par fermè fuisse pondus & pretiũ drachmæ argenteæ, atq; est Julii Romani atq; Regalis Hispanici. Licet igitur venditio Joseph figura fuerit Domini nostri, dispar tamen utriusq; venditionis pretium fuit. Siquidem Christus triginta argenteis venditus est, quæ res nonnullos fefellit, existimantes, quia figura debet congruere cum re figurata, Joseph quoq; venditũ esse triginta argenteis, sed Scriptura reclamat, nec est necesse, „quæ in figuram dicuntur, ad amussim omnia competere & quadrare in rem figuratam.

61. *Thomas Beaux-Amis Carmelita, Theologus Parisiens. Commentar. in Evangelicam Harmoniam*, annotavit, quod viginti argentei, quorum in Genesi fit mentio, sic intelligendi sint, ut triginta argenteis Judaicis æquivalerent. Viginti enim monetæ Ismaëliticæ fuerunt majoris pretii, quam Judaicæ, computato scilicet argenteo Ismaëlitico pro uno & semiargenteo Judaico. Sed unde hoc probet, non addit. Dicendum igitur videtur, quod minimè necesse sit, ut dum in principali est conformitas, omnia illa, quæ in figura præcesserunt, exactissimè etiam in rem competant figuratam. Filii Israël comederunt vetus Phase ad vesperam, sed non est propterea necesse, ut nos figuræ hujus veritatem, id est, venerandum Eucharistiæ Sacramentum eodem etiam tempore suscipiamus. Et neq; sine certa ratione Mysterii ita divina Providentia disposuit, ut Joseph 20. argenteis, Christus *30.* venderetur.

62. Neq; enim, ait *Hieronymus, in cap. 26. Matthæi* pretiosior poterat esse servus quam Dominus.

63. Et secundum *Ambrosium libro de Iosepho cap. 3.* Viginti aureis in V.T. venditur, triginta in Evangelio. Pretiosior enim typo veritas, largior gratia quam disciplina, opimior lege præsentia, quia lex præmisit adventum, legem adventus implevit.

64. Ru-

64. *Rupertus in Genesin. libro* 8. vidit hac in re aliquod Mysterium: Notanda, inquiens, diligenter secundum distantiam personarum, differentia quoq; divinitùs prævisa pretiorum. Binarius namq; & ternarius in deceno limite viginti & triginta faciunt. Ergò quantitas pretii quo Joseph venundatus est, binarius, pretii verò quo emtus est Christus, ternarius est. Et rectè, nam Joseph, utpotè purus homo, solummodo ex anima constat & corpore: Christus vero ex anima & corpore simul & veritate constat divinæ naturæ. Bene igitur illic denarius, hic autem pretii quantitas ternarius est.

65. *Paschasius Radbertus Corbejensis, apud Antonium de Escobar & Mendoza in Evangel. Sanctor. Volum.* 1. *Lib.* 4. *cap.* 2. *Observatione* 4. *pag.* 281. Venundatus est in servum Joseph, non juxta 72. triginta argenteis, sed sicut Hebraica se veritas habet, viginti; quia non poterat pretiosior esse servus Domino, qui tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est ad baptismum, licet Joseph tot annorum fuisse legatur, quandò stetit in conspectu Pharaonis. Quid autem valuerint triginta argentei, dubium est?

66. *Lyranus in Cap.* 26. *Matthæi quem* alii sequuntur, docet, quod quilibet argenteorum horum valuerit decem nummos, sive denarios usuales, sicq; consequenter triginta hos argenteos effecisse summam trecentorum denariorum, ut manifestè fit multiplicanti per decem. Taxaverat autem Judas unguentum Mariæ Magdalenæ ad trecentos denarios, itaq; secundum Lyranum tantum per hos triginta argenteos recuperavit, quantum ex effusione ipsius unguenti sibi doluerat excidisse. Sed hujus sententiæ fundamenta nulla apparent. Ad mores hæc tamen facit computandi ratio, quod avaritiâ excœcatus videre non potuit vitam Domini ac Magistri sui pluris æstimandam, quam unguentum (res equidem pretiosa, sed inanimata,) ad honorem ipsius adhibitum. Quod inquam videre non poterat, tanti viri pretium cum decima parte æstimationis unguenti multo minus esse conferendum.

67. *Ambrosius libro 3. de Spiritu Sancto cap. 18.* O Juda, proditor, unguentum passionis Dominicæ trecentis denariis æstimas, & passionem ejus triginta denariis vendis. Dives in æstimatione, vilis in scelere.

68. Videtur hic Judas acriori ironiâ excipiendus, quam *Iacobus Alemannus*, Christianus equidem, sed Judæis parentibus natus, ad quem venale habentem S. Joannis aureum simulacrum, quingentorum aureorum pretiô coëmendum, subridendo ita dicebat Alphonsus Rex: Non tu sanè ineptus es, & majoribus tuis dissimilis, discipuli & præcursoris imaginem tanti æstimans, cum illi Johannis Magistrum & Regem Judæorum, non nisi triginta argenteis vendiderint, ut refert *Panormitanus libro 1. de gestis Alphonsi.* Et tu, O Juda, insignis scilicet mercator, unguentum Christi passionem figurans, trecentis, ipsum verò Christum æstimans triginta. *Vide Scalam Purpuream Adriani Moerbecii, gradu primo, collatione 3. §. 10. pag. 286. Edit. Antverp. in fol. Anno 1634.*

69. *Maldonatus in Matthæi cap. 26. pag. 543. seq. Edit. Mogunt. in fol. pag. 543.* Credendum est, Matthæum hominem Hebræum & Hebraicè Evangelium scribentem de Hebraicâ pecunia locutum esse. Siclus autem argenteus, Francum unum Gallicum, id est viginti solidos argenteos pependit, obolus enim solido Gallico æqualis erat, & Siclus viginti habuit obolos. Erat Siclus quadridrachmus, una autem drachma quinq; solidos Gallicos, id est regalem unum Hispanicum continebat. Itaq; quatuor drachmæ viginti continebant solidos, qui Francus Gallicus, & libra Turonensis appellatur. Quod si ita est, Christus triginta Francis Gallicis, id est, decem nummis aureis solaribus venditus est, ut nunc quidem aurei, cum hæc scribimus, æstimantur, quo tempore aureus tres valet Francos. Dicis, tam exiguo pretio ager non potuit emi in peregrinorum sepulturam, uti Matthæi 27. 7. dicit. Respondetur, nunc fortasse non emi posse, cùm multò cariores res omnes sunt, tunc verò potuisse, cùm viliores erant. Nam & Jeremias cap. 33. 9. legitur agrum emisse septem stateribus & decem

decem argenteis, quod multò minus erat pretium. Nam Stater quatuor habebat drachmas. Itaq; septendecim Francis Jeremias agrum emit, vix sex aureis nummis. Scriptor Scholasticæ historiæ, quem vocant, & alii nonnulli vulgares autores sine ullo testimonio aut probabili conjectura tradiderunt, triginta hos argenteos fuisse denarios trecentos, non alio argumento, quam quod consentaneum ipsis videretur, ne Judas effusi unguenti damnum faceret. Dixerat autem potuisse trecentis denariis vendi, quos cum furari non potuisset, ex Christi venditione voluerit, quasi perdidisset, recuperare. Minus probabiliter etiam alii hos triginta argenteos triginta tantum denarios valuisse dicunt, quod soleret Judas decimam partem eorum quæ in loculos mittebantur, suffurari. Quidam per argenteos communes saltem denarios intelligunt, juxta quos summa vix ad quatuor florenos Germanicos (quorum quilibet unum supra viginti argenteos grossos facit,) assurgit, quod nec avaritiæ Judæ, nec cupiditati Põtificum, qua Christi traditionem desiderabant, convenit. Alii triginta argenteos ad trecentos aureos vel etiam coronatos redigunt.

70. *Camerarius in libro de Græcorum & Latinorum numis dicit*, se ex Græcorum Commentariis didicisse, singula ἀργύρια idem valuisse ac Minam Atticam centenarium, hoc est centum drachmarum Atticarum. Juxta hunc calculum Christus venditus fuisset trecentis coronatis Francicis, cum *Budæus* Minam Atticam decem coronatis Francicis æstimet.

71. *Franciscus Lucas Brugensis in Evangelii Matth. 26. cap. p. m. 446. Edit. Antverp. in fol. An. 1606.* Et Baronius ibidem citatus, trecentorum aureorum summam hos triginta argenteos æquasse existimant. Conjecturæ eorum hæ sunt, I. ut Judas sibi hac pecuniâ prospicere posset, à Christo deinceps separatus. II. Quia hac proditione resarcire voluit damnum, quod ex unguenti effusione se pati credebat. III. Ex eâ pecuniâ emtus est ager figuli ad sepulturam peregrinorum. Erat hic ager, ait Baronius, ad annum Christi 34. num. 17. non tantum in suburbiis, quæ

teste *Iosepho libro* 8. *de Bello Iudaico cap.* 1. speciosissima ac pretiosissima erant, sed & cœteris suburbanis propinquior Hierosolymis, ut qui inhæreret monti Sion, teste *Hieronymo de locis Hebraicis.* His accedit, quod ille dictus habetur ager figuli, nempe nominatus ager, ac proinde non ignobilis, quem si velimus dictum esse agrum figuli, quod ibi figulina esset, indeq; suppeditaretur argilla ad vasa fingenda, majoris fuisse pretii certum est. Rursum etiam in agrorum emptionibus apud Hebræos fieri solitis, illud est observandum, omnes possessiones vendi solitas, usq; ad annum Jubilæi, sic statuente divina lege.

72. *Elias Thisbi ex Rabbinorum observatione docet*, nomen argenti in Pentateucho Mosaico usurpari pro Siclo, in Prophetis pro libra, in hagiographis pro talento. Quia ergò hic locus Evangelii respondet vaticinio Zachariæ, quod Evangelista inferius cap. 27. v.9. allegat, videtur per triginta argenteos intelligendas esse triginta argenti libras, cùm alias etiam Mina Attica proximè respondeat libræ Romanæ.

73. Porro *Epiphanius sub finem libri de mensuris & ponderibus*, argenteum unum definit denariis quatuor & centum, qui itidem faciunt ferè argenti libram. Sed præter has sententias communior & receptissima est, triginta hos argenteos quindecim ferè fecisse Imperiales, ita ut pro argenteis communes Sicli, quorum quivis continet duas drachmas Atticas juxta nostram monetam, dimidiam Imperialis partem, intelligantur. Si igitur per triginta argenteos communes Sicli triginta accipiantur, assurget summa ad septem Imperiales cũ dimidio. Credibilius autem est, hic notari Siclos Sanctuarii communi duplo majores, quia Scriptura Sicli nomine absolutè posito Siclos Sanctuarii innuit, tum quia Pontifices hunc contractum de re, ut arbitrabantur, sacrâ, cum Juda inierunt: pro qua sententia confirmata plures rationes adducit.

74. *Matthæus Hostus libro* 4. *rei nummariæ* veteris, cap. 5. Ergo triginta argentei faciunt quindecim Imperiales. Probatur hæc æstimatio non solùm ex perpetuo scripturæ usu, sed etiam ex eo, quod *Origenes Tractatu* 35. in Matth.

75. *Eusebius*

75. *Eusebius Libro* 10. *Demonstrat. Evangelicar. cap.* 4. Pro triginta argenteis Judæ datis ponit triginta stateres. Stater autem, sive Siclus habet quatuor drachmas, inquit *Hieronymus in cap.* 4. *Ezech.* quas dimidium Imperialem nostræ monetæ conficere, paulò ante monuimus.

76. *Budæus in Libro de Asse* dicit se Parisiis in æde D. Johannis vidisse argenteum unum ex illius, quibus Christus fuit venditùs, qui fuerit pondere didrachmi, qua ratione per argenteos hic intelligendi essent Sicli communes, non autem Sicli Sanctuarii: quantum autem fidei illis reliquiis tribuendum sit, nemini amplius ignotum aut dubium. Ad Argumenta contrariæ partis responderi potest, *Primò*, quamvis avaritia Judæ suspicionem præbeat, auctum ab eo fuisse proditionis pretium, quod postulabat, tamen cum Pontifices & Magistratus ipsi quoq; avaritiæ fuerint immersi, Matthæi 23.14. Lucæ 16.14. non ideò est verisimile, quod tam ingentem pecuniæ summam ab ipsis impetraverit. *Secundò*, trecentorum denariorum pretium, quo unguentum super Christum effusum æstimatur, ad triginta Imperiales cum dimidio à plerisq; redigitur, nec fuit Judæ animus id totum intervertere, sed partem duntaxat ex eo surripere. *Tertiò*, Jeremiæ 23.v.9. ager non malus septendecim Siclis emitur. *Quarto*, quod Josephus Patriarcha viginti minis à fratribus suis venditus apud Josephum Historicum memoratur, fortè originem ex septuaginta Interpretum versione, quæ pro argenteis, quorũ in Hebræo fit mentio, substituit χρυσῶς, aureos. *Quintò*, commentũ Rabbinicũ de diversa significatione argentei in Mose, Prophetis & Hagiographis, ex multis exemplis falsitatis convincitur à Casaubono, Exercitation. contra Baronium. p. 455. *Sextò*, Epiphanii locus obscurus est, quem *Cornarius* p. 1078. sic reddidit: Argenteus excusus est ab initio numisma, hoc autem ex Assariis excusum est. Ajunt Abrahamum in Chananæam formam ejus intulisse. *Porrò* ex partibus centum viginti quinq; talenti est libra una, quæ verba postrema non ad argenteum, sed ad talentum, cujus ante mentionem fecerat, referenda. Nullo igitur argumento firmo probari potest,

poteſt, pretium triginta argenteorum horum aſſurgere ad trecentos ducatos vel aureos: ſed fuit vile & exiguum, unde Zacharias cap. 11. v. 13. εἰρωνικῶς vocat decorum pretium. Vide B. Gerhardi harmoniam Evangelicam cap. 167.

78. *Origenes Comment. in Lib. Pſalm. Lib. 4. pag. 593.* Sicut Judas Chriſtum triginta argenteis vendidit, ita ipſi maledicitur triginta maledictionibus, reſpondentibus totidem argenteis.

TITULUS VIII.

INgratus Judas ex communi Theologorum ſententia celebrationi ſacratiſſimæ Euchariſtiæ interfuit, illâ tamen indignè uſus mancipium Diaboli evaſit, ea propter minus ritè communicantes Judæ imitatores jure merito appellantur.

79. *Lucas cap. 22.* evidentiſſimè, ut *Auguſtinus ſuper cap. 13. Iohannis* ait, demonſtrat Judam interfuiſſe inſtitutioni Sacramenti, cum enim expoſuiſſet inſtitutionem Sacramenti à Chriſto factam, ſubdit Lucas ejus verba: *Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Si autem interfuit inſtitutioni, Ergò & ipſum Sacramentum accepit. Matthæus enim cap. 24. narrat, Dominum, cùm præberet Sacramentum ſanguinis ſui, dixiſſe: *Bibite ex hoc omnes, & omnes bibiſſe,* Marcus confirmat cap. 14. Notum quidem eſt Matthæum & Marcum in illis locis denunciationem proditionis Chriſti narrare ante inſtitutionem Euchariſtiæ, ut neceſsè ſit, vel ipſos narrâſſe id ante rem geſtam per anticipationem, vel Lucam narrâſſe poſt rem geſtam per recapitulationem, Accepiſſe illum probant paſſim ſancti Eccleſiæ Doctores.

80. *Chryſoſtomus homiliâ de Proditore, Tomo 3. Oper.* Cum manducarent ac biberent, *accepit Ieſus panem ac fregit, & dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Et iterum accepit calicem & dixit: Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*: & præſens erat Judas, dicente Chriſto: *Iſte eſt ſanguis.* O Chriſti miſericordia! O Judæ dementia! Judas Chriſtum triginta argenteis paciſcebatur, ut venderet Judæis. Chriſtus ei ſangui-

ſanguinem, quem vendiderat, offerebat, ut haberet remiſſionem peccatorum, ſi tamen impius exiſtere noluiſſet. Adfuit enim tunc Judas, & illius ſacrificii communicationem accipet.

81. *Et homilia 83. in Matthæum, Tom. 2.* O cœcitatem proditoris! qui cum ineffabilibus myſteriis communicâſſet, idem permanſit, & divinæ menſæ particeps in melius mutari noluit, ſed peccatũ ejus ita magis auctum eſt, qui tali animo myſteriis ſuſceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus eſt.

82. *Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, de Cœna Domini p. m. 50. Edit. in fol. Anno* 1593. Ubi Judæ ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intravit, parricidalis animus vim tanti Sacramenti non ſuſtinens, quaſi palea exſufflatus eſt, & præceps cucurrit & proditionem & pretium ad deſperationem & laqueum.

83. *Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 13. Illuminatorum p. m.* 123. Prodiderat Judas improbus Dominum, nuperq; exiens à menſa, & bibens poculum benedictionis, pro ſalutari potu ſanguinem juſti effundere volens, qui panes ejus comedebat, magnificavit ſuper illum ſupplantationem. Paulo ante manus benedictionem recipiebat, & mox argento proditionis mortem Magiſtro ſuo conciliavit.

84. *Hieronymus libro 2. contra Iovinianum*: Qui indignè manducat corpus & bibit ſanguinem Domini, reus eſt corporis & ſanguinis Chriſti. Numquid quia Judas de eodem calice Domini bibit, de quo & cœteri Apoſtoli, unius cum illis erat meriti?

85. *Auguſtinus in Enarrat. Pſalmi 10. Tom. 8. Oper. pag. 38.* Chriſtus traditorem ſuum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis & ore ſuo commendatam ſicut cœteris Apoſtolis tradidit.

86. Et *Epiſt. 163. de Concordiâ ſarciendâ, Tom. 2. Oper. pag.* 283. Traditorem ſuum qui jam pretium ejus acceperat, usq; ad ultimum pacis oſculum, inter innocentes ſecum eſſe perpeſſus eſt. Quibus non tacuit eſſe inter illos tanti ſceleris hominem, &

tamen primum Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, nondum illo excluſo communiter omnibus dedit. *Confer Tom. 9. Oper. Tractat. 26. In Iohann. cap. 6. p. m. 33. & Tractat. 6. in Iohan. pag. 23.*

87. *Victor Antiochenus ad cap. 14. Evangeliſtæ Marci Tomo 4. Bb. Pp. edit. Anno 1618. Colon. pag. 330.* Inſinuat Evangeliſta Judam tametſi divinorum myſteriorum participem effectum, ſui ſemper ſimilem manſiſſe, hoc eſt, tremendæ illius menſæ cibo refectum, nihil prorſus mutatum, aut emendatum eſſe, verum in ſua nequitiâ & avaritiâ obſtinatè usq; perſtitiſſe. Johannes poſt acceptam buccellam Satanam in illum intraviſſe ſcribit, at hoc ea de cauſa non contigit, quod Satanas acceptum Chriſti corpus nihili duceret, aut contemneret, ſed quod impudentem proditoris auſum impunè abire non vellet. Dominus autem licet omnium conſiliorum Judæ gnarus eſſet, attamen à Sacramenti ſui acceſſu illum non prohibuit. Cur ita? nempe ut hinc diſcas, nihil eorum prætermiſiſſe, quæ eum ad ſanam mentem ducere quoquo modo poterant.

88. *Marcus Vigerius Cardinalis de præcipuis incarnati verbi myſteriis, Decachordo Chriſtiano, chorda 7. cap. 43. pag. 219. edit. Duacenſis. Anno 1616. 4to. per Richardum Gibbonum.* Judas indignè S. Euchariſtiam ſumſerat, ideo non ſine cauſa mox poſt buccellam de manu Salvatoris ſumtam intravit in eum Satanas, ut exequeretur ſententiam damnationis, quam impurus ille & ingratus conviva per ſuam nequitiam juſto judicio juſtè ſubierat. Habet præ cæteris ingratitudo hoc peſſimum, ut à bono benè donatum vertat in perniciem accipientis &c. Sunt tamen qui Judam ante porrectum Euchariſtiæ Sacramentum exiviſſe æſtimant. Sane Johannes quiddam ejusmodi ſubindicare videtur. Dicunt hi, nequaquam decuiſſe ut cœdis Chriſti miniſter ſalutaris communionis Symbolum acciperet. Addunt iidem Chriſtum cœtera omnia æquanimiter toleráſſe, hoc verò tantum piaculum neutiquam permittere voluiſſe.

89. *Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbejenſis, Tomo 9. Bb. Pp. parte I.*

te 1. pag. 333. de corpore & sanguine Domini cap. 18. Judas in figurâ omnium malorum ad percipiendum Sacramentum admittitur. Nam si post resurrectionem fieret, jam Judas cum S. Apostolis communicare non posset, quia judicio æterno jam damnatus erat.

90. *Leo, Sermone tertio de Passione Domini cum Iuda loquens:* Dum tuam conscientiam tot Domini miracula & tot dona torquerent, illa saltem tè à præcipitio tuo Sacramenta revocâssent, quæ in Paschali cœnâ, jam de perfidiâ tuâ signo divinæ scientiæ detectus, acceperas. Cur de ejus bonitate diffidis, qui te à sui corporis & sanguinis communione non repulit?

91. *Algerus in libro de Sacramentis corporis & sanguinis Domini, Tomo 12. Bb. Pp. cap. 21. pag. 431.* Quum malos corpus Christi verè, ipsumq; Judam à summo Sacerdote Christo cum cœteris Apostolis accepisse Sancti testentur, adstructum etiam videtur non esse nobis noxium, si à nobis, vel nobiscum mali malè sumant Sacramenta: cùm Judas ab ipso Christo cum cæteris Apostolis acceperit: nec etiam à pravis minus verè confici ipsa Sacramenta, cum ipse proditor tanti officii ministerium à summo Pontifice accipiens cum cœteris, hoc facilè in mei commemorationenem audierit.

92. *Eugenius Papa decretum sanxit extr. de offic. ordin. C. Sacerdos ubi statuens:* Reum cujus peccatum est occultum, non posse à communione resecari, exemplo Judæ, quem Christus suo corpore consecrato donavit, ceu refert *Angelus de Pas, in Comment. super Marci cap. 14. Libro 14. cap. 22. pag. 672.*

93. *Theophylactus in cap. Matthæi 26. pag. 67. Edit Basil in fol. Anno* 1570. exponens illud, bibite ex hoc omnes: Pro multis autem dicit effundi, hoc est, pro omnibus, sunt enim & omnes multi. Quare autem supra quidem non dixit: accipite comedite omnes. Sunt, qui dicant, propter Judam hoc dictum. Judas enim panem accepit, & non comedit, sed occultavit, ut monstraret Judæis quod panem suum corpus suum vocaret Jesus; poculum autem invitus bibit, cùm non posset occultare. Propterea hoc

loco dicebat, bibite omnes. Atq; allegati hactenus scriptores Judam communicasse perspicè asserunt. Pauci quidam negativam sententiam defendere volunt, obscuris nonnullorum testimoniis stipati.

94. Huc trahunt locum ex *Dionysio Areopagita*, quando affirmat *in Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. de communione in contemplat. p. m. 285.* Edit. Antverp. in fol. Anno 1634. Christum Eucharistiæ auctorem justissime exsortem facere eum, qui non sanctè atq; ad imitationem sui sacro convivio interesset. Quæ tamen sententia manifestis verbis de Juda nihil innuit.

95. *S. Maximus* equidem in Scholiis, pag. 306. ex Dionysii verbis probabili quadam conjecturâ id colligit, cujus verba hæc sunt: Ex iis rectè quis inferat, Christum post Judæ à Cœna egressionem discipulis suis mysterium tradidisse, ut qui iis dignus non erat.

69. *Georgius Pachymeres*, *pag. 317.* locum Dionysii aliter explicat, putans, quod Christus quidem Judæ tradiderit mysticum panem & calicem, mysteria verò solis discipulis communicârit post Judæ discessum. Verba ejus sic habent: Excludit & segregat justissimè Judam, qui non sanctè convivio interfuerat, nam cùm illum mystici panis & vini participem fecisset, mysteria discipulis, postquam ille è cœnâ discessit, solis tradidit, cùm iis indignus esset Judas. Cur igitur Judam arcet à divinis mysteriis, qui simul cœnaverat? Etenim docet, quod non satis est tantum corporaliter adesse, & convivium celebrare, non enim hoc cum communione habet similitudinem, sed oportet intellectu & mente adesse.

97. Verùm meritô hic cum *Carolo Bovio Episcopo Ostunensi in Scholiis ad Clementis Constitutiones pag.* 144. quærere quis potest à Georgio, quæ tandem fuerint mysteria solis Apostolis extra Judam credita, cum prius simul panem & vinum sumsissent. Si responderet, fuisse Sacramenti effectum & spiritualem manducationem; rursus scire vellem ab eo, quid opus erat, ut propterea

Judas abesset ? Quod si mysteriorum traditionem putat ipsam Eucharistiæ institutionem, jam hoc Scripturæ adversatur conjungenti Eucharistiæ institutionem, cum ejus dispensatione. Sumens panem fregit & dixit : accipite & manducate, hoc facite &c. Itaq; magnæ tenebræ sunt, non modo in Dionysii sed etiam in Paraphrastis sui verbis, ut certi inde aliquid satis firmiter vix erui possit.

98. *Clemens libro 5. Constitution. Apostolic. cap. 16. Edit. Venetæ in 4to, Anno 1563. pag. 69.* Sic loquentibus Apostolis, cum antitypa mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui nobis tradidisset, quibus non aderat Judas, exiit ad montem olivarum prope torrentem Cedron. *Idem* eodem libro *cap. 17.* repetit. At verò pleriq; Doctorum hoc opus, Clementis nomen quod gerit, parvi pendunt, cum de certo ejus autore nondum constet, ac multa in eo sint partim dubia & incerta, partim falsa, quæ sane fidem operis elevant autoritatemq; destruunt. *Vide Pererium Disput 33. in cap. 11. Iohannis pag. 49. Iohan. Maldonatum in Matthæi cap. 5. 49.*

99. *Rupertus Tuitiensis* in tribus locis pro negativâ sententiâ pugnat. Primò quidem *Libro 10. de gloria & honore filii hominis, in Matthæi cap. 26. Tom. 2. Oper. pag. 68. Edit. Colon. in fol. Anno* 1602. dum illud exponit : *Vespere autem facto discumbebat cum XII.* Et *lib. 7. in Evangel. Iohan.* exponens illud cap. 7. *Nunquid & vos vultis abire ? pag. 215. Tom. 2.* Nec non *Lib. 11. in Iohan. cap. 13. pag. 287.* explicans illud ; *Post buccellam introivit in eum Sathanas.* ubi addit : Sciendum verò est, quia sicut & ante nos dictum est, si post buccellam continuò Judas exivit, sicut paulò post Evangelista dicit, procul dubio nequaquam discipulis tunc interfuit, quando Dominus noster Sacramentum illis corporis & sanguinis distribuit. Nec enim vel ille panis intinctus, quem Judæ porrexit, corpus ejus fuit, vel catinus ille, in quo traditor manum cum illo intingebat, calix sanguinis ejus extitit, nec ante hanc cœnam Paschæ veteris Sacramentum corporis & sanguinis sui discipulis tradidit, sed postquam cœnavit.

Quod cùm cæteri Evangelistæ apertissimè dicant, solus Lucas aliter dixisse visus est, quia videlicet verba, quæ in priori cœnâ Dominus de traditore suo dixit, idem Lucas sic præposteravit, ut priorem Paschæ cœnam & sequentem Dominici corporis & sanguinis consecrationem narrando conjungeret, & tunc demum verba, quæ in utroq; convivio dicta sunt, continuaret.

100. *Hilarius Pictaviensis in Matthæum, capite trigesimo, pag. 326. Edit. Basil. in fol. Anno* 1570. Sine eo (Juda) pascha accepto calice & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum Sacramentorum communione non fuerat. Pauci illi scriptores superiùs allegatorum fidem infringere minimè valent. Confer *Petrum Crespetium in summa Catholicæ fidei, pag. 519. Edit. Lugdunensis in fol. Anno* 1598. Accedit ultimò, minimè fuisse conveniens, ut Christus Judam occultum peccatorem, sine accusatore & sine peccati ejus evidenti probatione, à S. Mysteriorum communione arceret, admissis ad eam reliquis Apostolis, ne scilicet ea ex re prælati Ecclesiæ sumerent Exemplum, & animum similia faciendi, & ne Judas exinde vehementer exasperatus, peccandi occasionem arriperet. Cæterùm indignè ad mensam Dominicam hospites Judæ similes reputantur.

101. *Augustinus in Psalm.* 142. Accepit buccellas Judas, & introivit in eum Satanas; quàm multos Judas Diabolus implet indignè accipientes buccellam ad judicium suum, qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Semel Judas tradidit, semel crucifixerunt ejus hostes, indigni susceptores quotidie Christum produnt, quotidie crucifigunt.

102. Ut verè *Tertullianus* exclamet *libro de idololatria cap.* 7. Proh scelus: semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ! Viderunt jam an per similitudinem dictum sit, *Si te manus tua scandalizat, amputa eam!* quæ magis amputandæ, quam in quibus corpus Domini scandalizatur?

103. *Chrysostomus homilia de Baptismo Christi.* Quandò ultimæ cœnæ communicavit Judas nocte illa postremâ, cæteris omnibus

nibus recumbentibus ipse proripiens excessit. Illum imitantur & isti, qui ante ultimam gratiarum actionem discedunt, nisi enim exiisset ille, proditor factus non esset. Nisi condiscipulos deseruisset, non periisset; nisi se ipsum extra ovile proripuisset, non cum lupus solum offendisset, atq; devorâsset. Nisi se ipsum à pastore segregâsset, belluæ præda factus non esset. Idcircò nimirum ille cum Judæis, isti cum Domino hymnô dictô exierunt.

104. *Augustinus tractatu 6. in Iohann.* Num mala erat buccella, quæ tradita est Judæ à Domino? absit, Medicum dare venenum. Salutem Medicus dedit, sed indignè accipiendo ad judicium accepit, quia nón pacatus accepit.

105. Venerabilis Beda de Eucharistiæ Sacramento agens, exemplum adducit Judæ his verbis: Sicut Judas cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisq; sumens Dominicũ Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit. Christus Redemptor noster S. Brigittæ rationem revelavit, Revel. S. l. 2. cap. 2. n. 3. cur nonnunquam indignos ad hanc mensam accedere permittat: sicut, inquit, in humanitate mea & boni & mali tetigerunt me, ad ostendendam veram humanitatem & patientiæ humilitatem; sic & boni & mali comedunt me in altari, boni ad majorem perfectionem, mali autem ne credant se esse damnatos ex eo, quod possunt hoc corpore meo sumpto si volunt, personaliter mutare voluntatem & converti. H. I. Hoc tamen raró accidit ut videtur in Juda, quem licet benignissimus Dominus tot diversis modis ad resipiscentiam invitâsset, præcipue vero per osculum in horto ab eo receptum, & per amabilissimum amici nomen ei impositum, nihilominus plus quàm unquam in obstinatione & desperatione sua perseveravit.

106. *S. Bernhardus de hac materiâ in sermone quodam de ultimâ cœnâ Domini*, differentiam inter S. Petrũ & Judam, qui simul ejusdem mensæ Eucharisticæ comensales fuerunt, ponderans inquit: De uno pane consecrato Petrus & Judas accepit, bonus in vitam, pessimus in pœnam; totum usq; adhuc in Ecclesia completur in

Sacra-

Sacramento altaris, bonis quidem in bonum sumentibus, canibus verò & immundis non sic. Canes sunt qui irreverenter accedunt, & ideò judicati abscedunt. Deniq; Judæ in recipiendo Christi corpore indignitate circumstantialiter examinata gravitatem ostendit communionis sacrilegæ, apud *Ioseph. Mansium Congregat. Oratorii Romani Presbyterum Tom. 2. Bibliothecæ Moralis Prædicabilis, Tractatu 26. discursu 39. pag. 293. seq. Edit. Mogunt. in fol.*

107. *Dionysius Carthusianus sermone, Quomodo Sacramentum altaris sit suscipiendum?* Tales sunt socii Judæ proditoris, de quo in Johanne legitur: Post buccellam introivit in eum Satanas. Nam & ante in eum intravit, sed quia corpus Christi indignè accepit, magis possedit eum Diabolus. Eandem thesin Theologi Lutherani firmiter tenent, Vid. Gerhard. Loc. Comm. Tom. 5. de Cœna Domini. Reformati autem communiter negativam tuentur. Inter illos, qui Judam communioni S. Eucharistiæ interfuisse negant, nomen quoq; suum profitetur Wilhelmus Klebirius, cujus de hoc argumento peculiaris Dissertatio benevolo Lectori propiis Auctoris verbis exhibetur.

108. De buccellâ intinctâ quam comedit Judas proditor, disceptatur, an fuerit panis Eucharistiæ? Præcipuum quod hic quæritur, consistit in eo, An Judas interfuerit Eucharistiæ cum reliquis Apostolis, vel An exierit ante institutam à Christo Eucharistiam. Ut autem hoc dexterius explicari possit, ordine quædam hic consideranda sunt. Videlicet primo, quod Christus ea nocte Eucharistiam instituerit, qua cum discipulis comedit agnum Paschalem, Matth. 26. & Marc. 14. Secundò notandum est, esum agni Paschalis præcessisse institutionem Eucharistiæ, Matth. 26. & Marc. 14. & buccellam intinctam diligenter discernendam esse à pane Eucharistiæ: nam buccella intincta quam comedit Judas non fuit panis Eucharistiæ, sed fuit panis agni Paschalis. Nullus enim Evangelista ait, panem Eucharistiæ fuisse intinctum, quia de hoc pane dicunt Evangelistæ *fregit & dedit*, non inquiunt, *fregit & intinxit*, Augustinus Tractat. 62. in Johann. ait:

ait, illos *negligenter legere, qui per buccellam intinctam intelligunt panem Eucharistiæ.* Idem Augustinus sentit per *buccellam intinctam* significatam fictionem, quia non omnia quæ tinguntur, abluuntur. Inepta igitur est opinio illorum qui per *buccellam intinctam* putant significatam hostiam quam intingit in calice sacrificulus, sicuti legitur in Glossa ordinaria, quia nimirum intincta sint dulciora. Ecclesia quoq; reprehendit consuetudinem illorum qui panem intinctum dederunt communicantibus. Omnes Evangelistæ ferè consentiunt quod Judas indicarit panem Eucharistiæ. Postea diligenter observari debet, quod post sumtam offulam Satan sit ingressus in Judam, Joh. 13. & quod Christus dixerit, *quod vis facere, fac citò*; & quod Judas statim exierit, neq; ullam Evangelistam narrare Judam ab illo egressu reversum fuisse ante institutionem Eucharistiæ: an cogitabimus Christum frustra dixisse, quod vis facere, fac citò. Theophylactus certè ex his verbis hanc admonitionem colligit, ut infideles maturè segregemus antequam inchoetur Communio. Et ex hac observatione colligit Wolffgangus Musculus etiam Theophylactum ejus fuisse sententiæ, quod Judas exierit ante Eucharistiam. Hilarius sic argumentatur: *Christus finita cœnâ prædixit se cum discipulis suis bibiturum de fructu vitis in regno patris sui; Atqui cum Iuda non bibit de fructu vitis in regno patris sui; Ergò Iudas non interfuit.* Et etiamsi cœteri Evangelistæ non expresse mentionem faciant quando exiverit Judas, tamen in subsequentibus satis indicant, Judam statim post esum agni Paschalis egressum esse. Quia nimirum postea narravit, quod Christus dixerit discipulis, *hac nocte vos omnes offendemini*, quæ verba non erant dicta Judæ. Etiam Paulus 1. Cor. 11. nullam Judæ mentionem facit. Confirmavi buccellam intinctam non fuisse panem Eucharistiæ, sed Panem agni Paschalis: demonstravi esum agni præcessisse Synaxin: ostendi sumptâ buccellâ Judam statim egressum: ex his consequi manifestissimè spero, Judam proditorem Eucharistiæ non interfuisse. Neq; enim ullum dicturum existimo, quod Apostoli post panem Eucharistiæ comederint alium panem intinctum, cum Evangelistæ luculenter narrent, Chri-

ſtum poſt ſumptam Apoſtolis Euchariſtiam ſtatim concionem habuiſſe, & quod hymnum cecinerint. Confirmatâ ſic propoſitione, nunc reſtat ut argumenta partis adverſæ examinemus:

Argumentum I.

109. Evangeliſtæ dicunt, quod omnes duodecim Apoſtoli menſæ accubuerint; Ergo & Judas menſæ aſſedit. Reſp. Hoc narrant Evangeliſtæ de convivio agni Paſchalis, quod præceſſit eſum Euchariſtiæ. Nam omnes ſimul aſſederunt menſæ, ſed non omnes ſimul ſurrexerunt de menſa; quod inde ſaltem manifeſtum eſt, quia quando Chriſtus exiguo tempore fuit in horto, venit Judas cum cohorte, tribuno, principibus ſacerdotum, magiſtratu, ſenioribus templi, Scribis & miniſtris, cum facibus, gladiis & fuſtibus, Matth. 26. Marc. 14. Johan. 18. Et quia talem exercitum tam cito colligere non potuit, neceſſario ſequitur, Judàm proditorem multò citiùs ſurrexiſſe de menſa quam reliquos Apoſtolos: *Et euntibus ſe cum diſcipulis in hortum dixit Chriſtus, hodie vos omnes offendimini*, quod ad Judam referri profectò nequit.

Argumentum II.

110. Judas interfuit lotioni pedum, & lotio pedum ſubſecute eſt Euchariſtiam: Ergò Judas etiam interfuit Euchariſtiæ; quia Johannes cap. 13. ait quod factâ cœnâ ſurrexerit Chriſtus ut lavaret diſcipulis pedes. ℞. Solutio argumenti conſiſtit in participio *facta*. Hic primo notandum eſt, codices variare. Nam Eraſmus legit: γινομένου δείπνου *cum fieret cœna*, in præſenti; alii codices legunt: γενομένου δείπνου factâ cœnâ. Atq; Auguſtinus, teſte Eraſmo, hoc non de peracta cœna, ſed de cœna inchoata exponit, ſicuti in illis phraſibus enallage temporis eſt, *factus eſt dies primus & ſecundus*, etiamſi nondum conſummatus ſit dies. Oſiander quoq; in Harmonia ſua de cœna inchoata hæc verba intelligit, & ait, Judæis uſitatam tunc fuiſſe lotionem pedum, ſicut jam multis in locis odorâ aquâ convivæ ad accubitum menſæ invitantur. Hæc expoſitio placet etiam Eraſmo. Etiam Papiſtæ non negant eſum Euchariſtiæ ſecutum eſſe, poſt lotionem pedum.

Nam

Nam illi Sacramentum lotionis prius celebrant ante Communionis diem. Petrus Comestor recenset, quod quidam existimarint lotionem pedum fuisse celebratam, non in nocte ultimæ cœnæ, sed alia quadam nocte priori, quia Johannes ait 13. cap. ante festum factam pedum lotionem. Et agnum Paschalem manducatum dicunt alii Evangelistæ primo die festi. Verum diligentes interpretes ostenderunt terminis illis, *primo die festi, & ante festum,* idem tempus denotari. Theodorus Beza ait, *plurima & meliora exemplaria habere aoristum secundum*, ideoq; finita cœna agni Paschalis Christum surrexisse sentit, de mensa ad lotionem pedum; quod etsi verisimile videatur, tamen sententiæ meæ principali nihil adversatur. Atq; tunc videtur hic fuisse rerum gestarum in ultima nocte ordo: 1. Esus agni Paschalis, 2. Lotio pedum, 3. Porrectio buccellæ intinctæ, 4. Egressus Judæ, 5. Institutio Eucharistiæ. 6. Concio, 7. Hymnus, 8. Precatio in horto. Verum cùm Johannes post lotionem faciat mentionem buccellæ intinctæ, verisimilius videtur, Esum Agni secutum esse post lotionem pedum. Siquis velit contendere Johannem per verba illa, *factá cœná*, intelligere Eucharistiam, tunc narrationem Johannis contrariam faciet narrationi aliorum Evangelistarum, qui omnes dicunt esum agni Paschalis præcessisse Eucharistiam.

Argumentum III.

III. Evangelista Lucas, quem omnes Scriptores fatentur esse Historicum, monstratum fuisse dicit proditorem à Christo post finitam Eucharistiam. Ergò Judas interfuit Eucharistiæ. ℞. Argumentum hoc solvi poterit ex regula quam docet Augustinus quæst. 92. super N. Testamentum, ubi inquit, *multa novissima ordinari quæ antea facta probantur.* Clarissimus Vir Wolfgangus Musculus, in Locis suis per hanc regulam exponit narrationem Lucæ. Hæc regula pulcre declarari potest per Evangelistam Marcum, qui ait, Christum hæc verba, hic est sanguis meus, locutum postquam biberint ex calice: verum cùm alii Evangelistæ dicant Christum hæc verba enunciasse antequam biberint ex calice, non dubitamus Marcum ea narrasse posterius quæ, erunt facta

 prius.

prius. Sic cùm alii Evangelistæ narrent Judam demonstratum à Christo ante institutionem Eucharistiæ, & cum Lucas istud dicat factum post Eucharistiam, non dubitare debemus à Luca illa posterius recenseri quæ prius facta fuere. Erasmus in narratione illa Marci hanc regulam admittit. Quomodo igitur non potius locum habebit in hac Lucæ narratione? Lucas in Exordio Evangelii sui ait, quod Evangelium suum acceperit ab iis qui fuerunt ministri & inspectores sermonis, ideoq; tutissimum est Lucam exponere per alios Evangelistas, qui præsentes fuere. Nam Lucas (ut Johannes & Matthæus) non interfuit Eucharistiæ. Quod nequaquam sic accipi volo, quasi Lucæ auctoritatem extenuare oporteat. Nam expositio unius Evangelistæ per alium, non extenuatio, sed declaratio dici debet. Qui verba unius testis per verba testium duorum declarat, ille testis unius auctoritatem nequaquam elevat, sed potius æqualem auctoritati aliorum constituit. Rupertus quoq; Abbas Tuitiensis causam adfert, quare Lucas continuâ serie narraverit esum agni, & Eucharistiæ institutionem, quia videlicet solus Lucas mentionem facit desiderii illius, quo Christus desideraverit Pascha comedere cum discipulis suis, & propter hujus desiderii completionem ait Lucam continuâ serie conjunxisse descriptionem agni Paschalis & institutionem Eucharistiæ. Et frequens hoc est Historiographis, ut res principales conjunctim narrent, & rem minus principalem postremò recitent, etiamsi ordine temporis præcesserit. Et alias à Luca seriem ordinis neglectam esse ex narratione tentationis Christi constat. Nam quando Matthæus cap. 4. tentationem adorationis in fine collocat, Lucas tentationem de præcipitatione è pinnaculo templi in fine ponit; cumq; utriq; consentientes dicant Diabolum post tentationem de adoratione reliquisse Christum, liquidò apparet ordinem non observatum à Luca. Et in narratione de rebus gestis in ultima nocte Lucas etiam in aliis discrepat à reliquis Evangelistis quoad ordinem. Nam verba Christi quibus promittit se postea cum discipulis bibiturum de fructu vitis in regno Patris, ante initium cœnæ narrat Lucas, quæ alii Evangelistæ subjiciunt

Eucha-

Eucharistiæ. Vaticinium Christi de scandalo Matthæus & Marcus omnibus discipulis dictum narrant, Lucas Christũ cum solo Petro locutum, ait: Matthæus & Marcus narrant hoc vaticinium factum in horto, Lucas narrat factum hoc esse in domo ubi comederant Paschalem agnum. Ex hac diversitate apparet ordinem sæpissimè neglectum à Luca. Et Johannes Calvinus in Harmonia sua testatur seriem temporis, quando exierit Judas, ex narratione Lucæ non posse certò probari. Et Ministri Ecclesiæ Magdeburgensis fatentur in opere Historiæ, incertũ esse quando Judas exierit. Jam si illud incertum est, mirum est cur ex re incerta dogma fidei constituant, & etiam in Catechesi pueris instillent. Neq; scopum attingunt illi qui putant, Judam singulis Apostolis in ultima nocte bis fuisse monstratum ante Eucharistiam, semel in lotione pedum, & altera vice in esu agni Paschalis, postea finitâ Eucharistiâ denuo singulis monstratũ, & Evangelistam Johannem utramq; posteriorem demonstrationem sub una comprehendisse. Nam primò magna est differentia inter illam demonstrationem cujus Johannes meminit, & alteram quam Matthæus & Marcus describunt. Johannes enim ait, Christum buccellam porrexisse in os Judæ, Matthæus verò & Marcus narrant quod ipse Judas manu suâ intinxerit panem in paropside. Johannes dicit sibi soli demonstratũ proditorem, Matthæus ait quod in genere singulis istud signum intinctionis dederit. Ex his igitur satis apparet diversissimas esse has demonstrationes. Si autem quispiam cupiat scire quoties Christus generaliter monstraverit proditorem, non difficile erit istud invenire: nam Joh. 6. vocatus est *Diabolus*, Joh. 12. vocatur *fur*, Johannis 13. vocatur *immundus*, Matthæi 26. Marc. 14. vocatur *proditor*. Deinde illam demonstrationem proditoris admonendi causâ à Domino adhibitam, ne se pollueret sumptione Eucharistiæ, non dubium est: quare igitur non judicamus illam præcessisse Eucharistiam? Ad argumentum hoc ex auctoritate Lucæ sumptum copiosius respondet Muscu. qui dicit, *se minimè dubitare quin Judas exierit ante institutionem Eucharistiæ.*

 Argu-

Argumentum IV.

112. Judæ peccatum nondum fuit manifestum. Ergo Christus admisit Judam ad convivium cœnæ, ut doceret nos, ne excluderemus ab Eucharistia occultos peccatores. ℞. Henricus Bullingerus lib. 6. cap. 9. contra Anabaptistas docet, peccatum Judæ non fuisse tempore Eucharistiæ occultum, sed manifestum. Primum enim notum fuit Christo. Deinde scelus illius non erat ignotum Pharisæis, cū illis enim fœdus proditionis inerat contra Christum. Significanter etiam satis monstratur Johanni. Potuit igitur Christus contrà illum produci testis facti. Et quando Minister scit alicujus scelus, & novit contra illum producere testes facti, impius est quando illi dat Eucharistiam. Et non cogitandum est, quod hic Christus margaritas porcis dederit contra doctrinam suam. Deinde in hoc argumento nulla est ratio consequentiæ.

Argumentum V.

113. Augustinus contra Fulgentium Donatistam inquit, *Judas accepit bonum Christi corpus*, sicuti *Simon Magus accepit bonum baptisma*: & super Psal. 10. ait: Christum primam Eucharistiam Judæ dedisse. ℞. Ad Augustini argumentum respondet Rupertus Tuitiensis, qui ait, Augustinum in eo lapsum, quod solum Lucam secutus aliorum Evangelistarum harmoniam non consideraverit. Et Augustinum historiam Judæ non satis perpendisse, vel inde patet, quod contra manifestam narrationem Matthæi putarit Judam se suspendisse post mortem Christi, quæst. 29. super N. Testamentum. Et quod præsentiam Judæ defenderit, videtur potius ἀγωνιστικῶς quam διδακτικῶς fecisse. Cum enim Donatistæ urgerent rigorem Excommunicationis, Augustinus putavit eum rigorem nulla re posse magis debilitari, quàm si persuaderet Judam fuisse præsentem. Solent etiam ad confirmationem præsentiæ Judæ afferre vaticinium Davidis, *Qui comedit mecum panem, levavit calcaneum adversus me.* Atqui ipse Augustinus hoc vaticinium non de pane Eucharistiæ, sed de buccella intincta interpretatur; & potest exponi de quotidiano convictu quo usus est cum Christo.

Argu-

Argumentum VI.

114. Omnes Patres sentiunt Judam interfuisse Eucharistiæ. Ergò interfuit. ℞. Nego antecedens. Nam Hilarius, non infimus ex Patribus, expresse ait Judam non interfuisse Synaxi. Zacharias Chrysopolitanus in Harmonia sua idem docet. Innocentius tertius Episcopus Romanus, & Rupertus Tuitiensis etiam negant Judam interfuisse Eucharistiæ. Petrus quoq; Comestor & Durandus in Rationali Divinorum eandem mecum sententiam amplectuntur. Wolffgangus Musculus & D. Albertus Hardenburgius Ecclesiæ Bremensis Minister, eandem sententiam tuetur. Ita docuit Martinus Bucerus; & Joachimus Vadianus in eam sententiam inclinare videtur, sicuti & Theophylactus. Theodorus Beza, & Johannes Ribittus idem docuerunt Losannæ: vide commentaria Bezæ in 13. cap. Johannis.

Conclusio.

115. Augustinus in libro de hæresibus scribit, *quosdam dictos Cainos eo quod Cainum & Judam honorarint*. Et Tertullianus de præscriptionibus hæreticorũ narrat, quod *nonnulli gratias egerint Judæ*, quia nimirum putaverint, potestates seculi voluisse impedire mortẽ Christi. Etiam Cerinthiani leguntur honorasse Judam proditorem. Et vereor illos etiam nimium honorare proditorem, qui illum non modo Synaxi interfuisse ajunt, sed etiam verum sanguinem Christi bibisse contendunt. His manifestè contradicit Augustinus, qui ait: *reliquos Apostolos comedisse panem Dominum, Judam verò panem Domini, contra Dominum.* Christus inquit, *qui edit carnem meam habet vitam æternam*; Si Judas comedit Christi carnem, quomodo descendit ad infernum? Dignũ quiddam notatu est, quod Beatus Rhenanus observat in cap. 7. lib. Tertulliani, qui inscribitur Apologeticus adversus Gentiles. Nam in illo loco quidam ex adverbio INDE, fecerunt genitivũ secundæ Declinationis, JUDÆ, ut videlicet Judam retinerẽt convivam, ideoq; mirari non debemus, quod multi hodierno die defendant præsentiam Judæ, quia multi ex illis sunt fratres Judæ

Quæ sit Utilitas hujus quæstionis?

116. Hæc

116. Hæc quæstio rectè explicata invertit & suspectam reddit totam arcem adversæ partis; nam multoties Judam in ore habent. Præterea hâc quæstione dextrè declarata, corruit perniciosa opinio illorum qui ex præsentia Judæ conantur convincere, Excommunicationis disciplinam non esse necessariam. Conf. Johann. Hoornbek Miscellan. Sacror. Lib. 1. cap. 19. pag. 577. seqq. Edit. Ultraject. in 4to Anno M DC LXXVI. Musculus in locis Communibus, Danæus, Piscator, Zanchius in 4. Præcept. Tossanus, Gomarus, in Johann. 13. pag. 470. Deodatus in Notis. Eduardus Kelletus Anglus in Tricænio Christi, Lib. 2. cap. 14. Georg. Gillespie Scotus, Aarons Redblossominus, Lib 3. cap. 5.

TITULUS IX.

NOnnulli homines ex suavibus ac bene-olentibus herbis vel floribus venenum conficere solent. Similiter ex quibusvis bonis quidam malum colligunt. Quid amabilius osculo? quid sanctius? interim tamen ad venenum adaptatur, quod in Charitatis pignus servire consueverat, uti in Juda apparet. Hinc tot in illum diræ, tot fulmina à piis scriptoribus, in sacerrimum illud caput evibrantur. Crudelis etenim impostor tanquam lupus rabidus, cum magna inimicorum cohorte agnum Dei mitissimum invadit, & ob turpe lucrum osculo prodit, unde Idea Judicis pretio corrupti esse potest. Quæ proditio à Sanctis Prophetis in Veteri Testamento prædicta, & typis adumbrata fuit.

117. *Sedulius libro 5. Carmine Paschali in Append. Bb. Pp. pag. 674. Edit. Parif. in folio, Anno 1624.*

Tune, cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis inique,
Traditor immitis, fere proditor, impie latro,
Præscius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegamq; aciem gladiis sudibusq; minacem
Commoveas, ori ora premis, melliq; venenum

Inse-

Inferis, & blanda Dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas & amica fraude salutas?
Nunquam terribiles aut pax conjurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno.

118. *Paschasius in Matthaeum*, *Lib.* 12. *Tomo* 9. *Bb. Pp. parte* 2. *pag.* 1208. Quaerat forte aliquis, cur tam multam miserunt turbam Judaei cum gladiis & fustibus, ac universa cohorte militum, comprehendere Jesum, hominem simplicissimum atq; inermem, qui nullis humanis fulciebatur praesidiis. Non potuit fieri, ut tantam sine causa conduxerint plebem. Fortè fecerunt illud propter multitudinem eorum, qui jam crediderant in eum ex populo, timentes ne magna multitudo credentium eum de manibus eorum praeriperet. Sed ego alteram existimo causam, multitudinem contra Jesum venisse, fortè quia putabant quidam eorum, in Beelzebub ejicere daemonia, quasi ex quibusdam maleficiis effugere posset, ut possent eum violenter retinere. Nonnulli verò eorum audierant, quod aliquando cùm jam praecipitandus esset de montis supercilio, & fugerat manus tenentium se, putabant non fugâ simplici evasisse, sed talia quaedam extra naturam humanam potuisse. Multa quidem opinio de eo erat in populo, undè & Marcus ait, dixisse Judam: quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum & diligenter abducite. Malignè quidem & insidiose cum multâ calumnia hoc videtur dixisse, tanquam si diceret: nisi diligenter comprehendentes ac tenentes abduxeritis eum, & custodieritis, ipse cùm voluerit, quibuslibet artibus, qualibet virtute effugiet à vobis.

119. *Chrysostomus homilia de proditore & mysteriis coena*, *Tom.* 3. *Oper. fol.* 184. de osculo sic differit: O signum sacrilegum! O conventus nefarius! O placitum puniendum! Ubi ab osculo incipitur bellum & per pacis indicium, pacis rumpitur Sacramentum. Et per quod consueverunt gentes bella finire, per hoc profanus Judas bellum voluit inchoare. Dedit eis signum, dicens: quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Hoc osculum Juda, tu dedisti. Hoc pactum in tuo manganicio (mercatu) posuisti, ut

cum quo faceres pacem, ipse raperetur ad crudelissimam passionem. Mihi crede, habebunt per te multi terrorem, ne quando cum proximis simulatam habeant charitatem. Guttur enim profanum, quod hodiè Christo extendis ad osculum, crastino illud es extensurus ad laqueum. (Malo tuo didicisti argentum expendere, mox incipies & corpus proprium ponderare.)

120. *Victor Antiochenus ad cap.* 14. *Marci Tom.* 4. *Bb. Pp. p. m.*331. Judas Christi gloriæ & Majestatis prorsus oblitus, præq; avaritiâ plane excœcatus, existimabat latere se posse, si osculum in amicitiæ Symbolum prætenderet. Ave Rabbi; cui lethales insidias struebat, illi infelix proditor una cum osculo salutem offert. Dominus autem osculum offerentem non aversatur, neq; vultum ab eo vertit, ostendit autem illum non amicitiæ studio, sed impietatis explendæ desiderio accesisse.

121. *Augustinus Tom.* 10. *Oper. serm.* 43. *de Diversis, in Appendice pag.* 676. Proditorem Christus osculo libenter suscepit, non quia DEUS DEI filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat. Juda, osculo filium hominis tradis? fungebaris disciplinâ virtutis, & discipulus factus consilii iniquitatis. Officio sanguinem fundis, pro pignore amoris vulnus infligis, pacis argumento mortem immittis, servus Dominum tradis, discipulus Magistrum prodis? Utiliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Hæc ille. Quid quod Christus ad miram suam benignitatem testandam osculum Judæ impresserit?

122. *Sanctus Martialis Apostolus ad Tholosanos Epistola* 2. *cap.* 13. *pag.* 171. *Tom.* 1. *Bb. Pp.* Christus discipulo suo à quo tradendum se noverat, dulcedine suæ bonitatis, nobis trementibus & intuentibus sævitiam eorum, qui eum comprehendere venerunt, osculum dedit.

123. *Paschasius T.* 9. *Bb. Pp. parte* 2. *pag.* 1209. O fraus, O insidiæ, O doli calliditas; qui per singulas civitates & vicos & Synagogas prædicaverat jam diu, ita ut fama ejus exiret in omnem

regio-

regionem, virtutesq; multas in populo fecerat, in templo quoq; quàm sæpe coram omnibus docuerat, unde & in Judæa habitantibus secundum faciem penè omnibus manifestus erat, quid est, quod tam diligenter eis dat signum? Et non quodcunq; signum, sed signum pacis, Concordiæ, Charitatis, quibus ipse, qui notus erat, qui venerant, sine signo fortè poterant comprehendere eum. Et ideò quia tam manifestus erat omnibus, non abs re arbitror factum, quod osculi signo traditur, decebat tamen ut osculo traderetur, qui suos diligere debet inimicos, pacisq; oscula non negare, neq; fictè tales diligere. Non enim quantum ex ipso fuit, aut fictè cum amicum vocat, aut in dolo ei vel simulatione osculum porrigit. O Impie, infelicissime, quid est, quod Servatorem tuum, quod Redemptorem, quod Magistrum & Dominum tam vilissimè tradis? Hoc quippe tradis quod propter te suscepi, & non qualitercunq;, sed osculo me tradis, quod est signum amoris & indicium veræ dilectionis. Pignus offers veræ pacis, sed vulnus infligis & venenum serpentis.

124. *Simon de Cassia, De Passione Domini, Oper. Lib. 13. fol. m. 405. Edit. in fol. Colon. Anno* 1540. Judas osculatur, sed os & virtutem non sentit, & sibi divinum osculum horridum est, non suave. Indicibilis erat illius insuavitas mentis, quæ tantam Christi suavitatem animo abhorrebat. Nec mutabatur animus, cum funere ex anima intus mortuâ extra corpus ejus CHRISTI tangeret sanctum corpus. Advertant, qui CHRISTI corpus Sacramentaliter tangunt, & qui Sacramentis in corpore delibantur, cum & fidei & amoris desit integritas, cum Juda sortientur similem portionem. Non enim ex tactu sacrorum corporeo quispiam sanctificatur, nisi mentis manus palpans accedat. Osculum amoris est signum. Nam qui suaviat, videtur amare, quem palpat. Erit autem proditor si non amat, & falsum signum in designatione signati. Falsus testis non erit impunitus. Magnum amoris est testimonium, cum ad invicem duorum ora premuntur. Falsitas autem omnis secluditur à regno DEI, & ad regna Diaboli semper spectat, cum priore auto-

re falsitatis posterior auctor in æternum, nisi resipiscat arsurus. Osculum reconciliatorum est indicium, qui hactenus ad invicem discordabant, nunc verò cum illo discordia irrogatur, & sanguis funditur vinculo pacis. Irrogatur mors osculo vitæ, instrumentum virtutis impietatis arma imitatur. Sed eò sceleratior omnis malorum auctor, quo agendi modus nefandior, sed nullus quam ille, qui fit sub velamento virtutis.

125. *R. P. Andreas Mendo Lucronensis è Soc. Iesu, in Provincia Castellana Concionator Catholicor. Regum Philippi* 4. *& Caroli* 2. *in Quadragesima Conc.* 34. *pag.* 482. *Edit. Latin. Lugduni in 4to Anno* 1676. §. 3. Amicus fraudulentus est deterior inimicus, fictumq; blandimentum est crudelius odium. Quam frequens est id inter homines. Risus quidam simulati sunt venenatæ sagittæ. Verba quædam dulcia sunt inflammata jacula. Fidendum non est omnibus, qui se amicos ostentant, nam affectatæ voces tegunt periculosas inimicitias. Cum ergo Jesus inimicum cernit sub amicitiæ charæ velo simulatum, turbatus est, cum autem eum inspicit palam contrarium, non turbatur, quia eum non timet, nec enim adeo perniciosus est inimicus manifestus, ac amic9 simulatus. D. Cyrill. Alexandrinus lib. 9. in Johan. Verisimile mihi videtur non potuisse carnem Christi, motum quo jam expressius atq; manifestius discipulis proditionis odium offerebatur, ita sufferre, ut aliquantisper non *exhorruerit*. Ita horruit Christus noscens amicum apparentem & intrinsecum inimicum, quod secundum carnem non potuerit non turbationis signa exhibere. Ideò enim quando Judas, qui (osculum) id signum dederat asseclis ad Jesum apprehendendum, pacis osculo ad ipsum accessit, ipse Dominus dixit: Amice ad quid venisti? non inquit, inimice, discipule nequam, perfide hostis. Hæc quippe leviora sunt, quam amice false. Istud osculi blandimentum fuit ingentius odium. Hæc ficta amicitia crudelior. Nec Christus totum exponeret, si eum inimicum duntaxat nuncuparet; at rem totam aperuit, dum amicum simulatum vocavit; is namq; est nucleus & succus sævissimi inimici.

126. Judas est exemplar Judicis pretio corrupti. *Leo Sermone* 9.

ne 9. de Passione. Quæ germina & quales fructus de avaritiæ stirpe nascantur, quam meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definivit, quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus istius aviditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo pretio perire non metuit, nullumq; est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. H. I.

Hoc probat exemplum avarissimi cujusdam judicis in civitate Treverica Wesaliâ, ubi cum S. puerum Wernherum Martyrem comprehensum ac clanculum abductum Judæi horribiliter flagellarent, & incisis totius corporis venis cruentarent, aliisq; modis miserabiliter suspenso corpore excruciarent, prædictorum Judæorum ancilla, (quæ Christiana erat,) visâ nefariâ eorum in puerum crudelitate, maximo animi dolore impulsa, clam Judicem Wesaliensem accivit, atq; in locum, ubi pius puer tam immaniter tractabatur, introduxit, ad cujus inopinatum adventum obstupescentes Judæi, statim muneribus illum magnis aggressi sunt, feceruntq; ut sui oblitus officii ab æquitate ac justitia, per summum scelus se abduci pateretur. Puer autem viso judice, exultabundus ut potuit, sui liberationem postulabat, sed injustus judex victus amore pecuniæ, pueri preces neglexit; tum puer: Si tu mihi, inquit, opitulari non vis, opem mihi ferat benignus Deus, & sanctissima Mater ejus. Judice igitur donis muneribusq; corrupto abeunte, puer à Judæis interfectus est, Anno Domini 1287. uti refert *Adrianus Mærbecius Scalæ Purpureæ Gradu 1. Collatione 3. §. 9. pag. 282.* Laurentius Surius ad hunc annum. Proditio Christi per Judam facta, & prædicta à Sanctis Prophetis, typis quoq; quibusdam signata est.

127. *Nicolaus Hemmingius, Theologus Danus, Commentar. in Evangel. Iohann. cap. 13. col. 92. Edit. Basileens. in fol. Anno 1591. Psalm. 55.* David in Persona Christi sic Judam proditorem alloquitur: Tu verò homo collega meus, dux meus, & notus meus, qui simul inter nos dulce capiebamus consilium, in domo Dei ambulavimus simul. Scilicet locutus es contra me, & me prodidisti.

 128. *Et*

128. *Et Psalmo 41. Etiam homo pacis meæ in quo speravi &c.* Typus Judæ fuit proditor Davidis Doeg, Idumæus, pastor Saulis 1. Reg. 22. contra quem precatur David in Persona Christi, Psalmo 109. Osculum Judæ figuratum osculo Joabi 2. Reg. 20. significatum fuit facto Judæ, quod olim eventurum erat in Ecclesia. Ut enim Judas unus è numero Apostolorum in summo ordine & loco in Hierarchia Ecclesiæ constitutus, propter ambitionem & avaritiam defecit à Christo, & adjunxit se hostibus Christi: ita multi in Ecclesiâ in summum dignitatis gradum evecti omnibus temporibus inveniuntur, qui aut prorsus ad hostes Ecclesiæ deficiunt, aut colludunt cum adversariis, ut suæ ambitioni & avaritiæ satisfaciant. Quis est, qui non observat hujus proditionis exempla tristissima in Papatu? Multi Christum equidem osculantur, dum ipsius nomen prætendunt, sed ipsum sacrilegè produnt, vel corrumpunt. Hùc exempla omnium hæreticorum pertinent.

TITULUS X.

Judas significat corpus improborum hominum, uti Petrus Apostolus cœtum pium denotat, igitur hic relinquendus, ille autem sectandus est. Judam imitantur hæretici, quidam Clerici, Insidiatores, ingrati, veritatis proditores & Tyranni, imò mundus malignus. Judæ tamen defectio non minuit omnium sanctitatem.

129. *Augustinus in Iohann. Tract. 50. ad cap. 12. Iohann. p. 150.* Quod Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ, imò corpus Ecclesiæ sed in bonis notet. Si in Petri Persona significati sunt in Ecclesia boni, in Judæ Persona significati sunt in Ecclesia mali.

130. *Bernhardus Sermone 2. in Cœna Domini, col. 1715. Tom. 1. Oper.* Judam derelinquite desperantem, Petrum sequimini verè pœnitentem. Judam derelinquite desperantem in barathro inferni, Petrum sequimini qui est in gloria Paradisi.

131. *Atha-*

131. *Athanasius Oratione 1. contra Arianos. Tom. 1. Oper. p. 305. Edit. Paris. in fol. An. 1627.* Nos apostatis, iisq; qui conantur furias in domo Domini defigere, amictumq; sacrarum Literarum præ se ferunt, resistamus, mortem corporalem non expavescentes. Noluimus illis ut suffragatores assidere, sed potius illorum insectationem præoptavimus, quam Judæ mores imitari.

132. *Basilius Seleucienfis Orat. 32.* initio Eunomium & Arium cum Judâ componit. Christus, inquit, passione sua legis maledicto nos exsolvit. Arius verò & Eunomius par illud Diabolicum, cum Juda conjurati Christi, passionis telam texuerunt, cum pietatis intertextû, *p. m. 170. Edit. Paris. in fol. Anno 1621.* Sic novus Judas dictus est Nestorius in Synodo Oecumenicâ Ephesinâ, in literis quibus Nestorium damnat, quibus hunc præfixit titulum: Sancta Synodus juxta religiosissimum Christianorumq; Imperatorum nostrorum præscriptum, in Ephesiorum Metropoli per gratiam DEI coacta, Nestorio novo Judæ. Hoc nomine igitur intelligi potest homo extremæ malitiæ ac perfidiæ.

133. Videatur *Aloysius Novarinus Adagior. Sanct. Patrum 911. p. 311. S. Maximus homilia 2. de Domino accusato, Tom. 5. Bb. Pp. parte 1. p. 17.* Ipse se damnat hæreticus, cum de Ecclesiâ ipsâ se projicit, & de cœtu Sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit, quid mereatur à cunctis, qui suo judicio separatur à cunctis. Ipse, inquam, se damnat hæreticus, quia cum omnes criminosi Episcopi sententia projiciantur de Consortio Christiano, hæreticus cuncta præveniens, sententia suæ voluntatis abjicitur. Tali ergò hæreticus, quali & Judas pœna damnatur. Ut idem sui & reus sit sceleris, & Judex sit ultionis. Tali, inquam, hæreticus, quali & Judas pœnâ damnatur. Nec immeritò, quia Dominum, quem ille vendidit, blasphemat, quem ille persecutoribus tradidit, quotidie iste persequitur.

134. *Origenes Tractatu 35. in Matth.* Ego puto, quod omnes proditores veritatis, veritatem amare fingentes, osculo utuntur. Omnes enim hæretici sicut Judas Jesu dicunt: Ave Rabbi.

135. *Hiero-*

135. *Hieronymus Laurentius in Silva Allegoriarum, pag. 587. Edit. Colon in fol. Anno 1612.* Judas Ischarioth contradicens effusioni unguenti designat hæreticos negantes pœnitentiam, & ut tradidit Christum, designat hæreticos & Judæos. Ex Origenis homilia 29. in Matthæum.

136. Constantinum Imperatorem, qui Arianismum plantare laborabat, Sanctus *Hilarius libro contra ipsum ita, alloquitur*: Osculo Sacerdotes excipis, quo Christus est proditus; caput benedictioni submittis, ut fidem calces, convivio dignaris, ex quo Judas ad Proditionem egressus est.

137. *Bernhardus sermone 3. In Cœna Domini, T. I. Op. col. 1725.* Quanti Monachi in Monasterio S. Benedicti sunt, qui aliis lugentibus rident, aliis dolentibus gaudent! corpore claustrales, mente vagi & nunquam stabiles. Pigri ad lectionem, tardi ad orationem, in Ecclesia dormientes, in refectorio vigilantes. De vigiliis longis dolentes, sed de longo convivio gaudentes, Christum execrantes, auditorium diligentes. Extra chorum pro infirmitate frequentiùs remanentes, infirmitorium non pro infirmitate carnis, sed pro desiderio carnis torvis luminibus adspicientes, semper murmurosi & detractores. Quid aliud isti miseri agunt, nisi quod panem intinctum comedunt? Profectò isti tales Judam proditorem sequuntur, & cum Judâ, nisi resipuerint, videant, ne damnentur.

138. *Petrus Blesensis Tom. 12. Bb. Pp. parte 2. pag. 903. sermone 42. in synodo.* Sacerdotes indignè munere suo utentes, orationem incipimus: Aufer à nobis iniquitates; & altari osculum infigimus. Nonne Christus è contra potest stare & dicere: Juda, tradis osculo filium hominis?

139. *Oranus de Apostasia Judæ conc. 6. pag. 65.* Similes sunt Judæ illi Sacerdotes & Clerici, qui antequam aliquod beneficium possideant, dicunt: O si ego parvum beneficium haberem, quam ego felix essem, quàm bene me gererem, pauperibus benefacerem! Tum verò habitô beneficiô: O si ego præbendam haberem! Tandem & beneficio & præbenda habita, nec dant pauperibus,

peribus, nec benè vivunt, sed vel luxui vacant, vel avaritiæ, vel divitiis inhiant pro parentibus accumulandis, tandem ruunt in Simoniam cum Juda, quia res sacras divendunt, distrahunt, atq; velant superficietenus, quod apud Deum detectum est, intuitu cujusdam pensionis.

140. *Origenes Tractatu 35. in Matthæum 176. Tom. 2. Oper.* Tales (Judæ) in Ecclesia sunt omnes qui insidiantur fratribus, cum quibus ad eandem mensam corporis Christi, & ad eundem potum sanguinis ejus frequentes simul fuerunt. Qui præsentem amicum laudat, absentem conviciis rodit, osculum adhibet.

141. *Bernhardus sermone 2. de S. Andrea.* Quod si adulator, si quasi consulentis animo venenum propinat, fraternæ detractionis & odium seminare conatur, à dextris est mihi iste, sed Judas est, osculo me prodit. H. I. Similiter qui propter pecuniam lucrandam aliquem in magna pericula conjicit, Judas vocatur.

142. *Hieronymus Epistola 101.* de aliquo qui epistolam ex scriniis surripuerat, loquens ait: Compilatis chartis ejus & sumtibus Judas factus est proditor, deditq; adversariis latrandi contra me occasionem. Judæ & Judæis par est, qui Deum benefactorem inter beneficia non cognoscit, ipsiq; debitas gratias persolvit.

143. *Ambrosius in Psalm. 39.* Ad istorum (Judæorum) omnium perpetuam condemnationem latro crucifixus absolvitur, quia ille Christum in suppliciis agnovit suis, quem isti in beneficiis non agnoverunt, quia in cruce sua regnum Domini mente conspexit, quod in convivio Christi Júdas videre non potuit, nempe quia noluit. Viperæ similis est, qui cœlestibus beneficiis nutritus, in benefactorem suum virus exspuit.

144. Ingratum lepidè Gabrias his verbis apud *Novarinum Elector. lib. 5. cap. 29. pag. 105.* depingit: Sinu fovebat quidam agricola viperam gelu rigentem, at hæc calorem ut senserat, ferit fo ventem, moxq; perirnit vulnere. Ingrati ad hunc benè meritos tractant modum. Aspis revera fuit Judas, qui Eucharistiæ pastus Sacramento, ut benefactoris calorem sensit, statim virus evomuit, egressus foras Christum vendidit & carnificibus tradidit occiden-

 dum.

dum. Similes illi sunt, qui post sacri altaris epulas, in Christum ejusq; membra insurgunt.

145. *Augustinus in Psalm.* 108. *Enarrat. Tom.* 8. *Oper. p.* 516. Judas personam sustinet quodammodo inimicorum Christi, Judæorum, qui & tunc oderant Christum, & nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis oderunt.

146. *Christianus Druthmarus Grammaticus, Expositione in Matthæum, T.* 9. *Bb. Pp. p.* 1. *p.* 933. Judæ similis quicunq; Christianus veritatem celat pro munere, vel membrum Christi propter munera injuste opprimit. Similis Judæ est, quia ipse dixit: ego sum veritas, quod uni ex minimis meis fratribus fecistis, mihi fecistis. Similis & ille, qui concordiam fraternæ pacis dissipat, quia Deus charitas est.

147. *Bonaventura in cap.* 3. *Iohannis, Tom.* 3. *Oper. p.* 420. Multi damnant Judam proditorem, & tamen ipsi sunt proditores veritatis, quæ est filius Dei. Unde *Ambrosius sermone* 44. *de Temp. T.* 5. Quod fecerunt tunc Judæi persequentes, hoc nunc faciunt Christiani malè viventes, scilicet Christum lapidare & occidere. Quia quid est Christus? veritas, pax, Justitia. Qui ergò pro falsitate relinquunt veritatem, qui pro temporali pretio relinquunt justitiam, qui oderunt veritatem, Christum occidunt. *Hæc ille.* Rursum Christum crucifigentes. Undè de talibus conversum est retrorsum Judicium. Justitia longe stetit, corruit veritas in plateis. Et hoc quia ingressus est in eos Satanas. De quolibet enim talium verificatur illud Jobi 37. Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur. Quod exponit ibi *Gregorius* de ingressu Diaboli in animam peccatricem. Et hoc faciunt tales qui habent loculos, scilicet absconditos & profundos & inexplebiles affectus avaritiæ: Quæ quidem avaritia sive cupiditas est radix omnium malorum. Unde *Chrysostomus*: neq; imitemur Judam per avaritiam. Non tradis Christum? sed cum despicis inopem fame tabescentem aut frigore corruptum, eandem & ipse trahis cruciationem. Et cum indignè participemus mysterio, similiter perimus, cum Christum occidentibus. Hæc, id est, avaritia-

ritia Giesi leprosum pro discipulo fecit. Hæc Ananiam perdidit. Hæc Judam proditorem operata est. Hæc Judæorum principes corrupit dona accipientes.

148. *Oranus Concione* 14. Judam referebat Nero, quia tacitus animi sui conceptus detestandos occultabat. - De Nerone enim fertur, quod dum odium dissimulabat, dum benevolentiam fingebat, sævitiam suam ferè in præclarissimum quemq; tum civem, tum Senatorem exercebat. *Pontanus libro 1. de Magnanimitate cap.* 8. Nihilo hoc melior erat Domitianus Imperator Romanus, qui nunquam quemquam verè & ex animo dilexit, præter paucas mulieres. Eum se diligere simulabat semper, quem maximè interfectum cupiebat. Simulabat etiam se fratrem (quem tamen clam cum patre summo odio prosequebatur) maximè amare ac lugere, laudabatq; non sine lacrimis, cùm tamen omnia contra quem vellet, præ se ferret, teste *Xiphilino in ejus vitâ.*

149. Verbum נשק & de osculo dicitur & de armis, ut refert etiam *Oleaster in Exodi cap.* 18. Hinc Psalmo 78. Filii Ephrem noseche, id est, armati jacētes arcu: scilicet docet hæc sub eodem verbo diversa notio in mundi blandientis, in hominis adulantis osculis arma timenda, cavendos dolos esse, petunt sæpè jugulum ad necem, qui petunt exhibentq; osculum in amicitiæ signum.

150. *Novarinus Elect. lib. c ex Petro Blesense.* Mundus osculo proditorio se vendidit, & cum de fallaci osculo alliceret, Angelis Satanæ dicebat: quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Similis quoq; Judæ erat prima Synagoga, quæ Christi sui caput abscidit.

151. *Petrus Chrysologus Tom. 5. Bb. Pp parte 2. sermone* 137. *pag.* 762. Vipera conceptus sui tempore intra os suum receptum caput conjugis refertur abscindere, ut per cruenta oscula, non fœtū concipiat illa, sed crimen. *Deinde ad Synagogam rem flectens pergit:* Synagogam fratres, ejusq; filios tales fuisse demonstrant, ad quam Christus affectu conjugis cùm venisset, dicente Johanne: Qui sponsam habet, sponsus est: inter amplexus & osculamenta Judæ, Christi caput est expetitū & ore petitum, cum dicitur: crucifige, crucifige.

152. *Cyprianus de unitate Ecclesiæ, Tom. 2. Operum, pag. 259. Edit. Parif. in fol. Anno 1607.* Et Judam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Judas poſtmodum prodidit. Non tamen idcirco Apoſtolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum ſocietate defecit: Sic & hic non ſtatim confeſſorum ſanctitas & dignitas comminuta eſt, quia quorundam fides fracta eſt.

153. *Auguſtinus Libro 2. contra Creſconium.* Sicut nec Judas ab impio Juda altero quidquam mali contraxit, quoniam ejus malis operibus non adhæſit, etſi per triennium nocte dieq; converſatus ſit; ita malorum commixtio non terreat bonos, ut propterea velint ab Eccleſia reſcindi.

TITULUS XI.

JUdas nimis ſerò ſapiens, cum videret Chriſtum occidendum, argenteos Pontificibus refudit, & cum à nemine condemnaretur, ſe ipſum condemnavit, ac quia ritè orare non potuit, pœnitentia ejus infructuoſa fuit.

154. *Theophylactus in Matth. Comment. cap. 27. p. m. 170. Edit. Pariſ. in fol. Anno 1631.* Quidam dicunt quod Judas cùm avarus eſſet, ſperabat proditione Chriſti multum lucri, & Chriſtum non occiſum iri, ſed evaſurum, ſicut ſæpiùs & antea: cùm autem tunc vidiſſet condemnatum ut moreretur, pœnitentiâ rei ductus eſt, quod alium quàm opinabatur exitum, res ſortiretur. Tardè ſapere incipit, & pœnitet quidem, non autem rectè. Nam ſuum pœnitere bonum erat, ſuffocari autem Diabolicum. Proinde non ferens ignominias ſubſecuturas, ſe ipſum è vita ſubduxit. Oportebat lacrymari, & ſibi reconciliare eum qui proditus fuerat.

155. *Auguſtinus ſermone 114. de Temp. In Appendice, p. 675.* Quod autem triginta argenteos Judas venditor profanus refudit, indicabat, Nil ſibi pretium Chriſti profuturum, ſed ſalutis beneficium ſcelere ſuó aliis conferendum.

156. Hiero-

156. *Hieronymus in cap. Matthæi 27.* Videns Judas Dominum adjudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in sua potestate esset persecutorum mutare sententiam. Itaq; licet mutaverit voluntatem suam, tamen voluntatis primæ exitum non mutavit. Nihil profuit ei sera pœnitentia, per quam scelus corrigere non potuit.

157. *S. Maximus Taurinensis homilia 2. de damnato Domino, Tom. 5. Bb. Pp. parte 1. pag. 17.* Domini traditorem non invenio à judice esse damnatum, non enim eum damnat Pilatus, non damnat populus, sed quod est gravius, seipse condemnat, & cessante justitia judicatur; quem enim alter judicat, potest utcunq; esse excusabilis, reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ judicio condemnatur; quem alter judicat, potest quandoq; à suo judice sperare indulgentiam, qui se ipse judicat, à quo indulgentiam postulabit? Referens enim Judas Domini sanguinis pretium, ait Judæis, peccavi, quod tradiderim sanguinem innocentem. Magnum igitur Dominicæ innocentiæ testimonium est, dum accusator ejus & confitetur de scelere, & reus est de mercede. Dum enim miser refudit venditionis pretium, putat se facinoris sui solvere posse contractum, sed reus iste absolvitur. Dum enim auctor venditionis suæ reus est, constat eos sceleratum cum sacrilego inivisse contractum, suâ ergò sententiâ Judas proditor condemnatur. Mirum forte sit vobis, quod non eum populus judicaverit, non Præses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse judicium, ut impietatem suam ipse, dum recordatur, & puniat scelus suum, dum recognoscit, & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia sua sententia condemnatur. *Idem homilia de Iuda ibidem p. 18.* Post redditum pretium laqueo se suspendit, ut qui se multaverat pecuniâ, multaret & vitâ. Intelligens enim quantum scelus admiserit, non suffecit ei sacrilegii mercede carere, nisi careret & salute. Dignum enim se morte judicavit, quod Christum vitam omnium tradidisset. Severissimus igitur Judex sui Judas, vel ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo.

158. *Ambrosius Commentar. libro 10. in Lucam, cap. 22. T. 3. Oper. col. 270.* Non habebat proditor fletus, quibus culpam ablueret, sed tormenta conscientiæ, quibus sacrilegium fateretur, quando projectis argenteis abiens laqueo se suspendit, ut dum suo reus judicio damnatur, & spontaneo supplicio facinus expiatur, pietas Domini, qui se ipse nollet ulcisci, & divinitas probaretur, qui conscientiam mentis invisibili potestate interrogaret.

159. *Serm. 51. Tom. 5. Oper. col. 848.* Judas propriâ sententia condemnatus ad Pharisæos Dominici mercedem sanguinis reportavit, & actus pœnitentiâ refudit venditionis pretium, sed conscientiæ suæ non resolvit sceleris. Deniq; post redditum pretium laqueo se suspendit, ut qui se mulctaverat pecuniâ, mulctaret & vitâ &c. *Confer Tom. 2. col. 1417. Serm. 2. in cap. 13. Danielis. Ammonii Alexandrini harmoniam 4. Evangelior. Tom. 3. Bb. Pp. pag. 29.*

160. *Druthmarus in Matth. 27. cap.* Judas cùm vidit impleri, quæ Dominus dixerat de se ipso, videlicet: tradetur gentibus: certus factus est reliqua secutura, id est, occident eum, & die tertiâ resurget: & non ferens verecundiam suam, laqueo sibi vitam extorsit, ac cœli terræq; perosus in aëre periit.

Oratio commodè & eleganter à Patribus cum portu comparatur. Sicut enim nauta prævidens tempestatem festinat sæpiùs ingredi portum securum; ita religiosus ad orationis portum continuè confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat, teste *Bonaventura in Tractatu de sex alis Seraphim cap. 8. Tom. 7. Oper. pag. 101. Edit. Rom. in fol. An. 1596. Et B. Laurentio Iustiniano de casto connubio verbi & animæ cap. 22. p. 301. Edit. Basil. in fol. An. 1560.* Non autem propriis debet homo inniti viribus, nec totaliter destitui. Agat, quidquid valeat ex se, totis animæ lacertis, manum porrigat ad se erigentem DEUM, non ore, non animo, non desideriis desinat suum invocare adjutorem, & tanquam navis inter undas seculi velitans, frequẽter in orationis ingrediatur portum, quatenus si quid ex humana deperditum est conversatione,

tione, si quid ex tentatione concussum impulsu, aut vetusta vitâ dissipatum, restaurare queat. Hic autem portus defuit Judæ, cùm ejus Oratio, uti prædixerat David Psalmo 108. in peccatum illi facta fuerit.

161. *Chrysostomus in hunc Psalmum ad Propheta adducta verba:* Neq; id quidem sistit, dicens, cum judicatus exeat condemnatus: Diabolus stet à dextris ejus: sed etiam solum qui erat ei relictus, portum obstruit, rogans: ut ne DEI quidem assequatur clementiam, dum dicit, Et oratio ejus fiat in peccatum.

162. *Augustinus in Psalm.* 108. *Enarrat. Tom.* 8. *Oper. pag.* 517. Antequam Dominum Judas traderet, poterat orare per Christum, & cum de illo tradendo cogitaret. Nam postea quam illum tradidit, eumq; pœnituit, si per Christum oraret, indulgentiam rogaret, si indulgentiam rogaret, spem haberet, si spem haberet, non sibi desperatione collum ligaret.

163. *Ambrosius Annotat. in Levitici cap.* 10. *Tom.* 1. *Op. col.* 573. Judas ad remedium pervenire non potuit, cum diceret: *Peccavi, quod tradiderim sanguinem justum*; quia alienum ignem volvebat in pectore, qui eum inflammavit ad laqueum. Indignus enim remedio fuit, quia non intimo mentis conversus ingemuit, nec sedulò gessit pœnitentiam. Tantæ enim pietatis est Dominus JESUS, ut & ipsi donaret veniam, si Christi exspectasset misericordiam. *Confer Tom.* 4. *Col.* 372. *& Tom.* 3. *Col.* 270.

164. *S. Ignatius ad Philippenses Epist.* 8. *Tom.* 1. *Bb. Pp.* Cum paranda esset crux, tumultuabatur (Satan) & pœnitentiam immisit proditori, & laqueum illi commonstravit, & suspendium in quo strangulabatur, edocuit.

165. *Elias Cretensis in Nazianzeni Orat.* 3. *pag.* 215. *Edit. Paris. in fol. Anno* 1611. Animadverte autem, quòd non rectè atque commodè pœnitentia hæc facta sit, ac proinde nec ipsi quidquam utilitatis attulerit. Nam quod seipsum accusârit, ac pecuniam abjecerit, nec judaicum populum veritus sit, hæc quidem

quidem omnia laude atq; commendatione digna sunt, quod autem laqueo sibi vitam eripuerit, hoc rursum veniâ omni caret, ac pestiferi dæmonis opus est. Ipse enim eum ante actam pœnitentiam è vita eduxit, ne quid inde fructûs caperet, atq; ut turpissima morte interiret. Nam qui Christi tribunal meruit, memoriaq; jam inde ab ineunte ætate illud usurpat, is profectò non eò audaciæ proruet, ut judicium per contemtum adurgeat: quin potius longius etiam vitæ spatium sibi ipsi requiret, ut in diuturniori tempore animum suum à peccatorum spurcitie abstergere queat.

166. *Leo Serm.1. de Passione Domini.* Remedium remissionis peccatorum, Judas non transiisset, si ad eam pœnitentiam confugisset, quæ eum revocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum. Dicendo enim, peccavi tradens sanguinem justum, in impietatis tuæ perfidia perstitisti, quia Jesum non Deum Dei filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti, cujus flexisses misericordiam, si ejus non negasses omnipotentiam.

167. *IdemSermon.5.* Consummato scelere tam perversa impii fuit conversio, ut etiam pœnitendo peccaret. *Origenes.* Si enim postquam retulit pecuniam, & confessus est, se peccâsse, non abiens laqueo se suspendisset, sed locum pœnitentiæ requisisset, & tempus pœnitentiæ observasset: forsitan invenisset eum, qui dixit, Vivo quoniam nolo mortem peccatoris, sed pœnitentiam ejus.

168. *Et Serm.2.* Prius in desperationem transiit, quam Christus Sacramentum generalis redemtionis impleret. Nam pro omnibus mortuo impiis Domino, potuisset etiam hic consequi remedium, si non festinâsset ad laqueum. Maligno cordi nunc furtis fraudium dedito, nunc parricidalibus commerciis occupato, nihil unquam documentorum misericordiæ Salvatoris insederat. Insurrexit in semetipsum judicio pœnitentis, sed furore pereuntis, ut qui vitæ autorem interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suæ etiam moriendo peccaret.

169. *Bern-*

169. *Bernhardus in sententiis* Tom. I. Oper. col. 650. Edit. Paris. An. 1586. in fol. Judæ pœnitentiam desperatam & crudelem appellat. Confer ejusdem Serm. 16. super Canticum. T. I. Oper. Col. 788. Chrysostomum homilia 80. ad Populum Antiochenum. T. 5. Op. p. 321.

170. *Paschasius apud Escobar. de Mendoza libro 6. Passion. Sect. 1. cap. 1. pag.* 380. Pœnitentia (Judas) ductus retulit triginta argenteos. Nec tamen ita pœnitentiæ modum tenere potuit, quin mox laqueo se suspendit. Particulam illam mox adverte. Non dubium quin semper divinæ misericordiæ fontes pateant pœnitenti, sed est, quandò specialissimè pœnitenti misericordiæ jubar effulgeat. Quam prudens proditor accederet ad suffixionem Domini, quando sacratissimus sanguis effervescens vel latronis maculas eluebat.

171. *Leo sermone 3. de Passione:* Expectâsses, inquit, Juda, donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses. Sanguis Dominicus te à præcipitio tuo revocâsset.

172. *Fulgentius ad Venantiam Epist. 6.* Judas qui Christum tradidit, peccati sui pœnitentiam gessit, sed salutem perdidit, quia indulgentiam non speravit. Salubris autem conversio duplici ratione consistit: Si nec pœnitentia sperantem; nec spes deserat pœnitentem: ac per hoc, si ex toto corde quispiam renunciet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo.

173. *Judas egit pœnitentiam non, tamen cum fructu.* Agnoverat Judas peccatum suum, peccati pœnitentia ductus templum adiit, non privatim modò in secretas vel Dei, vel hominis, vel obscuri alicujus Sacerdotis aures peccatum illud seposuit, sed publicitus etiam, in facie Sacerdotii Principum, & populi Seniorum, errorem, cum ingenti dolore de facta justo atq; innocenti sanguini injuria, confessus est; ad hæc sanguinarium in triginta argenteis pretium attulit, eoq;, cum rescissuro contractum impium assentiri nollent sceleris consortes, in templum projecto, quantum, & quo modo potuit maximè arduo, quippe cum infamia sua

conjuncto, restituit ad numum, quæ illicitè acceptarat. Tunc VIDENS Judas, ait Matthæus c. 27. v. 3. qui eum tradidit, quod (proditione suâ mediante) damnatus esset, POENITENTIA DUCTUS retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: PECCAVI tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis RECESSIT, putà, à maligna Societate, & occasione, in quibus & cum quibus in crimen prolapsus fuerat. En Pœnitentiam agnitione, confessione, dolore, restitutione, occasionum relabendi fugâ, ac criminis detestatione prorsus insignem, nihil tamen fructuosam ad Salutem tantopere Pœnitentis! Quid, quæso, defuit ad fructum? quo, ut hic innasceretur Pœnitentiæ, aut ex Pœnitentia efflorescerer, opus erat? Alio certè nullo, nisi ut Pœnitens spem & mente conciperet, & oratione, cujus tanta erat in templo opportunitas, probatam proderet, itaq; remissionem exosi flagitii & se accepturum confideret, & speratam flagitaret. Oratio, oratio, inquam, defuit ad DEUM, (cùm plùs, quàm necessarium, prolixam ad homines habuisset,) quæ spe animata & armata, veniæ desperationem vel non admitteret cor aggredientem, vel viscera ingressam animo arceret, susciperetq; paratam omnibus misereri benignissimi Servatoris indulgentiam. At enim, quia desperationi succubuit, à templo absq; Numinis deprecatione recessit; infelicem animam, etiam per medium rupti pectoris ostium inter viscerum ejectam colluviem apertâ nimium secretorum propalatione in fauces tartari protrusit. Matth. 27. v. 5. Et ABIENS laqueo se suspendit. Act. 1. v. 18. Et suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.

174. Restitutio est actus pœnitentiæ necessarius, quippe sine quo omnis pœnitendi labor irritus, ipsaq; prætensa pœnitentia nulla est. Hoc usq; adeo compertum est apud omnes, ut jam sacri axiomatis, imò regulæ & canonis loco habeatur in scholis, tum apud Sacrorum Canonum, tum apud ejus Theologiæ peritos, quam à differendis & dirigendis moribus moralem nuncupamus, vulgatum illud. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

ablatum. Accepta ſunt hæc verba ex ſcriptis ſanctiſſimi pariter & doctiſſimi Patris Auguſtini ad Macedonium ita ſcribentis plenius pro aſſerto noſtro: Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur: Si autem veraciter agitur pœnitentia, NON REMITTITUR PECCATUM, NISI RESTITUATUR ABLATUM &c.

Neceſſarius itaq; actus hic eſt adeò, ut qui eum habet ſolum, ſi cætera ad pœnitentiam requiſita deſint, non majorem mereatur laudem, quam Judas Iſcariotes, qui in hoc quidem laudabilis, quod hunc actum egerit, non tamen plenè laudandus, de quo S. Chryſoſtomus ait: Condemnavit ſe ipſum, & argenteos projecit: omnia hæc laudabilia ſunt. Et Evangelica quidem aſſerunt: hæc eum egiſſe pœnitentiâ duce, puta inchoatâ, quoad partem neceſſarium operans, ſine quo nihil. Pœnitentia ductus, inquit Matthæus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum. Nempe ſceleſtiſſimo huic hoc axioma inhæſerat: Reſtituenda ablata illis, à quibus injuſtè accepta, aut certe illi loco, unde accepta ſunt, qualis erat Corbona, quam S. Hieronymus gazophylacium templi, ubi aſſervabantur oblata Deo, Joſephus vero ſacrum theſaurum fuiſſe, adſtruunt. Inde nimirum ſcelerati Sacerdotes triginta argenteos ſumpſerant, ut ſentit S. Cyrillus ſcribens: Principes pecuniâ ſacrâ proditorem conduxerunt &c. Hinc eorum diſceptatio, quo ponenda hæc pecunia foret, aliis forte opinantibus reponendam ſuo loco, aliis, quorum ſententia prævaluit, negantibus ſemel in pretium proditionis impenſum poſſe in ſacra dona referri, colligentes fortaſſis id ex lege illa, quæ mercedem à proſtibulo ſeu meretrice acceptam offerri Domino vetat: hinc illi acceptis argenteis ex templi pavimento, quos ex manibus proditoris recipere noluerant, dixerunt. Non licet eos mittere in Corbonam: quia pretium ſanguinis eſt.

Hinc author Hiſtoriæ Scholaſticæ hæc verba interpretatus, mittere, inquit, intellige remittere (quod nos dicimus reſtituere) in Corbonam, quia inde tulerunt argenteos. Laudabilis itaq; in

Judæ restitutio, qua pretium proditionis in templum rejecit, unde sacrilegè fuerat accepta. Sed eatenus tantum laudabilis, quatenus damnosum erat ipsi pœnitenti futurum, & vituperio, si injustus rei sacræ possessor illud retinuisset. Laudem negativam vocant Scholæ, quam tamen emereri necessario actu debet pœnitens, aliàs frustra remissionem criminis vel expectaturus vel flagitaturus, *Id. dissertat.* 13. *p.* 298. *seqq.*

175. *Matthias Schuffenhauer, S. I. Cadanensis Bohemus in Exemplari Pænitentiæ, Dissertat.* 6. *num.* 11. *pag.* 106. 170. *Edit. Prag. in 4to* 1678. Hic autem non præter rem quæri poterit, cur Judæi triginta argenteis, quos reddidit Judas Ischariotes, emerint agrum figuli in sepulturam peregrinorum? Quia cùm essent pretiũ sanguinis, eos in Corbona, vel gazophylacio inter dona Dei recondi nefas erat Principibus & Sacerdotibus; inito propterea ab iis consilio statuerunt, ut emeretur illis ager figuli, quo peregrini, qui in urbe è vita discedebant, sepulchro carentes, in illo sepelirentur. Sub velo nempe typi, significatur, pretium sanguinis Christi, non Judæis indigenis sed peregrinis, id est gentibus in eum credituris, profuturum esse.

176. Optimè *Aloysius Novarinus in Matth. cap.* 27. Fraudulenter Principes Sacerdotum cogitaverant, & decreverant illius pecuniæ summam in vilissimæ & abjectissimæ rei usum expendere, in sepulturam scilicet militum aliorumq; pauperum, & ignobilium gentilium, atq; hac ratione Christi memoriam ad necem empti, & suam ipsorum impietatem emptione sepulturæ sepelire. Sed aliter Dei providentiâ factum, ager quippe ille emptus, æternum monumentum factus est sceleris ipsorum. Si in Corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset; nunc verò prædio empto ad posteros rem universam vel aliud cogitantes transmiserunt, ut hinc cogitaremus, ægrè celari Sacerdotum & Principum scelera posse. H. I.

177. Mirum autem est, quod de hoc agro scribunt *Brocardus, Nicephorus, Bredembachius, Saligniacus,* & ex iis *Adrichomius in descriptione Hierusalem, n.* 216. *pag.* 173. Cum Jussu Imperatricis

tricis Helenæ, de hoc agro, quantum terræ plures naves capere poterant, Romam avectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ campum sanctum vocitant, licet cœlum mutarit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: Quorum etiam hic omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantum residuis.

TITULUS XII.

Diabolus Judam pereuntem ad laqueum avaritiæ deduxit, quo sibi collum frangens crimen suum potiùs auxit, quam expiavit. Quod turpe mortis genus flagitio ejus competit. Tempus autem quo id factum, præcisè non determinatur.

178. Vide ut Judas de peccato in peccatum se præcipitet: Fur antea, dehinc proditor: Postremò ipse sui indignus ultor. *Hilarius in Psalmum 139.*

Diabolus Judam ad laqueum duxit, ne si longiùs supervivens audiensq; pro crucifixoribus Christum in cruce orare, latroniq; paradisum promittere, ad pœnitentiam converteretur.

179. *Chrysostomus homilia 10. de Pœnitentia.* Persecutus est Diabolus Judam quoad ad laqueũ duxit, atq; è præsenti duxit vita, pœnitentiæ proposito privavit, quoniam si vixisset, & ipse fortè salvatus foret, argumentum ex crucifixoribus sumitur. Laqueo se suspendit.

180. Non novus hic Judæ laqueus, jam diu illi collum porrexerat: ait *Drogo de Sacram. Dominicæ passionis Tom. 12. Bb. Pp. pag. 485.* quod à Christo discesserat, & avaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.

181. *Hieronymus Baptista de la Nuza, Tract. Evangel. 2. parte 3. §. 12. pag. 573.* Inter omnia venena quæ animam inficiunt, avaritia venenum insanabilius est, & minus admittit curationem. Fortis laqueus iste, ad quem qui incidit, etiamsi sit Apostolus ele-

ctus à Christo, potestate ejiciendi dæmones donatus, particeps corporis & sanguinis illius effectus, ab ipsomet sacerdos ordinatus, non evadet, ut videre est in Juda, qui hoc laqueo tentus remansit captivus ad ipsius Diaboli voluntatem, ut quid ille suggesserit, fecerit, etiam cum ad vendendũ ipsummet Dei filium inimicis suis incitavit, & tandem laqueo se suspẽdit, & suspensus crepuit medius. Laqueo enim compressus periit, qui in Diaboli laqueum inciderat.

182. *Nazianzenus in Christo patiente p. m. 1145. Edit. Paris. in fol. Anno 1588.* Sub Persona Nuncii de Judæ fine canit:

Tu certe (Juda) ut æquum est, jam malè malus occides,
Primumq; laqueo in nexili pendens, rues,
Imas in umbras manium, saltu incito,
Mœrore confectus gravi, ut qui innoxium
Prodideris argento, ibi voracis te impetus
Sorbebit ignis, quando pœnam vindicem
Effugere non vis, te manent hæc omnia.
- - - - - - - - pensilem contra implices
Laqueum, viam omnem vocis ut tibi obstruas.

183. *Iuvencus Presbyter libro 4. Historiæ Evangelicæ Tom. 4. Bib. Pp. p. m. 21.*

Proditor at Judas postquam se talia cernit
Accepto sceleris pretio signâsse furentem,
Infelix ægris damnans sua gesta querelis
Argentum, & culpans sacram projecit in ædem,
Exorsusq; suas laqueo sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

184. *Arator Diaconus libro 1. Apostolicæ Historiæ de eadem mortis forma hæc reliquit:*

Sic venerandus ait: nostris, quia proditor amens
Mercedem sceleris solvit sibi, tædia noxæ
Horruit ipse suæ, stringens in gutture vocem,
Exemplo cessante reum, qui parte necari

Pro-

Promeruit, qua culpa fuit, crimenq; retractans
Indicio tali permisit membra furori.
Aeris in medio, communi ut proterat hosti
Debita pœna locum, cœlum terramq; perosus
Inter utrumq; perit, nullis condenda sepulcris
Viscera rupta cadunt, tenuesq; elapsus in auras
Fugit ab orbe cinis. - - - - - -

185. *Nazianzenus l. d. p.* 1156.
Sententiam jam passus est æquissimè
Injustus idem discipulus atq; impius,
Qui prodidit Dominum suum, modo pensili
Pendere visus fune, mox ex ipso eo
In terram ab alto lapsus, illiq; incubans.
Nam cùm malum illi instaret, infelix tamen
Non novit: æqua lege sic sententia
Est lata, felix justa cessit ultio.

186. *Augustinus Tomo* 10. *Serm.* 121. *de Tempore, p.* 678. Abiit ergò Judas & laqueo se suspendit. Vide Juda sententiam divinæ Majestatis, quæ te punire noluit manibus alienis. Pendes in laqueo, & argentum jacet in templo. Nullus gratulatur de tali commercio, quia sacrilegum pronunciat pretium. Non licet mitti in Corbonam, quoniam pretium sanguinis est. Ecce Judæorum improbitas condemnat admissum, & non condemnat sacrilegium. Si tollere non licet pretium, cur implere festinas homicidium? aut pretium innocentis sanguinis in Corbonam non licebat mittere, ipsum innocentem licebat occidere?

187. *Idem libro* 1. *de Civitate Dei cap.* 18. Tom. 5. Oper. p. 11. Judæ factum meritò detestamur, eumq; veritas júdicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius quam expiâsse commissum, quoniam DEI misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit; quantò magis à sua nece se abstinere debet, qui tali supplicio, quod in se puniat, non habet? Judas enim cum occidit, sceleratum hominem occidit, & tamen non solum Christi,

verum

verum etiam suæ mortis reus finivit hanc vitam, quia licet propter suum scelus, alio scelere suo occisus est. Dum se laqueo perimit, scelus scelere cumulat, in filium filii proditione peccaverat, nunc de divina misericordia diffidens, in Spiritum S. peccat.

189. *Leo Sermone 3. de Passione:* Scelestior omnibus Judas & infelicior existit, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.

190. Beda. Dignam sibi pœnam invenit, ut guttur, per quod vox proditionis exiverat, laquei nodus necaret. Subjicit: Et qui hominum Angelorumq; Dominum morti tradiderat, cœlo terræq; perosus aëris in medio periret. Et viscera quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent.

191. *Hilarius Pictaviensis Comment. in Matth. cap. 32. pag. 325.* Secedens itaq; suspendit se damnato Christo. Ita mortis Judæ tempus comparatum est, ut sub passione Domini commotis infernis supernisq; omnibus & revulsis, & in oblivionem officii sui universorum elementorum procuratione stupefacta, nec inter mortuos visitaretur; nec inter vivos post resurrectionem haberet pœnitentiæ facultatem.

192. *Justinus Martyr quæst. ad Orthodoxos 23.* de tempore quando Judas perierit: Si, inquit, ante passionem quidem Dominus precatus est, ut sanctificarentur à Patre discipuli, postea autem Judas periit, quomodo quæ pro eis oblata est precatio, accepta videtur? quomodo etiam verum esse ostenditur illud. Scio quod semper audis me? Respondetur, Judæ perditio est facta, postquam Christus sumtam & intinctam offulam accepit, atq; in eum ingressus est Sathanas, ipseq; Judas egressus se à reliquis abrupit discipulis. Oratio autem pro discipulis post discessum Judæ habita est. Id ex ipsa ostenditur ratione cum orans Dominus dixit: Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius ille perditus, ut scriptura completetur. Itaq; primum perditio facta est, deinde pro discipulis oratio, postea passio Salvatoris. Judas si ante mortem Christi suspensus, quando Judas pretium Pharisæis retulit?

193. *An-*

193. *Augustinus quæstione ex Novo Testamento nonagesima quarta Tom. 5. Oper. pag. 446.* Tradito Salvatore & illucescente Parasceve, omnes principes Sacerdotum, & Scribæ & Seniores convenerunt in domum Caiphæ Pontificis, quo perducendum sciebant esse Jesum, ut audirent eum. Hoc Matthæus & Marcus Evangelistæ testantur, & nullum ex his ante perfectum impium opus à domo Præsidis abscessisse, quippe cum omnis instantia eorum, & devotio ad agendum pascha mors esset Salvatoris. Occupatis ergò eis ad necem Domini à mane usq; ad horam nonam, quomodo Judas retulisse eis pretium sanguinis quod acceperat, ante crucem Domini probatur, & dixisse illis in templo: peccavi, quod tradiderim sanguinem justum: cum constet utiq; omnes Principes & Seniores ante passionem Domini non fuisse in templo, quippe cum etiam in cruce posito insultarent ei. Non enim inde potest probari, quia ante passionem relatum est, cum sint multa, quæ cum ante facta probentur, novissima ordinantur, & iterum quando locus admittit, ut quod factum est, ante ponatur. Nam manifestum est utiq; quinquagesimum Psalmum anteriorem esse quā tertium. Sic ergò aliquando evenit, ut anticipentur, quæ posteriora sunt. Unde & factū Mariæ quæ post resurrectionem fratris sui Lazari, ante sex dies Paschæ in cœna unguento pedes Domini unxisse probatur, propter significationem ejus anticipatum est ab Evangelista dicente inter cætera: Maria autem erat, inquit, quæ unxit Dominum unguento. Hoc refert antequam Lazarus moreretur; quod nisi postea factum inveniremus, nesciremus quo tempore factum esset. Sed ne fortè post nonam horam factum sit, ut videns impius & crudelissimus Judas occisum Salvatorem, & ob hoc velum templi scissum, terram tremuisse, saxa fissa, elementa conterrita, ipse metu correptus doluerit, non nescius justum se tradidisse, in cujus passione sic indignatus sit Judex Deus. Sed & post nonam horam occupati erant, sicut æstimo seniores & Principes Sacerdotum. Vespere enim eadem die Pascha acturi erant, Sabbatho autem nummos portare non licebat secundum legem, & per hoc improbile est apud me, quo die, imò quo tempore laqueo vitam finierit Judas Iscariotes.

TITULUS XIII.

JUdas desperationis speculum crepuit medius, ac dira ante obitum tormenta pertulisse fertur. Quidam eum suspendio interiisse negant, quamvis illud sufficienter probari nequeat. Pronunciatum autem fuit illum pro merito puniendum esse.

194. Verè Veteres: Peccatum recens blanditur; patratum dormit, evigilans occidit. Principiis ergò obsta. Cogita quando illum pœnituit, quando ad exitum scelus jam pervenerat. *Chrysost. in Matth.* Nihil ergò profuit ei sera pœnitentia, per quam scelus corrigere non potuit. *Hieronymus.* Pœnitet ambiguè quem serò pœnitet!

195. *Alcimus Avitus* libro 5. v. 687.

- - - & frustra, cum jam demersa securis
Arboris infandæ radicibus exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina vertat,
Funditus ut dignis pereant mala robora flammis.

196. *Sedulius hoc. l.* Itaq; Diaboli technas observa. Ante peccatum non permittit videre exitium, ne sequatur resipiscentia: Postquam autem Peccatum omnibus numeris expletum est, videre permittit, ut mærore afficiat, & in desperationem præcipitet.

197. *Euthymius in Matth.* Finem semper respice: Judas cupiditatis magnitudine, non cogitavit exitum rei, & propterea tam immani præcipitio se tradidit: sic multi faciunt quando persuadet amor peccati, tum obliviscuntur pœnas inferni & omnia DEI magnalia: Et cùm perpetratum fuerit, tum sciunt, quia concupiscentia vulneravit & transit, occidit & abiit!

198. *Druthmarus in Matth.* Unde & de Senibus in Susannæ fabula dicitur: & averterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neq; recordarentur judiciorum justorum. Ibid. Malam conscientiam cave: Omnium supergreditur sententias, qui à sua conscientia condemnatur.

199. *Augustinus Paolettus Ord. Eremit. S. Augustini Provinciæ Senen-*

Senensis Prior Provincialis Discurs. Prædicabil. pag. 7. Edit. Colon. in 4to Anno 1677. Quid Judam eò miseriarum adegit, ut in semetipsum sæviret tam crudeliter vitam sibi adimendo? Ne quis putet fuisse gravitatem delicti, major enim erat DEI gratia & prona misericordia. Agitabatur ergò stimulis remordentis conscientiæ, & quia hos diutius tolerare non poterat, eum vita finire credebat, per mortem tam violentam. Sic quasi in se cogitabat. Alterutram ex duabus his pœnis vitare non potero. Ad hæc extrema compellor, aut inquietè semper vivere, & gehennam intus conserte, aut laqueo vitam perdere. Ex duobus malis eligendum est minus. L. quoties, cum ibi alleg. ff. de Reg. Jur. Si mansero in vita, milleis morte transfigar momentis singulis: Si moriar, tantis malis mors me eripiet. Quid nî ergo potius moriar? Suspensus crepuit medius & diffusa sunt omnia viscera ejus. Actor. 5. Subsistit hic attonitus D. Ambrosius & triste hoc spectaculum intuitus, tandem ita de Juda concludit: Non poterat ferre conscientiæ dolorem, ideò adaptato sibi laqueo, vitam finivit.

200. *Ambrosius serm. 50.* Culpam suam agnoscere debuisset Judas. Etsi enim causa est pœnitentia proditoris, est tamen non ullus in scelere pudor, culpam agnoscere: inquit *Ambrosius in Luca 2.*

201. *Augustinus Tractatu de utilitate Pœnitentiæ cap. 3. Tom. 10. Oper. inter quinquaginta Sermones 26. pag. 178.* Judam traditorem non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitùs interire. Non erat dignus misericordia, ideò ei non fulsit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret, quem tradiderat, sicut illi qui eum crucifixerunt, sed desperando se occidit, & laqueo suspendit se, suffocavit se. Quod fecit in corpore suo factum est in anima ejus. Spiritus enim dicitur etiam ventus aëris hujus. Quomodo ergò qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia ad eos non intrat Spiritus aëris hujus: Sic illi qui desperant de indulgentia DEI, ipsa dèsperatione intus suffocant, ut eos Spiritus Sanctus visitare non possit. Judæ desperatio ejusq; horrendus exitus illustre ac miserandum documentum est, ne de

gradu aut sanctitate efferamur, ne nobis ipsis nimium fidamus & tribuamus.

202. *Ambrosius in 1. Corinth. 13. Hieronymus Libro 2. Contra Jovinianum. Basilius Epistola ad Chilonem. Tom. 2. Oper. pag. 483.* Judæ nihil profuit fuisse cum Apostolis, & didicisse mysteria, cum charitatis hostis tradidit Salvatorem.

S. Antiochus homilia 26. Tom. 7. Bb. Pp. pag. 174. Judas ille Domini Proditor, quàm pusilli erat & abjecti animi? quam rudis & expers conflictus tentationum? Ob hoc enim spem omnem cum à se abjecisset, insiliente in eum inimico, funiculo sibi præfocavit gulam.

203. *Euthymius in Matth.* Agnovit siquidem & pœnituit, & confessus est: veniam autem ab eo, qui hanc dare poterat, non requisivit, neq; enim permisit Diabolus eum sic duci pœnitentiâ, quo ad Christum iret, in quem peccaverat, sed ante perfectam abduxit, utpote conscientiæ remorsum non ferentem.

204. *Eusebius Emissenus 3.* Infelix Juda! ad viam salutis redire cœpisti, sed Diabolus, qui te ad tradendum Magistrum & Dominum incitavit, ipse tibi ut te ipsum occideres, consilium dedit. Hoc enim solum sufficiebat tibi ad proditionem, etiamsi Dominum non tradidisses. Quantò tibi melius fuerat, Christi pedibus te humiliares, & ab eo indulgentiam peteres, qui neminem ad se venientem repellit. Hic est pœnitentiæ modus, peccasti, quiesce, dole & lachrymare, & disce cum Apostolo flere amarè.

Dum patula cunctis Christi clementia sese
Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ.

Alcimus Avitus Libro 5.

205. *Bernhardus Sermone in feria 4. hebdomadæ pœnosæ. Tom. 1. Oper. col. 182.* Tibi impie Juda misera planè facultas fuit non ponendi animam, sed pendendi, non tradente te, sed trahente laqueo, nequissimus ille Spiritus tuus exivit, non emissus a te, sed amissus.

206. *Laurentius Justinianus Protopatriacha Venetus in Triumphali agone Christi, p. m. 435. Edit. Basil. in fol. An. 1560.* Judas Domini

Domini sui & propriæ animæ homicida nefandus, contempsit Salvatorem, de quo thesauri indefectibiles exuberant gratiarum, accedere pœnitendo, suiq; reatus ruborem non patiens, crudeli se nece peremit. Seris namq; ferreis interioris domus januas obstruxit, vectibusq; firmavit, quatenus ad salutem ejus, cunctorum salus aditum non haberet. Maluit miser in opacis animæ suæ penetralibus latebras fovere, quam ad Dominum Jesum humili confessione procedere. Deniq; sicut supernæ gratiæ expertem se fecerat, ita ab Apostolorum Christi sancto se collegio segregavit. Exiit solus foras accusatus, deprehensus, condemnatus, prava mentis suæ desideria peracturus. Erat autem nox. Tenebrarum quidem filio erat nox, ceteris autem meridiana lux, Occubuerat illi Justitiæ sol, & fulgentissimæ claritas sapientiæ. Non se absentavit Christus, neq; sacrilego suam denegavit sententiam. Omnibus præsto est, ut communicet se: proditor tamen ipse secessit. Oculos quidem aperte tenere potuit, sed verbi lucem intueri non meruit.

207. *Idem in Ligno Vitæ pag. 69.* Judam non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.

208. *Drogo Hostiensis Tom. 13. Bb. Pp. parte 1. pag. 486.* Suspensus crepuit medius: Plenus erat venter & ruptus est. Uter crepuit medius ubi sedes erat Satanæ. Crepuit ergò vas contumeliæ, quia non erat de vasis figuli quæ probantur in fornace, propter quod in agro figuli in sepultura peregrinorum sortem non habuit, sed velut reste crepitans per inane dissolvitur, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Pecunia viscera sunt avari, illa diffuduntur & perduntur, sed viri misericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Judas & Absolon per comam capitis sui, & malus qui sederat, pertransiit. Crinis Absolon quo suspenditur, radix est omnium malorum avaritia: Ubi hæc radicaverit, omnium malorum cæsaries abundabit. Mulus verò ex equo & asino mixtus, est duplex animus, qui foris ostentat, quod intus non servat. Talis erat Judas, talis Absolon: foris pietas, intus malitia, duplex iniquitas: Equus manifestè

nifestè tumet, asinus simpliciter ambulat, malus nequam & subdolus incautum præcipitat.

209. *Bernhardus sermone* 8. *in Psalmum qui habitat.* Pulcrè Petrus Apostolus filium perditionis in locum suum abiisse testatus est, quod in aëre crepuerit medius, aëriarum Collega potestatum, utpote veri Dei & veri pariter hominis, qui de cœlo venisset, operaturus salutem in medio terræ, hujus, inquam, proditorem nec cœlum reciperet, nec terra sustineret.

210. *Oecumenius Enarrat. in Acta Apostolorum cap.* 2. *p. m.* 2. *Edit. Paris. in fol. Anno* 1631. Judas suspendio è vita non discessit, sed supervixit, dejectus enim est, priusquam præfocaretur, idq; Apostolorum Acta indicant, quod crepuit medius. Hoc autem planiùs scripsit *Papias*, Johannis Apostoli discipulus, dicens: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Judas, in tantum enim corpore inflatus, ut progredi non posset, cum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut funderentur ejus intestina. Alio modo: Corpore enim adeò inflatus est, ut neq; progredi posset, quà currus levi cursu pertransibat; imò ne quidem solum corporis tumorem, siquidem & palpebras oculorum ejus adeò intumuisse ferunt, ut lumen omninò videre non posset, oculi verò illius neq; διόπτρας, nempe instrumenti medicorum adminiculo apparere possent, tantâ profunditate ab exteriori adspectu erant separati. Genitale verò illius membrum omnem excedebat obscœnitatem & magnitudinem. Porrò sanies ac vermes contumeliosè confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora. Post multa verò tormenta & ultiones, cum in suo prædio, ut ajunt, mortuus esset, præ fœtore illud prædium desertum permansit, & non habitatum usq; in hodiernum diem. Sed neq; ad hoc usq; tempus, locum illum quisquam præterire potest, nisi obturatis manu naribus. Suggerit autem Lucas hoc loco Judæ supplicium quod statim subsecutũ est. Nam imbecilliores animæ præsentibus refrenantur potissimum. Auxit autem peccatum, vocans eum proditorem, supplicium verò cum hoc illum etiam passum esse commemorat. Per hoc

hoc autem quod ait Lucas, præcipitio crepuit medius: ostendit, quod simul ut prodidit præ nimia animi pusillanimitate & socordia tali fine per desperationem usus est. Verùm cum sacra Evangelia dicant, præfocatione aut suspendio usum, licet hic præcipitatum fuisse asserat, & quæcunq; deinceps narrantur, nihil ex hoc dissonantiæ consequitur: utrumq; enim factum est. Contracto namq; funiculo, quo præfocatus erat, ita præcipitio in terram decidit ac crepuit: interim autem dum hæc post quadraginta dies de eo narrantur, protinùs hæc à proditione facta fuisse Lucas confirmat.

211. Sententia itaq; Oecumenii à qua *Theophylactus exponens cap. 27. Matthai*, non prorsus abhorruisse videtur, à communi consensu patrum rejicitur, quippe juxta Evangelicam Historiam scribunt, laquei suffocatione Judam periisse. Ergo hæc ipsius Oecumenii opinio non propria fuit, sed ex aliis eam monumentis refert.

212. *Euthymius* quoq; in *Matthaum Comment. cap. 27. v. 5.* asseverat, Judam laquei suspendio non interiisse, sed priusquam præfocaretur, fuisse à quibusdam qui illum agnoverunt, depositum, eum demum post aliquod tempus præcipitio disruptum effusis intestinis periisse. Conjectura sumta ex eo, quod Lucas Actuum 1. v. 18. scribit, quod Judas possederit agrum de mercede iniquitatis, & quod pronus factus disruptus sit medius, & effusa sint viscera ejus; quod quidem mortis genus ad suspensum nihil attinet. Contradicunt autem *Origenes*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Beda omnesq; alii Latini Patres*, eum laqueo suffocatum scribentes, uti passim ex superioribus innotuit.

213. *Augustinus Enarrat. in Psalmum* 108. *Tom. 8. Op. p.* 517. Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris ejus Psalmista inquit. Cum igitur hic Judam traditorem secundum scripturam Actuum Apostolicorum supplicio debito prænunciet puniendum, quid est, constitue super eum peccatorem, nisi eum, quem sequenti versu indicat, cum dicit: Et Diabolus stet à dextris ejus! Hoc utiq; meruit, ut super se Diabolum habuerit, id est, Diabolo

Diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris, ejus dictum est, quia opera Diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuiq; non immeritò dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistræ dextra præponitur. *Idem in Psalmum 68.* Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse à Domino redemptus erat. Punivit ergo Deus Judam de pretio suo.

TITULUS XIV.

JUdæ, qui nulla necessitate sed propria culpa propter ineptam suam pœnitentiam mortalium miserrimus evasit, Judæi similes sunt, qui inter cœlum & terram relicti pendent. Prolapsio autem traditoris quemvis suæ infirmitatis admonet, & ut in viis Domini constanter persistamus, incitat.

214. *Cyrillus Alexandrinus in Iohannis Evangel. cap. 22. Lib. 11. Tom. 1. Oper. pag. 670. Edit. Paris. Anno 1605. in fol.* Non divino inexpugnabiliq; judicio in Diaboli laqueum proditorem incidisse credendum. Nam si sic esset, nullo modo culparetur, cum Judicio DEI nemo resistere queat. Nunc autem ita miser factus est, ut melius secum ageretur, si nunquam natus fuisset. Nulla enim necessitate, sed proprio Judicio fecit, quod fecit. Quare meritò perditionis filius nuncupatur, qui perditionem eligit. Non enim quia scriptum est de illo, quod periturus esset, propterea eò nequitiæ processit, ut paucis argenteis speciosum Christi sanguinem traderet. Verùm quoniam malignitate sua periturus omninò erat, idcircò id omninò scriptura futurum prædixit, quam falsò quidquam dicere impossibile est. DEUS enim ipse per Scripturam loquitur, qui mores & vitam omnium novit, universorum enim tam præteritorum quam futurorum scientiam ei Psalmista tribuit, *Psalmo* 138. dicens: *Tu intellexisti cogitationes meas, de longè semitam meam & funiculum meum investigâsti, & omnes vias meas prævidisti.* Quare qui novit omnia, qui futura, quasi præsentia videt, per Scripturam nobis hoc etiam prædixit. Non autem

tem omnia quæ futura Deus novit, aut vult, aut imperat, nec prædictio malum hortatur magis quàm dehortatur. Qui enim præscivit multò certe faciliùs, cum liberæ fuerit potestatis, Diaboli laqueum vitare potuisset. Sed diceret fortassis quispiam, si propriâ voluntate atque liberâ cæteri (discipuli) Diaboli laqueum fugerunt, solus autem Judas incidit, quomodo illos servavit Christus? Aut cur Judæ non profuit hæc salvatio? sed studium atq; vigilia, ô generose tu, quamvis proba & laudabilis sit, non sufficit tamen ad perfectæ operationem virtutis, sed salutem quidem vigilantes attendensque diligenter acquirimus. Non sufficit autem id nobis, quum divina gratia quæ difficilia facilia facit, & arduam justitiæ viam, planam nobis reddat, necessariò indigeamus: nostra enim vis, nisi divinitùs sustentetur, nulla penitus est. Nisi Dominus custodierit civitatē, frustra vigilat, qui custodit illam. *Psalmo 126.* Quare necesse est, ut jugiter magnoq; animo ad adquirendam salutem studeamus, & opē Dei quâ protegamur, orando petamus cujus auxilio facilè Diaboli vires superabimus: nisi ei obsequamur ad voluptates, aliosq; peccandi modos provocati: nisi quoq; nos nec tentati quidem, illi voluntatis nostræ habenas largiamur. Nam si ad ejus laqueum sponte ac negligentia nostra venimus, quem alium potius, quam nos ipsos criminabimur? Nonne hoc est, quod Salomon scribit? *Amentia viri vias ejus devastat, & Deum incusat in corde.* Quod si proditor æqualiter aliis Discipulis Salvatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis dicerentur, sin autem non minus quam cæteri divinâ gratiâ regebatur, sed suo ipsius Judicio in profundum proditionis delapsus sit, quomodo etiam non servavit eum Christus, qui suū partocinium ei præstitit. Qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem, nisi ultrò ille in proditionem insiliisset. Gratia igitur in aliis effulsit, servavitq; omnes, qui cooperantem ei voluntatē tradiderunt, sic enim salutis nostræ modꝰ dispositus est.

215. *Idem in Iohann. Libro 9. cap. 16. p. 614.* Proditor sæpius redargutus non erubuit, charitatem Christi contempsit, honorem & gratiam ejus abjecit, benedictionem aspernatus est. In uno fixus hærebat, illud solummodo volvebat, quoniam pecuniolam si-

bi pararet, non ergò ut consiliatorem, sed ut cogitationum suarum Dominum in corde Diabolum retinet. Prius enim quam peccati consummatione delinquamus, peccatū voluntate amplexantes, & januas animæ Diabolo patefacientes, cujus rei proditor nobis exemplum est.

216. *Idem cap. 19. Lib. 9. p. 615. Ad verba: Cum ergò buccellam accepisset, exivit continuò, & erat nox.* Cursim ille abiit ad Diaboli opus, ut furore detentus de domo exiliit, nihil pecuniâ melius putans, quodq; majus est, nihil à benedictione adjutus. Morbo enim avaritiæ victus, & patrem malignitatis in corde jam habens, nec quò noctu quidem ruit, considerat. Tenebrosa enim nox quædam impiæ cupiditatis in profundum inferni eum pellebat: Ideò *quasi cervus,* ut in Proverbiis dicitur 7. *ad sagittam properabat, vel quasi canis ad vincula, nesciens se ad periculum animæ suæ currere.* Nec frustra dictum mihi videtur continuò illum exivisse: magnas enim Diabolus ad imperandum eis, quos omninò jam cœpit, possidet vires, cogere videtur ad opus etiam nolentes. Timet (ut credo) Diabolus ne morando pœnitentiæ locus detur, & quasi à temulētia sua mentem rectiùs cogitans homo eripiat, hâc de causâ festinat ac impellit. Nam etiam Judam cum post panem omninò separaverit, tum moram tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo ejus accenderit, ac inde illuminaverit, & ad meliora retraxerit, magnâ præcipitem agit celeritate. Nemo est qui miserum Judæorum statum hodiè ignoret. Quadraginta enim post passionem Domini annis Deus illorum malitiam ultus è sede & Regione sua in exilium duci permisit.

217. *Prudentius in Apotheosi:*

Exiliis vagus huc illuc fluctantibus errat
Judæus, postquam Patriæ de sede revulsus.
Supplicium pro cæde luit, Christiq; negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.

218. *Rupertus in cap. 26. Matthæi lib. 11. Comment. de gloria filii hominis p. 105.* Suspenso Juda populus Judæorum totam damnationis ejus hæreditatem suscepit, pendens inter cœlum & terram, id est,

est, neq; spem habens in cœlo, quia vitæ æternæ indignum se judicavit, neq; terram habens suã: venerunt enim Romani, tuleruntq; locum & gentem & multò plures, quàm ullo unquam die vorasset gladius; de populo illo consumsit obsidione saltus Romani exercitus post quadraginta annos, Ducibus Vespasiano & Tito, juxta quod prædictum fuerat Psalmo 79. *Exterminavit eum aper de silva, & singularis ferus depastus est eam.* Nonne hoc est pendere inter Cœlum & terram, & crepuisse, & omnia pendentis viscera diffusa esse? scilicet neq; in cœlo spem sive ullam partem, neq; in terra quam calcamus, locum ullum proprium habere, & post seditionem ingentem crepitum, quem Historiographus enarrat Josephus, reliquias conclusæ multitudinis, quæ gladio superfuerunt, in omnes gentes captivas ductas esse? *Ib. ibid.* Pœnitentia Judæ dolor fuit natus ex crudeli invidia & confessio ejus dicentis: *peccavi tradens sanguinem justum*: parum aut nihil differre potuerit, à Confessione Dæmonum, qui illum non solum justum, verum etiam Filium Dei esse interdum confessi sunt.

219. *S. Fulgentius de Remissione peccatorum cap. 16. Tom. 6. Bb. Pp. parte 1. p. 119.* Nonnulli præterea virtutem pœnitentiæ nescientes, non ad hoc pœnitentiam gerunt, ut sperantes opem divinæ misericordiæ convertantur, imò pœnitendo deterius peccant, cum de peccatorum remissione desperant. Talis fuit pœnitentia Judæ Proditoris, quæ pœnitenti non acquisivit salutem, sed procuravit desperanti perniciem. Deniq; deteriori semetipsum vinculo iniquitatis obstrinxit, cum se occidit nocentem, quàm tum cùm Christum tradidit innocentem. Peccatum enim traditionis Christi, poterat Judæ, si vivens converteretur, dimitti: occisio verò sua nullatenus relaxatur extincto. Post traditionem igitur Christi habuit traditor tempus, quo per illum sanguinem, qui effusus est in remissionem peccatorum, ipsius quoq; Judæ possit remitti peccatum: quoniam Christus qui pro impiis mortuus est, non denegasset suo traditori remissionis beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remissioni concessum. Non ergò rectè pœnitentiam gessit, nec justum vindicem se sui sceleris per-

tulit, auxit quippe non abstulit supplicium meriti criminis sui ultor injustus, qui occisori suo tempus conversionis adimit occisus. Ac per hoc quia ipse se occidit, ipse sibi utiq; tempus conversionis se occidendo subtraxit. Miserrimus Judas, qui cùm male crimen traditionis admiserit, pejus illius criminis pœnitudinem gessit, qui penitùs indulgentiam non quæsivit. Ac sic illa gravis culpæ pœnitentiæ deterior est inventa, quàm culpa. Illud enim Dominicæ traditionis peccatum habuit tempus quo posset ablui, illum vero punit sententia, quæ non conversionem habuit, sed desperationem. Ideò pœnitentem non adjuvit, sed peremit, qui sibi conversionis tempus occisione abstulit, & indulgentiam desperatione subtraxit. Tantum igitur valet opportunitas concessi temporis, ad indulgentiam peccatorum. Et cùm multò gravius sit Christum tradidisse, quam quemlibet hominem occidisse: occisores tamen Christi, quicunq; sunt in præsenti vita toto corde conversi, remissionem peccatorum ipsius Christi sunt sanguine consecuti.

220. *Basilius M. Cæsariæ Archiepiscopus in Epist. ad Chilonem discipulum. p. 509. Edit. Paris. in fol. Anno 1566.* Unius Judæ execranda prolapsio, nempè à melioris vitæ rudimentis ad exitum sortis deterrimæ, satis superq; esse debuerat ad communiendos tuendosq; Dei famulos in vita institutæ rectitudinis. Hic namq; Christo ubi diutius cohæsisset discipulus, inescatus tandem qualiscunq; lucelli illecebrâ, & Doctorem venũ exposuit, & per improbam eam negotiationem implicito sibi laqueo præfocavit gulam.

221. *Theophylactus in Comment. ad Lucæ cap. 26. pag. 510.* Intravit Satanas in Judam, qui erat unus è numero duodecim, eratq; ex maximè familiaribus discipulis, ut nullus confidat in seipso, sed semper attendat vitæ suæ, utpote gravem habens adversarium. h. l. Igitur cavenda est securitas.

222. *Simon de Cassia Lib. 13. pag. 351.* Quis sub aliquo Doctorum præsumat, si cecidit Judas de scholis Domini Salvatoris? Quis de duce confidat, si cum rectâ viâ Judas erravit. Non quæruntur in Christianis initia sed finis. Paulus malè cœpit, sed benè fini-

finivit, Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. *Hieronymi* verba sunt *ad Furiam.*

TITULUS XV.

Judas similis fuit puerulis obliviosis, paralyticis, item è gravi morbo convalescentibus, nec non corvo qui ab Arca Noæ emissus non rediit. Significat Antichristum. Typi ejus fuerunt Abfolon, Giezi & Ahitophel.

223. *Nicolaus Oranus de Apostasia Iudæ, concione 6. pag.* 58. Judam similem pronunciat pueris obliviosis, qui post gratiam recuperatam incidunt in easdem culpas, quibus olim meriti sunt increpationes. Ego inquit, puerulis illis Judam fuisse similem opinor, qui dum propter præteritas eluendas culpas disciplinam recipere, & paulò emendatiores esse cœperunt, mox obliti prioris culpæ, prioris gratiæ, graviùs recidunt, quia se ipsos non agnoscunt. An dormiebas, Juda, cùm tibi tam suaviter & toties adstanti Christo, toties te suo exemplo ad divitiarum contemtum attrahenti cogitabas, quibus modis famem saturares pecuniarum possessione? Ut quid tibi pecuniæ superfluæ in ejus societate existenti, qui dixit: Nolite soliciti esse, quid edetis, aut quid bibetis, quo induemini. Quærite primò regnum Dei &c. Non erat memor remorsus. Similes quoq; qui modo è gravi morbo convaluerunt, de sua infirmitate amplius non cogitant. *Ibidem pag.* 59.

224. Fecit idem quod solent ex gravi & diuturna infirmitate & extremo quasi morbo resurgentes, jam vires incipiunt recuperare, primò non cogitant, quod languidi sint ratione infirmitatis diuturnæ, quiq; ideò habent virtutem debilem, & tales quicunq; ventus, vel mala nox, vel robustus cibus accesserit, dejiciuntur primo momentô. Ita hîc non mirum est, quod mox qui ab infirmitate & peccatis quibus scatebat, per Dei vocationem ad Apostolatum mox ceciderit; cùm ipsemet sese tentationum ventis exposuerit, cum ipse non ipsam lucem Christum in actionibus suis secutus fuerit, cum & Spiritualibus cibis, quibus abundabat,

& quos gratis dabat, uti noluerit. Annon debuisses potiùs, O Juda, retro-actæ vitæ memor dicere cum Prophetâ Psalmo 6. Laboravi in gemitu meo: & cum Rege pio Ezechia Esaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine. p. 60.

225. Fuit quibusdam paralyticis sanatis similis, quibus post sanitatem injunctum est, ut ambularent. Sic Matthæi 9. Christus: surge & ambula; scilicet pro continuatione sanitatis, non autem pro ostensione solius veritatis: sic non poterat quin laberetur Judas, qui bonis operibus non exercitabatur. Nam qui furto incumbit, in id ita incumbit, ut aliis non exerceatur.

226. *Drogo Hostiensis Episcopus de Sacramentis Dominicæ passionis, T. 12. Bb. Pp. parte 1. p. 486.* pariat Judam cum corvo ab arca emisso, & non reverso: Corvus semel emissus non est reversus, quia Judas in aëre submersus est.

227. *Nicolaus Hemmingius Commentar. in Evangel. Iohannis cap. 13. col. 92. Edit. Basil. in fol. An. 1591.* Uti Doeg typus fuit Judæ proditoris, sic Judas qui in numero discipulorum fuit, significat Antichristum, qui fingit se esse Christi discipulum, sed eum prodit in suis membris propter quæstum. Hoc qui non videt in Papatu fieri, cæcus omninò est.

228. *Rupertus Abbas Tuitiensis de Trinitate & operibus ejus in lib. Regum Comment. Lib. 2. Cap. 35. pag. 470.* Absolon interpretatur *patris pax*. Absolon, inquam, filius & hostis, imò non filius, cujus à facie pater fugit, ipse in mysterio est Judas traditor, falsa patris & Magistri pax, quem osculo pacis signo tradidit. Judas, inquam, Apostolus & Diabolus, imò non Apostolus sed Diabolus, cujus à facie revera talis pater fugit, nam à ficto ejus corde Christus, vel Christi spiritus fugit, in quem Satanas introivit. Et proinde pœna ejus Justitiæ laudatorem maximè delectat, quia Judicio Dei mente captus se suspendit, in quo non jam mysterii profundum, sed ipsa rei gestæ superficies Judam & Absolon penè demonstrat esse pariles. Nam & iste pendens quercu mulâ cui sedebat pertranseunte desertus, meritò in corde lanceas suscepit, & ille laqueo suspensus, & principum sacerdotum familiaritate, quam

quam ascenderat, malè desertus, dignas protinus sagittas, id est, æternæ damnationis & mortis sententias in anima accepit. Confer *Comment. in Matthæi cap. 26. T. 2. Op. p.* 105.

229. *Drogo Hostiensis de Sacram. Dom. pass. serm.* 1. *T.* 12. *Bb. Pp. parte 1. p* 486. Absolon Patris pax ipse est & Judas, & quicunq; in pace Christo est amaritudo amarissima. Ave Rabbi, voce & osculo, patri pacem ferebat ore suo, benedicebant, & corde suo maledicebant. Homo, inquit, pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Unus est & multi sunt. Ecce Absolon, ecce Juda, ecce corpus Satanæ.

230. *Augustinus Sermone* 208. *De tempore, T.* 10. *Oper. p.* 306. Uti Helisæus beatus typum habuit Domini Salvatoris, sic non incongruè Judam traditorem, vel Judæorum populum intelligitur Giezi discipulus figurâsse. Sicut enim Giezi ideò serviebat Helisæo, ut pecuniam posset acquirere, ita & Judas propterea adhæserat Domino Salvatori, ut fraudem faceret, & terrenas divitias congregaret. Deniq; sic in Evangelio scriptum est, quia fur erat & loculos habebat, & ea quæ mittebantur asportabat. Nam Giezi qui Gratiam Magistri poterat promereri, sicut & Dominus suus consecutus fuerat, beati Heliæ, cupiditate victus meruit in æternum crudeli leprâ perfundi. Judas verò præ amore pecuniæ & Apostolatus gratiam perdidit & laqueo vitam finivit. Ac sic intelligimus omnes avaros & cupidos intus in anima peccati leprâ esse perfusos.

231. *Rupertus Comment. in cap.* 26. *Matthæi, Lib.* XI. *de gloria filii hominis. p.* 105. Judas voluit sic Dominum Christum mori, ut periret nomen ejus, id est, ut nulla fama vel memoria, & nulla superesset doctrina ejus! sicut ille videlicet Ahitophel illud intendebat, ut David de regno ejectus nequaquam ultra regnare posset, morte præventus. Eandem igitur vel similem ob causam uterq; pœnitentiâ ductus est, & uterq; laqueo se suspendit, videlicet quia persensit tam iste quam ille, quod res non procederet secundum consilium ejus. En inde pulcherrimam similitudinis per-

perfectionem. Quomodo ille persensit, vel unde ille percepit, non fieri secundũ intentionem suam, ut funditus exterminaretur David? Nimirùm ex eo, quod Chusai amicus David, quasi relicto David, venerat ad Absolon, quem utiq; sciebat nequaquam animo recessisse à David, neq; corde esse cum Absolon, nonne iste similiter de Domino Christo dicere poterat, quod quamvis esset damnatus & moreretur, non tamen periret nomen ejus, ex quo superstites erant discipuli ejus, prædicaturi nomen & resurrectionem ejus. Deniq; hoc voluerat, ut discipuli quoq; ejus cum eo comprehenderentur. Ex hac notâ similitudine documentum sumere libuit, ad demonstrandum, quod confessio Judæ sicut confessio Dæmonum.

232. *Oranus de Apostasia Iudæ conc. 29. pag. 337.* Judæ typus fuit Ahitophel primum in eo, quod cum filius Davidis insurgeret in patrem, cum prius fuisset patri familiarissimus, deficiens à patre, filio adhæsit: Sic enim & Judas deficiens à Domino vero Davidis filio, cui prius fuerat intimus, Judaico adhæsit populo, cum in Christum verum suum Messiam & patrem insurgeret, ejusq; necem meditaretur. Fuit secundo ejusdem typus in eo, quod filio contra patrem suggessit consilium, quo ille opprimeretur, offerens se ipsum in ducem exercitus, qui persequeretur Davidem latentem. Sic enim & Judas Judæis consultor fuit, cum diceret, *quemcunq; osculatus fuero &c.* Tertiò quia eodem mortis genere periit Ahitophel quo Judas. Quartò quia sicut Ahitophel suo mortis genere fuit indicio quo genere mortis moreretur Absolon, sic & Judas sua morte significabat, quo fine Judæi interituri essent, ut in *Act. c. 1.* probat Petrus, nempe quod male perituri essent, terra eorum foret desolata, & præeminentia eorum ad alios transferretur.

TITULUS XVI.

COmmoda inter Angelum rejectum, Luciferum quem vocant, itemq; Cainum & Judam collatio institui potest, utrumq;

utrumq; enim suis moribus æquavit. Uti autem nullum os tam deforme est, quin suos inveniat basiatores, ita nulla opinio tam ridicula & falsa, quæ non facile aliquos nanciscatur patronos, id quod maximè in hæresibus apparet. Judas certè mortalium perditissimus, quamvis magnum proditionis scelus perpetraverit, reperti tamen sunt, qui illum defenderent, imò colerent, beatum existimarent, ac gratiarum actione dignum judicarent, quia ipsius nequitia toti humano Generi profuit ad salutem cōsequendam, quô tamen ipso Judas minimè excusabilis redditur. Anacephalæosis.

233. *Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus Anagogicarum Contemplationum in Hexaëmeron Lib.7. Tom.6. Bb. Pp. parte 1. p.658.* Tres rei peccârunt in paradiso, Adam & Eva & serpens, ex quibus duo quidem sunt servati, unus autem periit. Cum ita tres rei pēderent in calvaria, (nominabatur enim etiam Dominus peccatum, etiamsi propter ipsum non esset reus ac condemnatus, & cū non esset, solum haberet, quod diceretur:) unus Latro ingratus, cum esset typus Diaboli & serpentis & Judæ, qui se in ligno suffocavit, periit. Nam quomodo scriptum est, quod dolo deceptus est Adam: ita etiam Judas dolo & osculo fecit proditionem: Et quomodo dictum est, quod Diabolus ingressus est serpentem; ita etiam scriptum est, quod ipse Satanas intravit in cor Judæ discipuli Christi. Fuit autem aliquando quoq; Satanas in cœlis discipulus Christi cum ceteris (cum Angelis, inquam, virtutibus:) sed erat unus ex principibus. De eo enim dictum est: Vos autem sicut homines moriemini, & tanquam unus de Principibꝰ cadetis. Psalmo octogesimo primo. Quamobrem Judas quoq; erat unus ex summis discipulis, inter quos ei quoq; creditum & in manus traditum fuerat marsupium.

234. *Oranus de Apostasia Iudæ Concione 17. p. 191. seq.* Judas Cainum in vitiis æquavit. Primò contempsit Deum Cain & valde impius fuit, contemnens omnem doctrinam, quam ipsi de Dei potestate, sapientia, providentia & justitia tradebat sanctus pater, & ejus temporis summus moderator Adam. Targum Hierosolymitanum habet, dixisse Abeli ipsum Cainum, quem ipse in agrum

specie amici colloquii eduxerat: Non est judicium futurum, nec judex, nec aliud seculum, nec merces pro justis, nec pœna pro impiis &c. Hinc Johannes dicit: Cain fuisse ex maligno. Annon in hoc Judas est illum imitatus, cum in Arianismum, cum in schisma & pessimam Sacramentariorum hæresin lapsus? Cùm ceremonias sacras instituta q; Christi contemsit, & Deum ut hominem tradidit, ne dicam, ut Magum. Secundò fuit Cain hypocrita, nam fingebat se numinis cœlestis studio teneri, ac illud etiam sacrificiis exterius colere. Inde offerebat de fructibus terræ. In animo autem nulla pietas, nec religio erat. Judas sæpius aliquem religionis zelum fovere protestatus est, cùm tamen sub ovinâ pelle lupi malitiam velaret. Tertiò Cain erat erga fratrem invidus. Odio enim in ipsum exæstuans primò in prava proditione eduxit eum in agrum foras à præsentia parentum. Deinde rixatus cum eo innocētem occidit. De hôc 1. Johannis 3. agitur. Cain occidit fratrem suum, & propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa. Judæ invidia satis ex eo apparet, quod effusionem unguenti pretiosi super caput Domini indignè tulerit. Quartò Cain horribiliter desperavit, Deum blasphemans: Major est, inquit, iniquitas mea, quam ut veniam merear. Hinc desperationem secuta est violenta mors, Judas morsu conscientiæ & desperatione ad restim adactus est.

235. *Ibidem* quoq; inter Balaam & Chore cum Juda comparationem proponit.

236. Cajani sive Cainæi hæretici, teste *Tertulliano de præscriptione hæreticorum cap. 47. p. m. 251. Edit. Paris. in fol. Anno 1634.* Judam proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum esse commemorantes, propter utilitates quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judæ propter hanc causam reddendam putant. Animadvertens Judas, inquiunt, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant & dicunt: quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus

quæ

quæ impediebatur per virtutes, quæ obsistebant, ne pateretur Christus, impediri omnino non posset, & ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. *Conferatur Irenaus Libro primo adversus hæreses cap. 35. Edit. Colon. in fol. Anno 1596. Epiphanius contra hæresin* 38. *Lib. 1. Tom. 3. Oper. p. 231. Edit. Paris. in fol. An.* 1612. *Theodoretus Lib. 1. hæreticarum fabularum. Philastrius Episcopus Brixiensis in hæresibus. Tom. 4. Bb. Pp. p. m.* 600.

237. *Cedrenus in compendio historico*, Imperatorem Orientis Balbum quoq; Judæ cultoribus accenset. p. 498. scribens, Constantinopolitanus Imperator Michael Balbus Copronymi, impii hominis imitator studiossimus, inter eos qui æternâ jam salute fruuntur, eundem Judam collocavit.

238. *Augustinus sermone de Diversis 63. in supplemento operum Augustini, Tom. 1. ab Hieronymo Vignier Edito Parisiis in fol. An.* 1655. *p.* 240. De Juda, quantum, inquit, boni fecit? Passione Dominica salvæ factæ sunt gentes. Sed ut pateretur Dominus, Judas eum tradidit. Deus ergo & gentes liberat passo filio, & Judam punit pro scelere suo.

239. *Chrysostomus hom. 82. in Matth. T. 2. Op. fol.* 149. Quam ob rem, qui scripta perfecit, criminamur? Quia non ille certè animo, sed improbitate solâ in turpissimum illud facinus fuit impulsus. Nam nisi mentem respicias, ipsum quoq; Diabolum ab omni crimine liberabis. Sed non est ita, non est. Mille enim uterq; supplicia, etiamsi orbis inde salutem consecutus est. Quippe non Judæ traditio, sed sapientia Christi atq; potentia salutem peperit universis. Christus enim improbitate aliorum ad nostram utilitatem usus est. Sed inquies, quid igitur, si Judas non prodidisset? Quid hoc porrò ad quæstionem? Crucifigi omninò Christum oportebat, nec crucifigi poterat, nisi per homines. Quid si omnes erga ipsum boni fuissent, hæc pro salute nostra dispensatio nō processisset? Absit hoc omninò. Nam inæstimabilis sapientia Christus, si ita contigisset, novit quo pacto res dispensanda fuisset. Præterea ne quis putet ministrum dispensationis Judam fuisse, quasi miserum deflet. Sed rursum quidpiam objiciet: Si bonum erat

non fuisse Judam natum, quare illum produxit? Quare autem cæteros pravos produxit, ita cum te oporteat impios coarguere, qui poterant improbitatem negligere, hoc derelicto temerariè dispẽsationes & opera Dei scrutaris, quamvis nullum necessitate cogat, ũt probitatem sequatur. Quid ergò, inquies, ut alii meliores videantur, alii puniuntur? Minimè: sed propter improbitatem eorum. Non enim quia nati sunt, nequitiam contraxerunt, sed quia desidiâ se corruperunt, idcircò puniuntor. Hæc ille.

240. Jam summariam prædictorum omnium anacephalæosin instituturi schematismũ terribilis Tragœdiæ in Juda desperante, juxta mentem *B. Iohannis Henrici Ursini Adver. Sacr. part. 2. p. 108. seq.* exhibemus. Præludit quasi actu primo vana Judæ opinio ex spe lucri. Judas enim cum avarus esset, multum lucri ex traditione Domini sperabat, & Christum non occisum iri, cum autem aliter accideret, pœnitentia sed inefficaci afficitur, quo de supra Titulo XI. actum est. Actum secundum implent hinc divina justitia, suo enim judicio ab alio non accusatus, condemnatur ad laqueũ, uti eodem titulo declaratur. Illinc Diabolus. *Talis enim ille est, ut hominem non dimittat, neq; sinat ante ultimum effectum magnitudinem peccati prævidere, ne pœnitentiâ ductus à peccato resiliat.*

241. *Chrysostomus hom. 86. in Matthæum.* Accedit mala conscientia: *nec enim potuit acerbos conscientiæ stimulos & flagella perferre.* Ibid. Plena futurorum metu: *Sicut* & Ahitophel, cum vidit non factum suum consilium, statim intellexit, quia David reverteretur in regnum: & non potuit portare improperium, quod futurum erat super eum: & ob hoc suspendio interiit.

242. *Druthmarus in Matthæum.* Ergò jam actu quasi tertio Judas apud Sacerdotes in templo cognoscit se peccâsse, argenteos reddit, quasi eodem pretio quo vendidit, Christum Dominum redimere possit.

243. *Eusebius Emissenus.* Quid illi? Quid ad nos! inquiunt, Tu videris. *Professio audax atq; cæca!* Emisse se justi sanguinem audiunt, & *extra Iudicii reatum futuros se esse credunt.* Hilarius. *Hac excusatio magis accusat.*

244. Chry-

244. Chrysostomus loco citato. Nam *si peccavit ille, qui tradidit sanguinem justum: quantò illi magis, qui & emerunt, & offerendo pretium ad proditionem discipulū provocârunt?* Hieronymus. Deniq; *in pecuniariis causis, refuso pretio jus solvitur: Hi pretium recipiunt, & sacrilegium persequuntur. Ambrosius in* Lucam.

245. Ita omni orbatus solatio demùm Actu quarto abit proditor:

Exorsusq; suas laqueo sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem. Juvencus.

246. Non ut apud inferos Jesum præveniret, & ibi orans salutem consequeretur: Theophylactus ex Origene: Sed desperans prorsus.

247. Nam cum ad Dominum clementissimum confugere oporteret, ad mortem confugit potius, ut à desperatâ tristiq; vita citius liberaretur. *Euthymius in Matthæum.*

248. Claudunt scenam Actu quinto Sacerdotes hypocritæ, si enim ideò non mittunt pecuniam in Corbonam, hoc est in gazophylacium, quia pretium sanguinis est, cur sanguinem ipsum effundunt? *Hieronymus.* Imò, *si non licet mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est; neq; licuit trahere de Corbona ut pretium sanguinis fieret. Eusebius Emissenus.* Vide autem, quomodo Deus infatuet illos, ut mens illorum sanguinaria traducatur!

249. *Theophylactus in Matthæum.* Agrum in sepulturam comparant *æternum proditionis testimonium: Nomen enim* Akeldama ager sanguinis, villæ inditum, omni clarius tubâ sceleratam eorum cædem prædicat. *Chrysostomus l. c.*

250. Perorat tandem Epilogista Jeremias pro se adductus & pro fratre ac Collega Zacharia, (nam *quæ dicta sunt* per *Ieremiam, tam sunt Zachariæ quam Ieremiæ.* Beda in Matthæum:) *atq; & quantitatem & exitum pretii Iudæ pœnitente revocati, & in emptionem dati agri figuli, præcanit,* Jerem. 32. Zachar. 11. Tertullian. Libro 4. adversus Marcionem.

FINIS.

APPENDIX METRICA

Ingeniosos Christianorum Poetarum de pessimo JUDA conceptus exhibens,

Marcus Hieronymus Vida Cremonensis, Albæ Episcopus, circa initium Seculi post natum Christum decimi sexti Leoni 10. & Clementi 7. Pontificibus Romanis charissimus, *Christiados Lib. 2.*

Consurgunt tandem somno, vinoq; gravatis
Assimiles, hærentq; oblitii, donec Judas,
Qui nusquam somno noctu se straverat illa,
Signa dedit manifesta, hostiq; objecit amicum.
Namq; pii scelus id prætexens nomine amoris
Composuit sese, & ficto dedit oscula vultu.
Ille dolum præsensit, & hæc presso edidit ore.
Hæc vero meruit comitum fidissime noster
Oscula amor? tanto scelere ulla ad præmia tendis?
Haud equidem hæc tecum pepigi commercia quondam:

Idem Lib. 5. Christiad.

Parte alia, Regem qui fœdè prodidit hosti,
Mutatus scelus agnoscit periturus Judas,
Ah miser, infectum quàm vellet posse reverti?
Nulla quies animo, sævire in pectore diræ
Ultrices, cæcasq; ob noxam sumere pœnas.
Nec capit insanos curarum pectore fluctus,
Hinc secum æra manu sceleris causam attulit amens,
Quæ Solymi magno dederant in munere pacta,
Atq; Sacerdotum sacrata ad limina venit
Vociferans: vestrum hoc argentum, hæc munera vestra
Accipite, en scelerum pretium exitiale repono.

Heu

Heu heu, quid demens volui mihi? quo scelus ingens
Inductus pretio admisi? vera DEI ille
Progenies, verusq; DEUS, nunc deniq; cerno,
Discursaq; abeunt tenebræ, & mihi reddita mens est.
Sic fatus, simul argentum conjecit in ipsos.
Olli autem flentem risere, ac sera videntem.
Infelix abit: hinc amens, cæcusq; furore
Multa putat, curæ ingeminant sævitq; sub imo
Corde dolor, cæliq; piget convexa tueri.
Tum secum huc illuc flammantia lumina torquens,
Hem, quid agam infelix? quænam quæ secula porrò
Sera adeò tantum scelus unquam oblita silebunt?
Accedamne iterum supplex, crimenq; fatebor,
Atq; ausim veniam sceleri sperare nefando?
Quo vero aspiciam vultu, quòve alloquar ore
Quem semel indignum decepimus, inq; merentem!
Hinc igitur longè fugiam, quantum ire licebit,
Ignotusq; aliis agitabo in finibus ævum?
Hinc me præcipites me me hinc auferte procellæ,
Quo fugit usq; dies à nobis luce peracta.
At quis erit tutus tandem locus? omnia præsens
Aspicit, ac terras Deus undiq; fulmine terret,
Et me conscia mens, atq; addita cura sequetur,
Sive iter arripiam pedibus, seu puppe per undas.
Quos? quibus? at moror, & ludunt insomnia mentem.
Vos precor ô mihi vos magnæ nunc hiscite terræ,
Quid dubito? nunc te tangunt scelera impia Juda
Infelix, tunc debueras, tunc ista decebant,
Cum revocare pedem, cùm fas occurrere pesti.
Nunc morere, atque nefas tu tantum ulciscere dextra
Sponte tua, lucemque volens, hominesq; relinque.
Talia jactabat certus jam abrumpere vitam
Invisam, & sævum letho finire dolorem,
Curarum hanc unam metam ratus, atque laborum,

Fluctuat

Fluctuat atque sibi semper tellure videtur
Absumi, aut rapido de cœlo afflarier igni.
Usque adeo oculos capti observatur imago.
Pallor in ore, acies circumlita sanguine, & artus
Algentes tremit, instantis vestigia lethi,
Et nox multa cava faciem circumvolat umbra.
Omnia nigrescunt tenebris caliginis atræ.
Demens, qui potius veniam sperare fatendo
Non ausus, neq; enim precibus non flectitur ullis
Rex superum, & justæ bonus obliviscitur iræ.
Ergo ille inceptus perstans, & sedibus hærens
Isdem abiit, silvæq; tremens successit opacæ,
Regia quæ propter fundebat plurima tecta.
Atque ibi dum trepidat, qua tandem morte quiescat
Incertus, latebrasne animæ scrutetur acuto
Fortiter, & pectus procumbens induat ense.
An se præcipiti jaciat de culmine saltu.
Ipsæ quæ attonitum, mortisq; cupidine captum
Ducebant semper furiæ, infensæq; præibant,
Informem prona nectentes arbore nodum
Ostendere viam, collo namq; inde pependit,
Ut meritus, laqueoq; infami extrema sequuntur
Spiramenta animæ, eliso gutture rupit,
Et totos subitò pendens extabuit artus.

Alexander Rosæus Anglus in Virgil. Evangelisantis Lib. II.

At Christus qui jam certæ succumbere morti
Sponte sua voluit, tempus secum ipse modumq;
Exigit, & Judam venientem haud reppulit: ast hic
Christum ut conspexit palmas utrasq; tetendit;
(Nam multas habuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros:)
Amplexumq; tenet Judas, atq; oscula figit,
Cui breviter Christus: Tune oscula figis, amice,

Et pro-

Et prodis me voce tuâ? nec plura loquutus
Constitit, atq; oculis densa agmina circumspexit:

Idem paulo post eodem libro.

Continuo sontem Judam succincta flagello
Tysiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum,
Hibitat innumeris hydris sata nocte Megera
Verberaq; insonuit, tum lumina torquet Erynnis
Flammea, fumentes figens sub pectore tædas,
Alecto torvam faciem & furialia membra
Ostendit, penitusq; in Judæ viscera lapsa est.
His agitur furiis, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt oculis, micat acribus ignis.
Per medias urbes agitur furibundus, & alta
Templa petit, qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautum nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Nescius, illa fuga silvas saltusq; peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.
Tunc Judas tremulis ululatibus æthera complet,
Se causam inclamans, crimenq; caputq; malorum,
Quæ Domino insonti acciderant, quod vendidit illum
Hostibus, incusat sese, redditque repente
Argentum, & scelerum furiis agitatus abivit;
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.
Ilia rumpuntur misero: deforme cadaver
Terribili squalore horret: dependet amictus
Sordibus ex humeris, oculos stupor urget inertes
Ora modis miris pallent, gravis halitus atro
Corpore se fundens supera ad convexa ferebat,
Vitaq; Tartareas fugit indignata sub umbras.

Oratio Judæ Ischariotæ suspendium sibi parantis,
CAPARIS BARLAEI.

Mmmmmm Quis-

Quisquis in hac cernes infelix arbore pondus,
 Me fuge, nec propius flecte viator iter.
Forsitan & potuit durum nocuisse cadaver,
 Solaque te faciat corporis aura reum.
Ite procul scelerum ignari, neq; conscia fraudum
 Pectora, nec sacram fallere docta fidem.
Cedite matronæ castosq; avertite vultus,
 Ne sontis videant ora nefanda viri.
Hoc virtus pietasque loco candorque facesse,
 Et quicquid laudem relligionis habet.
Non una sum lege nocens, Dominumq; Deumq;
 Prodidit, & facto perfida lingua suo est.
Quiq; mihi vultus fuit, & qui gestus amantis,
 Cuncta notæ famuli decipientis erant.
Ipse dedi summis multùm per amica labellis
 Oscula, sed tacitis, insidiosa dolis.
Auximus ingenio facinus docteq; fefelli.
 Ne crimen levius simplicitate foret.
Vendidimusque Deum pretio, servique Redemptor
 Ipse sui fastus merx scelerata fuit.
Traditur infami mercabilis ære creator,
 Et cedunt lucro nomina tanta meo.
Polluit una meos obscæna pecunia mores,
 Et sacer argenti suasit iniqua furor.
Tristis avaritiæ rabies, dum colligit aurum,
 Hunc quoq; cum posset vendere, vendit herum.
Dicite Pontifices sacrisq; operate sacerdos,
 Flagitio semper turba pudenda meo;
Cur placuit vobis cœlum venale Deusq;,
 Quæq; reum faciant, annumerastis opes?
Si volui peccare prior, quoq; culpa probantum est,
 Et pretio facinus qui fovet, ille facit,
Heu quid agam! durum est sortis meminisse prioris,
 Hinc timor, hinc sceleris me premit ipse dolor.

Jamq;

Jamq; animo dulces monitus reminiſcor Jeſu,
  Actaq; cum Domino vita dieſq; ſubit.
Nunc fora, nunc ædes, nunc publica templa revolvo
  Omnia, quæ ſacris perſonuere ſonis.
Nunc in gramineis pandentem oracula campis,
  Et pia littoreis verba recordar agris!
Hæc audire mihi fuit & didiciſſe voluptas,
  Vocibus his licuit colloquiiſq; frui.
O quoties dixi, vox hæc placidiſſima cœli eſt,
  Vive nec extremum dent tibi fata diem.
Heu ſcelus! iſta ſilet noſtrâ facundia culpâ.
  Illa meo ſolum crimine muta ſtupet.
Voſq; mei quondam, chariſſima turba, ſodales,
  Non ultra veſtri cernitis ora Ducis.
Hactenus eſſe piis licuit, nunc cede magiſtri,
  Et diſpar titulo proditionis ero.
En caput! en Dominum vinclis ac compede ſtrinxi;
  Indicioq; meo proditus ille latet!
Tinximus innocuo ſceleratas ſanguine dextras,
  Nec ſine me Solymæ miles ad arma ruit.
Squallida nunc illum tenebroſi carceris aula
  Abdit, & immenſum vilior umbra Deum.
Jam gemit, & patriis infert ſuſpiria tectis,
  Et famuli queritur facta nefanda ſui.
Tuq; parens dilecta tui crudelia nati,
  Funera nequitiæ pignora crede meæ.
Sit funeſta dies, qua me dignatus amicum eſt;
  Et voluit ſociis annumerare ſuis.
Ah graviter cecidi! quid enim mirabile, ſi quis
  Tactus avaritiâ vulnus amoris habet?
At mea nunc ultor commercia devovet æther,
  Et malè ſollicitum numinis ira premit.
Deſperaſſe juvat: nec enim placabile cœlum eſt;
  Ignoſciq; meum cor mihi poſſe negat.

Non ſtyx una mihi, Phlegethon non ſufficit omnis,
Nec ſatis ad pœnam eſt tota gehenna meam.
Mitior eſt Acheron, nec crimina noſtra piabunt
Tartara, nec flagris ſæva Megæra ſuis.
Nec quæ perpetuis Nemeſis cruciatibus inſtat,
Flammarumq; dolor, præcipitesq; rotæ.
Hæc ego cum timeam, potui majora mereri,
Quodq; malum fingat mens mea, majus habet.
Sævit in proprium quondam fera dextera fratrem,
Et ſceleris pœnas pertulit illa ſui.
Quo toties puero fuit inſidiatus Ieſſæ,
Vincitur, atq; ſuo cæſus ab enſe cadit.
Sæviit in patrem ſceleratis Abſalon auſis,
At miſer è quercu triſte pependit onus.
His quoq; jam Nemeſis miſerum ſuſpendit Judam
Frondibus; hæc teſtis criminis arbor erit.
Adſum lictor, & ipſe mei libitina ſepulchri,
Exequiasq; mihi præfica nulla canet.
Non nova me circum protrudet gramina tellus,
Nullaq; purpurei gloria veris erit.
Non ſtillante mei madefient rore capilli,
Ipſe meum fugient ventus & aura caput.
Umbra loco feralis erit, frigusq; tremorque,
Hinc radios Phœbus, Cynthia flectet equos.
Aëre librabor, terris ſecretus & aſtris,
Fabulaq; & luſus prætereuntis ero.
Quæq; reum occulto tellus irata fatigat
Verbere, ſuſpenſo non erit illa gravis.
Cur ultra vitæ cuſtos inviſus amaræ,
Contineam pronas in mea fata manus?
Cur doleam? pudor eſt ſuperum ſperare favorem,
Aut Numen precibus flectere velle meis.
Cur doleam? Cerno præſens hac arbore funus,
Iſtaq; jus fati faſcia vilis habet.

Culpa

Culpa mea eſt, in me commiſſi pœna redundet:
Sint capitis damno damna ſoluta mei.

Iacobus Maſenius Societ. Ieſu. in arte nova Argutiarum, Epigram. part. 1. pag. 32.

Iudas ſe ſtultè ſuſpendit.

Ipſe ſui Judex, eſtq; accuſator Judas,
Ne quid deficeret, tortor & ipſe ſui eſt.
Quid facis infelix? laqueo caput inſeris ultro?
Non Chriſti, ſed vis proditor eſſe tui.

Iudam Iudæi malè tuentur.

Judæis Judas es defenſoribus uſus:
Convenit auxilio tam bona cauſa ſuo.
Nil meret improbitas, ſed opem talem iſta meretur,
Quæ quodcunq; tegit, detegit ipſa ſcelus.

Iudas varius actor.

Quaslibet in ſcena perſonas egit Judas.
Qui modo Comœdus, moxq; Tragœdus erat.
Dum Chriſtum laqueis onerat, gravis actor habetur.
Cum volat in laqueo, tunc levis actor erat.

Iudas venditor ſtultus.

Proditor hic Chriſti multis dicatur avarus,
Quem pretio Dominum poſthabuiſſe vident:
Omnia tantillo qui permutaverit auro,
Vendideritq; Deum, prodigus ille mihi eſt.

Iudas ſe ſuſpenſurus Chriſtum innocentem eſſe teſtatur.

Indueras collum laqueo, teſtatus JESUM
Innocuum, ſceleris nullius eſſe reum.
Credimus. Ut vivo rarus tibi fidit, Juda:
Sic jam ſuſpenſo dat tibi quisq; fidem.

De eodem.

Dum tibi quisque fidem suspenso præstat, Judæ,
Debebis moriens, magnam habuisse fidem.

An Iudas nocens?

Si qui nocentem sustulit, non est nocens;
Tu jure Juda est innocens,
*te videlicet homine nocente sublato.

Iudas ex fideli perfidus.

Perfidia atq; fides in te certavit, Juda.
Hanc laqueo litem diluis ipse tuo.

Iudas sine sensibus.

Tam cito prolapsum non admiramur Judam,
Sed destitutum sensibus.
Cæcus erat, Christo dum viso, diceret; hic est.
Amice, postquam audivit, & surdus fuit,

Iudas moriens.

Nec vita dignus, nec morte videris, Juda:
Vivere sic culpa est, sic quoq; culpa mori.

Iudæ mores.

Qui proditoris plexuit laqueo scelus;
Non impius quidem iste, nec pius fuit.
*Judas, scilicet, impius non fuit dum proditorem plecteret; sed nec pius, cum seipsum.
Præmatura licet si mors tibi, serius unâ
Tu tamen appensus crederis esse die.
Christus enim traditus ab illo non esset, si ante suspendio periisset.

Idem ibidem pag. 38.

De Iuda proditore.

Lux videt una duos, ligno pendere, Deumq;
Et Judam: hinc agnum: sed simul inde lupum.
Ignotus vivis, moreris sed notus Juda,
Vita obscura tibi, mors tibi clara fuit.

Est

Est Petrus inconstans, tulit inconstantia laudem,
Ad Galli cantum territus ipse Leo est.
Es constans Juda, sed te constantia perdit:
Hæc virtus sceleri nunquam adhibenda fuit.

Idem ib. pag. 44.

De Iuda proditore.

1. Vita malis levis est, sed mors gravis esse videtur.
Quam Judas similis, dissimilisq; fuit!
Vita gravis visa est, laqueo dum colla revincit.
Et cum penderet mors fuit ipsa levis.

2. Lazarus exaudit Christum, non audit Judas:
Hic quamvis vivus, mortuus iste fuit.
Credimus? an melius Judam vixisse negamus:
Non vixisse suis Lazarum in exequiis?

3. Comparat hoc laqueum pretio, quo vendit JESUM.
Vendenda emptor emit, vendit emenda sibi.

4. Carnificem Judamq; inter lis nata putatur:
Dignior an laqueis ille, vel iste foret?
Deniq; tortorem fur est suspendere jussus,
Et furem tortor: dignus uterq; fuit.

5. Non voluit, potuit Judas servare Magistrum,
Non potuit, voluit Judam servare Magister.

Et pag. 49.

1. Dedecus ulturum laqueo te, perfide, spondes,
Et facis: est pejor perfidiâ istà fides.

2. Prodiga avarities semel est comperta fuisse,
Omnia pro laqueo cùm dedit illa levi.

3. Mammonæ simul atq; Deo famulatur Judas,
Jungere divitias pauperiemq; cupit.
At miser ut Dominis voluit servire duobus,
Obsequio Dominum perdit utrumq; suo.

Et pag. 52.

1. Horrendam timuit Judas pro crimine mortem,
In laqueo voluit mitior esse sibi.

Quis

Quis sibi sic parsit, gravius nocuisse putatur,
Stultitiæ caput est, ne moriare, mori.
2. Ad jus, crede mihi, tu jure citaris Juda:
Nomen habes tantum, jus sine jure tuum est.
3. Hunc culpent alii, Judas tunc profuit orbi,
Cum pretio Dominum transtulit ipse suum.
Ut sceleri fieret medicina, hoc defuit unum,
Et scelus hoc unum sustulit omne scelus.

Et pag. 55.

1. Quam doctus simulator eras! dum fingis amicum.
Et Christum, & Judam decipis arte tuâ.
2. Dignus erat laqueo qui te suspendit, Juda:
Qem suspendisti dignus & iste fuit.
3. Ad mortem properant Judas & Christus; utriq;
Mors dispar: par est, quod voluere mori.
4. Quam levis est Judas ventoq; agitabilis omni!
Qui vivus fuerat, mortuus iste manet.

Et pag. 59.

1. Quem salvere jubes, non est tibi, stulte, magister:
Hanc te perfidiam qui docet, ille fuit.
2. Facta doles, placet hoc, sed te suspendis Juda:
Displicet. Ut posses pœnituisse bene:
Suspendendi omnes Judæi, stulte, fuissent
Hoc laqueo: Christus sic redimendus erat.
3. Vendere Judæis vis convenientia Juda?
Vendendus laqueus, non tibi Christus erat.
4. Credimus esse Deum, quem tu malè tradis, Juda:
Quem male vendideras, credimus esse Deum.
Credimus esse Deum, te non credente Magistro:
Non opus est cathedra, credimus ex laqueo.
5. Vendis stulte fidem, quam Christo sæpe dedisti,
Hæc tibi si saperes esset emenda fides.

6. Qui

6. Qui tibi marmoreum dicunt in corpore corpus,
Falluntur, venter nam tibi mollis erat.

Et pag. 68.

1. En agilem promptumq; sequi quocunq; ministrum.
Ingenium moriens prodidit ipse suum.
Morte rigent alii, saxoq; immobile corpus
Subjacet, & mediâ tu quoq; morte volas.
2. Quod levis in vita fueris non miror, Juda:
Te post mortem etiam quælibet aura movet.
3. Dum Christum quæris, retrò cecidisse putaris:
Nam tibi quà caderes, frons, puto, nulla fuit.
4. Quantus erat Judas, & qualis habendus in orbe
Qui pro mancipio vendit, habetq; Deum!
Aut vilis Deus est, aut certe magnus Judas,
Ex laqueo major creditus iste suo est.
5. Crederis in porcis, quos Dæmon pulsus adivit,
Inter tu reliquas una fuisse sues.
6. Noluit hic vivus, moriens testatus Jesum est;
In vita hæreticus, morte fidelis erat.
7. Plaudite nunc servi, Dominum cum vendit Judas,
Cœpit herus famulo tunc minor esse suo.
8. Dum Christum exiguo Judas male vendidit auro,
Nullius pretii res fuit ipse Deus.

Et pag. 74.

1. Dum plus in loculis, quam Christo fidit Judas:
Quis neget hunc magnam tunc habuisse fidem?
2. Judas, Christe, tui fuerit defensor ovilis:
Cum se suspendit, sustulit ille lupum.
3. Non satis est inquit, quod multi multa loquantur:
Est aliquid verbis jungere posse manus.
Dixit, & ex alta se sustulit arbore Judas.
Exemplis, inquit credite, Christus erat.

Doctores quosdam similes, si hæc tempora ferrent,
Turbarent Christi non tot ovile lupi.
4. Creditur infernum Christus voluisse subire.
Atq; triumphatam morte necare necem,
Hinc memor officii Judas præcurrit, & orco
Adventum Domini nunciat ipse sui.
5. Dixeris, in medio nil letho questus, Juda:
Quis te constanter mortem obiisse neget?
6. Aurum Judæis, animam quoq; debuit orco.
Restituit Judas omnia, justus erat.
7. Mortuus ipse piè est, nam toto expalluit ore
Ad scelus, & proprium plexuit ipse nefas.
8. Quærere quod Judam videas sublime sepulchrum,
Nil mirum est, formæ consulit ille suæ.
Ut David, si rufus erat; scelus esse putabat,
Si premeret pulchras sordida terra comas.
9. Nos animam Christus propter se spernere jussit,
Audiit hoc Judas, obsequiturq; Deo.
Nam quis eum proprium superasse negabit amorem:
Cui contempta sui vita salusq; fuit.
10. Pilato es similis cum Jesum absolvis Juda:
Dum tibi cum justo rem simul esse negas.
Improba sed probitas est sic agnoscere Christum.
Laus foret à tanto degenerasse viro.
11. Rem visus præstare bonam est Pharisæus Jesu.
Indiguit, Judas vendidit, ecce pium.
12. Deseruit loculos, terramq; ac deniq; vitam
Pro Christo Judas, relligiosus homo est.
13. Omnia quis Christo neget hunc tribuisse Magistro
Discipulum, vitam qui dedit ipse suam?
14. Cur ventre exspiras rupto: cum scilicet istam
Spiritus impurus debuit ire viam?

Et pag. 80.

1. Lapsus erat nuper Judas dum quærit Jesum,
   Ne rursus cadat, hac arbore fulcit onus.
2. Te medium crepuisse ferunt; nec miror, Juda:
   Tam magnis animis undiq; magna via est.
3. Ægrotus nunquam moritur quod in arbore Judas;
   In Medico causa est præveniente luem.
4. Præsidium Judas sceleri vult quærere: causâ
   Ne cadat, hanc laqueus præstat, & arbor opem.
5. Judæi cupiunt Judam defendere, Christum
   Accusare: nocens hic fuit, iste probus.
   Ut virtus igitur posset rea criminis esse,
   Debuit absolvi criminis ante nefas.
6. Hircum Judæi redolent: fuit autor Judas:
   Ex ove, dum crepuit pensilis, hircus erat.
7. Nil de illo meruit vespillo, nec arcifer ullus:
   In laqueum sumptus fecerat ipse suos.
8. Cum moriturus erat voluit sublime sepulchrum,
   Ne canis in bustum mejeret, inque cinim.
9. Pauper uti vixit, pauper moriturus Judas,
   In laqueo exequias vult celebrare suas.
10. Quis non deploret Judæ lacrymabile funus,
   Cujus ad exequias indoluere feræ?
   Non homines, sed triste canes ululasse feruntur,
   Vespillo corvus, præfica pica fuit.
   Cumque oculos nemo quic hauderet esset amicus:
   Hoc etiam corvus fungitur officio.
11. Nec terrâ Judas, nec cœlo dignus habetur.
   Debuit hinc exsors inter utrumq; mori.
12. Cum dare personæ velles accommoda cuique,
   Judæis aurum das, laqueumq; tibi.
13. Vim tantam exemplis Dominorum credimus esse,
   Judas cum Domino vult morienti mori.

Et pag. 86.

1. Oscula jam nullus tutò præbebit amanti,
   Hæc postquam infecit perfidus ore reus.
2. Magdalis, iratus Juda placabitur; auro
   Tinge manus: oleo non eget ille tuo.
3. Hem vos Judæi, quibus est dux factus Judas,
   Hoc simul ad laqueum vos decet ire duce.
4. Sub pedibus terrena jubet te Christus habere;
   Debes nunc laqueo, quod facis ista, tuo.
5. Rebus in immodicis, ne spes malè figat Judas:
   In laqueo posuit spem, neq; falsa fuit.
6. Nocte trifur factus, nocte es suspensus Juda:
   Indoctus fur es, qui neq; nocte lates.
7. Si quoties fur es, laqueus tibi redditus esset;
   Cervice laqueos mille ferres unicâ.
8. Si quibus est aurum Domino pretiosius, illis
   Denìq;, ceu Judæ, debita restis erit.
   Aut linum deerit laqueusq;, aut restio quivis
   Exiguo quamvis tempore dives erit.

Et pag. 90.

1. Si cor thesaurusq; una junguntur avari:
   In loculis tantum cor tibi, stulte, fuit.
2. Nullum te memorent cordis sensisse dolorem:
   Nam tibi cor nullum, cum morerere fuit.
3. Non primùm hoc moritur laqueo: nam mortuus ante est,
   Dum caput ad mortem tradidit ipse suum.
4. Fur nulli dicendus eras, nisi nocte venires:
   In mediis tenebris te patet esse scelus.
5. Quod tantum Judas audet patrare, corona est
   Debita; sed collo danda corona tuo.

Et pag 96.

1. Basia fixisti Juda: sed Christus aceto
   Diluit: has sordes sic bene, Christe, lavas.

2. Quo

2. Quo tendis facibus: tibi num funebria luces:
Ne quis contendat te, sine luce, mori?
3. Non potuit cœlis animos extollere Judas:
Extulit (hoc potuit) corpus in astra suum.
4. Vita tibi Christus fuerat, cum venditus esset,
Vita debebas ipse carere tua.
5. Dum scelus hoc ultra tellus perferre recusat,
Præbuit huic ramos arbor amica suos.
6. Discipulos Christi Judas supereminet omnes.
Altior hoc laqueo debuit ipse suo.
7. Insidias capiti cum jam struxisset Judas:
Vix potuit collo parcere, proximum erat.
8. Quod caput ante suum Judas male vendidit auro,
Creditur in laqueo non habuisse caput.
9. Non opus est saxum morienti ponere Judæ:
Totus adhuc vivens saxeus ipse fuit.
10. Non eadem Christo servit, medicinaq; Judæ:
Ille pedes ungi postulat, ille manus.

Et pag. 103.

1. Ut Lupus agnello, Judas dedit oscula Christo.
2. Leprosi metuenda domus corruit Judam,
Hic contracta prius criminis ista lepra est.
Turpis avaritia, & lucri scabiosa libido,
Polluit unguentum sordibus una suis.
Quid mirum? perit unguenti Scarabæus odore:
Sordida cui fimi stercora, pastus erant.
3. Ex ligno Dominus, ligno suspensus, Juda es.
Quis Domino similem te neget ergo mori?
4. Hactenus in teneras notum est sævisse bidentes,
Et crudos stabulis imminuisse lupos.
Cum tamen in proprios Judas male sæviit artus:
Triste lupos fatum vidimus esse lupis.

5. Diogenem memorant, ſolem quæſiſſe lucernâ:
Diogenem vidit nunc tua Chriſte Schola.

Et pag. 109.

1. Viciſti reliquos tu ſolus Apoſtolus omnes:
Libera quæ nulli mors fuit, una tibi eſt.
2. Illotis Judas pedibus non ivit ad orcum,
Præſtitit obſequiis hoc Deus ipſe ſuis.
Sæpe parentatum eſt multis heroibus: iſto
Exemplo Judæ nemo ſecundus erit.
3. Depoſuit Judas ſpem jam moriturus, an unus
Ante ſuam hic mortem forte beatus erat?
Spem nec habent ſuperi, nec Judas: vincit Judas,
Hic vivens caruit ſpe, moriensq; caret.

Et pag. 115.

1. Magdalis & Judæ totus ſcit nomina mundus:
Illa, quia invenit, perdidit ille, Deum.
2. Oſcula das Chriſto; Joannes fixit eidem;
Ex quo flore legit mella, venena legis.
3. Adamus periit, periitq; ſub arbore Judas:
Hic quoniam guttur claudit, & iſto aperit.
4. Ad mortem properant Judas & Chriſtus, utrique
Mors diſpar, par eſt quod voluere mori.
5. Et Pauli & Judæ diſpar fortuna putatur;
Sternitur ille ſolo, tollitur ille polo:
Mutat uterq; locum; tamen iſte cadendo levatur,
Quodq; etiam mirum eſt, iſte levando cadit.
6. Turpis avarities livorque abduxit Judam:
Diſcipulus Domini nil habet iſte ſui.
In trabe dum moritur, tunc enim imitatus JESUM:
Eſſe Deo ſimilis diſſimilisq; cupit.
7. Nulla magis totum ſunt admiranda per orbem
Geſta tuis Juda, geſtaq; Chriſte, tuis.
Quam nulli taceant calami digniſſima res eſt:
Hic hominem redimit, vendit at iſte DEUM.

8. Quem

8. Quem malè Petre negas, pejus profitetur Judas.
Ille fatendo Deum, tuq; negando cadis.

Et pag. 120.

1. Vivus habes loculos, loculum nec mortuus unum,
Vita tibi dives, mors tibi pauper erat.
2. Dæmona corporibus pepulisti fortis Juda:
Idem agis in laqueo, cum moriare tuo.
3. Vix æstas similes dabit hac ex arbore fructus;
Quos sterili ex trunco bruma ferenda dedit.
4. Vivere honoratus cum jam non posset Judas,
Pro vita infamem maluit esse necem.

Et pag. 126.

1. Iscarium quisquis laqueo damnavit Judam,
Non leve confecit, furcifer ille, scelus.
2. Qui tam severè plexuit Judas scelus:
Quid ni sit homo sacerrimus?
3. Declinare miser laqueum qui nescit Judas,
In Christi nimium grammaticâ rudis est.
4. Impurus Domino Judas tulit oscula casto.
Scilicet ante omnes *offitiosus* homo est.
5. Non pendis nihili Christum, dum vendis Juda:
Nam certè in pretio tunc fuit ille tibi.
6. Ob malè damnatum Dominum, cum pendet Judas,
Quis neget hunc Domino pro moriente mori.
7. Post crimen metanœa juvat, dicebat Judas:
Mox abit & sumpto crimina fune dolet.
8. Pœnituit, scelerisq; notas agnovit Judas,
Absolvit laqueo mox scelus ipse suo.

Et pag. 134.

1. Quod non pœniteat, quod non sit David Judas,
Litera, suspensus quam facit, una facit.
* Literam ex se longam facere, est suspendere.

2. Dum

2. Dum *vidas* Christum Juda, dum vendis Jesum.
In te crede mihi, Syllaba nulla bona est.
*Judas anagrammaticè *vidas.*

3. Vix equidem miror quod non resipiscere posset.
Nam nemo est Judam qui sapuisse putet.

4. Christus, amice tuum, Juda, inquit respice finem;
Unica decepit litera, funis erat.

5. Amisit Dominum, loculos amisit Judas,
Quod modo restaret, nil nisi restis erat.

6. Addictum caput est furcæ, quin vadis, Juda?
Qui vadis huc abeat nomine, nullus erit.

Et pag. 144.

1. Qui parcas secuisse putant sua stamina Judæ,
Falluntur, nexo stamine is interiit.

2. Causidicis commune malum est, quo stulte laboras;
Argentanginam passus es, inde taces.

3. Antiquos memorant fixisse sub arbore sedem,
Et tenuem pastos glande cadente famem.
Sectator veterum Judas, amat arboris umbram:
Hi glande; at laqueo farciit ille gulam.

Et pag. 149.

1. Asperius nihil est humili, dum surgit in altum,
Vulgus ait, Juda mitius hic nihil est.

2. Pendere vult tortor non vult pendere malignus:
Dicitur in Juda non habuisse locum.
Scilicet ut tortor voluit pendere, malignus
Pendere, tunc facta est syllaba longa brevis.

3. De te falsa fuit, Juda, scriptura, quod arbor
Si bona sit, fructus non ferat illa malos.
Nam bona te nexo suspensum fune tenebat.
Planta; tamen fructus nil tulit ista boni.

4. Nemo suum Judæ caput ausit fidere: nulli
Hic bonus est, nequam qui fuit ipse sibi.

5. Ar-

5. Arbore quod media pendes suspense, lucernam
Sub modio non vis, credo, latere tuam.
6. Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.
Excipitur Judas pensilis ex laqueo.

Et pag. 197. I.

Quod dextram venerêre, quodq; Juda,
Et blandis titulis, & ore dulci,
Oblata quoq; basiatione,
Christo dixeris ultimam salutem,
Rem dignam facis. Attamen Magistri
Nullam, tanta fides, fidem meretur.

II.

Injectis latus illigare vinclis
Christum viderat improbus clientum,
Dum mensâ pariter receptus unâ
Unus pluribus immolatur agnus.
Cernit vincula, vinculisque strictum
Optat sæpius implicare Christum.
Judæos igitur, popasque crudos
Vesano monet incitatus æstu:
Christum stringite, duplicate vincla,
Centum funibus, inde, & inde, tortis,
Centum nexibus illigate Christum.
Ex tot funibus hinc & inde jactis,
Unus plexuit improbum Ministrum,
Qui cervibicus hæsit implicatus.
O factum bene, versibusq; dignum!
Funis funibus æquiore nunquam,
Pro mercede suo datus ministro est.

III.

Judas, anagramma, audis.
Audis Isacidas male efferatus,
Et cæcum rabieque, lividoque

Turgentem invidiæ gregem veneno?
Audis nobilis exedræ tiaras,
Et vulgus famulantium Paparum,
Quos per funera volvit innocentum
Diro barbaries cruenta ferro?
Non audis, revocantis ore blando,
Et pressis simul ambientis ulnis
Christi verba suaviora melle?
Non audis? tibi saniora Christus
Pacis consulit, & salutis arma.
Et captum scelus urget execrati?
O præpostera, vilis impudensque
Juda, fex hominum levis malorum,
Quo præceps minus audienda captas,
Et surda fugis obstinatus aure,
Quod utralibet esset audiendum!
Seu sic audieris tibi cavenda,
Seu non audieris tibi audienda,
Semper surdus es, audiensq; nunquam.

IV.

Iudas, anagramma, *vadis*.

Quo vadis scelerate? quò sacrati
Labes nominis, ultimumq; gentis
Immani raperis probrum furore?
Quo vadis? laqueone, stulte, præceps
Damnabis caput, alitumque præda
Et nigri spolium occides Averni?
Infaustos revoca nefande gressus,
Vix toto miser expiandus orco:
Te circumspice, pallidamq; mortem,
Quo sic perdite vadis, hinc reducto
Evades, mihi fide, calle nunquam.
Ad Manes via prona, nulla retrò est.

Emma-

Emmanuel Thesaurus Comes, & majorum insigniũ Eques, in celebri Inscriptionum opere Coloniæ Brandenburgicæ Anno M DC. LXXI. recuso. p. 451.

In Judæ effigiem argenteos rejicientis.

Projicis infames effusor prodige Numos;
Nec fugit extentam Numus Avare manum.
Exosum refugit contingere terra metallum;
Jactaq; contigua copia pendet humo.
Siccine vos postquam tetigit fera dextra, profanæ
Et pretium, & pondus demeruistis opes?
Fallor: furacis sunt hæc miracula dextræ:
Dum rejicit Numos, attradit illa manus.

Ejusdem suspensi imago.

Non mea me poteris Tellus haurire nocentem?
Non Thetys innocuas sæpius ulta rates?
Non tumidæ nubes igni mulctare caduco?
Non terere infidum stella revulsa caput?
Me refugit cælum, refugit terra, ignis, & unda:
At mediam inveniet Spiritus iste viam.
Dixit; & infami se proditor arbore librat,
Nec terris, nec aquis, neve Polo immoriens:
Restant contiguis fœdandæ tactibus Auræ,
Ast animæ assuetas denegat Aura vias.
Ergo anima obsessi Antico illuctabilis oris,
Postico solitum lapsa fefellit iter.

Ioh. à Beust. de Osculo Judæ pag. 129. Epigram. select. à Christiano Philometro Gotæ excusorum Anno M DC LVI.

Ore Deum ficto prodit, quem vendidit ære,
Has artes Judæ triste monile manet.

Id. ib. pag. 135.

Ære bonam causam prodit desertor Judas,
Hæc de discipulo dona Magister habet.

Sit precor his merces famosa catenaq; Judæ,
Qui, cum mens veri est Conscia, vera negant.

Ioh. Oexlin. ibid. pag. 130.

Pœnitet admissi Petrum Judamq;, flet ille,
Hic etiam sceleris præmia restituit.
Cur cœlum patet ergo Petro, rapit orcus Judam?
Ille fide ad Christum fugit, hic abstinuit.
Petrus amore gemit, Judas terrore Jehovæ;
Horrescit pœnas iste, sed ille nefas.

Mart. Hayneccii l. 1. crucis Soteriorum, Judas pendens sibi. p. 135.

Quam grave sit, quanti sanctum simulare pericli?
Prætextu Christum, Mammona corde sequi?
Reste sibi ipse gulam frangens docet Ischariotes,
Exciderat Christo, quem sibi vendiderat.

FINIS.